ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO

EUROPAE
MEDICINA



F.co Zucchi sculp.

EUROPAE MEDICINA

A SAPIENTIBUS ILLUSTRATA

ET

A COMITE

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

OBSERVATIONIBUS ADAUCTA



BRIXIAE CIƆIƆCCXLVII.

EX TYPOGRAPHIA MARCI VENDRAMENI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ahk.



Pᵗʳ Zucchi sculp:

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO POLONIÆ REGI
AUGUSTO III
MAGNO LITHUANIÆ DUCI ELECTORI SAXONIÆ

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

DUÆ cauſſæ me impulerunt, Monarcha Sereniſſime, ut novum hunc mei ingenii, mearumque vigiliarum fœtum Auguſtiſſimo Tuo Nomini dicarem, quarum altera in eo ſita eſt, ut maxima in me collata beneficia, quoad mea patitur

 tenuitas

tenuitas, rependerem, ac memorem, gratumque animum, ſi ultra non poſſum, teſtatum ſaltem aliqua ex parte relinquerem. Manet ſcilicet, æternumque manebit alta mihi mente repoſita Clementia illa Tua ſingularis, quam ſex abhinc annis expertus ſum, tunc cum auſpiciis Regii Tui Filii, quas Morborum Hiſtorias concinnaveram, commendavi. Ecquis honorem non invideat, quo me dignatus es, meamque familiam illi nobilitatis generi, quam Patriis honoribus debeo, aliam cumuli inſtar adjiciens, quæ potis eſt facere, ut quis jure optimo (cum Vate Venuſino loquar) *Sublimi feriat ſydera vertice?* Altera vero cauſſa in eo, ut Tibi redderem, quod jam Tuum eſt, Tibique uni acceptum referri oportere cognoſco: Nam cui, quæſo, hoc, qualecumque eſt, quod in lucem edo, potius quam Tibi offerrem, cujus ſi totum, ac proprium eſſe dixero, me verum dicere nemo diffitebitur? Revera undenam hi conatus, laboreſque noſtri ortum, & progreſſum habuerunt? Dicam quod res eſt. Ut primum mea, ad quæ incumbo ſtudia, & obſequia, quibus Regiam Tuam Perauguſtam Domum proſequor, & colo, Tibi, ut innuere haud indignatus es, grata eſſe, atque accepta ſenſi, novus ardor inceſſit majora in dies moliendi, & magis, magiſque bene de publico pro viribus merendi, quo Tuum Animum publicis undequaque commodis intentum ſimul demererer. Hinc mecum volvens, quantæ utilitati eſſe poſſet, ſi quis varios meden-

di

di modos, qui in præcipuis Europæ partibus obtinent, Clinicorum oculis ſubjiceret, Medicumque veluti penum, aut promptuarium expediret, hanc mihi Spartam colendam inſtitui, & in hanc nervis omnibus intendi. At quia præter ea, quæ jam in commentarios, Artis monumenta & tabularia reconditiora excutiens, digeſſeram, viva oportebat Jatrorum, qui per cultiorem diſperſi orbem reſponſa dant, oracula conſulere, ab eorumque dogmatibus, & epiſtolis ſubſidium, & non vulgare ornamentum arceſſere; hoc opus, hic labor. Feci tamen, Rex Sereniſſime, quæque obſtacula, ſcopuloſque ſolus offendiſſem, contra, tantæ Domus auſpicia in fronte gerens, feliciter evaſi, nefas quodammodo putantibus celebrioribus, qui nunc ſunt, Medicæ Artis Profeſſoribus ſe mihi, tam dextro Numine laboranti, non allaborare. Cujus ubi voti compotem fieri contigit, an hoc, quidquid id eſt, jure Tuum vocetur, Tibique ceu debitum referatur, nec ne, nemini dubium videbitur. Ex quo etiam totum genus humanum facile colliget, cuinam gratiæ ſint agendæ, ſi quam hinc utilitatem ipſum capiet, ut non parvam percepturum nullus dubito, utpote potioribus valetudinis columinibus, quæ hac ætate orbis jactat, ad microcoſmi conſervationem in hoc volumine conſpirantibus.

Duplici huic cauſſæ, quam præſentis nuncupationis indicavi, illud etiam accedit, quod etſi dicta momenta defuiſſent, nihilominus alio me convertere piaculum exiſtimaſſem. Ita enim natura

comparatus ſum, ut aliena patrocinia deſultorie captare neſciam, uni ſemel addictus, ab uno pendens, unum unice reſpiciens. Neque mea hęc obſervantiæ, cultuſque perſeverantia Tibi (ſpero) ingrata accidet, Conſtantiam, & Stabilitatem, quę non ultima Tua laus eſt, in omnibus rebus præferenti. Quanquam, etſi nulla hujus virtutis habita ratione, eo liceret excurrere, ubi potior auſpiciorum conditio ſeſe offerret, hac vel una de cauſſa nihil magis mihi optandum foret, quam ut ſub Tuis perſiſtere concederetur. Quid enim eſt eorum, quę ſcribentes, & edentes ſpectant in Mœcenatibus, quod in Te non ſummum conſpiciatur eſſe? An Domus Antiquitas, Ejuſdemque Propagatio? Res in Faſtos jam redacta, & omnium linguis celebrata. Hoc inſuper loquuntur, hoc clamant Feliciſſima Connubia, quę Italiam, quę Gallias, quę Bavariam, quęque Germaniam ab antiquioribus ævi primordiis beant, & beare pergunt, editiores Monarchicas Europę Familias complectentia. An Pietas in Deum, ceterarumque Virtutum ſatellitium? Bone Deus! Quantus mihi campus hic expatiandi aperitur, Teque, Tuamque Uxorem Auguſtam Pientiſſimam, Natoſque demum celebrandi, omnes Morum Probitate, ac Pietatis Fama ſuper æthera notos? At hęc ſilebo, tacituſque venerabor, ne vim Modeſtię Veſtrę reclamanti faciam. Unum tamen, quod Regium maxime putatur, Tuique proprium eſt, haud pręteribo; ſummam nempe Vigilantiam, ne quid fides publica detrimenti capiat, ęquamque

illam

illam, ac dulcem imperandi rationem; quo ſit, ut ad Lipſienſe emporium advenę tam frequentes confluant, ſtationemque eam Germanię fidiſſimam exiſtiment. An Magnificentia in tuendo Aulę ſplendore? An Majeſtas mirabili nexu juncta cum ſummo in poteſtate rerum omnium modo? Hęc apud Te eſſe, quanquam oculis non vidi, famam, quę per totum orbem pervagata eſt, vadem, prędemque habeo. An (ut finem faciam, & ne longius morer Tua tempora) propenſa in Literas, & Artes, & Scientias Voluntas? Imperium, Tibique ſubdita, & finitima Regna teſtes ſunt. Quę celebritas ſit Academiarum Lipſienſis, & Wittembergenſis, quilibet notum habet. Stupemus nos, ſtupetque univerſa mortalium gens culturam, & progreſſum Artium, quę florent in Regno Tuo. Quę iſthic fodinę ſint, quę vaſa Murrhina, quid tandem omne id, quod hominum ingenia, & manus elaborare ſolent, fidem facit illud emolumentum, & commodum, quod inde mundi commercia longe, lateque percipiunt. Quid autem mirum, politioribus, & ingenuis in Regno iſto Artibus (ut eas affabre cælandi, pingendi, canendique taceam) novum in dies incrementum, ac decus accedere, Te ipſas fovente, munificeque eaſdem tractando, in majus promovente? Ita eſt, Rex Sereniſſime: audent Muſę, ſpirituſque ſumunt, cum ſe, ceteroquin triſtes hac tempeſtate, reſpici cernunt; Auſpicem, ac Patronum Potentiſſimum, æque ac Amantiſſimum nactæ, Cui ſingulæ jure optimo

illud

illud accinere poſſint: *O & Præſidium, & dulce Decus meum!* Tunc & ipſæ Regibus ancillantes, ad tuendam, augendamque felicitatem loci, quem benignum ſibi vident, certatim (neque parva earum vis, & potentia, ut neminem latet) enituntur. Sed epiſtolæ fines prætergredior.

Accipe, Rex Præcelſe, Opus hoc meum, immo, ut jam dixi, Tuum. Cernes hic conantem me, alienoque ore nonnunquam diſceptantem de nobiliſſima Facultate, unde hominum, & Regnorum incolumitas pendet, de totiuſque Europæ, cujus potiſſima pars Germania, Polonia, & Saxonia Tua, proſperitate ſollicitum. Hoc plus quam ſatis arbitror, ut, publici Studioſiſſimus boni, carum & commendatum habeas. Accipe, inquam, (ſupplex rogo) mei memoris, gratique animi monumentum erga Te, Tuamque Domum Auguſtiſſimam: ex cujus Auſpiciis, & Patrocinio, quemadmodum ego totus firmiter pendeo, ita Superi faxint, ut mea vota ferventiſſima adimpleri contingat: nempe Tibi, Tuæque Regiæ Proſapiæ omnia feliciter cedant. Vale, Rex Sereniſſime, & ad mundi felicitatem quam diutiſſime vivas.

Brixiæ Anno Domini 1747.

PETRUS GRIMANI

DEI GRATIA DUX VENETIARUM &c.

Univerſis, & ſingulis notum facimus hodie in Conſilio Noſtro Rogatorum captam fuiſſe partem tenoris infraſcripti, videlicet. Sopra l' iſtanze, che ci furono fatte da Marco Vendramin Libraro di Breſcia, ſiamo diſceſi a permettergli la ſtampa nello Stato Noſtro del Libro intitolato: Europæ Medicina a Sapientibus illuſtrata, & a Comite Franciſco Roncalli Parolino obſervationibus adaucta, *ed a concedere a lui ſolo, o a chi averà cauſa da lui, ad eſcluſione d' ogn' altro, il Privilegio per anni dieci, da intenderſi principiati dal giorno della preſente, della ſtampa, e vendita del Libro medeſimo, tanto in queſta Città ſteſſa, quanto in qualunque altro Luogo dello Stato Noſtro; a condizione, che ſia impreſſo in buona Carta, perfetti Caratteri, bel Margine, e diligenti Correzioni, da eſſere prodotti nel Magiſtrato de' Riformatori dello Studio di Padoa in riſcontro li primi, ſuſſeguenti, ed ultimi foglj, e che ſiano preſentate nelle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa le ſolite Copie. Reſta perciò a' Stampatori tutti, Librari, ed a qualſiſia altra perſona così di queſta, come di qualunque altra Città del Dominio Noſtro, che cauſa, o facoltà non aveſſe da eſſo Marco Vendramin, proibito il vendere per detti anni dieci lo ſteſſo Libro in poca, o in molta quantità, il farne ſeguire le riſtampe in eſtero Stato, anche con l' abuſiva Edizion di Venezia, e l' introdurle nello Stato, ſotto pena della perdita degl' Eſemplari, e di Ducati cinquecento da eſſere applicati un terzo all' Accuſatore, un' altro terzo al Privilegiato, e il rimanente all' Accademia de' Nobili alla Giudecca. Sotto le medeſime pene ſia pure vietato ad ogn' uno per li riferiti anni dieci di contrafare il Libro ſuddetto in qualſivoglia ſua parte ſotto preteſto di reſtrizione, correzione, aggiunta, o mutazione di titolo. Per il che commettemo tanto al Deputato all' Eſtrazione de' Libri dalla Dogana di non licenziare dalla medeſima, o da altro Luogo, ov' eſiſteſſero, quelli che non foſſero corriſpondenti agl' eſibiti nelle Pubbliche Librarie, quanto al Segretario di non rilaſciare Mandato, dovendo intenderſi tutti perduti, e confiſcati, e incorſo il traſgreſſore nelle pene come ſopra. A chiara intelligenza d' ogn' uno volemo in oltre, che nel principio, o nel fine del Libro predetto ſia in aggiunta delle ſolite Licenze regiſtrata la preſente*

**

te

te come ſtà, e giace. Quare auctoritate hujus Conſilii mandamus omnibus, ut ita exequi debeant.

Dat. in Noſtro Ducali Palatio die xxiii. Februarii Indict. x. MDCCXLVI.

1747. 14. *Marzo.*

Gl' Illuſtriſſimi, ed Eccellentiſſimi Signori Riformatori dello Studio di Padoa hanno al ſopradetto Marco Vendramin Libraro di Breſcia conceſſo il ſueſpreſſo Privilegio.

(*Alviſe Mocenigo 5.° Riform.*

(*Zuane Querini Proc. Riform.*

(*Franc. Bragadin Cav. Proc. Riform.*

Michiel Angelo Marino Segret.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

A*Vendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P.* Fra Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore del S. Officio di Venezia *nel Libro intitolato:* Europæ Medicina a Sapientibus illuſtrata & a Comite Franciſco Roncalli Parolino obſervationibus adaucta; *non v' eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a* Marco Vendramino Stampator di Breſcia, *che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.*

Dat. li 23. Febbrajo 1745.

(*Gio: Emo Proc. Riform.*

(

(*Zuane Querini Proc. Riform.*

Regiſt. in Libro a carte 20. al num. 157.

Michiel Angelo Marino Segret.

PRÆ-

PRÆFATIO

Poſtquam anteacta jampridem ſæcula pluribus orbem ornarunt acerrimis ingeniis, quæ vel ad integram tuendam, vel ad amiſſam reparandam ſalutem apta feliciter repererunt, & excogitarunt remedia, omne poſteritatis ſtudium in eo poſitum eſt, ut inventa revocaret ad trutinam, &, utrum ægrotanti humano corpori ex votis congruerent, penitus dignoſceret, ut ex effectibus inde manantibus & inter ſe mutuo collatis alia exciperet, alia reſpueret, & veræ utiliſque Praxeos firmiora, quoad ejus fieri poſſet fundamina impoſterum jaceret. Hac de cauſſa omni in loco, ſed præcipue in omnibus culti Orbis partibus laboratum eſt pene infinitis experimentis, impenſis atque ſudoribus; nec dubium, quin id maxime præ ceteris Europæ conveniat, ſi animadvertatur, in hac perpetuo floruiſſe ſcientias, liberales artes, Academias a Principibus erectas, & auctas, a viris autem apprime doctis excultas. Quis enim tam bardus eſt, rerumque ignarus omnium, cui non conſtet, Europam, ut omnia uno verbo complectar, inter alias mundi partes tantum caput extollere,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi?

Hinc de una loquens Europa, de toto Orbe mihi loqui videor; quia, quæ diviſa beatum efficiunt, quadrans hic collecta tenet. Ecquid enim, quod hæc abunde non habeat, barbara nobis climata ſuppeditare poſſunt, quam ſimbolam de ſuo penu valent Africa, Aſia, & America ad grande literatorum convivium conferre?

Quoniam vero proſtant nunc, & fortaſſe ſatis ſuperque, ſapientum ſcripta, in quibus vel de morbis omnibus late diſſeruerunt, vel de peculiaribus prolixas reflexiones protulerunt, hinc viſum eſt, nihil ſupereſſe nobis, in quo conſulere hominum ſaluti poſſimus, quam ſi utilia ex immenſa remediorum, quæ ſæpe ſine locorum ac temporum diſcrimine proponuntur, ſtrue, exquiſito criterio excerpamus; ea vero a quibus cavendum ſit, candide patefaciamus. Habenda enim ratio eſt diverſitatis climatum, & occurrendum peſſimæ illi, nocuæque in primis conſuetudini, qua ſæpe præpoſtere agimus, eam Methodum ſequentes, quam aeris conditio reſpuit, quæque ſi alicubi prodeſt, alibi manca eſt, & deficit.

Imo cum Deus Optimus Maximus latos Europæ tractus magna literatorum multitudine condecoraverit, ita præſentis Operis ſcopus eſt flores ex alienis laboribus, ex præclaris recentioris memoriæ ingeniis decerpere,

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant:

quos flores, aut, ut melius dicam, ſuccos, hoc eſt dogmata maximæ utilitatis, vel non omnes homines in numerato tenent, vel ſaltem

non bene expenderunt , noſtroque cœlo accomodarunt. Cujus rei cognitionem ſi quis comparare vellet , magnum impendium in conquirendis libris requireretur : quod terret artis Medicæ Profeſſores , ſi non omnes , ſaltem pleroſque .

Igitur in Europa , quam Opus ſpectat , agitur de regionibus ſupra ceteras cultis , de provinciis judicii magis experrecti , de celebrioribus Academiis , de inventis , de iis denique , viciniora quæ nobis tempora protulerunt in lucem , magis ad trutinam exacta , emendata , ac difficultatibus evoluta ; cuncta vero nos propius reſpicientia . Neque id valde mirum eſt , cum artes liberales , ac ſcientiæ Medicinæ famulantes , aut , ut melius dicam , in hominis bonum conſpirantes , ſuam quæque operam præſtent , & opitulentur .

Nos tamen , quam magnum onus humeris noſtris imponeremus , cogitantes , onus viribus quidem impar , ſed non animo juvandi alios ; id inquam cogitantes , & interdum falli timentes , ſenſim & caute procedendum eſſe exiſtimavimus. Etenim ne erraremus in hodierna medendi conſuetudine , quæ in locis propinquis , & diſſitis cum Orientis , tum Septentrionis dominatur , aliunde ſubſidium per Epiſtolas petere operæ pretium duximus. Meum conſilium fruſtra non ceſſiſſe oſtendent Virorum in hac arte callentiſſimorum reſponſa , quæ identidem occurrent ; ex iis enim plurimi atque præcipui conferto agmine dignati ſunt meis poſtulationibus annuere , remque tanti emolumenti mecum una promovere .

Interim haud diſſimulo , me quandoque criticæ legibus uti : abſit tamen , ut id animoſe faciam , vel cauſſa nomen ex litibus comparandi , vel denique quod mihi multum arrogem , & de aliis minus præclare ſentiam. Meæ criticæ uſus eo ſpectat , ut tutiori indagine veritas quæratur , ut juventus proclivis ad amplectendas inanium remediorum ampullas , nec ſibi fucum fieri patiatur , nec aliis cum magno ſalutis detrimento faciat. Veneror quidem & magnifacio dogmata aliena , non ita tamen ut in verba magiſtrorum jurem , veſtigia priorum clauſis , ut dicitur , oculis , ac more pecudum ſequens , nimiumque ſerviliter ; cœcam hanc reverentiam , ubi ratio , & experimentum facem præbent , odi prorſus & arceo. Utinam oculi aperiantur , & turpe illud jugum excutiatur , quod hactenus forſan Medicinam compreſſit , & obſtitit , ne eadem ad optatam perfectionem aſſurgeret .

Supereſt modo , ut , præter ſphalmata , quæ me abſente , & nihiloſecius currente prælo , exciderunt , præter incautam , nec opinatam tanta in congerie , quarundam rerum repetitionem , tribus in rebus præcipue veniam mihi dari poſtulem . I. Si quid forte incidat , quod ad geographicam amuſſim omnino non exigatur. Nemini enim ignotum eſt , ſtatum Geographicum armis victricibus mutari , aliaſque provincias alterius ſub Domini poteſtatem abire. Plures itidem regio-

giones ab iis ſejunctas , quæ noſtri inſtituti ſunt , obiter , & lato quodam modo attigi , & concluſi ; ſive quod olim ibi erant , ubi poſitas indicavi , ſive quod vicinæ ſunt & adjacentes , ſive demum , quod opportunum mihi viſum eſt , eas non omittere , & in alium locum transferre ; ita ſuadentibus rationibus a ſtudio , & commercio profectis . II. Si quando falſus fuerim in patria alicui ex Scriptoribus aſſignanda , quorum mentionem hoc in Opere facio . Sæpe enim homines ſolum vertunt , ex alia in aliam civitatem commigrantes , alibi naſcuntur , alio ſtudiorum cauſſa concedunt ; alibi demum morantur , & naturæ debitum ſolvunt . III. Ut mihi condonetur omiſſio multarum ex illuſtribus doctiſque Civitatibus & Regionibus , quæ non ſecus ac ceteræ literaturam Europeam exornant ; tum quia ferme fieri non poteſt , ut de omnibus exacta mentio habeatur ; tum quia , quæ de uno diſſeruntur , facile vicinis locis accomodari queunt . Præſumitur quippe idem agendi mos in omnibus literarum cultoribus , artiumque Profeſſoribus , queis contigit iiſdem in Academiis eorundemque præceptorum ductu enutriri , & iiſdem a fontibus aquas bibere . Siquidem eo ſiſtemate inſtitimus , ut modo Urbem , modo Regionem , modo Regnum integrum , ac Provinciam amplecteremur : obſequentes notitiis , & documentis , quæ nobis , obiter interdum , ſuppeditarunt compilatarum ſcrinia bibliothecarum , publicorum actuum , & ephemeridum lectio , doctorum Virorum colloquia , & literarium commercium , monumenta , & adverſaria demum , quæ nobis ſtudia noſtra , & aliena pararunt .

Dicet fortaſſe quiſpiam : Heus , Auctor Operis , omiſſionis crimen perpetraſti : hoc remedium non attigiſti : methodus illa eſt a te præterita ; ideoque Opere numeris omnibus abſoluto Profeſſores Medicinæ defraudas . Huic hoc dilemmate occurro . Aut Medicus es , aut non : ſi non es , apage ; cum de noſtro ordine non ſis , non eſt cur te audiam : ſi vero arte noſtra initiatus , jure aliquo me interpellare poſſe videris , reſpondeo ; ubi ego deficio , fac tu ſuppleas , itaque Operi colophonem impones .

De Operis idea & propoſito plura fari ſuperſedeo . Capitula , & Epiſtolæ , quæ identidem hic occurrunt , ſive noſtræ , ſive alienæ , climatum ſitus & varietas ibi notata , mores , methodi , experimenta demum recens inventa & detecta , ejuſdem ſcopum aperte declarabunt .

Hanc conſtantem in toto Operis curſu legem nobis præſcripſimus , ut alio noſtra , alio aliena charactere exhiberentur . Ita fiet , ut antequam legat , ſtatim quilibet deprehendat , quænam aliunde provenerint.

Illud porro ſignificare demum cenſui , ſi cui literato Viro , aut Typographo ex iis , qui alio ſub cœlo florent , in mentem proceſſu temporis veniret , idem hoc Opus (extraneis certe ornamentis utile ad-

mo-

modum & inſigne) iterum excudere, Auctorem, ſi modo præmonebitur, libenter aſſenſurum. Traſmittet emendata, quæ emendatione indigent, addet Mantiſſam non aſpernabilem, ſuppeditabit Epiſtolas, & Diſſertationes, quæ continenter ad eum Brixiam perveniunt, & pervenire forſan pergent, hac Editione abſoluta: ſic fieret, ut Opus emendatius, locupletius exiret, atque ornatius.

Quia vero plures Epiſtolæ, pluraque Monumenta ſero ad manus Auctoris venerunt, quibus, ſi prævenissent citius, ſuus cuique locus conſtitutus eſſet, operæ pretium viſum eſt Supplementum ſaltem ad calcem Operis, ne quid huic deſit, quod a me præſtari potuerit, adjungere; ea continens, quæ vel utiliora, vel rebus antedictis colligata, & quodammodo neceſſaria exiſtimavi. Operæ pretium item viſum eſt duplicem Indicem apponere, alterum Geographicam rem, & literarium commercium ſignificantem, alterum Capita, Titulos, memorabilia denique univerſa complectentem.

Hæc ſatis præmittenda duxi, ut genus Operis, vel ipſo in limine poſſet prælibari. Cetera in decurſu ſeſe prodent.

GEO-

GEOGRAPHICUS OPERIS
CONSPECTUS

EXHIBENS EUROPAM, CLARITATIS GRATIA, ALPHABETICO ORDINE IN XII. PARTES DISTRIBUTAM, ADDITA, SUIS RESPECTIVE LOCIS, SERIE REGIORUM ET IMPERIALIUM DIPLOMATUM, ATQUE INSUPER NUMERO, ET NOMENCLATURA ILLUSTRIUM NUNC VIVENTIUM IN PROXIMIS, VEL REMOTIS REGIONIBUS LITERATORUM, QUIBUS AD ORNANDAM, ET UTILITER AUGENDAM HANC EDITIONEM AUCTOR SUA TRANSMISIT, ET AB IISDEM EPISTOLAS, AUT DISSERTATIONES RESPONSI LOCO RECEPIT.

BRITANNIA I. pag. 1.

1. DOmino Smitte Medicæ Londinenſis Academiæ Præſidi. Brixiæ Venetorum 5. Auguſti 1745. 27.
2. *J. Sylveſter M. D. Londini tertio nonas Januarii* 1746. ibid.
3. J. Sylveſter M. D. Brixiæ Venetorum 25. Februarii 1746. 28.
4. Ambrogio Godfrey. Brixiæ Venetorum 25. Novembr. 1745. ibid.
5. D. Johanni Chriſtophoro Rieger. Brixiæ 22. Septemb. 1745. ibid.
6. *Johannes Chriſtophorus Rieger. Hagæ Comitum* 13. *Octobr.* 1746. 29.
7. Franciſco Nichous In Academia Oxonienſi publico Profeſſori. Brixiæ Venetorum 10. Februarii 1746. 31.

DANIA II. 33.

8. Johanni Samueli Carl Regis Daniæ Archiatro, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum ſocio. Brixiæ 16. Martii 1745. 45.
9. Johanni Gottlieb Boetttichero in Regia Haphniæ urbe Medicinæ Profeſſori, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio. Brixiæ Venetorum 10. Septemb. 1745. 46.
10. *Johannem Gottl. de Boetticher M. D. & P. Academiæ Imperialis Naturæ Curioſorum Sodalem. Haphniæ die* 3. *Menſis Maii ann.* 1746. In Supplemento. 455.

11. Jo-

11. Johanni Chriſtophoro Rieger. Brixiæ 24. Novemb. 1745. 47.
12. *Johannes Chriſtophorus Rieger. Hagæ Comitum 16. Decemb.* 1745. ibid.
13. Antonio Formica Siculo Epiſcopi Culmenſis, & ſupremi Poloniæ Cancellarii Medico Ordinario. Brixiæ Venetorum 1. Octobris 1745. 48.
14. Henrico Auguſto Gerlach in Hanzeatica & libera Hamburgi urbe Medico celeberrimo, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio. Brixiæ 6. Decembr. 1745. ibid.
15. Henrico Auguſto Gerlach &c. Brixiæ 1. Januarii 1746. 49.

FRANCIA III. 51.

16. D. Daran in Maſſilia, urbe Galliæ Narbonenſis, Chirugicæ artis Profeſſori. Brixiæ 15. Januarii 1744. 76.
17 *Daran* ad Auctorem. *A Marſeille 28. Fevrier* 1744. 77.
18. *Cantuell M. D. Pariſiis 23. die Julii* 1741. *Aprouvé Silva. Subatius.* 80.
19. Aloyſio Johanni Thieullier Regis Franciæ Archiatro, & Conſiliario, nec non Rectori Facultatis Medicæ in Academia Pariſienſi. Brixiæ Venetorum 20. Februar. 1746. 87.
20. *Ludovicus Johannes Le Thieullier Doctor Medicus Pariſienſis. Lutetiæ Pariſiorum 20. Aprilis* 1746. In Supplemento. 458.
21. Secunda *Thieullier* ad Auctorem. *Pariſiis 2. Junii* 1745. In Supplemento. 463.
22. Secunda Auctoris ad Thieullier. Brixiæ 25. Junii 1746. In Supplemento. 463.
23. Johanni Baptiſtæ Ludovico Chomel Franciæ Regis Archiatro. Brixiæ Venetorum 20. Maii 1746. 87.
24. *Johannes Baptiſta Ludovicus Chomel Galliarum Regis Medicus Ordinarius. Pariſiis die... Martii* 1747. In Supplemento. 467.
25. Secunda Auctoris ad Chomel. Brixiæ 20. Junii 1747. In Suppl. 468.
26. *Lallemant de Pierre Fontaine Doctor Regens Facultatis Medicinæ Pariſienſis. Pariſiis 2. Kalendas Septembris anni* 1746. In Supplemento. 464.

GERMANIA IV. 89.

27. Georgio Enrico Behrio Comitis Joſephi ab Hoenloe-Waldenburgenſis Archiatro, & Practico apud Argentinenſes celeberrimo. Brixiæ 25. Martii 1745. 90.
28. Georgio Friderico Guttermanno. Brixiæ 6. Februar. 1745. 92.
29. *Georgius Fridericus Guttermann Medicus Auguſtanus. Auguſtæ Vindelicorum Anno R. S.* 1745. *die 9. Julii.* 93.

30. Fran-

30. Franciſco Joſepho Grunvvald Circuli Monacenſis Phyſico Provinciali, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio. . . . 95.
31. *Johannes Chriſtophorus Rieger. Hagæ Comitum* 18. *Maii* 1744. 97.
32. Johanni Chriſtophoro Rieger. Brixiæ 10. Septembris 1744. 97.
33. Paragraphus excerptus ex Epiſtola ejuſdem Johannis Chriſtophori Rieger &c. . . 101.
34. *Johannes Ignatius de Mayersbach S. Regiæ Majeſtatis Conſiliarius, & Perſonæ Medicus, in Univerſitate Carolo Ferdinandea Apho. Hipp. P. Profeſſor Regius Publicus, ac Ordinarius ejuſdem Excell. Facultatis Medicæ Senior & Decanus.* 17. *Martii* 1745. *Pragæ Metropolis Regiæ.* 102.
35. Johanni Ignatio de Mayersbach &c. Brixiæ 15. Aprilis 1745. . . ibid.
36. *Mayersbach* ſecunda ad Auctorem. 105.
37. Ejuſdem *Mayersbach* tertia ad Auctorem. *Pragæ* 22. *Junii* 1745. ibid.
38. *Joſephus de Vignet Regis Poloniarum & Electoris Saxoniæ aulæ Medicus. Pragæ....* 107.
39. Arthuro Conrado Ernſtingio in Ducatus Brunſvvicenſis Metropoli Medico Optimo Practico. Brixiæ 12. Septembris 1744. ibid.
40. Johanni Conrado Trumphio in Goslaria libera & Imperiali urbe Ducatus Brunſvvicenſis Medicinæ Profeſſori, nec non Imperialis Academiæ Cæſareo Leopoldino Carolinæ Naturæ Curioſorum Socio. Brixiæ prima Octobris 1744. 108.
41. *Johannes Conradus Trumphius. Goslariæ* 1. *Decembris* 1744. ibid.
42. Domino Steinhauſſen Sereniſſimi Electoris Colonienſis Archiatro. Brixiæ 20. Maii 1746. 110.
43. Philippus de Violante Archiater Regis Poloniæ. *Dreſdæ Kalendis Maii* 1743. . 111.
44. Johanni Philippo Burggravio. Brixiæ 7. Februari 1745. 116.
45. *Johannes Philippus Burggravius Junior. Francofurti ad Mœnum d.* 6. *Julii* 1745. ibid.
46. Secunda Auctoris ad Burggravium. Brixiæ 8. Decemb. 1745. 117.
47. Secunda Burggravii ad Auctorem. *Francofurti ad Mœnum d.* 12. *Martii* 1746. 118.
48. *Johannes Junckerus. Halæ Saxonum d.* 24. *Julii* 1744. ibid.
49. Johanni Junckero Publico Medicinæ Profeſſori. Brixiæ 2. Auguſti 1744. 119.
50. Secunda Junckeri ad Auctorem. *Halæ Saxonum* 12. *Martii*

tii 1745. 120.
51. Secunda Auctoris ad Junckerum. Brixiæ 15. Maii 1746. ibid.
52. Andreæ Eliæ Buchnero Sacr. Cæſ. Majeſt. Archiatro, Comiti Palatino S. R. I. Nobili, Chymiæ in Academia Erfordienſi Profeſſ. Publ. Facultatis Medicæ Adſeſſori Ordin. & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Præſidi. 121.
53. *Andreas Elias Buchnerus. Halæ Magdeburgicæ d.* 12. *Julii* 1745. 123.
54 Secunda Auctoris ad Buchnerum. 123.
55. *Petrus Giller Med. D. Sangallenſium Archiater. Sangalli Helvetiorum* 21. *Martii* 1744. 126.
56. Petro Giller Helvetiorum Sangallenſium Archiatro. Brixiæ 8. Aprilis 1744.
57. Secunda *Giller* ad Auctorem. *Sangalli Helvetiorum d.* 20. *Novembris* 1744. 127.
58. Secunda Auctoris ad Giller. Brixiæ 12. Decembris 1744. 128.
59. Tertia *Giller* ad Auctorem. *Sangalli Helvetiorum d.* 10. *Maii* 1745. ibid.
60. Enrico Rahn in Tigurina Helvetiorum urbe Medicinæ Profeſſori celeberrimo. Brixiæ 10. Auguſti 1745. 133.
61. *Henricus Rahn M. D. Tiguri* 4. *Septembris* 1745. ibid.
62. Secunda Auctoris ad Henricum Rahn. Brixiæ 19. Septembris 1745. 134.
63. Secunda *Rahn* ad Auctorem. *Tiguri* 4. *Calendis Februarii* 1746. ibid.
64. Paulo Gerardo Henrico Moehringio in Jevera Friſiorum Medico præſtantiſſimo, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio. 143.
65. Friderico Ottoni Menckenio Viro celeberrimo. Brixiæ Venetorum 25. Maii 1746. 144.
66. *Fridericus Otto Menckenius. Lipſiæ die* 12. *Auguſti* 1746. in Supplemento. 470.
67. Johanni Carolo Acolutho. Brixiæ die prima Julii anno 1745. 144.
68. *Johannes Carolus Acoluthus. Zittaviæ* 16. *Kalendis Maii. A.* 1746. ibid.
69. Rudigero Friderico Ovelgun Comiti Palatino Cæſareo, Medico Provinciali Moguntino, & Archiatro Waldeccenſi. 145.
70. *Rudigerus Fridericus Ovelgun. Frideslariæ die* 25. *Maii* 1746. 146.
71. Secunda Auctoris ad Ovelgun. Brixiæ 10. Junii 1746. 148.
72. Danieli Wilhelmo Trillero Archiatro Naſſovico: Brixiæ

*** 13.

13. Septembris 1744. ibid.
73. Chriſtophoro Jacobo Trevv Sereniſſimi Marchionis Brandenburgico-Onoldini Conſiliario Aulico & Archiatro, Reipublicæ Norimbergenſis Phyſico Ordinario, & Academiæ Naturæ Curioſorum Socio. Brixiæ 15. Decembris 1745. ibid.
74. *Balthaſſar Walthieri Epiſcopi & Principis Curienſis atque Fabarienſis Ordinarius. Curiæ die 5. Februarii 1744.* 149.
75. Balthaſſarro Walthieri &c. 150.
76. Secunda *Walthieri* ad Auctorem. *Die 2. Aprilis Curiæ Rhethorum 1744.* 151.
77. *Gabriel Bavier. Curiæ Rhetorum A. 1745. die 4. Aprilis.* 154.
78. Gabrieli Bavier Equiti Griſoni. Brixiæ 15. Maii 1745. ibid.
79. Johanni Baptiſtæ Simoni Medico Practico apud Burmienſes celeberrimo. Brixiæ... Octobris 1744. 155.
80. *Johannes Baptiſta Simoni. Burmii.* 156.
81. *Petrus Angelus Lavizarius. Matii Kal. Aprilis 1744.* 163.
82. Jacobo Enrico Chriſtiano Adami, Archiatro Solmenſi, Civitatis Luccavienſis Phyſico adjuncto, & Senatus Aſſeſſori. Brixiæ 15. Aprilis 1745. 164.
83. Salentino Erneſto Eugenio Cohauſen Archidiœceſis Trevirenſis Prothophyſico, Præſidii Electoralis Medico, Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio, & in urbe Confluentia magni nominis Medicinæ Profeſſori. Brixiæ 1. Julii 1745. 165.
84. *Salentinus Erneſtus Eugenius Cohauſen Medicus. Confluentiæ prid. Kalend. Novembris 1745.* ibid.
85. *Nicolaus Zucchelli in urbe Tridentina Medicus. Tridenti decimo Kal. Maii 1745.* 171.
86. Johanni Jacobo Marinonio Regio Conſiliario, inclitorum Statuum inferioris Auſtriæ Mathematico, & Bononienſis, atque Neapolitanæ Scientiarum Academiæ Socio. Brixiæ 5. Septembris 1746. 179.

GRÆCIA V. 183.

87. ΔΗΜΗΤΡΙΌΣ ΚΕΛΑΦΑ῀Σ ΙΆΤΡΟΦΙΛΟΣΌΦΟΣ ΈΝ ΖΑΚΎΝΤΩ῀ 10. ΑΥΓΟΎΣΤ. 1746. ΚΑΤᾺ ΤῸ ΠΑΛΑΙΌΝ.
(hoc eſt) 193.
88. *Demetrio Chielafà Medico Fiſico. Zante 10. Agoſto 1746. S.V.* ibid.

HISPANIA, & PORTUGALLIA VI. 195.

89. *Philippus de Violante Neapolitanus. Barcinonæ Kal. Octobris Anno* 1712. 200.
90. Marſilio Ventura. 203.
91. *Marſilius Ventura. Matriti* 10. *Kal. Junii* 1746. ibid.
92. Mariano Seguer in Valentino Archilyceo Publico Profeſſori & Cenſori, nec non Regiæ Matritenſis, atque Hiſpalenſis Academiæ Socio. Brixiæ 1. Aprilis 1745. 205.
93. *Marianus Seguer. Valentiæ in Edetanis die* 5. *Octobris* 1746. ibid.
94. *Joſeph Caſoni. Caſtellæ.* In Supplemento. 470.
95. Diploma Academiæ Regiæ Matritenſis in Hiſpania. In Supplemento. 472.

HUNGARIA VII. 207.

96. Marco Florio Practico apud Raguſinos celeberrimo. Brixiæ 25. Februarii 1746. 213.
97. *Marcus Flori. Raguſio* 13. *Kal. Septembris* 1746. In Supplemento. 472.
98. *Johannes Daniel de Perlici Phyſ. & Med. Doctoris S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum Socius, Reg. Boruſs. Membrum, & Comit. Neogradienſis Phyſ. Ord. Loſſontzini, Oppido Comitatus Neogradienſis in Hungaria d.* 20. *Julii* 1746. 216.
99. Johanni Danieli de Perlici &c. Brixiæ 8. Auguſti 1746. 217.
100. Johanni Matholai de Zolna Nobili Hungariæ. Brixiæ 8. Aprilis 1745. 223.
101. *Johannes Matolai de Zolna Nobilis Hungarus, & ad Auguſtam Aulam Cæſareo-Regiam Vindob. juratus Agens, nec non diverſarum Illuſtriſſimarum Familiarum & Nationum Mandatarius. Vindobonæ* 16. *Martii* 1746. 475.
102. Johanni Natali Glumaz Principis Valachiæ Archiatro. Venetiis 25. Februarii 1746. 224.

ITALIA VIII. 225.

103. *Andreas Paſta. Bergomi* 17. *Kalendis Octobris anno Æ. V.* 1746. 227.
104. Joſepho Antonio Algiſi. Brixiæ 30. Maii 1743. 231.
105. *Joſeph Antonius Algiſius. Martinengi* 3. *Nonas Julii* 1743. 232.
106. Jacobo Bartholomæo Beccario Bononienſis Scientiarum Inſtituti, atque Academiæ Præſidi. Venetiis 10. Maii 1742.

1742. . . . 233.
107. *Jacobus Bartholomæus Beccarius. Bononiæ poſtr. Kalend. Julii ann.* 1742. . . . 234.
108. Secunda Auctoris ad Jacobum Bartholomæum Beccarium. Brixiæ 8. Decemb. 1744. ibid.
109. Secunda *Beccarii* ad Auctorem. *Bononiæ* 22. *Decemb.* 1744. 235.
110. Tertia Auctoris ad Beccarium . 236.
111. Tertia *Beccarii* ad Auctorem. *Bononiæ* 7. *Kal. Septembris ann.* 1746. ibid.
112. Quarta Auctoris ad Beccarium . 237.
113. Philippo de Violante Regis Poloniarum Conſiliario, & Regii, atque Electoralis Principis Medico Ordinario. Brixiæ prima Junii 1743. 247.
114 *Philippus de Violante Neapolitanus. Dreſdæ* 10. *Kalendas Julii* 1743. . . 253.
115. *Martinus Ghiſius. Cremonæ die* 11. *Decembris anno* 1745. 253.
116. *Ghiſius* ad Dominum Carolum Mazzuchellum. 10. *Decembris* 1745. 254.
117. Martino Ghiſi. Brixiæ 31. Decembris 1745. 261.
118. Johanni Franciſco Guadaneo Brixiano Bononienſis Academiæ Socio. Parolinæ in Vicentiæ Suburbiis 21. Januarii 1746. 264.
119. *Johannes Franciſcus Guadaneus. Brixiæ idibus Februarii anno* 1746. 265.
120. *Stephanus Callegari. Carpenetuli idibus Julii anno* 1746. 282.
121. Nobili, ac Præſtantiſſimo Hieronymo Covi Brixianæ Cathedralis Canonico, Ordinis S. Stephani Equiti Commendatario . 287.
122. *Hieronymus Covi. Cellaticæ* 4. *non. Julii* 1746. 287.
123. *Stephanus Gigola. Guſſagi Kal. Maii* 1745. ibid.
124. *Petrus de Magiſtra. Leonati octavo Idus Auguſti* 1743. 288.
125. *Julio Cicognino. Pontevico* . 290.
126. Julio Cicognino . Limoni in Salodienſi Benaci Lacus Riperia 28. Octobris 1743. 291.
127. *Johannes Petrus Bondonus. Boliaci* 25. *Octobris* 2743. 293.
128. *Antonio Gualtieri Medico. Orzi Nuovi* 30. *Novembre* 1743. 295.
129. *Aloyſius Garbellus. Brixiæ* 9. *Kalend. Februarias* 1746. 297.
130. *Joſeph Pilotti. Caſtilioni a Stiveriis die* 2. *Decembris anno* 1744. 309.
131. Carolo Franciſco Cogroſſio Emerito Patavino Medicinæ Profeſſori. Brixiæ 26. Februarii 1745. 310.
132. *Andreas Fromond. Cremonæ pridie Kalend. Maii anno* 1744. 311.

133.

133. Secunda Fromondii ad Auctorem. *Cremæ 3. nonas Aprilis* 1747. In Supplemento. 478.
134. Paulo Valcarenghi Bononienſis Academiæ Socio in Regia Ticinenſi Univerſitate Publico Primario Medicinæ Rationalis Profeſſori, nec non Illuſtriſſimo Collegio Nobilium Phyſicorum Comitum, & Equitum Pontificio Cæſareorum Mediolani glorioſe, & ſpecialiter aggregato. Brixiæ 23. Septembris 1744. 312.
135. *Pauli Valcarenghi* Diatriba Epiſtolaris &c. *Cremonæ* 8. *Idibus Octobris ann.* 1744. 314.
136. *Joſeph Migliavacca. Cremonæ* 8. *Idus Novembris anno* 1744. 319.
137. Secunda *Migliavacca ad Auctorem. Cremonæ pridie Kalendas Septembris* 1745. 321.
138. *Ignatius Pedrattus. Cremonæ* 29. *Junii* 1745. ibid.
139. Martino Ghiſi. Brixiæ 20. Septembris 1745. 322.
140. *Johannes Calvus Cremonenſis. Florentiæ* 16. *Kalendas Januarias anni Chriſtianæ Epochæ* 1746. 328.
141. *Andreas Roſſetti. Utino Idibus Auguſti anno Redemptæ Salutis* 1744. 342.
142. Petro Franciſco Pizorni. Brixiæ die 28. Novembris ann. 1745. 344.
143. *Joſeph Pichi. Mantuæ*. 346.
144. Antonio Roſſi Marci Fuſcareni Divi Marci Procuratoris, & in Taurinenſi Urbe apud Regem Sardiniæ &c. Oratoris Veneti Medico Doctiſſimo. 350.
145. Franciſco Serao. Brixiæ Venetorum die 8. Septembris ann. 1743. 361.
146. *Franciſcus Seraus. Neapoli* 9. *Kalendas Junii* 1744. 362.
147. Carolo Mazzuchelli in Ticinenſi Univerſitate Primario Anatomes Profeſſori. Mediolani Kalendis Februarii anno 1744. 363.
148. *Carolus Mazzuchellus. Mediolani die* 6. *Februarii anno* 1744. 364.
149. Julio Pontedera Publico Patavino Profeſſori, & Rei Herbariæ peritiſſimo. Brixiæ 13. Maii 1745. 365.
150. *Julius Pontedera. Patavio* 4. *Kalend. Junii* 1745. ibid.
151. *Bartholomæus Lavagnoli. Patavio*. 366.
152. Johanni Paulo Limperano. Brixiæ. 371.
153. *Johannes Paulus Limperanus. Romæ Idibus Octobris* 1743. ibid.
154. Joſepho Antonio Badia. Brixiæ. 378.
155. *Joſeph Antonius Badia. Taurini nonis Julii* 1742. ibid.
156. Antonio Rezia Sardiniæ Regis Archiatro. Brixiæ Ve-

ne-

netorum anno 1742. 379.
157. *Antonius Rezia. Taurini 5. Idus Octobris anno Salutis 1742.* 380.
158. *Arcadio Capello Medico Veneto Collegiato. Venezia 1. Gennajo 1746.* ibid.
159. Johanni Mariæ Fracaſſino. Brixiæ. 391.
160. *Johannes Maria Fracaſſini. Veronæ.* 392.
161. *Franciſcus Paſſiranus. Piſcheriæ die 25. Aprilis 1744.* 393.
162. Franciſco Paſſirani. Brixiæ 22. Auguſti 1744. 396.
163. Sebaſtiano de Antoniis. Brixiæ. 398.
164. *Sebaſtianus de Antoniis. Vincentiæ.* 399.

MOSCHOVIA IX. 401.

165. Johanni Chriſtophoro Rieger. Brixiæ 12. Julii 1745. 410.
166. *Johannes Chriſtophorus Rieger. Hagæ Comitum 30. Auguſti* 1745. 411.

POLONIA X. 413.

167. *Hyacinthus Lopachi M. D. Cracoviæ 14. Auguſti 1744.* 422.
168. Diploma Auguſti III. Poloniæ Regis, Magni Lithuaniæ Ducis, Electoris Saxoniæ. Dreſdæ 1. Maii 1742. 426.
169. *Antonius Formica Siculus Supremi Cancellarii Poloniæ Medicus Ordinarius. Warſaviæ pridie Nonas Aprilis 1744.* 428.

PRUSSIA XI. 437.

170. *Samuel Schaarſchmidt. Berolini die 4. Maii 1744.* 439.
171. Samueli Schaarſchmidt Boruſſo-Brandeburgicorum Archiatro. Brixiæ Venetorum 15. Julii 1744. 440.
172. *Andreas Elias Buchner. Halæ Magdeburgicæ die 20. Januarii 1747.* ibid.
173. Diploma Imperialis Academiæ Leopoldino Carolinæ Naturæ Curioſorum. *Erfordiæ Thuringorum Metropoli pridiæ Nonarum Junii A. S. R. 1743.* 441.
174. Johanni Junckero Publico Medicinæ Profeſſori. Brixiæ 15. Novembris 1746. 442.
175. *Johannes Junckerus. Halæ.* ibid.

SVECIA XII. 445.

Epiſtolæ ad Svecicam Medicinam pertinentes adhuc a Regia urbe Stockolmia expectantur. Verumtamen ſilendum non eſt, omnia,

de

de quibus a pagina 445. uſque ad 452. loquimur, aut mediis privatis literis nobis conſtaſſe, aut a doctis viventibus Viris, qui Finlandicas Gothaſque regiones illas peragrarunt, oretenus deſumptas fuiſſe, aut denique a neotericis, nobiſque proximis Scriptoribus Svecis excerpta: hinc Jatrorum illorum in morbidis tractandis conſuetudo, & modus eluceſcunt adeo, ut quamvis reſponſa non venerint, tamen, ut plerumque fecimus, Ars quodammodo illuſtrata dici mereatur.

AN-

ANGLIÆ, SCOTIÆ, HIBERNIÆ

SITUS, GRADUS LATITUDINIS SEPTENTRIONALIS, POPULORUM INDOLES, ET ACADEMIÆ.

ANGLIA ad Auſtrum, Scotia ad Arctos maximam Europæ inſulam, in Oceano Galliæ obverſam, conſtituunt, quæ Britannia dicta fuit. Inhabitantium populorum animus gravis eſt, præſertim ad res maritimas diſpoſitus, adeo ut prima magnæ ditionis ſecuritas ſit, mira, & multiplex nautarum ſedulitas. Diſcrimina omnia, mortemque ipſam Angli non paveſcunt. Hinc milites fortiſſimi, ſi recta ſuorum Ducum diſciplina gubernentur. Magnates Patritii ſuaviſſimis moribus convivunt, & advenas honeſta comitate excipiunt. Vulgus ferox eſt, ubi ira turgidus, aut mero litaverit.

Ad Angliam quod ſpectat, duo antiquis etiam temporibus floruerunt Academiæ, Cantabrigenſis (1) nempe, & Oxonienſis (2) in ejuſdem nominis, alias Atrebatum, urbe, apud Thameſim fluvium, quæ nunc etiam admodum percelebris eſt, ob doctiſſimos Profeſſores in decem, & octo magnifici Archilycæi ditiſſimis Collegiis Britannicam, & exteram juventutem inſtituentes, quæ ad numerum ter mille diſcipulorum aliquando aſcendit. Multis fluminibus totum Anglicum Regnum irrigatur (3). Aer vero, ſecundum diverſam locorum faciem, eſſentiam, effectuſque mutat. Si ventoſi afflatus ſuper congelata plana tranſeant, augent climatis frigiditatem. Sin vero ſuper mare ſpumeſcens, commotum, vapores emittens, & ſolaribus radiis verberatum, non ita. Ceterum aer, ut plurimum, inſtabilis eſt, nec ſerenitas ad longum tempus perſeverat.

Pars vero ſeptentrionalis Albionis, Scotia ſcilicet, ſuas & ipſa habuit, & alit Academias, Aberdonenſem (4), Andreapolitanam (5), Edimburgenſem, Glaſculenſem (6). Taus primarium flumen eſt, adſuntque alia minoris famæ (7) & lacus bene multi, qui totum Regnum undequaque interluunt. Proſtat illius diviſio natura, & poſitu parata in duas ſignanter partes, ſupradicto fluento intercurrente, Meridionalem (8) nempe, & Septentrionalem (9). Prima fructifera admodum, undique fere dixero culta optimis moribus, divitiis, & humanitate florens; hinc etiam aliquatenus moderata aeris temperie gaudens. Altera minus a populis frequentata, magis frigida, ſolis montibus, & ſolitudinibus abundans, quæ tamen olim meruit Scotorum Regum reſidentiam (10).

Et Hibernia in Oceano Britannico ſita eſt; ſubeſtque ab aliquot ſæculis Angliæ Regibus, Dominis dictis, uſque ad Henricum Octavum, qui primus nuncupatus fuit Hiberniæ Rex. Quo lumine poſito, conſectarium eſt, ſtatuere, per totas quatuor Hiberniæ (11) partes, Ultoniam nempe, Lageniam, Connatiam, & Momoniam, quæ nunc triginta tres Comitatus conſtituunt, ſimilia, aut parum diverſa dogmata circumire, licet in Dublino urbe Metropoli Lageniæ provinciæ, atque adeo totius Hiberniæ, floreat ſcientiarum Academia (12), ubi, quid poſcat peculiare cœlum, ab Hibernis Sapientibus ſtatutum erit, habito reſpectu ad mare Occiduum, Deucaledonium, & Virginium, quod ipſam luit.

Quæ tres Britannicæ, amplæ, Regiæque Inſulæ, ad inſtitutum noſtrum quod ſpectat, non ſeorſim, ſed ſimul ſumentur. Siquidem nec multum Academiæ in dogmate diſtabunt, nec clima adeo inter illas diverſum eſt, a quinquaginta gradibus latitudinis ſeptentrionalis ad quinquaginta novem commenſuratum, Scotiam ſi excipias, quæ inſulis additis, & comprehenſis, ad ſeptuageſimum pervenit. Ideoque omnes, & medendi methodos, & de quibus ſermo erit, celeberrimos Profeſſores, ad Regni dominantis exemplum Anglos fere ſemper nuncupabimus.

(1) Anno 1280. Ab Eduardo primo Rege condita.
(2) 895. Ab Alfredo Rege.
(3) Thameſis, Sabrina, Abus primaria ſunt.
(4) Quam inſtituit Alexander Rex. anno. 1240.
(5) Henricus. 1431.
(6) Epiſcopus Turabulus.
(7) Inter quæ rapidum Spea.
(8) In viginti duo Comitatus diviſa.
(9) In tredecim Comitatus, hoc eſt Provincias.
(10) In urbe OldAbirden morabantur.
(11) Olim habebat quinquaginta Epiſcopatus.
(12) Anno uſque 1320. erecta; & dein 1592. ab Eliſabetha Regina reſtaurata.

ANGLORUM
IN MEDICIS SCIENTIIS PROMERITA

Angli mira mentis acie optimis artibus, & ſtudiis incumbunt; quare inclaruerunt ſemper, & publicis monumentis, & ſcriptis in Italia etiam noſtra ſemper acceptis, & recuſis, Artem Medicam (1) non parum illuſtrarunt. Inter illos videri poſſunt Rajus (2) Sloane (3) Gherardus (4) Pettivorus (5) & Blair (6) in re Botanica ſcribentes: Diſſertationes Richardi Mead Medici Regii (7) Tyſonis elegantiſſima Pigmæi anatome (8) nec non Keilii, Gibſons, Buttleri (9) Boulton, Harris, Turner, Clowes, Macolloriſon, Harvæi, Nowiſeman, Abercromtii, Ridleii, Cowardi, Drake, Liſteri Kennedy, Cheſeldenii, Pulcell, Cokburra, Bellingeri, Winel, Read Cowperi, Franciſci demum Bacconis Baronis de Verulamio, ſummi Angliæ Cancellarii, Kinc (10) Robinſon, Blondel, Morgan, Chamberlen Angliæ Regis Medici, Alexandri Stuart, (11) Joannis Tabor, Strote (12) Theophili Lobb. (13) Georgii Cheine (14) Bodly (15) Chriſtophori Birbek (16) Volhuſe (17) Jacobi Parſons (18) Pitcarnii Opera varia, ad Anatomen (19) Hiſtoriam naturalem & Chirurgiam (20) ſpectantia, Georgii Martin Scoti (21).

Verum ulterius ire per ſingula nimis longum eſſet, potiſſimum ſi præter jam dicta, vel experimentalem Philoſophiam, & machinis, & mechanicis laboribus ſummæ a Boylio auctam; vel rem Medicam, fermentationum, febrium, & urinarum examine, nec non Anatomicam, muſcularis motus, nervorum, cerebri, & morborum convulſivorum deſcriptione, a Thoma Willis Oxonienſi, graphice peractam; vel denique ſi therapeuticas præſcriptiones, & pluſquam mille remediorum formulas, in hoc vel illo morbo aptiſſimas, atque ex præſtantiſſimis Medicis a Thoma Burnet Scoto-Britanno excerptas, vellem in medium adducere. Elapſi nuper ſæculi utiliora potius tempora repetens nonnulla delibabo ex clariſſimi Sydenhamii Operibus, tum quia totus in praxi eſt, cui nos peculiariter incumbimus, quæ ſuſcepti noſtri muneris onus fuit; tum quia Britannorum Scriptorum eſt primarium lumen; quippe qui Hippocratis Angli nomen meruit. Ideoque multum luminis, & utilitatis ab ejuſdem medendi methodo, vel reprobata, vel accepta, affulgere Italis tyronibus poteſt.

SELIGENDA EX SYDENHAMIO

PROPOSITIO I.

Medicus sola Praxi perficitur

Cedro digna ſunt illa verba (22) quæ in Operis limine præfatur nobilis Anglus: *Hanc ſcilicet artem haud rectius perdiſcendam eſſe, quam ab ipſius artis exercitio*. Utinam in corde tyronum inſculpta eſſent. Utinam Magiſtri idipſum ſemper ſuaderent; nec per quæſtionum tricas, totque doctrinarum ambages, diſcipulorum ingenia irrito effectu laceſſerent. Conſulerem potius ægrotum, ut vitam ſuam concrederet Clinico practico, ſed ſollicite obſervanti, qui parum in adoleſcentia ſtuduerit, quam viro eruditiſſimo, ſemper diſputanti, latine loquenti, auctores citanti, & per Typographos, ac Bybliopolas, librorum titulum, atque capita proſpectando, curſitanti; ex quo oritur *ars*, ut Auctor addit, (23) *confabulandi, non medendi*.

Vellem inſuper maneret alta mente repoſitum, quod admonet in Præfatione (24) ubi ait. *Atque hæc omnia peragit natura pauciſſimis ſimpliciſſimiſque adjuta remediorum formulis, alicubi etiam prorſus nullis*. Hoc eo magis verum eſt, ſi morbus acutus, ideoque periculoſus, ubi dempto primum, ſi opus eſt, ſanguine, cetera committenda ſunt naturæ.

Initio morbi in ægrotis, *quorum ſanguis per ſe imbecillior exiſtit*, ut in *pueris*, *ſenibus*, & *juvenibus diuturno morbo confectis*, a venæ ſectione abſtinendum eſt. Addo ego, ſi etiam adſint colliquationis in ſanguine characteres, & ſymptomata. Quandoquidem imminutis hoc in caſu ſpiritibus, languet illico ſolidorum niſus, fluida non urgentur, & interna naturæ opera fatiſcunt.

Apprime laudanda venit methodus in *tertianis*, *quartanis*, *continuis* præſcribendi frequentia enemata, quæ utiliter ſanguinis miſſioni ſubſtituit.

PRO-

(1) Vide Franciſcum Redi, in ſuis Conſultationibus multas laudes Medicis Anglis tribuentem.
(2) Nova Plantarum Methodus Londini 1703.
(3) Iter Jamaicenſe.
(4) Conſul fuit Smirne, & Botanicus Inſignis.
(5) Opera Londini cuſa.
(6) Botanick Eſſays.
(7) Mechanica Expoſitio Venenorum. Accedit Diſſertatio de Imperio ſolis, ac lunæ in corpora humana.
(8) Nec non lambricus hydropicus. Sive Fundamenta quibus oſtenditur, hydatides ſæpe in morbidis corporibus eſſe obvias.
(9) Qui de Phlebotomia ſignanter egit.
(10) Qui Regiæ Academiæ relationem de Glandula Pineali miſit.
(11) De ſtructura & motu muſculari.
(12) Exercitationes Medicæ.
(13) Crit. Febrium Londinenſium.
(14) De Morbis dolorificis.
(15) Diſcorſi Medici Morali Filoſofici:
(16) Qui vidit partem fætus per umbilicum exeuntis.
(17) Celebris Angliæ Ocularii.
(18) A Mecanical ad Critical inquiry into the nature of Hermaphrodites.
(19) Circa quam etiam, dum ſcribo, prodit in lucem Opus a Franciſco Nichous productum; cui titulus. Compendium anatomico æconomicum.
(20) Videnda in eandem nova Oſteographia Gulielmi Cheſeldenii.
(21) De Thoracis alternativo motu.
(22) In Epiſtola Dedicatoria. pag. 18.
(23) In Præfatione. pag. 18.
(24) Pag. 17.

PROPOSITIO II.

Modus Medendi Pauperibus exequendus etiam in Magnatibus

Me ſæpius accerſitum nihil feciſſe aliud, poſt venæ ſectionem, & vomitionem peractam, niſi ut toto morbi tempore, lecto defixi, nonniſi juſcula avenacea, & hordeacea, vel ſimilia haurirent, & dein cardiacorum loco, bibere ipſis permiſi. O optimam methodum, o imitabilem prudentiam! Blaterent quid velint Pharmacopolæ, projiciant fermentatos ſyrupos ſuos, decanas ſuas pilulas proſcribant. Hippocrates Anglus in hoc ſequendus eſt. Quis crederet? Nonne vulgus magni adeo viri ſcripta legens, fortaſſe ab illo expectabit mille remediorum formulas, acerrimis in cogitando Anglis facillimas, & notas? Minime. Diæta, potibus aqueis, & juſculis interdum omnia ſuperavit. Diſcite Magnates; & quod Sydenhamius in pauperibus, in vobis ſinite, ut executioni mandetur.

PROPOSITIO III.

Juvenis accumbens seni

Memoriæ jam proditum eſt, *adoleſcentulorum vivum, vegetumque calorem ægris applicando*, juviſſe. Cui ſane non diſſentior. Cum poſſit tepor, calor, reſpiratio, & effluviorum copia ſenili, atque vappeſcenti jam ſanguini adjumento eſſe. Quod tamen agendum, quando grandævus ex acuto jam evaſit; alioquin ſi morbus de pernicioſo participat, poſſet etiam in accumbentes adoleſcentulos transfundi.

PROPOSITIO IV.

In Febribus pestilentialibus bubones sollicitandi et aperiendi sunt

In Londinenſi peſte (1) anni 1669, *unius ſeptimanæ decurſu octo millia* civium periere. Hinc ad curationem quod ſpectat, obſervabile eſt, alexipharmaca, & ſudorifera parvi fuiſſe levaminis, totamque utilitatem a bubonum, & carbunculorum expurgatione dependiſſe. Quare diſcendum eſt, non ſolum carbunculos a natura, & morbo promotos illico ſecandos, adurendos, atque per ſupurationem ad exitum peccantis virulentiæ diſponendos; verum etiam ad imitationem naturæ, plagas, & fonticulos infligendos eſſe. Non enim ſemper evenit, quod Angli feliciter in India Orientali experiuntur, ubi mercimonii cauſa ad urbem Suratum diverſantes, nunquam peſtilentiali morbo (2) inficiuntur, quamvis ſemper inibi ſæviat.

(1) Sectione ſecunda Cap. 1. & 2.
(2) Mead de Venenoſis halitibus pag. 129.

PROPOSITIO V.

Sudor quomodo promovendus

Stragulis ægrum obrui, ac laciniam laneam ſincipiti alligari juſſi. Quæ quidem capitis obtectio ad ſudorem ciendum plus proficit, quam quis facile crediderit. Londini pro raro ſudorifero utuntur theriaca Veneta, ſalvia, cereviſia, macis. Sed poſt horum omnium ingurgitationem Brixiani ne guttulam quidem ſudoris emittunt.

PROPOSITIO VI.

Curatio choleræ

Sequendus pariter magnus Sydenhamius eſt, etiam ſub noſtro Italico cœlo, in curatione choleræ, in qua multoties vidi Clinicos vulgares aut catharticis, aut adſtringentibus addictos, quamvis uterque modus noxius fuerit. Juſculis parvæ pullæ, hordeaceis, avenaceis tepidiuſculis humectanda viſcera ſunt, diluendæ inteſtinales amurcæ, ut hinc hebetentur ſalia, tendineas fibras vellicantia, ſoluta exeant, & abſque alio auxilio æger convaleſcere poſſit.

PROPOSITIO VII.

Cholica biliosa

Factis primis evacuationibus, ego quoque optarem, ut moderatis narcoticis extra adhibitis, motuque in rheda facto, morbus tolli poſſit. Videantur ejuſdem motus utilitates (3).

PROPOSITIO VIII.

Icterus ex cholica

In ictero ex cholica laudamus Sydenhamii remedium. Sic eſt. ♃. *rad. rub. tinct.*, *curcumæ aā ℥ 1 chelid. ma. ſummit. cent. m. aā m. 1. coquantur in æqualibus partibus vini Rhenani, & aquæ fontis aā ℔. 11. col. diſſol. ſyr. de quinque radicibus ℥ 11. m. f. apozema*. Probamus inſuper aquas ferreas ab ipſo propoſitas.

PROPOSITIO IX.

Æger febricitans num lecto abstinere interdum debeat

Timet Auctor nimium in ægro calorem a plumaceis, & ſtragulis effectum, ſanguiniſque impetum ad capitis arcem reformidat. Quare laudat, *ut veſtes ſaltem induat, & ſupra lectum cubet, capite paulo elatiori*. Nec abnuo, potiſſimum ſi cau-

(3) Pag. 241.

ſi caute exequatur, & morbus acutus ſinat. Putant Angli, in morbis minus virium diſſipari, ſi æger, etiam graviter laborans, ſaltem per momentum e lecto ſurgat. Quod rationi conſonum eſt.

PROPOSITIO X.

Solus potus, nullus æsus in febre continua

Videns naturam, *methodo ſibi peculiari*, & *ſine viſibili aliqua evacuatione*, morbos interdum curantem, tenuiſſimæ *tantum cereviſiæ* potum imperat, *quantum ægri deſiderarent*, & quidem cum fructu; diluendo quippe, liquidorum omnium facilior circuitus promovetur. Cereviſiæ autem nos ſubſtituere poſſemus decoctum album ex mica panis, & cor.c. jus hordeatum, avenaceum, paſſulatum, & ſimilia.

PROPOSITIO XI.

De Lactis usu in febribus, et aliis morbis

Centies & ultra in febribus, variolis, tuſſibus, aliiſque morbis Londini graſſantibus, propoſitum eſt a Clariſſimo Auctore lac aqua mixtum, & tamen ab Hippocrate habemus, *lac febricitantibus malum*. Præterquam quod conſtat etiam ejuſdem facilis corruptio, & occurſu alicujus aciditatis, in omnibus morbis facillime dominantis, grumeſcentia, ejuſdemque caſeoſum craſſamentum, quæ omnia a gaſtrico ichore, atque a multigenæ amurcæ apparatu promoveri magis poſſunt. Putarem itaque, hoc remedii ſimul, & alimenti genus Britannico ſanguini magis aptari poſſe; quia, ut Hippocrates diceret, gliſcens eſt, hoc eſt, irrequietum, ſubtile, & ſalino inquinamento abundans; ideo invaginanda eſt ſua aſperitas, ſuique ſpiculi hebetandi ſunt, ad quod conferre lac multum poteſt, tanto magis, ſi cum multa aqua adhibeatur. Si tamen methodum illam aliquis Medicus in Italia noſtra amplecti vellet in illis temperamentis, quæ Anglis aſſimilari poſſunt, & ſupradictæ conſtitutionis habent ſanguinem, laudarem inſuper, ut lento igne ſimul cum aqua per horæ quadrantem bulliret, deinde colatum in uſum poneretur.

PROPOSITIO XII.

De vini usu in ægris

Familiarem pariter, & frequentem habebat præſcriptionem vini Canarini, in aqua ſoluti; & ejuſdem utilitatem multis laudibus extollit. Revera quando poſſum, idem & ego facio: pluſque pollet vini guttula in reſtaurandis ſtomachi, & viſcerum fermentis, quam ceterorum cordialium congeries, quæ nihil aliud habent, quam nomen. Modus tamen in rebus deſideratur; & videnda erunt, quæ in reprobandis notabimus circa illius abuſum.

PROPOSITIO XIII.

China China

Quæ nos in Hiſtoriis morborum (1) memoravimus, Auctor proponit (2) circa Chinæ Chinæ qualitates, ſaltem non nocendi. Quare quia caute incedit, & diſtinguit varios febrium diverſarum gradus, & tempora, laudandus in hac parte venit.

PROPOSITIO XIV.

Hysterica mulierum affectio

Quamvis morbus difficilis curationis, & pene inſuperabilis videatur, attamen ex attenta Sydenhamii obſervatione, videntes, illas tantummodo, & præcipue ab hac labe tueri, & non tangi, *quæ laboribus aſſuetæ dure vitam tolerant* (3), propterea & labor, & motus, & otii exilium, plus quam cetera omnia remedia, fore profutura certiſſimum eſt.

Inibi utile videre, quomodo protheiformi vultu compareat, omnes partes invadat, & varios morbos ſimulet. Siqque vera fateri debemus, multum vereor, ne ejuſdem ſymptomata ſemper magis augeantur, & creſcant eundo.

Adhuc deſideratur reſolutio quæſtionis, quam tetigimus in Hiſtoriis Morborum, nempe num chalybi addenda ſint cathartica. Hac in re me quidem ancipitem confiteor. Verum ſi chalybs in corpore quieſcit cum inteſtinorum tarditate, & ſegnitie, nec ſanguini commiſcetur, nec ſui circuitum obtinet. Profecto ſpirituum exaltationi conſpirare non poterit, multoque minus emphraxes in viſceribus removere. Status igitur ægrotæ quæſtionem dirimet. Siqque chalybs tranſit, vel agit, quæque Medicus præconcepit, eveniunt, abſtinendum a carthartico. Sin vero contra, coadiuvandum eſt, & ad inferiora etiam tranſitus promovendus.

PROPOSITIO XV.

Laudabilis medendi mos

Nihil omnino tento, modo ægrum inviſens, illum non ſe pejus habere hoc die, quam heri habuit, comperiam. Semper neceſſe non eſt purgare, ſyrupare, pilulas in œſophagum adigere. Sed interdum ſufficit, quod æger in deterius non ruat, & natura tempus habeat. O quoties cachinnos tenere non potui, vulgares aliquos videns Clinicos, & anxios, & ſollicitos, ut æger ſuus ne uno quidem

(1) In Epiſtola altera n. 15. pag. 25.
(2) In Epiſtola reſponſoria prima pag. 346.

(3) In Diſſertatione epiſtolari pag. 445.

dem die a ſyrupo abſtineret! Proh enormem uſum aliquid agendi! Proh nimiam in inſipidum remedium fidem & hoſtilem in ægrotantes ſtomachos furorem.

PROPOSITIO XVI.

Febris depuratoria

Hoc ſolum depuratoriæ febris nomine diſcant Philiatri, & tandem aliquando cordi ſuo figant, frequentiſſimam eſſe in humanis corporibus febrilis tumultus utilitatem, a quo ſolum noxia excernuntur, amurcæ ſeparantur, & harmonica liquidorum craſis reſtituitur.

IN SYDENHAMIO REPROBANDA.

PROPOSITIO I.

In Morbis contagiosis cito statuendum, quæ agenda sint

Anglus Hippocrates de morbis epidemicis loquendo ait (1): *Quando novæ febres graſſari incipiant, cunctari pauliſper, & ad magna præſertim remedia, non niſi ſuſpenſo pede, ac tardius procedere. Diligenter interim &c.* Interim ægri moriuntur; neque illorum periculis aliquid a Clinicis diſcitur, niſi experimenta, & quidem cito, facta ſint, quæ doceant viam, qua eundum. Damnum majus in mora eſt. Et diximus, cito: quia epidemiæ, contagia, acutæque ægritudines in primo ſui ingreſſu (2) ubi venenum, virulentaque aura activior eſt, homines jugulant. Hinc, ſi hæſitantes, ſuſpenſi, ancipites, licet cauti, agemus, ſero nimis medicina parabitur; quia morboſæ influentiæ interdum toto, ut ajunt, cœlo inter ſe differunt. Pro novo non cognito hoſte, velis & remis inſtandum. Et hoc eſſet experimenta per mortes, adagium illud, quod Medicis obtruditur, reddere licita.

PROPOSITIO II.

Vomitorium suspectum

Vomitorium pariter in febribus (3) a maligno, ut ipſe ait, *humore* provenientibus exhibere ſub hoc cœlo ſuſpectum eſt; jamque fuſius de hoc egimus (4), & multa objecta enodavimus. Quamvis idcirco aliqua adſit vomendi propenſio, non ideo exinde oritur certo, vomitiones fore proficuas. Multi luſus, multæ deceptiones contingere poſſunt, ex parte morbi, & naturæ; multa damna ex parte remedii, ut hinc libero nimis pede ad exhibitionem tranſeamus. Flatus, gaſtricus ichor, cibus non ſubactus, bilis aſcendens, hyſtericus, vel hypochondriacus impetus, membranoſus conſenſus, animi pathema, occulta qualitas, plicarum atritio, & mille alia poſſunt ita ventriculi rugas modificare, aut convellere, ut, ſicuti in omnibus fere morbis anorexia, ita & vomendi tentamen, & proclivitas in promptu ſit, aut videatur. His poſitis, nonne fomes fermentativus febrilis in purpureum oceanum devolvendus, hærere ultra ſtomachum poteſt in meſentericis, in chylolymphicis, in ceteriſque omnibus glandulis, & viſceribus, quæ longe a ſtomacho ſunt, cruorique magis finitimæ? Si hoc poteſt eſſe, exoneratio ventriculi tollet materias inibi exiſtentes, non vero cauſam morbi. Addamus, quod viribus intruſi ſtimuli convellentur membranæ omnes, & circumſtantia vaſa violentiſſimis conſtrictionibus, & criſpationibus moleſtabuntur; ideo fieri etiam poſſet, aut poterit, ut loco exeundi per oeſophagum, febrilis fomes in ſanguinem potius, & citius urgeatur. Promoto etenim irritamento in contractilibus fibris, & vivis tubis, facilius eſt, ut ſecundum aſſuetam fibrarum directionem in ſanguinem via pateat, quam ut retrogrado motu in pylorum revertatur.

Formidandum inſuper eſt damnum, quod inferre poteſt qualitas vomitorii, ſi ex ſcilla, vel infuſione croci metallorum præparetur, quæ aliquibus delicatis fibris inimica interdum ſunt.

PROPOSITIO III.

Emeticum in febrium initio non adhibendum

Neque aſtipulari poſſum illis Sydenhamii verbis (5): *Si quis autem quærat, quo tempore febris vomitorium exhibere velim. Dico in ipſo plane febris initio emeticum propinarem; ita enim fiet, ut ab horrendis ſymptomatibus, ex humorum in ventriculo lociſque vicinis deliteſcentium illuvie ortum ducentibus, ægrum præmuniamus.* Siccine de humano corio ludendum eſt, ut initio febrilis luctæ, violentis ſuccutionibus, & niſibus humana machina quatiatur? Quiſnam erit lynceus ille Clinicus, qui noſcat gradus futuræ febris, qui funditus introſpiciat naturæ futuram reſiſtentiam? Si inter hæc medius æger eſt, ſi ſolida, ſi vires, ſi ſubjecti patientis complexus ad tolerandum febrilem hoſtem, & impetum vix ſufficiunt. Quid quæſo orietur, ſi motu vomitivo omnia immutabuntur, periſtalticus inteſtinorum motus ſuffocabitur, membranoſa corpora variis irritamentis corripientur, & contra naturam retrograde alimenta, reſidui morboſi ichores, & naturalia liquida ire cogentur? Somniat

(1) Capite ſecundo pag. 45.
(2) Alibi idem Sydenhamius, hoc eſt: *Dyſenteria anni* 1669. pag. 203 hæc habet: *Principio magis ſpirituoſo, ac ſubtili videntur inhæreſcere, quam ubi jam adoleverint.*
(3) Compoſitum ex infuſione croci metallorum dr. VI. oxymell. ſcilli, & ſyrupi ſcabioſæ aā un. II. m. f. emeticum.
(4) In Diſſertatione de uſu Purgantium in aere Brixiano.
(5) Febris continua anni 1661. pag. 59.

Somniat Sydenhamius, ſi certo credit cauſam futuræ febris inſulatam, ſolamque in ventriculo latere, qua emetico eructata, æger optatum illico debeat perſentire levamen.

Si cauſa febris hæreret in ſolo ventriculo, utique emetico poſſet tolli. Sed quia latet in loco, cujus ſcientia adhuc deſideratur, propterea Andabatarum more pugnandum non eſt, ſaltem contra naturam. Potius itaque demenda plenitudo per conſuetas inferiores partes, ut ſublevata natura, nec læſis vomitivo conatu ſolidis, poſſint ſuum elaterium exercere, febrilem cauſam corrigere, & ad emunctoria expellere.

PROPOSITIO IV.

Diarrhæa non semper suspecta

Diarrhæa inſuper (1) quam adeo pertimeſcit, non ſemper mali ominis eſt: ipſamque in perniciosis, in epidemicis febribus multoties utiliſſimam vidi, imo bene multi Auctores promovent. Ipſam ipſe Sydenhamius, quando fortiora ſua cathartica exhibet, excitat, dummodo non ſubſequatur exceſſus, & colliquamentum, quod Medici hypercatharſim dicunt. Idcirco illius metus non ſemper emeticum indicat.

PROPOSITIO V.

Pro conciliando somno

Antequam Clinici ſibi perſuadeant, *plus prodeſſe* aquam roſarum frigidam ſincipiti, & temporibus applicatam, *quam narcotica quævis*, multorum prius annorum praxim conſulere oportet.

PROPOSITIO VI.

De Opiatis

Opiatorum uſus in febrium initio, & augmento utilis in Britannia eſſe poteſt. Anglorum ſiquidem ſanguinis conſtitutio erit ad diſſolutionem diſpoſita, ad calorem, ad inflammabilitatem prona, & ſalibus muriaticis acerrimis luxurians; quare compedes rationabiliter in primo morbi limine ponendi, ne præcipiti colliquatione humana machina ruat.

At hic uſus Italiæ, ideo & Brixiæ accomodari non tam facile poteſt. Dominatur namque acidum, lentor, viſciditas: ſanguis craſſus eſt, magis ad conſiſtentiam diſpoſitus, & pori cutis magis clauſi ſunt, excretiones tardiores. Quare ab intempeſtivo narcoticorum uſu fibra nimis atona redderetur; & intercepta ſpirituum neceſſaria irradiatione, morboſæ amurcæ magis hinc inde quieſcerent.

PROPOSITIO VII.

Motus diversi in natura eodem actu promovendi non sunt

D*Ecoctum* (2) *rad. gentianæ*, & *ſummitatis centaureæ cum parva ſennæ*, & *agarici quantitate. Cum enim duos illos contrarios ſudandi, ac dejiciendi motus eodem tempore excitet.* Mihi tutius videretur diſtinguere tempora, & effectus: dieſque ſuos catharſi, ſuos diaphoreſi deſtinarem (3).

PROPOSITIO VIII.

Maniacis calida non exhibenda

I*N junioribus*, & *ſanguineo habitu præditis*, maniaque (4) laborantibus ter ſanguinem mittit, & poſtremo etiam a venis jugularibus. Ultra hæc *repetitæ potius venæ ſectiones ægrum potius in ſtultitiam ducunt.* His & ipſe aſſentior. At uſui electuarii ex abſynthio, anthos, theriaca, flavedine aurantiorum, angelica, nuce muſcata, caryophyllis, ſuperbibito etiam vino Canarino aſſentiri non poſſum, minus id facerem in ipſa Anglia, ubi hominum temperies ſpiritibus inflammabilibus, & viſceribus æſtuantibus prædita eſt.

PROPOSITIO IX.

Variolæ

Q*Uarto vero die lectulo ægrum adjudico*, deinde, ſi *eruptio parum pro votis ſuccedat*, exhibet laudanum, & diaſcordium, ut puſtulæ appareant. Ambæ propoſitiones Brixiæ damnandæ veniunt. Primo ſiquidem, niſi variolæ benignæ admodum ſint, vix adoleſcentes ſtare, & ſubſtinere ſe poſſunt. Secundo ſi adeſt plethora, aut ſanguinis plenitudo, aut quolibet modo ſanguinis miſſionem indicantia ſi inſtant, illico ſignanda vena eſt, ægro in ſtatu horizontali compoſito. Tertio, nonne corporis motus naturæ internos motus poteſt retardare, nonne ſudores motus ad cutis ſunt, qui in lecto facilius promoventur? Natura quieſcente, natura agit quod agere nata eſt. Ad ſecundam propoſitionem quod ſpectat, nos directe contra methodum Sydenhamii (5) adhibemus laudanum, diaſcordium, quando ſudores, tranſpirationes, & motus ad cutim impedire volumus.

Lac pariter in *variolis nigris* (6) nobis ſuſpectum videtur. De quo quiſque ſuam conſulat praxim.

Eadem dicenda ſunt de ſpiritu vitrioli, quo variolam anomalam curabat (7).

De

(1) Ibidem.
(2) Febres intermittentes anni 1661. pag. 99. cap. x.
(3) Præter quam quod ſupradictum remedium Brixiæ ſudorem non promoveret.

(4) Cap. v. Febres intermittentes pag. 113.
(5) Pag. 167. cap. 11.
(6) Proponitur Capite vi. Variolæ anomalæ pag. 133.
(7) Vide Sectionem v. pag. 272.

De modo curandi variolas legendus Lobb, qui laudat venæ ictum in ſolo caſu, quo æger ſit plethoricus, & in primo morbi inſultu.

Quod vero oppoſito conſilio Loeber jubeat frequentes ſanguinis miſſiones, res eſt in arte heu nimis frequens.

PROPOSITIO X.

DYSENTERIA.

IN Dyſenteria venam cubiti tundit, & medicamentum ex tamarindo, ſenna, rheo, manna, ſyrupo roſ. ſol. præſcribit. Hæc niſi fiant in corpore athlethico, & ſumma vaſorum plenitudine laboranti, noxia eſſe poſſent. Pertuſio ſiquidem venæ in ſanguinem morboſas inteſtinorum virulentias trahere poteſt, & catharticum eaſdem magis commovere, fundere, cum majori inteſtinalis tubi abraſione, & ſanguiferorum denudatione: hinc major exiens per ſedem pinguedo, & mucus: inde aucta excreti ſanguinis quantitas cum recrudeſcentia torminum, quæ quo magis inteſtinali tubo adhærebit, & impacta mucagine orbabitur, eo fient majora. Igitur in aere Brixiano non niſi in ſumma plenitudine, aut quando dyſenteria primarius morbus non eſt, ideoque vel inflammationes, vel methaſtaſes ad primaria viſcera pertimeſcuntur, ſanguis mittendus. Et ad purgantia quod attinet, quæque, & ſequentibus diebus Auctor propinat, non niſi mitiora, & ſumma cum circumſpectione, exhibenda. Calcaria ſiquidem currenti addere nimium præceps. Potius arrideret mitiſſima paregoricorum doſis: ſed tranſactis primis diebus, & violentiſſimis poſcentibus doloribus. Potius, inquam, arrideret propoſita a nobili Anglo diluentium methodus; & præcipue decoctum ſuum album ex cc. c. & mica panis albiſſimi ana ℥ II. coctis in aq. fontis ℔. III. ad ℔. II. omittendo ſaccharum pro edulcoratione. Nos vero loco lactis cocti cum aquæ triplo, utimur ſero lactis deſtillato: & in caſu difficili, ne dicam deſperato, inque ruſticis, & pauperibus, quibus res eſt anguſta domi, ad radicem Hypechacuannæ, tanquam ad ſacram anchoram confugimus.

PROPOSITIO XI.

VITRIOLI SPIRITUS

IN febri continua cum *ſtupore*, & *comate* ad cohibendam inflammationem vitrioli ſpiritum profuiſſe, *nullaque alia methodo* (1) ægros curari potuiſſe, ipſe non intelligo. At quoniam animadverſiones noſtræ, non Auctoris erroribus, qui quaſi dixero, & fallere, & falli neſcius fuit, ſed regionum ſumme diſſitarum diverſitati directæ ſunt, ita, quin difficultates, quæ aſſenſum meum ſuſtinere faciunt, in medium promoveam, Italicos ſemper admonebo Candidatos, ut cauti ſint in clariſſimi alioquin Angli veſtigiis ſubſequendis; tanto magis ſi, ut poſtmodum ait, in omnibus potibus vitrioli ſpiritus intrudendus ſit. Quæ doctrina neſcio quomodo quadrare poſſit cum probabili aſſerto, morbos acutos a fermento *calidiſſimo*, *ſpirituoſiſſimo* pendere. Qua propter ſi ſimilia ſimilibus conſervantur, conſequentia in aperto eſt.

PROPOSITIO XII.

PLEURITIS

CIRCA curationem pleuritidis omnia admittimus, & probamus. Quinimo cum admiratione, ob diverſitatem ſoli, aſſerimus ipſiſſima via Clariſſimum Anglum incedere, ut nos Brixiani facimus; in abſtinendo ſcilicet a purgantibus validioribus, in venæ ſectione iterum celebranda, inque præſcribendo decoctiones pectorales etiam leviter narcoticas, quæ, ut vera fatear, mihi Brixiæ ſcripta videntur, ſed duo occurrunt animadvertenda. Primum (2) quia ait, *ut lecto quotidie eximatur*. Profecto ſi pleuritis cum febri conjuncta eſt, ſi conſtitutio hyemalis, hoc a me non laudatur. Secundo parcat Nobilis Vir, ſi abſolute confirmare non poſſum propoſitionem ſuam (3) *cum ſemper exiſtimaverim, in ſummo diſcrimine verſari illos, qui morbum hunc expectorationi eliminandum committerent*. Et ſequentibus etiam fuſe rationibus expuitionem cum tuſſi; & uno verbo expectorationem materiæ intra thoracem impactæ, *periculoſiſſimam*, eſſe contendit, & multiplicibus iterum ſanguinis miſſionibus impediendam eſſe, ſuadet. Hic non poſſum quin exclamem: proh opiniones nuptas! proh præjudicatas mentes, quæ contra præſtantiſſima Medicæ artis lumina, contra rationem, contra factum ire volunt.

Si ſupradictam propoſitionem Auctor exponeret in uno vel aliquibus ægris, acquieſcerem, nec ſurgerem in tantum virum. Cum quandoque & nos ipſi in Italico cœlo in pleuriticis affectibus aliam ab expectoratione, a natura indicatam viam remediis ſecuti ſimus, & per ſolam venam ſectam, per ſudorem, urinas, & per ſedem ipſam, in doloribus imis, aut deſcendentibus, ut notat Baglivus, exitum morbificæ materiæ pluries viderimus.

Sed admirationes noſtræ pendent a propoſitione univerſali, abſoluta, ac ſi piaculum ſit expectorationem promovere, aut ſequi. Bone Deus. In tot ægrotis unquamne vidit ab expuitione cum tuſſi feliciter a natura producta, & ſuccedenti, omnia ægri ſymptomata morboſa quieſcere? Contra vero ex ſuppreſſa expectoratione ſtatim ægrum in ancipiti poſitum? Vidit ne unquam media expectoratione reſpirationem fieri faciliorem, dolorem lateris ſedari, paraphrænitidis, & peripneumoniæ timorem evaneſcere? Hæc nos videmus paſſim;

(1) Sectione V. Cap. II. pag. 263.
(2) Capite III. pag. 307.
(3) Ibidem pag. 308.

paſſim, adeo ut quod ipſe vitat & timet, nos efficiendum quæritemus.

Domine demum Sydenham quid ais! *Cum e diverſo, mediante venæ ſectione, morbifica materia penes meum ſit arbitrium, & orificium a Phlebotomo inciſum, tracheæ vices ſubire cogatur.* Si Londini *materia morbifica penes arbitrium* medicum eſt, nos tanti non ſumus. Neque dictatoria certitudine illi mandamus. Hoc quidem in voto eſſet. Sed vota interdum deſinunt in ſolam ſpem.

Quæſo adhuc: quando materia morbifica primis potiſſimum diebus in venis turget, & pleuræ, inteſtinalium muſculorum, aut pulmonalium veſicularum ſpatia, & fibras omnes infarciens, febrim, dolorem, pulſus duritiem, & difficilem reſpirationem, pathognomonica ſcilicet pleuritidis indicia producit: tunc, eſto, venæ ſectio, eaque repetita poteſt, ac potuit bene multos ab orci faucibus revocare, ad emiſſaria concurrente ſanguine promota ſolidorum vigoratione, locoque in venis facto, ut materia impacta, & quaſi inhærens abſorberi, & circumire cum aliis fluidis poſſit. Sed quando corruptio jam facta eſt, extravaſatio, tumoroſitas, collectio, quomodo eadem per ictam venam tolletur? Poſſet quidem fortaſſe tolli; ſed non certo. Et poſſet etiam totus ſanguis, qui in venis eſt, extrahi, quin pectoris ſarcina pleuritidiſque cauſa, ne hilum quidem diminuatur. Facto ſiquidem intra thoracem ubivis apoſtemate, corrupto ſanguine, jamque, ut ita dicam, extra circulum ſtagnante materia, ad puriformem indolem properante, per tracheam, per pituitarias glandulas, per vaſa denique nota naturæ, & non nobis, aut melius dixero, mihi, ad fauces deportatur, mediaque tuſſi expuitur, & excernitur. Nonne Medicus miniſter naturæ eſt, ipſamque ſemper ſequi debet? Si igitur illa illum locum, & emiſſarium reperit, ſi impactæ materiæ proximius eſt, ſi ſanguinis circuitus mille difficultatibus obnoxius eſt, ſi filtrari per mille glandulas, & ſecernicula debet; quomodo Phlebotomus illi manum tradet, ut prehenſa digitis pectoris amurca, illam per ſectam venam foras exportet? Sed jam ad alia tranſeamus, contenti admonuiſſe tyrones, tantam potentiam noſtra remedia non poſſidere; ipſis ſuadendo, ut ab imitandis, & ſequendis naturæ operibus non diſcedant, & in curatione pleuritidis in Italo hoc noſtro cœlo, non Anglum hunc, ſed alios in arte Medica proceres ſequantur; ſactiſque in primo limine indicatis ſanguinis extractionibus, emollita tantum, non purgata alvo, tepidiuſculis pectoralibus, incidentibus, ſi opus eſt, potibus humectato pectore, ſi ſputum apparet, ſi per illam viam affectæ parti proximiorem natura exitum peccantis materiæ molitur, ſi cum tolerantia, & levamine hæc eveniunt, ſi aliæ ſanandi viæ incertæ ſunt, remotæ, & laboranti temperamento inſuetæ, ſi alias per ſputum æger convaluit, ſi tuſſim tolerat, ſi doloris ſitus ad mammam inclinat, ſi pleuritis primus morbus eſt, non vero ſecundarius, ſi nobis inſcientibus, aut non promoventibus incæpit, ſi ictu oculi abundat, ſi aliorum remediorum longa via eſt, ſi in ſanguine ſtat vita, inque enormi illius exitu vires oblangueſcunt. Quæſo, inquam, ſputum non divertant, non impediant; quinimo uberius promoveant.

PROPOSITIO XIII.

Rheumatismus

De *fontanella in crurum alterutro excitata* pro curatione rheumatiſmi nihil loquimur. Sed quod *ſpiritu quovis volatili in vino Canarino, mane, & ſero exhibito*, morbi reliquiæ extirpandæ ſint, credat quiſque, quod poteſt ac velit. In morbo, qui dolores infert violentiſſimos, qui cauſam calidiſſimam, & ſalino-acido-vellicantem, ſcindentem, pungentem noſcit pro origine ſua, quamvis regio frigida ſit, ut colligitur etiam ex eo quod animalia venenoſa abſunt, repetito vino extraneis etiam ſpiritibus imprægnato, irrequietos tamen velle, & cum ſanguine errabundos, ac fibris infenſos fomites, & aculeos extinguere, & irretire, lipporum, & tonſorum opus eſt.

PROPOSITIO XIV.

Erysipelas

Eryſipelati cum febri conjuncto pariter admovet vini ſpiritum, quodque majus eſt, actuatum inſuper pipere longo, & caryophyllis, quæ quantum inflammare partem poſſint, multis probando non immorabor.

PROPOSITIO XV.

Angina

Opem laturus angina laborantibus, ſic agit: *Ut partes inflammatæ melle roſaceo, ſpiritu ſulphuris ad ſummum acorem permixto tangantur, author ſum.* Ipſe vero ſemper objectans ero. Neque in noſtro ſolo, neque in noſtræ fidei concreditis flammam flammæ addi ſinam. Sed jam animadverto, me præfixos in eadem re cancellos prætergredi. Quare

PROPOSITIO XVI.

Dictorum omnium circa Sydenhamium Anglum Hippocratem dictum conclusio

Multa alia adhuc in clariſſimi viri operibus occurrerent obſervanda, tam in tractatu de *Podagra*, & *Hydrope*, quam in *novæ febris ingreſſu*, & morbis curandis. Verum ad alia tranſeundum nobis eſt. Sat itaque nonnulla, eaque fortaſſe non minoris momenti indigitaſſe, ut Itali, Brixianique tyrones, quando hoc Britanno auſpice

auſpice curationes ſuſcipere, & dirigere tentabunt; non, adaperto libro, quod pro hoc, vel illo morbo, ſub oculos cadit, adhibeant; ſed aut cum noſtris deſuper factis animadverſionibus conferant, aut ducto argumento ex diverſitate loci, & temperamentorum, paucis, excuſſo prius cribro, ad faciendorum determinationem perquam caute veniant.

Addamus demum, quod fortaſſe rei, de qua agimus, caput eſt, omnia, aut fere omnia circa praxim clariſſimi viri documenta verſari circa morbos epidemicos Londinenſes, a diverſis inter ſe aeris conſtitutionibus productos. Cumque jam ſatis conſtet, vaſtiſſimas illas inſulatas Regiaſque ditiones a Britannico Oceano undique allutas, & circumdatas, ejuſdem pariter ſexcentis ventorum incurſibus eſſe expoſitas, & muriaticis mariniſque ſalibus perflatas; per conſequens & latebunt, & viciſſim exaltati ſævient peculiares morbi, vernaculi, familiares, patrii, qui in Italia noſtra terra nunquam regnare poterunt. Ideo hic Britannica remedia difficulter quadrabunt.

MORTON, ET FREIND

DUo hi Angli, Richardus nempe Morton, & Joannes Freind Regii Collegii Londinenſis ſocii, non ſolum de Patria ſua, verum etiam de Medica in univerſum republica optime meriti ſunt. Primus ſiquidem virtute, & tempore Sydenhamio ſuccedens, inter cetera, circa Phtyſeos eſſentiam, & characteres tam apte ſcripſit, tam ſcite diſtinxit, tantaque propoſuit de certo profutura remedia, ut manca præſens Medicina ſine illo eſſet; hinc licet ſub diverſo cœlo, plurima tamen illius documenta aptari huic noſtro poſſunt; quamvis compatrius ſcriptor Richardus Mead (1) illum corrigat, quia *calidiſſimis alexipharmacis* variolas tractabat, ut hinc *ægroti excalefacti interierint*.

Secundus vero, quia Choo addictus, ſummopere nobis arridet; ſuique Commentarii de febribus, Epiſtola ad Richardum Mead de Purgantibus, quæ cum noſtra Diſſertatione (2) interdum quadrat, chymicæ prælectiones, & operationes, emmenalogia demum, ſolidis rationum, Praxeos, & Mechanicæ fundamentis innixa ſunt.

Ejus inſuper illibata ſinceritas elucet in Præfatione, ubi ſuis Anglis ſapientibus Medicis palmam dat in curatione morborum illuſtranda, non vero circa theoriam, illam ſcite deſiderans, *quæ a praxi feliciſſima ſit deducta*.

Si Practici ejuſdem emmenalogiam lectitabunt, non parum utilitatis obtinebunt. Media quippe anatome, experimentis, & mechanica indagine vaſorum uteri conſtitutionem, ejuſque cum reliquis partibus conſenſum, univerſam, uno verbo, de menſtruatione doctrinam fuſe explicat, ut nihil poſſit fieri magis. Quia vero duabus præcipue ſibi invicem oppoſitis cauſis ægrotare mulier poteſt, vel nimia ſcilicet menſium promptitudine, vel tarditate; ſic primam promovere poſſe ab ipſo creduntur *febris*, *potatio largior*, *motus violentus*, *vomitus*, *ſternutatio*, *iracundia*, *paſſio hyſterica*, *ſolemnis evacuatio inhibita*, *plantæ emmenagogæ*; tarditatem vero *frigus immodicum*, *mæſtitia*, *repentina exanimatio*, *evacuatio nimia*, *victus incraſſans*, *humorum cruditas*, *pharmaca adſtringentia*.

(1) In commentar. VII. de Febribus Joannis Freind.
(2) Edita Brixiæ typis Marci Vendrameni.

PROPOSITIO I.

MERCURIUS MENSES PROMOVET

ANGLICA hæc ſuppreſſos menſes excitandi methodus ab aliis etiam viris indicata, medio Mercurio, pulvere ſcilicet calomelanos, & rationi, & hydrargyri potentiæ innixa eſt. Idcirco Brixiæ etiam feliciter reſpondere poſſe crediderim; nec abs re erit ſi tyrones, doctiſſimo hoc Britanno auſpice, pluribus in hiſtoriis (3) aut calomelanos, aut Æthiopem mineralem exhibente, curationem pari ritu pertentabunt.

In reliquis etiam Angli Medici procedunt, ut Itali, nempe per ſectam venam, per uſum chalybis, per purgantia, per aquas thermales, & plantas ſpecificas.

PROPOSITIO II.

CORTEX PERUVIANUS MENSES SISTIT

IN ſchedulis a docto Anglo præſcriptis, regeſtum video etiam Peruvianum corticem; quem quidem in morborum Hiſtoriis (4) nos etiam propoſuimus adhibendum in hyſtericis mulierum affectibus; reque ſerio perpenſa, ipſe quoque ſperarem pro ſiſtendibus menſibus nimium fluentibus bonam operam eſſe allaturum. Remedium enim eſt, non noxium, uti diximus, & ſumme potens: quod ſi univerſalem ſanguinis inflammationem, & æſtum, ſpiritus pacando, tollit; poterit fortaſſe ſaltem in aliquibus diſſolutionis, & ſanguinis diatheſibus accidentalem motum coercere; ut ſuadet etiam ſumma ſua amarities, quam ſicuti in affectionibus hyſtericis utiliſſimam auctores dicunt, propterea & in coercendo ſanguinis motu utilem operam feret; quia fluxus pendet ab uteri vitio. Et quoniam exacta jam eſt ſors remedia tam divina, cælituſque delapſa inveniendi; jam inventa ad majorem utilitatem redigamus, atque a Britannis diſcere non reſutemus.

(3) In Emmenalogia Cap. XI. de methodo in ſuppreſſis menſibus Therapeutica. Hiſtoria 1. 2. 3. 4. 5.
(4) Pag. 103.

DE CURATIONE MORBORUM PER AQUAS MEDICATAS

OBITER DE ANGLORUM TEMPERIE, ET POTU

QUANTUM utilitatis in morborum curatione ab aquis medicatis optari, imo obtineri poſſit, & quantum fidei in meo ipſo primo Medicinæ faciendæ limine in iiſdem repoſuerim, jam ſatis, opinor, conſtat ab alias editis operibus, ad Aquas Coldoni in agro Mediolanenſi, & Brixiæ ſpectantibus: quæ quomodo Eruditorum voto arriſerint, lubens aliis ſciendum relinquo.

Aſſuetus ſum dicere vini potatoribus, multos populos in, & extra Europam, ad ultimam uſque ſenectam ſanos pervenire, penitus abſtemios. Sed fruſtra cano: ſi vitium in gula eſt, & præcordia exæſtuant. Interim videmus Britannos alborubicundos, accenſos, calidos, frigori, nudo thorace, expoſitos, athleticos, Germanis quidem, ut ait recentiſſimus Scriptor, ſtatura minores, ſed Gallis majores, in laboribus indefeſſos, mente, & ſpiritu pollentes, ſanguine, principiis elaſticis ditato, divites: uno verbo lacertoſos, alacres, & in ſuſcipiendis magnis operibus nemini ſecundos; & tamen illorum uſus eſt potare cerviſias, variaſque decoctiones, & macerationes ex granis, & fructibus compoſitas, *Cidra*, aut *Cyder*, *Birra*, *Punch*, (1) & ſi quid aliud, nuncupatas; quæ videntur nunquam pervenire poſſe ad illum inflammabilis eſſentiæ gradum, ut vinum in ſpiritu ſuo.

Addamus inſuper, pluribus in ſcriptis Britannorum Archiatrorum nobis ſuboluiſſe facilitatem, neceſſitatem illis in regionibus extrahendi ſanguinem, quoties homines decumbunt. Factum probans quidem ſanguinis primaria elementa, ad exaltationem, ad æſtum, ad febres, ad acutos morbos evehi facillime poſſe, quin meracioris vini coronati accedant crateres; ſed tamen illam conſequentiam relinquens, ſanguinem in vigore ſuo perſeverare, & inſtaurari ulterius poſſe, aut vi ingenita, & in magno illo ſaliente puncto, ut veteres ajebant Philoſophi, impreſſa, aut ſucceſſive, ab aliis potibus, abſque vino, reproducta; quamvis non ſim neſcius, Magnates, ceteramque præcipue divitem Anglicam Gentem a Gallia, Hiſpania, Germania, aliiſque regionibus, pelago favente, prætioſiſſima vina, & liquores ſibi adſciſcere. (2)

NONNULLI FONTES, ET CIRCA ILLOS ANIMADVERTENDA

IN Anglia Septentrionali inter mare Germanicum ad ortum, & Lancaſtriam Provinciam ad occaſum ſita eſt urbs Eboracum, totius Regni ſecunda, 120 miliaribus Anglicis a Londino diſtans, in cui ſubjecto Ducatu, & non longe a Doncaſter fons eſt Aſckeronenſis; ubi notandum illud, latere, & perſentiri odorem, ſaporemque ſulphureum; & tamen ab omnibus Britannis Medicis in uſum poni, pro domandis ſalſuginoſis humani corporis affectibus, atque ſolvendo ſalium in ſanguinea maſſa dominio: quod tamen potius diluenti, atque attenuanti aquæ, quam medicatis ſulphureis particulis tribuendum eſſe videtur.

RATIO

ID confirmat limpidiſſima aqua in Comitatu Herfordienſi (3) ſcaturiens, in qua nullus ſapor ſupradicti ſulphuris perſentitur; & tamen pro curandis relatis morbis utiliſſima eſſe creditur.

MORBI AQUIS CURANDI

CURANT Medici Anglici fibrarum in corpore humano laxitatem, morbos urinæ, & cachexiam, in aſciticum affectum abituram, mediis acidulis chalybeatis, prope Abredoniam ſcaturientibus (4): cui ſcopo collimat etiam fons Aberbrothocranus, in argilloſo, Scotoque pariter ſolo proveniens.

Idipſum inſuper promovent aquis *Broomleſs-Moor-Spauu*, dictis, (5), nec non Bullhouſonſibus, Eatonenſibus (6), & Farringhonenſibus (7), vitatis Burlingtonenſibus (8), quia in ſe continent vitriolum nimis exaltatum, & volatile, ex quo ſtomachi fibræ, & univerſa Meſeraicorum ſeries irritari quam maxime poteſt.

Denique Oldfieldenſibus (9) corpus purgant; Refordenſibus (10) vomitum cient; Ridmeranis (11) rachiticos curant; aquis Sanctæ Catharinæ (12) bituminoſis laxatas fibras inſtaurant, & robur ſolidis conciliant.

ANIMADVERSIO.

CIRCA ſupradictum Sanctæ Catharinæ fontem placet animadvertere, utiliſſimum fortaſſe fore etiam in pectoris morbis, quandoque, laxata pulmo-

(1) *La Tonche eſt une boiſſon forte en uſage parmi les Anglois, composee ordinairement d' eau de vie d'eau commune, de jus de Citron, adoucie avec du ſucre, & a la quelle on ajoute quelque fois differens aromates*. Douglas Edimburgenſis.

(2) Supradicta confirmantur aſſerto Domini Millingen Chirurgi Scoti celeberrimi, qui ut aquæ minerales facilius tranſeant, proponit, & exhibet venæ ictum, & vini poculum ex Portugallia advectum. In Mulieribus vero ſuccini ſal.

(3) In Anglia pariter.

(4) Urbs eſt Epiſcopalis Scotiæ: ubi Emporium.

(5) In Angliæ Ducatu Eboracenſi ſitis.

(6) Ambæ ibidem.

(7) In ditione Dorſetienſi.

(8) Prope vicum Bridligton.

(9) Prope urbem Ripou.

(10) In Provincia Nottinghamen.

(11) Non longe a vico Ridmer in Anglia.

(12) Non longe ab Alata caſtra, urbe Regia Senatuſque Sede.

pulmonalium loborum compage, oleoſis velnti particulis gliſcenti, ut verbis Choi utar, ſanguini obviam eundum eſt. Sic quippe nos facimus, ita experimur; ſummuſque bonorum omnium Dator Brixiano noſtro ſolo Milzanelli aquas conceſſit, quæ ſupradictis Britannis Scotorum aquis quodammodo aſſimilari poſſunt.

AQUÆ PURGANTES

Aquas Medicatas recta ad anum tendere frequens eſt; quod etiam interdum ab aqua pura producitur, ratione ponderis, & paratæ viæ; accedentibus, ſi lubet, etiam inſitis mineralibus particulis, vellicando inteſtinali tubo apte natis: quod maxime in Italia noſtra uſuvenit media Tetutiana (1); cui an par ſit Anglica Aqua, Filaenſis ſcilicet, non longe ab urbe Scarburgh (2) ſcaturiens (3), non ſatis ſcio. Id unum non ignoro, plurimum ſalis marini Filaenſem aquam continere, & vidiſſe in operibus Anglorum Scriptorum regeſtam activitatem ſuam Catharticam, qua ipſas ſuperat inteſtinorum difficultates.

ANIMADVERSIO.

Observandum ideo eſt, aquas ſale, vique purgante fæcundas, non eſſe adhibendas; quando quæ agenda ſunt, in ſanguinea maſſa fieri debent. Alia ſiquidem a promovendo effectu via eſt.

AQUA ANTISCORBUTICA, ANTINEPHRITICA

Etiam ſeptentrionales Scotiæ populi (4) habent, præter alias, ſuam aquam Montrolenſem, qua præcipue utuntur, quando adſunt indicia latentium in renibus, aut veſica calculorum, & quando ſuo exitui, aut diſſolutioni incumbendum eſt (5). Num vero populi illi affectionibus Scorbuticis nimium vexentur, me quidem latet; ſed provinciæ Maritimæ ſunt borealibus injuriis admodum expoſitæ; quare crediderim, non quidem, ut Daniam; ſed ut alias maritimas regiones, Hollandiam nempe, & ceteras, moleſtari: ob quod de diluentibus, humectantibus, & dulcificantibus remediis ſæpe cum Medicis agendum ſit.

CUPRUM IN AQUIS SUSPECTUM

Laudem merentur Medici Angli, qui cauti procedunt in adminiſtrandis aquis cupro ſaturatis, licet utilis aliqua particula in iiſdem adſit. Æs ſiquidem Cyprium corrodendi, ſcindendi, irritandi naturam, imo melius dixero, vim habet. Heu! Fibellæ noſtræ exquiſitiſſimi ſenſus ſunt, jamque interdum ad aliquam ſolutionem diſpoſitæ. Si ſtimulum addimus, quid erit? Diſcamus a Scotis, qui, quamvis in Valle, ad Annam fluvium, habeant Aquas Moffatenſes (6) quamplurimis edomandis morbis aptiſſimas; attamen, quia aliquando viderunt tuſſientibus fuiſſe noxias, per conſequens attentum examen prius inſtituunt, antequam illis utantur. Sic eſt agendum; nec dona, quæ benigna mater natura regionibus impertita eſt, injuſtis laudibus extollenda.

ANIMADVERSIO

Plummer tamen Andreas, & Milligen ambo Scoti ſupradictas Moffatenſes Aquas laudibus extollunt; & poſtremus pro curandis etiam ſcrophulis aptas judicat; & cum balneo, in ulceribus, tumoribus, & cutis morbis adhibendas ſuadet.

AQUÆ CORROBORANTES

Bath (7) Aquæ admodum ſunt percelebres, in priſtino vigore debilibus partibus reſtituendo.

NOVUM OPUS

Optandum, ut cito videat lucem perfectum opus, nempe Chimiæ curſus, quem Londini nunc promovet Ambrogius Godfrey; quandoquidem ſignanter, præter cetera, ſcilicet de metallis experimenta, aquarum mineralium analyſis, & nova in eaſdem, ut cognoſcantur, tentamina promittuntur.

MERCURII IN SANGUINEM ADACTI EFFECTUS

Flocci non facienda, quæ Dominus Moulin Societati Regiæ communicavit; nempe experimenta circa injectum Mercurium in maſſam ſanguineam: quippe quod ab effectibus ſubinde natis conſequentia erui poteſt, num tam liberali manu adhibendus ſit.

 Ex

(1) Frequenter in praxi obſervavi, Tetutianum laticem ne unam quidem ſedem moviſſe: niſi aut prius, aut una ſtimulus purgans adderetur.

(2) Urbs celebris, & cui tota Europa multum debet; ob numeroſam, quæ inibi fit, piſcationem pelamydium, & poſt annum, Thynnorum, vulgo Tonno, qui aut recentes, aut membratim ſecti, & in vaſis obſignati oleoque, aut ſale conditi, in remotas regiones, ut ſapida eſca exportantur.

(3) Alii in eadem Provincia adſunt fontes dantes cathartica, & chalybeata libamina, de quibus Auctores conſulendi.

(4) In Provincia Angus.

(5) Cui etiam ſuccurrit altera Peterheadenſis pariter in Scotia ſeptentrionali.

(6) Mahomenſibus Aquis ſimillimas.

(7) De Aquis Bath ſic ait F. Kennedy Chirurgus in Edemburgo. *Bath eſt une ville d'Angleterre dans la province de Sommeſet, ou ſe trouvent ces eaux minerales les plus eſtimees de ce Royaume. Elles ſont chaudes, & ſulphureuſes.*

Ex ſola igitur *ſeſquiuncia Mercurii crudi*, in canis jugularem venam injecta, apparuit illico *tuſſicula*, & poſt biduum *inſignis reſpirandi difficultas*, cum *ſono*, *anhelatione*, & *ſuſpirioſitate*; cum nullo tumore circa linguæ radicem, glandulaſque maxillares: qui inſuper quarta die ortophnoicus obiit. Anatomicum autem examen dedit *libram unam extravaſati ſeri ſanguinolenti intra thoracem*, necnon *pus* in pulmonibus, *validiuſcula compreſſione* cum *Mercurio* effuſum; ſanguinem inſuper coagulatum cum hydrargyri particulis in dextero cordis ventriculo, multaque alia, quæ in Excerptis Actorum Lipſienſium videri poſſunt; & a quibus debemus diſcere, non eſſe adeo in exhibendo Mercurio crudo proclives. Quandoquidem licet per os ingeſtus, ut plurimum, ſine noxa tranſeat; tamen & producendorum damnorum capax eſt.

LIEN MORBOSUS, ET AUCTUS

De Liene viginti quinque unciis pendente, & in cadavere filiæ Londinenſis viſo, ſcribit D. Nehemias Grevu; cauſaſque derivat ex vitæ genere, & ætate; ſed præ omnibus ab imminutis menſtruis, atque a modico exercitio. Parique paſſu cum nobis Italis Medicis egregius vir incedit; ideo multa in hoc addenda non ſunt.

VULNUS MAGNUM TENDINEM TRANSVERSIM SECANS, NUM SUENDUM SIT

Et ratio, & auctoritas non ſatis fulgent, ut in ſectis tendinibus Profeſſores ſe recte dirigant, & pro ægroto utile ſeligant. Ad tendinis efformationem concurrit nervorum, & fibellarum nobilior pars, cujus indita ſpecifica inclinatio eſt, poſt ſectionem, in adverſa latera contrahi, oſque vulneris magis adapertum reddere.

In hoc rerum ſtatu, inſigne Societatis Anglicanæ membrum Gulielmus Covuperus, in magno tendine ſupra ſiniſtram tibiam *acubus proportionatis*, *ſericoque filo incerato* ſuturam inſtituit, illique ſuperpoſuit terebinthinam, & linimentum *e gummi elemi*, aptatiſque faſciis, & pulvillis, *venam ſecavit*, & *narcoticum* exhibuit, partemque fovit *decocto abſynthii*, *ſalviæ*, *roris marini*, & foliorum *lauri*. Tandem tincturam *myrrhæ* adhibuit, caro fungoſa excrevit, claudicavit, melius ſe habuit.

ANIMADVERSIO

In propositam methodum Anglicanam

Candide tamen, & magnorum virorum more (1) adnectuntur adnotationes, in ipſa primaria Chirurgicæ diſciplinæ lumina inquirentes (2) quibus ſuturam tendinum multis circumiri difficultatibus aperte oſtenditur, quibus omnibus, & ipſe addo

Primum: interdum eſſe magis noxias puncturas, quam totius nervi ſectiones, ut quatuor ab hinc annis fuſe, auctoritate Scriptorum, & noſtris rationibus probavimus (3). Quandoquidem nervus ſectus contrahitur libere verſus principium ſuum; neque convulſionibus tam ſubjectus eſt. In punctura vero pars irritata excandeſcit, non abbreviari poteſt, & irritamentum in loco puncturæ, & læſi nervi perſeverat. Ex hoc igitur perbelle patet, puncturis in tendinis extremitatem iteratim, ubi ſuatur, adactis, jam offenſam, jam affectam regionem magis laceſſiri.

Secundo. Secta tendinis labia, os vulneris efformantia, a ſe invicem remota ſunt, vel magis, vel minus. Quibus caſibus, quia contractioni jam organa inclinata erant, quia pars enormiter divulſa, & quia tandem humores illico confluentes in vaſorum coordinationes, & intercapedines fuſi, partem inflabunt, inflammabunt, & tendent; ideo omne fibrarum, & pelliceorum corporum genus in latera elaſticum ſolidum tendineum urgebit, & vulneris labia dilatabuntur. Propterea ſuturam acu factam parum eſſe auxiliaturam, id plurimum evincit, quia difficillimum eſt ducere filiſque attrahere in coalitum labia illa, quorum integra caro in latitudinem excrevit.

Tertio. Ut plurimum fila ante quartam, fraceſcente carneo extremo labello, vel flacceſcunt, vel otioſa ſtant; & ante quartam fortaſſe impediunt, ne tendinea pars contrahi poſſit. Sique qualibet morboſa de cauſa tunc contraheretur, contractionis impedimentum, filum ſcilicet, majores convulſiones poteſt producere.

Quarto. Serica fila vel tenent, & attrahunt, vel non: ſi primum, ſæviet continuus dolor, qui ſæpe ſæpius inflammationum, & convulſionum prodromus eſt: ſi ſecundum; ergo inutilia.

Quinto. Poteſt obſignari pus, & præpediri æquum medicamen, nec non ulceroſæ cavernulæ deterſio.

His ſtantibus, Anglicum Cowperi præceptum ſumma cum circumſpectione recipiendum eſt. Quamvis non irem inficias, interdum etiam ſuturas eſſe in uſum ponendas, ſi v. g. in intimis penetralibus arteria ſecta ſit, cum exitu multi ſanguinis; ideoque integumentorum ſollicita unio coalitum partis faciliorem efficiat, ſi in abdomine vulnus hiſcat, ideoque periculum inſtet, ne inteſtina cum omento elabantur; ſi nulla adſit inflammationis umbra, & temperamentum ſit fibræ languidæ; ſi in caſtris milites curandi ſint, ubi cito, quamvis non tam circumſpecte, agendum eſt.

GLAN-

(1) Ut videre eſt in Excerptis Actorum Eruditorum Lipſienſium T. 3. pag. 471.

(2) Hippocratis nempe, Galeni, Avicennæ, Guido, Aurelii Severini, Felicis VVrtz, Bieinaiſe, Verduc, Vauguion, Nuck.

(3) Diſſertationes quatuor typis Marci Vendrameni Brixiæ.

GLANDULÆ DUÆ NOVITER DETECTÆ

NUm vero eidem Cowpero debeat ars noſtra duas detectas glandulas *ſub proſtratis*, *utrinque ad urethram*, *paulo ſupra ſpongioſi corporis bulbum*, Anatomicis diſputandum relinquimus.

MORBI OCULORUM IN CHRYSTALLINO HUMORE SUAM SEDEM HABENTES

CHirurgi Londinenſes, & Vueſt-Munſter per epiſtolam admonentur a Joanne Taylor circa humoris chryſtallini morboſas mutationes, quibus cataractæ originem, præmiſſo examine opinionum Heiſteri, Hovii, & Morandi, tribuendam autumat.

NOVUS APOPLEXIAM CURANDI MODUS

MEdicus Londinenſis Joannes Catheruuood, dicit cauſam apoplexiæ (quod & multi alii credunt) eſſe obſtructionem nervorum cerebri, ſed damnat remedia *emetica*, *veſicantia*, *ſcarificationes*, *venæ ſectionem*.

Huic ipſe non aſtipulor, nec unquam laudabo, ut Britannicum hoc dogma in Italiam, Brixianaſque ditiones propagetur. Præter quam quod tali modo ſtatutis jam longo tempore aphoriſmis ſummorum Medicæ ſcientiæ procerum obviam itur; non ne quatuor ſupradicta tentamina, & majores fortaſſe artis cardines apti ſunt, ut morboſa impedimenta amoveantur? Inſuper, cum Medicus, meam imbecillitatem fateor, de genuina cauſa certus eſſe interdum, imo ut plurimum non poſſit; cumque quies, irradiationem, ſenſum, motumque impediens, fortaſſe in glandulis, fortaſſe in lymphaticis, veniſque colli hærens, occipitis, atlantem, ceteraſque vertebras, comprimat: patet neceſſitas in uſum ponendi remedia illa, quæ qualitercumque enatæ ſtaſi aptantur, & ratione virium, ratione motus, ſpecificarumque qualitatum in ſolida, in fluida agentium obſtacula poſſunt removere. Ergo Medicus ad ſideratum accitus, extremumque agonem timens, documentis Catheruuoodianis illectus, quaſi nihil agens, & manus ſuper cingulum tenens, omittet præſtantiora medicæ artis auxilia? Nequaquam Philiatri Itali.

Propoſitam a docto Anglo arteriotomiam poſſe eſſe ſalubrem, obſtandum non eſt: ſed in Italo hoc noſtro cœlo illi Chirurgi aſſueti non ſunt, & interdum ſarcoſis eſt difficillima. Vena brachii tuſa dat illico multum ſanguinem, multamque cum motu ſpirituum diſſipationem. Igitur addo ſolum, & conſulo Philiatros, ut diſcant ab illis Magiſtris, & Scriptoribus, qui prope ægrotorum lectulos obſervationes faciunt, non vero ab illis, qui mente tantum, & novitatum illecebris permoti, proponunt, & cogitant quid agendum ſit.

(a) Vide Acta Philoſoph. Angl. 1703.

SECTIO LATERALIS PRO LAPIDIS EXTRACTIONE E VESICA NUM PERMITTI DEBEAT

ANgli, inter quos D. Sharp, ſuſpectam dicunt ſectionem lateralem, ob hæmorrhagiæ metum. Verum Lutetiæ Pariſiorum D. Morandus S. Coſimi Chirurgus rem magis in aperto ponit, & quæſtiones ſolvit: ſed ut meam opinionem addam, in latere veſica inſulata eſt, atque a continentibus diſtat. Ideo puriformes ſeroſitates, & lotia poſſunt facilius in interſtitiis quieſcere; propterea Alghiſianam Florentinam methodum magis probo.

ULCUS PULMONUM RARA METHODO CURATUM

JOannes Wrightius (1) pulmonum ulcus curatum canit, Chirurgico adjumento, aptandi cauſticum inter ſextam, & ſeptimam coſtam, ſurſum numerando, & proinde ſecandi muſculos thoracis; ita ut cavitas detergi, & expurgari poſſit. Quod feliciter etiam ceſſiſſe refert in 18 annorum puella; quodque etiam immortalis famæ vir Gulielmus Cowperus probare viſus eſt. At ſicuti id eveniſſe non negarem, ita non video, quomodo plena periculi tentamina noſtris Philiatris collaudanda ſint, ut Anglica hæc veſtigia ſubſequantur. Noſcere determinatum ulceris ſitum, non tam facile eſt; ſique facto foramini non erit proximum, fruſtra erunt pertentata omnia. Quid porro? Adhuc de incurabili fiſtula eſſet formidandum, & quando congeries tuberculorum in pulmonum ſubſtantia laxa, & ſpongioſa jam incepit, oleum, & operam perdimus, ſi pertimeſcendum etiam vulnus infligimus. Anglicum idcirco documentum claudicat, & non niſi ſummo cum timore executioni mandandum eſt.

MEDICI BRITANNI MULTA REMEDIA ÆGRIS SUIS PRÆSCRIBUNT

PAtavina, Hetruſca, Romana, uno verbo Itala, nunc uſitata, cautio, circumſpectio in potionandis morbidis ad Anglicanam, Scotamque terram nondum pervenit: aut quamvis cognita, ſpernitur. Video quippe multum nominis gerentes inibi Profeſſores frequentiſſimorum pharmacorum amatores; nonque tantum præſcribere ex illis, quæ temperandi, corrigendi, aperiendi, ceteraque hujus generis vim habent, ſed tumultum, diſſolutionem, fuſionem, motumque non modicum apta ſunt in liquidis, ſpiritibuſque producere.

cere. Quia vero, ut diximus, acri judicio præditi ſunt, conſequentiam ducere debemus, id pendere a climatum, & temperamentorum diverſitate, atque ab alio ob alia nutricamenta ſanguinis ſtatu. Quibus fit, ut vel clauſa ab activiore frigore cutis perſpirationem impediat, vel infartus a cereviſia ſanguis ex viſcerum, vivorumque impedimentorum compedibus ſe extricare non poſſit, vel ob corrugatas strictaſque inibi fibras ſedes, quantum ſatis, non relaxentur, aut quæcumque aliæ excretiones utiliter non reſpondeant; quibus, inquam, aliiſque, licet indictis, tamen conſpirantibus, & veris, ſtagnantes in corporibus Britannis amurcæ fortioribus, iteratiſque ſtimulis eliminandæ ſunt.

MORBI IN ANGLICIS REGIONIBUS FREQUENTES

Ambiens aer humidis vaporibus, muriaticiſque particulis repletus, frequenter cum cœlo nubilo producit raucedines, rheumatiſmos, tuſſes, pleuritides, variolas malignis ſymptomatibus ſtipatas, & præcipue in urbe Metropoli Londino; at duæ præſertim ægritudines, quaſi dixero, inibi dominantes ſæviunt, tabes nempe pulmonalis (1), & rachitis.

TABES PULMONALIS

Hinc coacte benemulti Anglicani Scriptores de pulmonum morbis ſuas produxerunt ſententias; præſertim poſt quam Medicis, Anatomicis experimentis conſtitit, frequenter in denatis ſcirrhoſa latere tubercula, loboſque, veſiculas, & circumſtantes acinos eſſe exeſos, corruptos, tabefactos, illiſque præſertim medicas indicationes eſſe dirigendas: idque magis in nobilibus, & inter divitias connutritis, ob nimium humorem, & ſanguinis plenitudinem, in internis thoracis venulis quieſcentem. Cui ſi accedat vinorum inordinata potatio, præcipue ex Canarienſibus inſulis advectorum, nemo non videt calcaria currenti addita, ut properet ad periculum. Hinc Anglici, ut adagio fertur, morbi, præcipue ſi ſero ſanguinis miſſio paretur.

RACHITIS

Alterum vero ſibi endemium morbum, nempe Rachitidem, a nono menſe in infantibus erumpentem, quæ noſcitur ab inceſſu lento, & infirmo, a ſedendi, more decumbendi voluntate, ab acri ingenii vi, a magno capite ſuturis amplis interſtincto, a thorace ad latera ſtricto ad thoracem, abdomenque acuto, accedente lenta febri totum corpuſculum, circiter uſque ad biennium, colliquante, curant Medici Angli alimentis eupeptis, nec adeo piuguibus, potius frequenter, ſed in modica doſi ſumptis, interdum aliquo aromate conditis. Aere puro & meridiano, indumentis tepefacientibus, & mora in editioribus domus locis ſuper lignea tabulata. Inſuper laudant motus, ſed leviter, & ſuaviter executos. Quæ omnia, ut ad rem noſtram veniamus, etiam in Italico cœlo fieri poſſunt. Verum reliqua duo, quæ aliquis memorat, proſcribenda; nempe cantharidum applicatio, & emeticorum exhibitio, a quibus in tenella ætate, & in colliquato jam corpore abſtinendum cenſerem.

CURA AVENACEA

Medici Angli, ab exemplo *Johannis de S. Catharina* Clinici tunc temporis magni nominis, qui ter in anno repetita cura avenacea vixit uſque ad ætatem annorum 120, ejuſdem præſcriptioni plurimum addicti ſunt, & animadvertunt fieri deberi in olla fictili, & vitreata cum libra una, & ſemiſſe *avenæ*, *radicis cichoreæ ſylveſtris* conciſæ manipulo uno, & *duodecim menſuris aquæ fontanæ*; colaturæ addendo *ſalem prunellæ* ℥ 5, *ſacchari* non refinati ℥ III. iterumque bulliat &c. Bis in die longe a cibo ſumatur, in cutaneis affectibus, & ſalis inquinamentis, in calculo renum, obſtructionibus, & morbo hypochondriaco.

Gelatinæ pariter, & pultes avenaceæ ex amylo paratæ, quam Angli vocant *Flummery*, utiles ſunt in bilioſis, cholericis, & hectico ſtatu.

BALSAMUM LOCATELLI

In poſtremo ſuper relato morbo utiliſſimum, & in Pharmacopæa Londinenſi deſcriptum *ex oleo olivarum*, *terebynthina Veneta*, *cera citrina & pulvere ſantali rubri*, *cum vino Canarino incoctis*.

DE ÆGRITUDINIBUS CUTIS

Tractatus de ægritudinibus pellis celeberrimi Angli Medici Turner deberet eſſe ante oculos, non ſolum Chirurgorum, ſed etiam Medicorum, qui ægros externis remediis cooperiunt, & onerant; quæ quantum ſupervacanea ſint, etiam nos multoties in Hiſtoriis Morborum demonſtravimus &c. Ni fallor, liber ille Anglica lingua recuſus (2) fuit: ex hoc argumentum ſumere debemus, quantum utilitatis in artem noſtram advexerit. Inſtat gravis auctor, ut ad corrigendam ſanguinis craſim Medici advertant, ante quam ad externa deſcendant.

AD-

(1) Ulcus pulmonum poſt peripneumoniam memorat vir celebris Hibernus Barry, qui in ſectione cadaveris cujuſdam militis in urbe Cork, ubi pulmones pleuræ adhærentes corroſi, & diaphragma transfoſſum repertum eſt.

(2) Etiam Pariſiis apud Jacobum Barois 1743.

ADSTRINGENTIA IN MORBIS CUTI CAUTE ADMOVENDA

QUAMVIS Hoffmannus aliquando, declinante morbo, induſium ſolutione aluminis humectatum, deinde ſiccum corpori utiliter aptaverit: Anglus tamen Turner admodum ſuſpectum illud habet. Profecto adſtringentia cuti applicita raro vidi utilia.

FONTICULUS SUDORIS REMEDIUM

IN morboſis ſudoribus, qui ægros vexant, adſtringentium loco fonticulos Turner ſubſtituit. In hoc caſus diſtinguendi ſunt. Ego ſum potius alienus; ſed quando illud morboſum a ſanguine ſeparari vult, morboſuſque ludus ad multum tempus perſeverat, ſervitus inſculpenda.

ANGLUS USUS

MANE SUMENDI LAC, PANEM, BUTYRUM, ET THEE' NUM NOSTRIS IN ORIS SUSPECTUS ESSE DEBEAT

PLURIES dum Venetiis morabar, caſus obtulit, ut ante prandium ad domos nobilium aliquot Anglorum accedens, ipſos viderim in quodam jentaculo veluti epulantes. Siquidem ſuper latum fruſtulum panis ſimilaginei, interdum ſpongioſi, recens butyrum extendebant, & manducando proinde lac, & thee ſorbillabant: utque vera fatear, non tam parce, quin media hora gulæ ludus hic perſeveraret. Inter hæc ipſe non video quid damnari poſſit, lac quippe, & panis ſunt vita noſtra.

Sed tamen neque ſum tam proclivis, ut cæco uſu hanc ſtomachi onerationem frequentemus: de hominibus ſanis non loquimur, quia ad manus noſtras non perveniunt, ſique inſtarent, reſponderem, hoc non mereri, ut Medicum conſulant. Facto ſiquidem, vel non, jentaculo, nil ponitur in eſſe; & ad ſummum minor erit in prandio appetentia. Cum valetudinariis agendum nobis eſt, in quibus diſtinguerem, & dicerem a facto ducendas eſſe conjecturas; ulteriuſque limatum proceſſum eſſe faciendum circa peculiaris ventriculi idioſyncraſiam, pepaſmum, gaſtrici activitatem, & multa alia, ut hinc mens Medici edocta, minus in ſtatuendo errare poſſet.

Sed dato quod quis ſecundum Italam noſtram legem, & prandio, & moderata cœna utatur, neſcio ſane, quomodo tertia hæc comeſtio aptari ſtomacho poſſit, tam ſi ſimul, quam ſejuncta jentaculi capita examinemus. Lac, butyrum, & panis optimi nutrimenti ſunt, atque ad infarciendas ſtomachi fibras aptiſſima; ideoque ſi accedit & thee, potus vices ſuplens, facta placenta, fortaſſe etiam non mediocri, mihi videntur ea omnia debere in ventriculo contingere, quæ poſt prandium eveniunt, neque in ullo alio diſtare, niſi ſecundum magis, & minus; ergo motus fermentationis, & digeſtionis incipietur, paulatimque ſubacta maſſa, lege periſtaltici fibrarum, membranarumque motus in duodenum, proindeque meſentericos ductus, Pecquetianum ſubitura ductum, derivabitur.

Dum hæc natura molitur, & deſcendenti undulatione, atque circumprementium facultatum motu exequitur, en prandium, & fortaſſe luxurioſum accedit, & quod pejus eſt, nondum penitus elutriata butyroſa, & lactea ſarcina. Deus bone? Inhærent adhuc viſcida primæ comeſtionis recrementa, quæ villoſam tunicam infarciunt, gaſtricum ichorem ligant, poroſitateſque novum fuſuras, obſtruunt. Pancreaticus ſuccus, biliſque per coledochum aſcenſura ab inchoato opere in motum poſita, commixta, & depreſſa, pro ſecunda epulatione deficient. Quid erit? Thorax, diaphragma, abdominis muſculi nimium diſtenti, ſuum in principium contrahentur, & vaſa interna omnia majoris, & minoris uſus coarctabunt. Quid erit, ſi flatus accedent, ſi in ſpiritibus a vino tumultus excitabitur, ſi aliqua eſca non erit illi ſtomacho conveniens, ſi illa mane lac non erit recens emunctum, ſi diſtracta fermenta ſecundo ſolvendo pulmento non opitulabuntur, ſi chyloſis fiet imperfecta, & in ſanguinem tranſibunt alimenta non bene ſubacta, neque quantum ſatis a præcedentibus prædiſpoſita?

Audio helluonem dicentem: multoties in die digitis in os adactis ingurgitata tango alimenta; & tamen comminata invaletudinis præjudicia non ſentio. Age gratias naturæ, & temperamento tuo, quod duobus reſiſtit delictis; & ora ut ſolidorum tuorum vis in incepto robore perſeveret, ſed tamen morbum aliquem, qui nemini unquam pepercit, expecta.

Quæcumque ſint; quando fortaſſe quis abſque cœna lectum ivit, vel ſummo mane expergefactus, aut iter, aut ſummum ſui corporis laborem ſubiturus eſt, quando languent vires, & quæruli ventris inedia urget, quandoque ſero prandium parandum ſit, aut ſuperato morbo, vacuæ ſtomachi poroſitates, & acidulæ lymphæ rugas plicaſque vellicando, ſolvi, & invaginari merentur, non obſtarem, non ambigerem, quin butyroſum lacteumque jentaculum permittendum ſit, fortaſſe ſalubriter ceſſurum; ſed quando ſupradicta aut omnia, aut aliqua non eveniunt, caſeoſo farcimine illo quotidie impleri, non adeo ſanum crediderim, præſertim ſi prandium brevi acceſſurum eſt.

Nec valet ratio, aut objectum, etiam nos Italos aliquo matutino potui eſſe aſſuetos, id ipſum in corporibus humanis fortaſſe facienti, quod Anglica comeſtio efficit. Summopere quippe diſtant quantitate, & qualitatibus. Thee, caffè, & ſuccolata, quibus utimur, non ſunt viſceribus adeo oneroſa, & tantummodo per modum potus potari aſſolent: ſique adduntur tenuia aliquot bellaria,

aut

aut panis fruſtulum inaſſatum, & torridum, una tamen unquam ad illud farciminis, & adhærentis nutrimenti gradum, ut caſeoſum lac: & de ſuccolata ipſa multa dubia, & problemata olim legi, num inter nutrientia ponenda ſit.

His ſtantibus, ſi actu videmus butyroſum lac, noſtrates *Pana* dicunt, etiam in modica quatuor, vel ſex cochlearium quantitate, illico ventriculum infarcire ita, ut plenitudo, & ſaturitas in promptu ſit, aut videatur, colligere debemus eſcariam, albamque pultem illam deſtruendis fermentis eſſe aptiſſimam, in quibus primaria reſident futuræ digeſtionis rudimenta.

Denique ne in re, uſuque, qui fortaſſe etiam Italis noſtris arridebit, multum temporis impendamus, unum addimus, quod multum quadrat argumento præſentis Operis, quodque in medendo prima columna eſt; ſcilicet examinandum quam maxime temperamentum, & climatis diverſitatem. Fortaſſe, imo certe in Anglorum erit ventriculo (in itinere duos vidi Anglos qui ſummo mane nunquam currum conſcendere volebant, niſi prius manducaſſent) ſal magis eſuriticum, corrivantes inibi fermentacei ichores, ab acidis principiis magis exaltati, pleniori gurgite animales ſpiritus in ſtomachi nervos turmatim derivabuntur; ſanguis denique ſulphureis, magiſque irrequietis principiis chyloſim adjuvabit, & fortaſſe a teneris uſque unguiculis huic galaxiæ aſſuefacti ſunt. Hæc igitur omnia, & fortaſſe etiam alia, faciunt, ut lacteum caſeoſumque jentaculum aptetur, nec noxium ſit; ut eſſet in illis temperamentis, in quibus ſupradictæ conditiones non verificantur.

LITHOTOMIA

CHESELDEN Chirurgus Londinenſis modum docet faciliorem reddendi ſectionem lateralem pro extractione lapidis e veſica: ſed ſectio digitis adaperta ſervataque, quouſque operatio durat, ſuſpecta eſt.

MORBI EXPECTANDO CURATI

MODUM curandi morbos expectatione expoſuit olim celeberrimus Anglus Profeſſor Harveus, numque dogma illud adhuc in Britannicos Clinicos propagatum, perſeveret, de certo non ſcio. Admitto tamen multos morbos curari deberi nihil agendo omnino; interdum etiam nihil agendo, poſtquam in principio aliquid utiliter indicatum, factum fuerit; admitto inſuper, minus damnanda eſſe errata omiſſionis, quam commiſſionis, ſique natura morborum medicatrix, cunctando vincimus. O quoties & Venetiis, & Patavii, & Brixiæ, & Mediolani vidi accitos ad conſilium Profeſſores celeberrimos, quorum ſententia ſæpe ſæpius fuit, ut negotium naturæ committeretur. Anglicus ideo modus expectandi, cunctandi, obſervandi confirmandus eſt, & quandoque amplectendus. Videatur ſupradictus Auctor, qui *ferream*, *aſinariam*, chiniferam, *aquariam*, *laniariam ſtercorariam* Medicinam vocat, eo quia chalybe, lacte, cortice Peruviano, thermis, venæ ſectione, & purgantibus morbos fugare ſatagit. Ibi lynceis oculis, ſolertiſſimus vir errores etiam, & technas vulgarium Medicorum aperit, & ſpem, metumque incutit, ſi multa remedia adhibeantur. Ipſe ſolum denique addo, in acutis nihil agendo facilius eſt non errare.

NONNULLA BRITANNORUM IN MEDENDO INVENTA

PRimo. Sibi ſumunt Angli excogitaſſe, & in uſum demandaſſe Chinam Chinam, pro curatione Sphaceli tam interni, quam externi (1).

Secundo. Oleum olivarum pro viperarum morſu.

Tertio. Pulverem Stanni ad enecandos vermes.

Quarto. Vitrum antimonii cum cera præparatum pro curatione dyſentheriæ.

Quinto. Turbith minerale interne ſumptum, pro curatione hydrophobiæ; propoſitum, & uſitatum a Domino James, celeberrimo Londinenſi Medico.

ANIMADVERSIO

IN CURATIONEM RABIDI MORSUS SIVE HYDROPHOBIÆ

ANGLICUM dogma ſalivationem mercurio promotam proponens pro rabiei curatione, cum ratione conjunctum eſt; ſique experimenta, nec pauca, feliciter ceſſere, cur moroſi erimus in fide præſtanda? Undique tunc anguſtiæ; ergo quæ juvarunt, pertentanda (2).

HOROLOGIUM PULSUS

JOANNI Floyer pariter Anglo multum debet Medica ars; eo quia pulſuum doctrinam, ſphygmicam ſcilicet artem mechanicis fundamentis, & menſuris, ex conjecturali, inſtabili, dubioque chaos vindicaverit, atque ad optatam rectitudinem redegerit; adeo ut enumeratis, ancillante horologio, pulſuum vibrationibus, febres, & aliæ ægritudines de certo noſcantur, & tutiores prognoſes enuncientur. Tamque methodus hæc Anglica a Sinicis ſubolita, & de qua olim locuti ſunt etiam, inter ceteros, graves viri, nempe Joſephus Strutius Polonus Poſnanienſis, & Sigiſmundi Auguſti Regis Archiater (3), nec non Brixiæ decus

(1) De quo legendus Heiſterus, & videnda etiam quæ nos in idem argumentum ſcripſimus.

(2) Videantur Aſtruc, & Diſſertationes Sahult.

(3) Ars ſphygmica, ſeu pulſuum doctrina ſupra 1200. annos perdita, & deſiderata.

cus Reverendiſs. Pater Lana (1), nobis arriſit, & Brixiæ etiam proſutura viſa eſt, ut non ſolum multis uſque ab hinc annis, portatili argenteo horologio, orbiculari, ut mos eſt, theca obducto, periculum in noſtris ægrotis fecerimus; verum etiam illud, unius tantum minuti a pulvere, ſexageſimæ ſcilicet horæ partis, Venetiis ſollicitaverimus, ut aliquo in caſu nobis ſine dubio conſtaret de pulſuum frequentiis, tarditatibus, anomaliis, adeoque in exequendis minus claudicaremus.

Pulſationum vero numerus, quem Anglus in uno minuto in hominibus reperit, minor non fuit quinquaginta quinque pulſationibus, major centum, & triginta duabus.

PULSATIONES SPATIO UNIUS MINUTI SECUNDUM TABULAM FLOYER

Pulsationes 140

In febribus, cauſon, & in infantibus majores pulſationes, quam 140 dari non poſſunt.

Pulsationes 120

Pulſus hecticorum.

100

Pulſus hecticorum, ſed cum febri remiſſa, & quando tubercula in pulmonibus adhuc cruda ſunt.

95

Aſthmata, catarrhi, fluxiones, dolores, inflammationes, gutta, cholica, febres diariæ.

80 95

Temperamenta atrabiliaria, hyſterici affectus, hypochondriaci, deliria, vomitus, & excretiones atræ, hæmorrhoides, flatus calidi, vigiliæ, ſitis, cancer, elephantiaſis, dyſenteria, quartanæ, ſcabies maligna, ſalſugo, ſcirrhi, convulſiones.

80 85

Cacochymia ſalſa, ſcorbutus, gummata, dolores membrorum, laſſitudines, ulcera, puſtulæ, herpetes, hæmorrhagiæ, diarrhææ, dentium cruditates, maculæ, lapides veſicæ, ſtranguriæ, bilis æruginoſa, lotium rubeum lateritium, ulcus lumborum, temperamentum gracile, macrum, oris fætor.

75 80

Cholera amara, acris, viſcoſa, vitellina, icterus, tertiana, eryſipelas, ſitis, inappetentia, corpus carnoſum, facies ſanguinea, audaces cum pulſu vehementi.

70 75

Quamvis Floyer in dato hoc pulſationum numero ponat ægritudines frigidas, pituitoſas; nihilominus, & ipſe addit, pulſum uno minuto 70, aut 75 pulſationibus menſuratum, & vibrantem, eſſe ſanitatis ſignum, eo quod indicet optimum humorum, & interni ſanguinis ſtatum; quod nos ipſi etiam in Italo hoc cœlo obſervavimus. Hacque methodo certiſſima, pluribus hypochondriacis, falſo ſe eſſe febricitantes autumantibus, de propria ſalute ſuaſos reddidimus. Oſtenſo ſiquidem libello, qui ſanitatem in illo pulſationum numero ſtatuit, poſitoque prope lectum ſupra tabulam horologio unius minuti ex pulvere, manuque, & Medici, & propria alterutro carpo admota, unaque calculum ſequentibus; conſequens tam certum ſucceſſit, ut plurimi e lecto lætiſſimi ſurrexerint.

65 70

Temperamenta pituitoſa, cum humorum plenitudine, colore pallido, & pelle humecta, pingues, lethargici, paralytici, mulieres obnoxiæ fluori albo, atque ad cachexiam pronæ.

60 65

Temperamenta aquea, ſeroſa, cachochymica, ad Hydropes diſpoſita, atque ad ædemata in cruribus.

55 60

Pituitoſi, melancholici, frigidi, cum faciei livore decrepita ſenectus, cum ſanguine ſtagnanti, & pulſu lento, obſtructiones lienis, alvi durities, flatus, oſcitationes.

50 55

Pulſus undulans, debilis, poſt hæmorrhagias febres, diarrhæas, ſudores.

45 50

Pulſus intermittens, ponendus in raris, ut in ſenibus.

40 45

Pulſus morientis, vermicularis, quamvis ipſe Floyer illum numerum nunquam invenerit.

Reſpirationes naturales uno minuto erunt quatuordecim.

ANIMADVERTENDA CIRCA PULSUM

Nollem tamen, ut quis conſequentiam duceret, in illo, qui ſuppoſitam pulſuum enumerationem habet, illum pariter morbum ſævire debere: quod certum non ſemper eſt: ſed quando alia ſigna, ceteraque ſymptomata in eodem ſubjecto concurrunt: certitudo cogniti, & menſurati pulſus Medici ideam poteſt ſemper magis determinare, & in agendis reddere tutiorem.

(1) Tomo primo pag. 387. ubi uſus penduli in Medicina quo ad pulſum.

ANHELATIO

IDem Floyer dividit anhelationem in *ſputatoriam*, & *hyſtericam*; loquiturque de febribus eundem morbum concomitantibus, nec non de ſpiritibus flatulentis, in magnas rarefactiones percitis, *pneumonicos intercoſtaleſque* nervos inflantibus. Ad remedia quod ſpectat, clyſmatibus, emeticis, frigefacientibus, opiatis procedit, & ſignanter nominat *caſtoreum*, *aſamfœtidam*, *ſalia volatilia*, & *ſulphurea*, itemque *chalybeata*, *vitriolica*, *corticemque Peruvianum*; quæ in noſtro etiam cœlo rationi abſona non ſunt; animadvertendo tamen, ne aſthmatici eodem calceo menſurentur, cauſaque antecedens prius bene noſcatur. Sed de hoc jam fuſius egimus in noſtris *Hiſtoriis Morborum*.

SUDOR ANGLICUS

MOrbus eſt, qui anno 1485 incepit, per intervalla olim rediit, nunc parcere humano generi videtur; idem, ac peſtis, tunc præcipue invadens, quando tempeſtas humida præceſſit. Curatio a Sennerto præſcribitur, quæ potius ſtat in adminiſtranda diæta, quam præſcribendis remediis.

MORBUS ANGLICUS

COmmuniter accipitur pro affectione ſucci nervei, & mala ſpirituum diatheſi; hinc confugiunt ad pacativa, dulcificantia, humectantia, diætamque lacteam.

GRIPING OF THE GUTS

ITa Londini vocantur ventris tormina, quæ cum dyſenteria conjuncta ſunt; quæque frequenter illis in regionibus endemica dici poſſunt, præcipue circa æquinoctium autumnale contingentia. Hæc obvia: illud non ita; nimirum remedia *calidiſſima*, ſpiritu, ſuſphure, & ſale volatili abundantia, primarium fuiſſe optatæ curationis inſtrumentum; ut de ſpiritu vini, cum ſaccharatis deflagrato, refert Anglicus Scriptor (1). Si eadem a nobis committerentur, o miſeros ægrotos!

AQUÆ FRIGIDÆ IMMERSIO

POpuli Montani in Scotia præcipuum ſuæ ſalutis fundamentum ſibi ominantur ab immerſione in aquam frigidam infantum ſuorum, quam, ubi adoleverint, iterant adhuc; ea ſpe freti, quod ſolidorum robori, & fibræ elaſticitati admodum conſpiret. Quorum utilitates in balneo frigido qui velit (exemplo Ruthenorum, olimque Romanorum, & Auguſti Imperatoris albulas frigidas in agro Tiburtino olim ſeligentis) ſibi, ut lubet, medeatur. Dum talem MedicinamBrixianis, Italiſque noſtris ipſe conſulere non poſſum; imo in Siriis etiam diebus, ad licitas natationes, & Balnea in fluminibus, & lacubus perquamcaute, & ſolum circa meridiem accedant.

Academiæ Oxonienſis lumen Franciſcus Nichous optime meritus eſt novo ſuo Compendio anatomico-œconomico in uſum ſuorum philiatrorum; quandoquidem primaria ars ſita eſt in eo, ut brevibus illa Tyronibus pateat: de *acidis*, *ſero*, & *alkalibus* quibus totum opus conſperſum eſt, ultra non loquimur, contenti in præfatione monuiſſe, totam diligentiam in librorum lectione eſſe ponendam, ut meliora excerpantur.

LUMBRICI UT ENECENTUR.

MEdici Angli, & præcipue Mayernius, & Harriſius ad enecandos in corpore humano vermes, & ad curationem cachexiæ utuntur ætyope minerali; quod nihil aliud eſt, quam ſulphur, & mercurius in pari, aut parum diverſa quantitate ſimul in pulverem redacta. Videndus in hac re doctiſſimus Schulzius (2) ubi ait: *Sufficit, ſi ad mercurii partes duas unam ſulphuris ſumamus*. (3)

ANIMAL MONSTROSUM E STOMACHO EJECTUM

MArtinus Liſter Eboracenſis refert eructatum vermem obſcuro-viridem colorem habentem, maculis conſperſum, & in grumoſo ſanguine innatantem.

ARCANUM STEPHENS PRO SOLVENDO CALCULO IN RENIBUS, ET VESICA

DUo ſunt, quæ mihi vim faciunt, ut iterum (4) loquar de celeberrimo arcano Dominæ Stephens pro ſolvendis in corpore humano lapidibus. Primum, quia nunc & nobis nota ſunt ſpecifica illa, quæ magnum arcanum conſtituunt. Cortices nempe ovorum calcinati, & in pulverem redacti, addita ſaponis fæce, quæ uſque ad ſeptingentas guttas, ſpatio unius diei, exhibita cum fructu fuit, oleo olivarum, & aqua communi mixta. Secundum, ut debitas laudes tradamus Anglis, & Gallis, qui certatim non ſolum de promovendis ad humanam utilitatem inventis ſollicitiſunt, verum etiam ne quid deſit; & ut difficillima ars ad probabiliorem certitudinem perveniat, experimentis, præmiis, & ſcriptis agunt, ut quid prodeſſe poteſt, in bono lumine collocetur, & ut in alias regiones propagata utilitas creſcat eundo. Videantur quæſo Acta apud celebres illorum Academias; videantur experimenta, & ſcripta Harley, Cantovel, Hales, Morand, & ſimilium hominum,

(1) VVillis, de Hypercatharſeos Remedio, pag. 65.
(2) In Præfatione.
(3) Vide Eph. N. C. vol. 1.
(4) Vide *Hiſtorias* noſtras *Morborum*.

minum, & profecto fatendum erit, quantum Medica ars illis debeat. Quod vero res adhuc in tuto poſita non ſit, dolendum ſummopere; ſed illorum ſollicitudo, & diligentia laudanda. Quinimo exemplum ducendum eſt, & optandum, ut quilibet ſua arcana promulget, & in promulgata ſedulo inquirat. (1)

ANIMADVERSIO,

Et remediorum pro solvendis in corpore humano lapidibus additio

Prodiit etiam anno 1743. (2) ſecundus Tomus continens experimenta, & obſervationes curati præſentis Doctoris Jacobi Kirkpatrick: ubi etiam mentio fit olei vitrioli, & tartari in aqua calida ſoluti, & epoti, aut *un oncia di ſodo tartaro diſciolto in quattro oncie d' acqua animata di ſpjrito di vitriolo, ovver di zolfo, maſſime aggiunta la lega del ſapone.*

REMEDIUM SUAVIUS

Jucundiorem, & ſuaviorem viam pro ſolvendis in humano corpore lapidibus repertam, & docto Opere (3) indicatam Theophilus Loob pariter Anglus exhibet: hoc eſt per vivendi normam, & diætam, quæ ſeligat cibos aptos ad attenuenda in humano corpore arenularum primordia, & ad quasvis concretiones anihilandas. Verum ſi libere loqui debeo, potatorum nimis amicus fuit; credens vinum non eſſe ex primariis calculorum productivum. In hoc me fateor diſſentientem, de cetero legi merentur monita ſua, & ſeligendorum ciborum apparatus, quem proponit.

ANIMADVERSIO

In hanc rem videnda ſunt ſcripta (4) viri celeberrimi Etienne Hales, Societatis Regiæ membri, ubi pluribus experimentis medendi ritus, & noſcendarum circumſtantiarum ſtatus bona in luce collocantur, & proſtat non ſolum quibus miſcellis, quo calore, quibuſque pyroſis auxiliis calculorum imminutio in animato corpore pertentanda eſt, ſed etiam in propatulo ponuntur plantæ lithontripicæ, inter quas *le cochlearia & le raifort*, & tertia etiam activior, de qua: *Ainſi ce jus d' oignon paroit ètre un puiſſant diſſolvant du calcul &c.*

(1) Vide in epiſtolis ad calcem Britannicæ Medicinæ adjectis, quid Auctori ſcribat celeberrimus Silveſter Medicus Anglus.

(2) Pariſiis apud Dumnd.

SPECIMEN MEDICINÆ ANGLICANÆ

Desumptum ex transactionibus Philosophicis Regiæ Societatis Londini

TEREBELLUM

A Domino Amyand propoſitam, & factam video oſſis cranii terebrationem, abſque fructu. Hac in re quid agendum ſit, dubitabunt & Poſteri noſtri. Incertis quippe ſignis procedit tam fixura ab violato, depreſſoque oſſe producta, quam ubi ſtaſis, & collectio fiat ſanguinis, vel puris, ob quæ cranii foramen inſtituendum eſt. Illud debent habere ante oculos Chirurgicæ artis Profeſſores, operationem fieri non poſſe abſque vitæ periculo, multoſque diem extremum objiſſe ob remedium, non ob morbum. Ex quibus arguenda eſt ſumma circumſpectio, qua procedendum.

PLUMBATA AD ANNOS INTRA CORPUS ANIMATUM SUBSISTENS

Plumbeum globulum ad triginta annos poſſe in humano corpore quieſcere (ut Londini viſum) nos quoque propoſuimus (5).

NIGREDO IN VULTU

Atrum colorem in vultu juvenculæ, quam Younge refert, non niſi ab atra bile dependiſſe, conjectandum eſt. Cum præter ſphacelum, a bile ſolum color ater effingi, aut produci poſſit.

SCROPHULA SECTA

Pendulus tumor, & tunicata caro, aut glandulosa cum cyſti moles, quam D. Gordon diſſecuit, *atheromatis* nomen meruiſſe, concedimus. At parcant Britanni illum nomen in titulo poſitum; & in calce relationis adiectum *Scrofa* aptabile non eſt, nihilque inſuper nos de eventu miramur. Quia atheromata, & melicerides, quæ vulgari nomine nos *Nate* dicimus, ſemper feliciter ferro ſecante obediunt.

ULCUS PULMONUM FERRO SECANTE SANATUM

Rara curatio eſt, & admodum fæliciter tentata, quam exhibet D. Wright de juvencula Terry, ex non bene expurgatis variolis, ulcere pulmonum cum ſputo puris, laborante; in qua, Londinenſibus Medicis aſtipulantibus, nimirum

(3) Pariſiis Recuſum.

(4) Hæmaſtatique, ou la ſtatique des animaux a Geneve.

(5) In Diſſertatione de Ferreis, multiſque Acubus, anatomica inſpectione in cadavere repertis.

rum Torleſſe, & Pitts, ſectio lateralis inter ſextam, & ſeptimam coſtam, ſurſum aſcendendo, executa fuit, ægra ſuper vivente.

In relatis a Londinenſi viro illud mihi non arridet, digitis nempe intus per artefactum foramen adactis tactos pulmones, tactumque cor ipſum. Sic enim ille: (1) *Quando ſi toccavano le parti ſane, e le parti ulcerate de ſuoi polmoni colla tenta, e colle dita*. Paulo poſt: *Quando voi le toccavi il cuore col dito*, probare volens, pulmones nullius, cor exquiſitiſſimi eſſe ſenſus.

ANIMADVERSIO CRITICA

HÆc prima occaſio eſt, qua digitis alienis contrectatum audio cor perſonæ ſuperſtitis. Horreſco referens. Neque in pectoris vulneribus, aut fiſtulis Chirurgi Itali, quod ſciam, tanti audent. Cor tactum, homo mortuus, idem ſunt. Imo apertos intus lemniſcos, cannulaſque telæ ceratæ, auri, vel plumbi, ita dexteri Profeſſores noſtri aptant, ut intus ultra pleuram protuberare non poſſint, & occaſione inſpirationis pulmones lædere.

Cum clibano vitalis flammæ ludendum non eſt. Sique, occaſione magni vulneris, intercoſtale munimen, fere totum, ſciſſum, diſcerptumque eſſet, vitaque palpitans brevi peritura in corde cerneretur, adhuc exclamarem, & violenter juberem ne cor tangeretur.

INJECTIONES INTRA CAVITATEM PECTORIS

SEquitur: *Quando il liquore mandatole dentro il lato per injezione le venne in bocca &c.* (2)

In pulmonum labe, adapertaque in latere fiſtula, omni diligentia ægri decubitus, ita aptandus, ut pus, humidorum, & gravium lege, facili negotio exeat. Interim naturæ, balſamicis, & vulnerariis opus committendo.

Injectionum effectus in partibus illis cognitu tam facilis non eſt. Pulmones laxi, fortaſſe corroſi, aut tuberculis vel crudis, vel adapertis obſiti, ſenſilis pleura, diaphragma ad convulſiones facillimum, vaſa diloricata, & abraſis læſiſque jam fibellis, ad ſubeundas quaſvis alterationes prona, purulenta ſedimina aut in cyſti collecta, ſed tamen communicantia, aut intra vacuum fluctuantia diverſas adeo indicationes ſuggerunt, diverſa adeo poſtulata, ſibi invicem oppoſita, medenti Chirurgo faciunt, ut viam, qua eundum, non videat. Solum teporis gradum, quo viſcera in ſtatu naturali fruuntur quis inveniet, ad hoc ut liquor injectus nec frigiditate, nec vi oppoſita noceat.

Inſuper ſi tincturæ myrrham balſamicam dicit; ergo ne obſignandæ cellulæ, & vaſorum extremitates, ut puriformes ichores fluere non poſſint? Si ſtagnabunt, en pernicies.

Dictatoria itaque certitudine non agendum de injectionibus ad os uſque aſcendentibus, ac ſi de tuto adhibendo remedio ageretur.

OSSEA DURITIES AORTÆ

OSSEAM aortæ duritiem, quam exponit Cowperus, viderunt multi alii Anatomici.

ASTHMA

CADAVER Aſthmatici diſſectum a D. Cowper in quo vaſorum petrificatio, lapides, & undique ſerum reperta fuere, docet: quo indicationes Medicæ dirigendæ ſint in illius morbi curatione.

LAPIDES VESICÆ, ET RENUM

CAsus a D. Toresby expoſitus magnam lapidum quantitatem, tam in veſica, quam renibus in eodem ſubjecto repertorum, nodum ſolvit, vim, ut Veteres ajebant, lapidificam exiſtere ſolum in uno, vel altero loco. Cum frequenter viderint lapide veſicæ laborantes nunquam de renibus conqueſtos fuiſſe: aſſentior & ipſe, in eodem homine ubique poſſe calculos, lapideſque concreſcere.

MICTIO EXTRANEORUM CORPORUM

CIRCA mictionem corporum extraneorum, puta foliorum petroſelini, pilularum, uvæ, aliarumque rerum, quas Yonge Britannus memorat; mihi in mentem venit, non debere Medicum ægrotis omnia credere vera.

FEBRIS UTILITAS

SURDUS & mutus a nativitate, jamque adoleſcens factus, ob violentam, quam paſſus eſt, febrim, vocem, & auditum acquirens, ſcribente D. Martin (3) oſtendit, & admonet, quæ alibi diximus; nimirum febrim multa pollere, & quaſi dixero frequentius (numero majores ſanantur) non modicam utilitatem ægroto ferenti importare. Hinc emergens indicatio ut non ſtatim antipyrethicis ſuffocetur, ſed ſinatur, ut illa media, conſpurcatus cruor deſpumeſcere poſſit.

OPII QUANTITAS SUMPTA

CIRCA magnam opii quantitatem a Matrona Rovelock ingeſtam, videatur epiſtola celeberrimi Junckeri mihi data, ubi agitur de Germanorum Medicina.

CAN-

(1) Saggio delle Diſſertazioni Filoſofiche &c. in Napoli, pag. 103.

(2) Ibidem pag. 105.

(3) Ibidem 64.

CANTHARIDUM

Internus usus, tanquam diureticum activius præcipue ad pellendas urinas in hydropicis

MULTA mala, doloroſos cruciatus, ipſumque ſanguinis mictum a cantharidum per os exhibitione evenire, non eſt ut recitemus; quia a cordatis viris dictum. At cum timor mortis imminet, & reliqua methodica non juvarunt, anceps remedium pertentandum eſt, & ipſe prudentem dico, qui illud exhibet.

Laudanda propterea Yonge (1) methodus, qui in muliere hydropica quinque cantharidibus, quatuor grana cum dimidio ponderantibus, & camphora, in anatica quantitate, lotii tranſitum feliciter promovit; quin formidata ſymptomata emergerent.

Vehiculum ergo, hoc eſt, potio pro exhibendo remedio alteretur infuſione baccarum juniperi, & ſeminum dauci. Bolus vero componatur ex tribus cantharidibus, & trociſcis de myrrha cnm aliqua conſerva. Ut Philiatri non timeant, & ægrotos ſaluti reſtituere tendant, addimus Auctoris verba (2) tanto magis, quia ultra lotii motum, alios etiam morbos curare poteſt: *Queſta coſa in pervicaci ſoppreſſioni de Lochi, e de Menſtrui, in difficoltà di partorire, e in retentione della ſecondina fà meraviglie.*

EXHIBITARUM CANTHARIDUM DAMNA

SI cantharides exhibitæ nocerent, docet Britannus, ut adhibeatur pulvis Amoos, lapis prunellæ, emulſiones, aqua ſpermatis ranarum.

LUES VENEREA

LUEM veneream antiquis etiam temporibus, licet non illo nomine cognitam, ſæviiſſe, probat Gulielmus Becket, ad cujus diſſertationem (3) examinandam curioſos mittimus.

CAMPHORÆ EFFICACIA IN AFFECTIBUS MANIACIS

EPISTOLA David Kinneir Medici Collegiati Edenburgenſis ad D. Campbell Londinenſem data, pluribus exemplis comprobatur ſumma utilitas camphoræ exhibitæ in maniacis affectibus, ſequenti circiter methodo.

Primum exhibito *vomitivo antimoniato*, deinde *dimidia drachma camphoræ* mane, & veſpere, iteratis, & uſitatis etiam promiſcue pilulis ex *Æthiope, gummi guaiaco, cinnabari, antimonio, & pul. de guttet.*

NERVOSUM GENUS

NOTANDUM inſuper, utilitates ab uſu camphoræ promiſſas eſſe a Scoto Kinneir illis in caſibus, ubi nervorum genus affectum eſt.

IPECACHUANNHA

QUÆ Douglaſs extra ordinem Reginæ Archiater exponit circa diverſas ipecachuannæ ſpecies, ob oculos habere deberent Pharmacopolæ, ceterique, quibus ſalus hominum cordi eſt. Tanto magis, quia ſæpe videmus dyſenterias illo ſpecifico non auſcultantes; quod fortaſſe pendet a majori, vel minori ejuſdem aptitudine. *Bigia* aliis a clariſſimo Auctore præfertur.

SUMMARIUM MEDICINÆ SCOTÆ

Ex actis Edenburgensibus excerptæ

CUM NOTIS.

Catharsis, et vesicans pro curando erysipelate, non adhibenda

CEtte eſpece d'ereſipèle ſe guèrit par les purgatifs, & les vèſicatoires. (4)

NOTÆ.

1. In aere Brixiano potius ſinimus, ut ſtatis diebus, & tempore novem, vel duodecim dierum ſponte evaneſcat eryſipelas, præcipue quando illud præcipuus morbus eſt.

2. Neque in rubente cute, & accenſo ſanguine veſicantia videntur neceſſaria. Hinc primo poſito in Actis remedio primas objectiones aperte canimus (5).

DYSENTERIA

L'Uſage repetè de l' ipècacuanha, des narcotiques, & des purgatifs avec le rhubarbe, & le mercure douſè, qui ſouvent operoient l' effet des emetiques (6).

NOTÆ

1. A temporum conſtitutione, & ab apparatu interno in diverſis ſubjectis diverſa ſurgit dyſenteriæ cauſa, ita ut aliquam viderimus nihil ipecacuannhæ uſui auſcultantem, ac ſi remedium ſpecificum non eſſet.

2. Ad purgantia, & rhabarbarina quod attinet,

(1) Ibidem cap. 9. pag. 70.
(2) In iiſdem Tranſactionibus T. 3 pag. 71.
(3) In fine Tomi tertii.
(4) Eſſais & Obſervations de Medecine. Tome I. pag 36.

(5) Dantur tamen eryſipelata, quæ œdematoſa dicuntur, & per accidens cutis rubet, ſubtus extantibus in copia lymphis, quo caſu propoſitum remedium liceret.
(6) Pag. 38.

tinet, non nimis adhibenda, niſi adſit humorum plenitudo.

3. Mercurius in Italico noſtro ſolo pro curatione iſtius morbi non nimis in uſu eſt. Adſunt tamen homines mercuriales, qui illi omnes virtutes dant, & ut aliquid agant, in uſum ponunt. At ſæpe ſæpius expectationibus deceptis, agit quod vult, ut factum Edenburgenſe demonſtrat excitatæ vomitationis.

PLEURITIS

M*Ais l' application des veſicatoires principalement ſur la partie malade, ſoulagea beaucoup les malades.* (1)

NOTÆ

1. Si eteſiæ flabunt, aut cum ſiriis ardoribus aer caleſcet, ſi temperamentum erit picrocholum, & præcordia exæſtuabunt, ſi in macro corpore ſalia dominabuntur, ſi pleuritis erit eryſipelacea intus, quam graves, & cordati auctores, puta Baglivus, ſiccam dicunt, aptatione propoſiti ſecundum Britannicam, Scotamque methodum veſicantis æger in orci fauces a Medico committente, a Chirurgo exequente amandabitur.

2. In conſtitutionibus plethoricis, cachecticis, fluxionariis, inque catarrhis, & viſcidioribus lymphis dominantibus, autumnali, aut hiberno tempore, & præſertim quando ſputum ob viſciditatem expectorari non poteſt, tunc aptabitur parti affectæ propoſitum veſicans. Vigilando inſuper, ut pleuriticus abſtineat in cibo a rebus pinguibus, & amet refrigerantia. Quod in omnibus inflammationibus plurimum ſuadet ipſe Chous illis verbis. Τὰ λιπαρὰ πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα οὐ ξυμφέρει. οὐ δὲ πρὸς τὰ ἀκάθαρτα, οὐδὲ πρὸς τὰ σηπόμενα, ἀλλὰ πρὸς τὰ φλεγμαίνοντα ξυμφέρει τὰ ψυχρά.

FEBRIS ANGINA

E*Nſuite l' application des veſicatoires, qui ceda aux ſaignèes abondantes, & aux veſicatoires &c.* (2)

NOTÆ

1. Hactenus in omni morbo veſicantia video propoſita. Optandum, ut videant lucem, quæ de illorum abuſu in epiſtola ad nos (3) tranſmiſſa promittit Profeſſor Patavinus emeritus Carolus Franciſcus Cogroſſius.

TINEA IN CAPITE,

MACULÆ RUBEÆ, ET PAPULÆ EXANTHEMATICÆ IN FACIE

L*Es Croutes cepandant comencèrent bientot a tomber, de ſorte que dans l' eſpace de quatre ſemaines ou environ elles furent entièrement diſſipèes.* (4)

NOTÆ

1. Supradictos effectus feliciter ſucceſſiſſe aſſerit Dominus Plummer Medicinæ Profeſſor in Academia Edenburgenſi, uſu cujuſdam remedii Chymice elaborati, & reſultantis ex mercurio, & ſulphure aureo antimonii (5) intus exhibiti, & ptyaliſmum producentis.

2. Hæc res eſt, quæ poteſt contingere; ſique ſalinum ſiphylidis venenum irrequieti metalli energia feliciter depellit, tanto aptius cetera cutis inquinamenta depellere poterit.

3. Nolumus omittere, & ſuadere Philiatros, ut in morbis cutis circumſpecti ſint in internis remediis adminiſtrandis, qui diaphoreticam, ut ajunt, indolem non redoleant. Quandoquidem alias fit quædam reaſumptio, & ad centrales partes humorum inclinatio, quæ niſi ſalivationis curriculum feliciter cedat, fatalis eſſe poteſt.

CANCER

E*T un chancre ſur le prepuce*; pauloque poſt ait, ideſt poſt exhibitum mercurium, promotam ſalivationem, & aptata topica: *Fit diſparoitre le chancre.* (6)

NOTÆ

1. Brixiæ nec antimonio, nec mercurio, multoque minus auro adhibitis, cancri abeunt. Caſum in Scotia natum, a Plummer expoſitum, ipſe non vidi; ſed ſi tanta cum felicitate ſolutus ſublatuſque eſt, pace tua, mi Plumer, & tuarum aſſeclarum, cancer non erat.

2. A ſiphylide in pudendis quædam fungoſæ excreſcentiæ, lividæ, atro circumſtante ſanguine, adnaſcuntur, quæ inæquales, dolorificæ, calloſæ, duriuſculæ, & curationi reluctantes phagedenicam atrabilarem cancri naturam præſeferunt, & tamen non ſunt.

3. Profeſſores, ut ſe jactent, dicunt cancros fuiſſe. Hinc Philiatri decepti mercurium, antimonium intus, extra aptant, & ſperando ægrum jugulant. Utinam veniat tandem in lucem Scriptor, qui dicat errores ſuos. Quoniam ſic diſcemus magis, magiſque erimus circumſpecti. Sed ad alia.

PA-

(1) Ibidem pag. 38.
(2) Ibidem pag. 40.
(3) In Hiſtoriis Morborum pag. 246.
(4) Ibidem pag. 56.

(5) Vide in Britannicis remediorum formulis modum exhibendi.
(6) Ideſt Plummer pag. 58.

PARACENTESIS IN HYDROPICIS

Tirèe perpendiculairement a la ligne blanche, à environ la mème diſtance, ce ſera ſeurement un endroit convenable pour y faire la ponction (1), *en èvacuant toute l' eau dans une ſeule fois, la compreſſion doit ſe faire par degrè, il faut appliquer une emplatre &c.*

NOTÆ

1. Cautellas, ſitumque in hydropicis ſecandum laudamus. Sed aquæ in omnibus non eodem loco colliguntur, vel protuberant, ut lex ſtatui poſſit.

2. Compreſſio vim facit viſceribus omnibus, arteriis, venis, lymphaticis jam eroſis, tactis, vel patulis: quare noxiæ expreſſiones poterunt promoveri.

3. Omnes aquæ extractæ magnum dant vacuum, longam operationem requirunt, & cum illis ſpiritus ipſe exit.

4. Poſt hæc quid quæſo ſperandum eſt, niſi mors magis ſollicita, aut ſyncopes, & lypothimiæ: iterum rediviva hydrope a noviter collectis aquis?

JOANNIS DRUMMOND

Olim Præsidis Collegii Realis Medicorum Edenburgensium

PROPOSITIONES

NULLAS objectiones obtrudimus iis omnibus, quæ ſcripſit celeberrimus Præſes Drummond (2) imo optamus, ut illa non ſolum Philiatri, ſed Practici cujuſcumque nationis cordi ſibi figant, & a docto hoc Scoto diſcere non graventur.

1. Præmiſſis rationibus oppido dignis, & veris, vellet cordatus auctor, in ſtrictiorem limitatum ordinem morborum numerus reduceretur. Ajens: *Ces Liſtes nombreuſes peuvent ètre beaucoup abregèes en rangeant pluſieurs maladies ſous une mème claſſe ou ſous un titre gèneral.*

2. Idque probat exemplo hemorrhagiæ, quæ pluribus nominibus indigitatur, ſed ſemper ex ſoluto ſanguine dependens. Cui ſolo, aut ſaltem præcipue, ſuos Medici debent dirigere conatus.

FEBRES INFLAMMATIONES

En continues, & en intermittentes. L'ophtalmie, l'eſquinancie, la phreneſie, la peripneumonie, la pleureſie &c. ont toutes le meme caractere, & qui ne different entr' elles que par leur ſiege.

(1) Sic loquitur Al. Monro Profeſſor Anatomiæ in Academia Edenburgenſi.
(2) In Actis Edenburgenſibus. Articulo XXV. pag. 235.

NOTÆ

1. Ut tolleretur confuſio, ad claſſem continuarum tantummodo, & intermittentium redactam vellet febrium nomenclaturam. Idemque de inflammationibus ſentit.

2. Jam Hippocrates multoties cecinit; *cauſa eſt eadem, ſed locus differentiam facit.* Reſpectu quippe inflammationum, ubicumque contingant, ſanguis præcipue in culpa eſt: de cetero morbi peculiaris ſitus, peculiarem poſcit remediorum etiam adminiſtrationem

3. Interdum ſpecificorum, qui uni magis quam alteri morbo competunt; ideo multæ diviſiones neceſſariæ ſunt. At modus in rebus.

4. Sequitur, parique ſenſu loquitur de caroſi, cataphora, comate &c. quæ ſemper de apoplexia participant, nec non de anaſarca, hydrocele &c. quæ ſemper de hydrope.

5. Summopere laudandæ tandem ſunt animadverſiones quas vir egregius inſtituit in diverſo ſexu, diverſaque ætate eundem morbum patientibus: ex quo reſultat, ægrotos non eſſe eodem calceo metiendos. Omnia a ſupradicto doctiſſimo viro exarata iterum probo.

HYSTERICA MULIERUM AFFECTIO

La doſe des Anti-hyſteriques les plus forts, tel que l' aſſa foetida, l' huile foetide de corne de cerf &c. melès avec le ſavon. (3)

NOTÆ

1. Ob id ſupradicta adnotavimus, ut animadvertant Philiatri Itali, num documentum celeberrimi Monro ſequendum ſit: uſus ſcilicet ſaponacei remedii in affectionibus hyſtericis mulierum; quod, ut vera fateamur, ad ſæculi genium, & ſecundum rationem eſt.

2. Obſtrepunt quippe Anglicæ præſertim ſcholæ circa ſaponis potentiam ad ſolvendos lapides ipſos; ideo ſi convulſivus muliebris actus pendet ab aliqua re detenta in nervis, ſed præcipue inter uteri, & proximas fibellas hærente, & loco moveri ab aliis remediis neſcia, eſt intra res, quæ poſſunt contingere, ut attenuante, & ſumme penetrativa ſaponis vi diſſolvatur.

3. Tam jejuni ſumus in eo quod proſit, ut ambabus ulnis acceptari doctiſſimi hujus Anatomici remedium debeat, atque in uſum poni. Illud unum animadvertendum inſuper eſt, num hyſterica affectio ſæviat in muliere, quæ concipiebat, & amplius non concipit. Tunc quippe non ſupradictum ſpecificum, ſed venæ inciſio neceſſaria eſt, juxta illud Hippocratis (4): Γυνὴ ἥ τις ἀεικύμων ἐοῦσα πέπαυται κυισκομένη φλεβοτομείσθω δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀπὸ τῶν χειρῶν καὶ σκελέων.

BILIS

(3) Monro, Profeſſor Anatomiæ in Univerſitate Edenburgenſi.
(4) Libro de Superfætatione.

BILIS VOMITUS IN COLICHA

JE *lui conſeillai de boire une chopine d'eau chaude pour l'exciter a vomir, & de repeter cela ſis ou ſept fois.* (1)

NOTÆ

1. Interdum plus obtinetur ſimplici humectante remedio, puroque puto, ut aqua, præcipue calida, quam mille remediorum formulis in gratiam Pharmacopolarum concinnatis.

PARALYSIS DEINDE GANGRÆNA EX FRIGORE

1. DEsuper laudatus Drummond caſum deſcribit juvenculæ poſt latum frigus a paralyſi in cruribus vexatæ, quæ tandem in gangrænam abiit.

2. Modus curationis a Britannicis Medicis, una adſtantibus, Pitcarnio nempe, Meluill, & Monteith Chirurgo, peractæ, parum diſtat ab eo, quo utimur in Italicis noſtris Provinciis, quare majora non congerimus.

3. Duo non mittenda; hoc eſt adhibita fuiſſe mercurialia, martialia, turbyth minerale.

OPHTHALMIA

LEs *collyres aſtringens ne rèuſſirent en aucun temps de la maladie, non pas meme ſur la fin.* (2)

NOTÆ

1. Signanter ſupradictam Scotorum ſententiam adnotare hic voluimus, quia in regionibus fere omnibus, & etiam apud nos, in oculorum morbis facillime Profeſſores tranſeunt ad uſum vitrioli, ſaturni, & reliquorum adſtringentium, quibus & ego interdum vidi ægros in pejus ruere.

2. Remedium adſtringens indicatur quidem a ſolidorum ocularium laxitate, ob quam humores ſtagnant, hinc inflammatio, pupilla dilatata, ulcus &c. Quapropter rationalis reſultat indicatio reſtituendi adſtringente, & quaſi ſtyptica vi fibrarum relaxatarum tonum.

3. Ipſe diſtinguerem, & dogma Scotum cum expoſita ratione, & uſu noſtro ſic conferrem. In morbi principio, & ſtatu, turgentibusque ad partem affectam humoribus, ab admotione adſtringentium abſtinendum cenſerem. Sed purgantibus, venæ ſectionibus, pedumque fomentis, ad inferiora, & longe ab oculo affecto allicerem, ſinendo, ut apertis poris tranſpiratio perſeveret.

4. Natura vero, remediis, & tempore, imminuto morboſorum humorum ad tunicas, corneamque tumultu, paulatim ad corroborantia, quæ de vi adſtringente participent, tranſirem, ut laxatarum partium vigor inſtauretur, quo reſidui humores feliciter exprimuntur.

5. Laudando etiam propoſitiones Scotas circa uſum ſacchareorum, a quibus viſciditas ſummopere attenuatur.

NONNULLA BRITANNORUM IN ALIQUIBUS MORBIS REMEDIA

GUTTÆ ANGLICANÆ PRO CORROBORANDO CORDE, ET CAPITE

PRo magno arcano, præcipue in affectibus capitis, Anglicanæ guttæ ſemper habitæ fuere; donec Carolus ſecundus Magnæ Britanniæ Rex *ſingulare ſecretum* a quodam Chymico coemit, quod in Actis Germaniæ (3) proſtat; ſcilicet ſpiritum ſerici cum oleo cinamomi, aut alio quodam eſſentiali paratum, in obſtructionibus, & ſtagnationibus præſertim adhibitum.

GUTTÆ ANGLICANÆ ANODINÆ

℞. Corticis ſaſſafras, radicis aſari ana ℥ I. ligni aloe ʒ 5. opii electi ʒ III. ſal vol. ſanguinis, & cranii humani ana ʒ 5. diger. B. M. cum ſpiritu vini rectificato ℔. I.

ALIÆ

Pariter Anglicanæ guttæ nihil aliud ſunt, quam ſpiritus extractus ab integro humano capite hominis violenta morte perempti, juvenis, cum capillis, & barba, cui addantur flores capitales in quantitate ſex unciarum. Laudatur in affectibus apopleticis, & epilepticis a viginti ad triginta guttas pro qualibet vice.

ANODINUM REGIS ANGLIÆ

℞. Opii ℥ I. .s. cort. ſambucci, & ſaſſafras ana ℥ .s. conſciſſa contuſa digere cum ſpiritu vini ℔. I. Doſis ſumm. ad 40 guttas.

AQUA EPIDEMICA CONTRA PESTEM COLLEGII LONDINENSIS

Deſtillatio cum vino ex adſtringentibus aromaticis.

MONITUM LONDINENSE

Injungitur Pharmacopæis, ut eliciant de vegetantibus viridibus recentibus, paululum contuſis, eam quantitatem aquæ deſtillatæ, ut ſit ſimilis ponderi adhibitorum vegetabilium.

PRO SISTENDA NARIUM HÆMORRHAGIA

Scriptum reliquit Robertus Boyle (4) muſcum cranii humani in manu retentum ſanguinem reſtringere.

DECO-

(1) Simſon, Medicinæ Profeſſor in Univerſitate Saint André,

(2) Ibidem pag. 353.

(3) De Holoſerico remedio antipileptico &c. pag. 80.

(4) De utilitate Philoſophiæ naturalis part. 2. ſect. 5. cap. 14.

Decoctum amarum
Edimburgensium
pro confortando stomacho

♃ Radicum gentianæ ℈ i, ſummit. cent. mi. flor. chamæmel. ſem. cardui bened. a ʒ i, aquę font. ℥ vi. coq. parum, & cola.

Ischiadis curatio

Aptant lateri affecto oleum formicarum, aut ſcorpionum, ſed additis, & iteratis multis frictionibus, & compreſſionibus.

Pro conciliando Somno

Utuntur balneo pedum, in quo bullierint plantæ ſomniferæ, magiſque id laudant, quam ſumere opiata per os.

Febres intermittentes

Curantur emplaſtro cinnabaris extra applicito.

Pleuritidis curatio

Robertus Boyle (1) proponit triginta circiter guttas in convenienti vehiculo urinæ hominis, vaſis accurate clauſis, in ſtercore equino per ſex hebdomadas fermentato, elicito ſcilicet ſpiritu per fermentationem ſemel, & iterum rectificato.

Anthelminticum

Medici Angli lumbricos, præcipue in pueris, expellere ſatagunt mercurio dulci, & reſina jalappæ.

Diaphoreticum

Spiritum cornucervi adhibent, tanquam infallibile diaphoreticum, & omni ſexta hora propinatum.

Bechicum

In febribus, quando pulmones laborant, tuſſique æger vexatur, aquam adhibent limacum deſtillatam.

Catharsis et Vomitus

Duos contrarios eodem actu motus interdum promovent ſulphure antimonii g. vi. mercurii dulcis ℈ i reſinæ jalappæ g. iiii, zinziberis g. vi. conſerva violarum, facto bolo, & Willis auctor eſt, ſed motus hi violenti, & oppoſiti Italicis ventriculis non conferunt.

(1) Lib. ſect. 5. cap. 5.

Uterini morbi

Purgamenta, enemata acria, & ſtimulantia ſternutamenta, quæ aliquis Anglus Clinicus laudat in hyſtericis mulierum paſſionibus, non nimis ſub noſtro cœlo laudanda veniunt, quia eo magis inordinatum ſpirituum tumultum cient.

Arcanum Plummer
Professoris Edimburgensis
pro curando morbo gallico

♃ Sulph. aurati antimonii, calomel. præ. ana ʒ ii, calomelas in craſſum pulverem redactum lævigetur ſupra marmor per vices; adde ſulphuris antimonii portionem, & diuturno trito fiat pulvis ſubtiliſſimus; dein

♃ Pulv. præcedentis ʒ i. gumm. guajaci ana ʒ iii, reſinæ guajaci ʒ i, balſ. copay. q. ſ. f. maſſa pilularis, in cujus ſingulis drachmis formentur pilulæ xii.

Ulceris ani

Cicatricem tentant Scoti, præcipue referente Douglas, cerato ex lapide calaminari.

Gangrænæ

Poſt ſcarificationes aptant Chirurgi Britanni tincturam myrrhæ, & aloes.

Diabetes

Diabetes curatur theriaca Andromaci ℥ i ſs. conſerva flavedinis aurantii ℥ i, diaſcord. ℥ ſs. zinziberis cond. nucis moſch. cond. ana ʒ iiii, pulv. e chelis can. compoſ. ℥ i ſs. cort. granatorum, rad. angel Hiſpanæ, coralſ. rub. p. & trochiſc. de terra lemnia ana ʒ i, boli Armen. ℈ ii, gumm. Arab. ʒ ſs. cum ſyrupo de roſis ſiccis in electuarium elaboratis,

Febres tertianas
in pauperibus curandi modus

Sydenhamius dat ℈ i ſerpentariæ Virginianæ in ℥ iii vini albi *duabus horis ante paroxyſmum*, ſudoremque ſperat: & ſalutem, quam ab hoc remedio productam dicit, ipſe non promitterem.

Tussis

Epiſpaſticum *poſteriori cervici* applicitum autumant eſſe tuſſientibus profuturum.

GONORRHÆA

Injectiones in urethram ſuſpectas habent nonnulli Britanni; quod rationi conſonum eſt.

CANCER

Cancros curari poſſe medio vitriolo intus ſumpto, & vomitum producente, Boyle auctor eſt.

ASTHMA

Supradictus Scriptor aſthma exhibitione laudani Helmontii, cum ſpiritu ſanguinis humani ſanatum refert.

CALCULUS

Qui pariter calculoſæ affectioni betulæ ſuccum ex ramis tranſverſim cæſis promanantem mederi contendit, & alibi addit non inferioris eſſe efficaciæ millepedes, & perſicariam.

ROSMARINUS

Supra ignem ponitur in cubiculis, ubi degunt phtyſici, ulceribuſque pulmonum laborantes, ne aer ſanis noxius ſit.

SOLUS POTUS

In lapide veſicæ laborantibus ſolum potum fuiſſe utilem dicit D. Thoresby ſcriptor Britannus.

DIURETICUM

Urticæ ſuccus in vino albo, Yonge auctor eſt.

LAXANS

Malvę radix, paſſulæ, & butyrum.

CATARACTA

Cataractam curari poſſe referunt uſu millepedum in vino albo decoctorum, quod etiam in fiſtulis utile dicunt. (1)

AD CONVULSIONES

Eſſentiam cornucervi, ſeu ejuſdem ſpiritum.

AD EPILEPSIAM

Peoniam

AD MORBUM REGIUM

Paronychiam folio rutaceo

AD PERNIONES

Pulverem ſubtilem cydoniorum teſſellatim conciſorum, & exſiccatorum, & ſuper affectam partem aſperſorum.

AD PHTYSIM

Guajacum interdum.

AD GANGRÆNAM

Vini ſpiritum.

AD DOLORES NEPHRITICOS

Daucum, ejuſque ſemen.

AQUAM COSMETICAM MERCURIALEM

Ab Anglis paratam ex mercurio ſublimato ℥ i pulv. & poſito in vaſe ſtanneo, cum aquæ fontanæ ℔ iii per horas XXIIII, deinde per cartam emporeticam col. pro tollendis maculis lenticularibus, ephelidibus, ceteriſque cutaneis inquinamentis, ipſe non adhiberem.

FONTICULUS

Willis, & alii, non in artubus tantum fontanellas infligunt, ſed in pectoris morbis prope homoplatas; abdominis vero, ſuper lienem; in lumbagine, & iſchiade ſuper inguina; in pulmonum vomica ſuper latus.

HEPATIS MORBIS

Aptant emplaſtrum diaſaponis, quod etiam in obſtructionibus aliorum viſcerum, & aliarum concretionum ſub cute enaſcentium utiliter adhiberi poteſt.

ASCITEM

Curare vellent remediis violentioribus, nimirum gumm. gutt. mercurio, tithymalo, hercule Bovii, pilulis lunaribus, ſoldanella, & elaterio. Porro duobus aliis remediis hydropem curare tentant Angli, ideſt vomitoriis, deinde decocto *corticis interioris ſambuci* a ligno deraſi, in ℔ ii aquæ, & lactis ſimul mixtorum ad medietatem remanentium, mane, & ſero.

PER-

(1) De Cataracta videnda ſunt, quæ ſcribit Schenchius Obſerv. I. nimirum, *Inunctione mercuriali Cataractas poſſe diſſolvi*. Id laudarem, præcipue in incipientibus.

PERILLUSTRI ET CELEBERRIMO

VIRO

DOMINO SMITTE

MEDICÆ LONDINENSIS ACADEMIÆ

PRÆSIDI

Franciscus Co: Roncalli Parolinus

S. P. D.

NOn ad Anglicanam tantum, ſed ad totius Orbis Medicam Rempublicam, & bonum natus es, celebratiſſime Præſes; ideo frons tua caperari non debet, ſi remoti homines accedant, ut diſcant; ſique hac epiſtola te impeto, alioquin venerabundus.

Ex quo bonas Artes, & Medicinam in primo limine ſalutavi, ſemper in uſu habui doctiores ſequendos ſeligere, & per quos profecerim, candide fateri. Fulgent ſummopere etiam apud nos tuorum Britannorum documenta, quorum nonnulla regerere, & animadverſionibus augere in præſentiarum ſtudeo, ut regio veſtra in Opere noſtro, cui titulus, Europæ Medicina, ſuum diſtinctum ſortiatur locum.

Præter tamen ea quæ nos commentati ſumus, optarem, (& en noſtræ petitionis argumentum) ut tu, ſi vis, aut potes, ſin minus, collega, vel diſcipulus tuus, me in epiſtola admoneres de præſenti apud Londinenſes Practicæ Medicinæ ſtatu; ſique in ampliſſimum illud Chaos ingredi tædet, ſaltem una vel altera particula mihi per epilogum adumbrata conſtet, circa nonnulla utiliora inventa, v. g. circa uſum chinæchinæ, catharticis mixtæ, quando febres cum obſtructionibus conjunctæ ſunt; circa intercoſtalem, ſeccante ferro, ictum in pleuritide pro puris exitu, quo modo veſter Joannes Wrightius ulcus ipſum pulmonum curatum refert; circa turbith minerale pro curatione hydrophobiæ; nec non proſcriptionem ab officinis tot cordialium, totque antiquorum ſyruporum, pilularumque, quæ Fharmacopolæ in mucidis narthecis nefando uſu aſſervant.

Quando hæc argumenta non arrideant, examinari poſſet Praxeos adminiſtrandæ ritus in *Hiſtoriis* (ſi Londini deſunt, proſtat illarum ſpecimen in Actis Florentiæ 1742 T. III pag. *666*, & Lipſiæ menſis Novembris 1744 pag. *648*) *Morborum* noſtris expoſitus: itaque comparando videretis, num Itala Brixienſis cum Anglica Schola in medendo pari paſſu eat.

Hæc dicebam, ut cogitandi, & reſpondendi occaſionem præberem. De cetero ſatis mihi eſt, & erit, ſi quid, tantillum licet, ſuper re quavis, ad curandos ægros, ad cœlumque tuum ſpectans, mihi in propatulo pones, & jubendo, communiter ſuſceptorum officiorum noſtrorum ſigna tranſmittes. Vale.

Brixiæ Venetorum 5 Auguſti 1745.

I. SILVESTER M. D.

Viro nobilissimo Comiti Roncalli

S. P. D.

UTinam plus eſſet otii, ut ſigillatim tuæ poſſem ſatisfacere petitioni; ſed cum, quod maxime dolet, non contingat, haec tantum addam: libros practicos habemus hic innumeros, ex his novem aut decem optimos eligendos eſſe cenſerem, quibus fretus Praxis Anglica breviter eſſet addiſcenda; labor enim perimprobus eſſet differentias omnes recenſere inter Praxim noſtram, & aliarum Gentium. Quod ad novitates Medicas attinet, ex Tranſactionibus, Regiæ Societatis Londini, & Tentaminibus Medicis Edenburgi prodeuntibus, nova & ſane ſcitu perdigna haurire poteris. Arcanum Dom. Stephens ad ſolvendum calculum ſufficere, nemo hic non ignorat; ſed cum ob quantitatem ſaponis ſit maximum lubricans, attenuans, & deobſtruens, in nephritide calculo, hujuſque generis morbis, conducit; ne vero hujus innoteſceret compoſitio, non ſolum, ut perfecte ignara, multis diſſonantibus, ſed & intentioni & indicationi contrariis oppleverat. Jam patet, in illo nil eſſe ad rem præter teſtas ovorum & ſaponem, quæ ſequenti modo, cum majori ſucceſſu, in illis morbis præſcribuntur. ℞. Teſt. ovor. calcin. ʒ I. *ter die. ſuperbibendo* ℥ VIII. *ſeq.* ℞. *Sapon. alicant.* ℥ II *s. coque ad diſſolutionem in aq. font. . . . ut ſint reſiduæ* ℥ XXIV. *Vale Vir doctiſſime.*

Dabam Londini tertio nonas Januarii 1746.

CLARISSIMO VIRO

J. SILVESTER M. D.

Franciscus Co: Roncalli Parolinus

S. P. D.

EPISTOLAM tuam elapſo januario Londini datam, acceptam, & avidiſſime relectam, inter pretioſos aliorum edendos codices poſui, tamquam pignus novæ, mihique pergratæ, amicitiæ tuæ. Faxint Cœlites, ut illa creſcat eundo.

Interim non modicæ mihi eſſet utilitatis ſcire nomenclaturam illorum decem librorum, ex quibus, ut ais, Anglica praxis præcipue reſultat; poſſet ſiquidem eſſe, ut Venetiis aliquis eorum proſtaret venalis, facili negotio emendus. Atque inſuper ſi abeſſent omnes; nihilo tamen minus epiſtola

ſtola tum ſolo illorum nomine doceret, ne in electione, & ſelectu decipiamur, dum veſtrorum vos aptiores judices eſtis.

Unam rem mihi inſuper cordi eſt, ut explices. Ut diſcerem, opuſque noſtrum optimis documentis ornarem, opera omnia, præſtantiſſimi Veſtri Sydenhamii volutavi. Arriſerunt plurima. Nonnulla non ita. Inter quę aliquam mihi intulit admirationem effatum illud ſuum, dum de pleuritide loquitur, expectorationem eſſe *periculoſiſſimam*, ſanguinis miſſionibus impediendam, & in errore verſare illos, qui *morbum expectorationi eliminandum committunt*. Id interdum evenire poſſe concedimus. Sed propoſitionem ſuam abſolute, univerſalem, quodammodo ſuſpectam aliquis dicet, cum frequenter videamus oppoſitum contingere, & per ſolum ſputum pleuritides bene, multas utiliter, cum excreatu peccantis materiæ, judicari: quod apprime cognoverunt illi omnes, qui tot remedia, pro attenuando, & tuſſi per os exterminando farcimine, quo thoracicum viſcus, pleura, aut intercoſtales latebræ repletæ ſunt, in propatulo poſuerunt. Imo ſancta lex apud nos in viridi obſervantia eſt, ut factis agendis, ſi expectoratio ſuccedit, & cum tuſſi ſputum exit ſanguineum, corruptum, cattarrhale, bulloſum, puriforme, purulentum, blioſum, aut alicujus alterius qualitatis, ſecundum humores peccantes, ſique videmus a natura, morborum medicatrice, illud productum, & mechanica via, & neceſſitate exitum faciliorem dans detento in pleuritico apoſtemate humori, tunc a reliquis magnis, ut cum Homobono Piſoni, Profeſſore Patavino, amico noſtro loquar, artis auxiliis abſtinemus, & pectoralibus tepidiuſculis decoctionibus, & fomentis, magis promovendum curamus. Quod cum e directo ſit contra mentem magni veſtri Hippocratis, per conſequens nolui ſilere. Ceteroquin te certum facio, me ab ipſa natura alieniſſimum a rixis comparatum eſſe, agitantem quæſtiones tantummodo, ut excuſſo cribro, veritas meliori in luce collocetur: quia in caſu noſtro neque climatis diverſitas nodum ſolvit. Propoſitiones ſunt toto cœlo oppoſitæ, & non differunt ſecundum magis & minus.

Duobus aliis illuſtribus viris in Londinenſi urbe commorantibus ſcripſi: nimirum nobili, & ſapienti Domino Smitte (ſcirem libenter nomen ſuum, itemque cognomen num ſit Mitte, aut Smitte) Medicæ Londinenſis Academiæ Præſidi, nec non clariſſimo Ambroſio Godfrey, utpote quia intellexeram, eundem elucubrare opus de Medicatis Aquis, de quibus olim nonnulla diſſerui. Si me a obſequia illis porriges; ſi, num meas acceperint, percontaberis, ſique non ſuaſionem, ſed vim facies, ut mihi ſcribant, me plurimum devincies.

Duo denique facere poſſent, ut amicitia noſtra in primo limine ad neceſſitudinem perveniat. Primum ut cito mihi aliquid jubeas. Secundum ut cogites, & cum nautis, Mercatoribus tractes, quiſnam, in Veneta urbe commercium cum Anglis habens, reciperet varia mea opera tibi dono deſtinata, & mittenda. Omnia ſupradicta expectabuntur; & te diligere non deſinam. Vale

Brixiæ Venetorum 25 Februarii 1746.

VIRO CLARISSIMO

AMBROSIO GODFREY

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

LÆTE intellexi, te nunc elaborare in detegendis Medicatorum Fontium viribus; provincia, quam nos quoque olim adornabamus, quando tractatum de Brixianis, & Coldonenſibus Aquis edidimus. Non abs re ergo mihi viſum eſt, ut qui ad eundem finem ſua ſtudia dirigebant, communi etiam amicitiæ vinculo jungerentur. Id igitur ut contingat, hunc novum etiam hominem pone inter tuos; ſique, quod per accidens faciebamus, conſulto, & data opera vis proſequi, mone me brevi in epiſtola de aliquo remedio, aut cogitato, quo nuperis his temporibus Anglici Medici humanam valetudinem in perpendiculum reſtituunt. Eodem ditabitur proxima editio mea, ad plures pertinens, ideoque & ad Britanniam, provincias. Una & in hoc agamus. Ipſe, Orbis totus plurimum tibi debebimus. Vale, redama, ſatisfac votis meis.

Brixiæ Venetorum 25 Novembris 1745.

ILLUSTRISSIMO ET CELEBERRIMO DOMINO

JOHANNI CHRISTOPHORO RIEGER

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

LIBRORUM tibi directorum ſarcinula, cum ſigno I. R. involucro cerato rubeo cooperta, & ab expenſis libera, tranſmiſſa fuit uſque ad Clavennam, ibique recepta ab Joanne Baptiſta Peſtaloza qu. Bartholomei, jam Genevam in Goſſe manus pervenerit; tu igitur age reliqua, ut tandem aliquando habeas leve quidem, ſed nunquam interiturum, meæ obſervantiæ teſtimonium.

Gratias ago de epiſtola tua, tam ſcite, tam docte de Medicina Ruthenorum, & Hollandorum agente. Suo apte loco in Opere ponetur, & videbunt exteræ gentes comitatem tuam in me, obſe-

quium meum in te, videbunt, & diſcendo fateri cogentur, qualem quantumque Virum foveat Batava Terra in ſinu ſuo. Tam intime cognoviſti, & aſſecutus es mentem meam circa argumentum, quod nunc elucubro, ut perbelle deſumitur etiam ab adiunctis ad fines epiſtolæ tuæ notis, lumen peculiaris alicujus regionis Medicinæ indicantibus, ut, cum mihi deſit reſponſoria Epiſtolaris Diſſertatio a Britannia, quaſi auderem tibi ſupplices meas precationes porrigere, ut a Londino, aut ab aliqua alia urbe, ubi bonæ artes, & nobiles diſciplinæ florent, eandem mihi directam, promoveres. Quod ſi facies, oh me! oh Editionem terque, quaterque beatam!

Sin vero illic tibi deeſt commercium, mutuaque officiorum viciſſitudo, per amicum id poſſes ſollicitare, aut videre num in Hollandia, ſcilicet Amſtelodami, Lugduni Batavorum, Hagæque Comitum tuæ eſſet aliquis Literatus, nonque in Phyſicis hoſpes, qui in Inſulis Britannicis ad aliquod tempus fuerit commoratus, deque illis rebus edoctus noſtro deſiderio ſatisfacere valeret, & ab illis regionibus epiſtola prodiret; cum inſtituti noſtri ratio poſtulet, ut a Regiis præcipue urbibus, & ſcientiarum ſedibus aliquid præſentis Medicinæ ſpecimen veniat pro decoranda Editione. Expectabo igitur, & tutus de favore tuo ab aliis id obtinendi modis, mihi alioquin, ut vera fatear difficillimis, abſtinebo.

Hiſce diebus exeunt a typis Brixianis duo opuſcula, quæ libenter tibi dono tranſmitterem. Primum eſt P. Anſaldi, Ordinis Prædicatorum, agens de Forenſi Judæorum Buccina, Argumentum perdifficile, & ſummo mentis acumine pertractatum, vertens Gallum in Præconem Buccinantem. Nullam aliam habet liber ille imperfectionem, niſi quod nobis dicatus eſt. Secundum exhibet collectionem trium Epiſtolarum olim celeberrimi Abbatis Dominici Lazarini Profeſſoris Patavini, quibus probatur, verſus

Flavus quam molli percurrit flumine mella,
Brixia, Veronæ mater amata meæ,

Catulli fuiſſe. Utque omnia magis conſtent, & illuſtrentur, Julius Baitellus, Vir plenæ eruditionis, nobilis Brixianus elucubravit, notas addidit, & Eminentiſſimo Cardinali Quirino nuncupata bono in lumine collocavit. Optarem ergo, ut mare, licet infidum, amicitiæ tamen inceptæ favere poſſet: optarem, ut medio aliquo Mercatore Hollando, aut nauta commercium aliquod in Veneta urbe, dominaque noſtra, ſtatueres, & ibi mihi indicares bibliopolam, aut aliquam alteram perſonam, cui tradam tibi mittenda.

At vela jam contraho, mea officia confirmo, & de tua neceſſitudine maximopere mihi complaceo. Vale.

Brixiæ 22 Septembris 1745.

Illuſtriſſimo, & celeberrimo Domino

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

S. P. D.

JO. CHR. RIEGER

Gratum mihi fuit admodum legere in literis tuis 22 Septembris ſcriptis, Tibi ultimas meas de Ruthenorum Medicina haud diſplicuiſſe. Nimium vero mihi tribuis, quum me tanti æſtimas, ut etiam doctorem autumes idoneum in argumento, quod elucubras. Feci, quod juſſeras, proferendo quæ poteram. Et quoniam optas reſcire quoque, quæ Anglorum Clinicis in exercitio artis ſunt propria, en, quæ ante 20 hoſce annos Londini per bimeſtre ſpatium diſcere potui. Medicus accerſitus ad ægrotum, præſcribit, quæ judicat neceſſaria per morbi decurſum agenda: præſcriptiones iſtæ traduntur pharmacopeo, qui non modo medicamenta miniſtrat, ſed etiam curat, ut ex Medici juſſu agantur reliqua, eouſque, ut vel ſanitati ſit reſtitutus æger, vel, ſi ſecus accidat, ut accerſito rurſus tunc demum Medico referat acta, & obſervata: atque ſic ſtadium ſecundum ſimile priori incipit, & ita porro. Qui ægroti non exiſtimant neceſſariam præſentiam medentis, ut parcant pecuniæ, quam liberaliter inviſitantem erogare jubet receptus mos, mittunt illum conſultum in taberna a Cafe potu nomen habente; nam quilibet clinicorum certa diei hora in conſueto ſibi loco expectat conſilia rogantes, levi ita negotio diteſcunt illi. Principiis tantum non omnes mechanicis imbuti M. Britanniæ Medici, in morbis acutis agunt, quod oportet. Inter Juniores maxima pars Boerhaavii ſequitur placita, quem docentem audiverunt multi. In chronicis haud cuncti eadem incedunt via; ut aſſolet, aliis alia in frequenti habentibus uſu auxilia, martialia, diætam lacteam, corticem Perv. ſeu Jeſuiticum, aquas minerales, venæ ſectiones, purgantia: quibus cum nonnulli ad omnes caſus adplicandis ſtudeant, facetus Scriptor Anglus, celebris Medicus, Gideon Harvey, *in libello, quem vernacula lingua appellat* The Conclave of Phyſicians, *& qui latinitate donatus extat in Georgii Ern. Stahlii libro, cui titulum fecit* Ars ſanandi cum expectatione. Paris: & Francof. 1730. 8., *eos ſalutat Doctores ferreos, aſinarios, Jeſuiticos, aquarios, lanios, ſtercorarios. Meretur legi auctor; qui exagitat etiam populares ſuos in* de Febribus tractatu theoretico, & practico præcipue, Lond. 1672. 8. *edito. Si jam ille ſcriberet, Catalogo ſuo adderet forte mercuriatos, & picatos. Nam ante paucos admodum annos memini me legiſſe, audiviſſe etiam ab iis, qui Londino veniebant, mercurium currentem a multis ibi commendatum, & quotidie deglutitum fuiſſe adverſus multos morbos cum curative, tum præſervative. Sed jam in deſuetudinem abiit hoc remedii genus. Hodie polychreſta Britannorum medicina*

dicina eſt aqua piſſelai, h. e. aqua ſimplex frigida, quæ aliquandiu infuſa ſtetit cum pice liquida, qua nautæ funes ſuos oblinunt. Venditur potus iſte Londini in Caſepoliis, & impenſe laudatur ad ſanandos varios affectus corporis, inveteratos etiam & aliis remediis non cedentes. Reſolvens credo haud contemnendum, nec tamen debilitans, aut laxans. Sunt hic Hagæ nonnulli, qui in reſpiratione difficili [forte ab infarctis vaſis pulmonalibus], qui in doloribus alicubi in corpore fixis [forſitan a concepto frigore, conſtringente] potus hujus efficaciam, propria adducentes experimenta, impenſe celebrant. Bibi ipſe ſanus præterita ſeptimana, matutinis horis, cyathum ſeu ℥ I. s. circiter, & eo die ſenſi appetentiam cibi ſolito longe majorem: aſt abominor ſaporem, qui ultra biduum me vexavit. Primus experimenta fecit Epiſcopus Hibernus, Berſeley, cum Eccleſiaſtæ munere fungeretur in Anglorum coloniis Americanis, & evulgavit idiomate Anglicano. Liber in Gallicam linguam converſus prodiit cum hac inſcript: Recherches ſur les vertus de l'eau de Goudron, traduit de l'Anglois du D. George Berkeley, Eveque de Cloyne. Amſterd. 1745. 12. Taceo remedium lithontripticum a Joanna Stephens in Anglia nuper, auctoritate Regia, publici juris factum, ac Pariſiis nomine Academiæ Scientiarum per varia experimenta examinatum. Haud enim illud te latere poſſe exiſtimo; extant quippe de illo typis excuſa Anglice, & Gallice, breviſſime autem latina lingua Lugd. Bat. 1741. 8. evulgatum h. t. De Lithontriptico a Joanna Stephens nuper invento Diſſertatio epiſtolaris, auctore Davide Hartley. Novi Lugduni Batav. degentem virum ſexagenarium, qui, a multis retro annis doloribus nephriticis cum calculo obnoxius, efficaciam ſenſit maxime ſalutarem a dicto remedio præterlapſa hieme uſurpato, quod ex conſilio Medici Leidenſis van Hoieten [qui jam Archiater in aula Cæſarea Viennenſi viget] Londino mitti ſibi curavit magno pretio. Sunt pilulæ, quarum baſin conſtituere videntur teſtæ ovorum calcinatæ, & ſapo Alicanticus, ſive Venetus. Doſi deglutiuntur quotidie magna, effectum ſenſibilem edunt magis per alvum, quam per urinæ vias, appetitum ſtomachi ſimul inſtaurantes. De inoculatione variolarum noviſti quantos progreſſus fecerint inter Anglos ejus experimenta, ut etiam ad infantes Regios penetraverint. Hodie tamen amplius tantum de illa non exauditur. Num in multos annos duratura ſit fama duorum noviſſimorum medicamentorum, Stephenſiani, & Berkelegani, tempus docebit. Videtur certe natio illa præceps ingenio in mutationes, & popularis auræ gaudere indole. Memini, cum eſſem Londini, & adhuc dum lego, interdum in novis publicis ibi vulgatis, qualibet ſeptimana nova prædicari polychreſta; imo vix dies abit, quo non aliquod recens inventum medicamentum annunciatur. De morbis M. Britanniæ propriis, endemiis vulgo dictis, non opinor te a me expectare, ut multis ſcribam tibi, qui fontes, unde haurirem, procul dubio noviſti & plures, & meliores. Conſumtionem, ut vocant, ſeu phthiſin pulmonalem, a fumo lithantracum arceſcunt multi, quare, diſpoſitos quos credunt ad affectum hunc, ablegant trans mare, Avenionem plerumque, vel Monſpelium. Non negaverim, aeris mutationem ſalutarem eſſe morbo pulmonum laborantibus, qui reſpirant illum aerem, fumis repletiſſimum, qualis eſt urbis populoſiſſimæ, Londini. Oportet enim, ut, irritando fibras bronchiorum, tonum vaſculorum exilium æquabilem tollat, atque ſic στάσεις adaugeat, in viſcere pulmonico nunquam non pertimeſcendas; in Anglis præſertim, qui gulæ dediti vivunt fere carnibus ſucculentiſſimis, pinguibus, delectantur potibus calefacientibus, & aquæ calidæ, nec non ſaccharatis: unde, a vaſis juſto repletioribus, proclivitas congeſtionum ſanguinearum in pulmonibus, & hinc mala conſumtionis dictæ ex ſuccorum dulcium abundantia, ſi accedat ignavia, membrorumve torpor [familiare in omnium rerum affluentia conceptorum, natorum, educatorum, vitium], fertilem concipio ſegetem ad producendos morbos a laxa, & debili corporis conditione pendentes; qualis non modo ſymbolam ſuam confert ad phthiſin illam, ſed & ad alterum, in Anglia natum, puerorum morbum, qui dicitur Rachitis. Videntur mihi jam bene conſulere natis ſuis Londinenſes, qui parvulos ſtatim rus mittunt educandos per aliquot annos, ut nempe 1. lac hauriant nutricum victu agreſti, non opiparo, debilitante, utentium; 2. aerem reſpirent puriorem. Ex dictis rationem etiam capio, cur adſtringentia, amara decocta ex herbis amaris, frequenti in uſu Medico fuit in ea regione; ut nimirum laxa, & debilis temperies ſtimulante, roborante, virtute corrigatur. Veram hinc judico obſervationem, quam olim accepi a Boerhaavio, corpora Anglorum a febribus nunquam fere ſanari poſſe ſine adhibito cortice Peruviano. Addam, bonitate tua fretus, ſi forte placeat, de Gallorum Medicina, juxta Comicum Molliere, Seignare, clyſterium donare &c. quod Jac. Vanierius [in prædio ruſtico, Toloſ. 1731. 2. p. 44.] canit

----- & quanquam Medicus nihil amplius addat,
Poſt ſectas ferro venas, fuſumque cruorem,
Imaque malvarum miſſos in viſcera ſuccos,
Et contra varios, eadem data pharmaca morbos.

De Neapolitanorum Medicina, quæ ſcripſit Th. Bartholinus [cent. 1. epiſt. 49.] eademque in de Peregrinatione Medica, Hafniæ 1674. 4. p. 27. ſq. tuum erit videre num hodienum obtineant. De Hiſpanis nonnulla annotavit Homob. Piſo in meth. med. Patav. 1726. 4. p. 100. ſq. De morbis certis regionibus, & populis peculiaribus eſt docta Diſſ. Fr. Hoffmanni, in Operibus ejus Lugduni nuper editis quærenda. Hoc tantum addere volui, ut, ſi forte de regionum ſingularum morbis endemiis etiam tractare in Opere tuo volupe ſit, animum tibi monſtrarem deditum. Optarem ſane, eſſet aliquis, qui abundaret alio, ut de morbis gentium extra Europam, earumque remediis commentari ſibi ſumere poſſet [quod opus haud parum foeneraret univerſæ Medicinæ practicæ], fontes

tes, unde hauriri poſſet in adverſariis, mihi notatos lubentiſſime indicarem. Mihi certe non vacat eſſe in talibus laborioſo, cui curis prementibus aliis diſtento nequidem de continuanda Introductione mea cogitare licet. Bibliopolæ hic loci carent nervo rerum gerendarum, cum ex propria culpa, tum per calamitoſa tempora, & quum ſolvendo non ſint, eorum adverſa fortuna & me perculit quamgraviſſime. Inauſpicato enim matrimonium contraxi ante aliquot annos cum optimæ indolis virgine filia Bibliopolæ Hagani, ſorore Henrici Alb. Goſſe Genevenſis, quæ puerpera diem ſuum obiit ante 15. menſes: frater vero ejus alter hic habitans ſtipulatam pecuniæ mutuo datæ uſuram mihi numerare negat; quare jure contra ipſum agere coactus ſum. Hæc adtuli, ut intelligeres, cur in Epiſtola mea ante octiduum circiter rogarim Te, repeti juberes faſciculum librorum bibliopolæ Geneveſi, tradique in manus Domini Baulacre (A Monſieur Baulacre, Bibliothecaire de l' Academie de Geneve, pour Monſieur Marchant à la Haye.) *O me beatum! Si pro 51000. florenis Holland. pro quibus mihi, poſt Pelliſſarim, oppigneratum eſt bibliopolium Genevenſe, numeratam haberem ſummam 30000. animum tunc vacuum ab omni moleſtia, ad labores literatos adferrem, ſed tempori, multorum malorum medelæ, hæc relinquenda.*

Gratias ago pro iterata teſtificatione benevoli tui erga me animi. Spero fore, ut inveniam hic bibliopolam, qui mihi indicaturus eſt alium Venetiis degentem, cui tradi poſſint mihi mittenda, & ad quem mittantur Tibi deſtinata. Crede me totum Tuum, & vale.

Dabam Hagæ Comitum 13. Octobris 1745.

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO NICHOUS

In Academia Oxonienſi Publico Profeſſori

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

S. P. D.

Opus quod elucubraſti, utpote Anatomica præcepta in ſuccum reducens, multaſque alias doctrinas optima methodo exponens, non ſolum Philiatris Britannicis tuis utile, verum etiam univerſæ Medicæ reipublicæ ſummopere acceptum futurum eſt. Immenſa ſiquidem librorum farragine dives nunc Ars noſtra, bonum cum malo mixtum ſecum habet, ob inextricabiles difficultates, quæ a tam diverſa, & multiplici Scriptorum idea, legentes potius confundente, quam erudiente, progerminant. Idcirco nihil laudabilius excogitari poteſt, præſertim ab illis, qui togati in Archilyceis docent, niſi ut via ad diſcendum brevior, quantum fieri poteſt, reddatur: ipſeque ſummopere laudabo, ut veſtigiis tuis inhæreant etiam alii docti viri, ideoque in qualibet Medicinæ parte ſua exiſtant compendia, quæ affabre in epilogum redacta, etiam penes ſe, juventus præcipue, geſtare poſſit.

Nos in præſens incumbimus aliis rebus, quas Tibi morem gerentes, nota facere hiſce noſtris voluimus, ut ſi vis, eaſdem locupletare poſſis.

De Medicina multarum provinciarum nunc ſcribo, ut variis in medendo uſibus viciſſim collatis, & aliqua animadverſione adauctis, emineat quod imitandum, & ſeligendum ſit. Ab Anglis etiam tuis in qualibet nobili diſciplina optime adeo meritis aliqua excerpſi, futuramque editionem ditavi. Reliquum eſt, ut Tu etiam me moneas, aut circa gloriam, & ſtudium præſertim tuæ Oxonienſis Acedemiæ, & illuſtrium inibi in Philoſophicis, & Medicis ſcientiis Profeſſorum, aut circa aliquod magis uſitatum remedium. Vale.

Brixiæ Venetorum 10. Februarii 1746.

REMEDIORUM EPILOGUS ALTER.

Diabetes

Pro curatione diabetis præſcribunt Medici Angli antimonii tincturam, ſuccini ſal, crocum martis, diaſcordeon, conſervam florum nympheæ, opiata, decoctiones cum ſummitatibus cupreſſi.

Diaphoretica

Utuntur ſpiritu theriacali camphorato, tanquam peculiari ſudorifero, atque etiam radice petaſitidos, mithridatio, ſaponaceis, junipero, buxo, cortice mediano fraxini, opobalſamo, ſale viperino, ſpiritu fuliginis.

Pericarpia

In febribus intermittentibus duo ſpecifica aptant, carpis manuum Angli; primum ex terebynth. Veneta, & olibano ana mixtis, & ſuper alutam extenſis; alterum ex chelidonia majori, rutha, fuligine e lignis combuſtis, ſapone Veneto, ſale marino, cum aceto acerrimo in maſſam converſis, quæ quidem etiam apud nos, ut aliquid vel Medici, vel adſtantes agere videantur, uſuveniunt, ſed ſpe ſemper fraudata.

Flo-

Flores Chamæmeli

Eliſa Coysh Medicus Britannus celeberrimus *ſincero animo* confeſſus eſt, floribus chamæmeli in pulverem redactis multas debellaſſe febres ex intermittentium genere, quæ ipſi cortici Peruviano non ceſſerant. Eoſdem, ſuaſu etiam Magni Baglivi, Brixienſes propinati ſunt, atque etiam a me multoties, ſed fruſtra.

Laudanum, et Cortex Peruvianus

Frequenter in Britannorum ſcriptis vidi propoſitum, & adhibitum Peruvianum corticem opio mixtum, qui uſus accipi etiam a nobis poteſt, atque in uſum ſine metu demandari, hac tamen interpoſita differentia, ut cortex abundet, opium deficiat.

Emeticum usuale

♃ Aquæ cardui benedicti ℥ ii inf. croc. metallorum ℥ i, ſyrupi caryophill. ℥ ſs. m.

Vino, et Laudano in Podagra

Adhibitis, celeberrimum Sydenhamium convaluiſſe proprio ore confeſſus eſt; verum hæc ſors non ita facili negotio aliis promittenda.

Ad Hæmorrhagiam sistendam

Jaſpidem femori alligant.

Aphtas

In ore tollunt ſucco pomorum agreſtium cum ſyrupo de ruboidæo mixtorum.

Syrupus de Meconio

♃ Capitum papaveris albi bene ſiccatorum, & poſt macerationem in aquæ fontis ℔ iv. ad horas xxiv. probe coctorum ℥ vii, facta expreſſione, addatur ſaccharum q. ſ. f. ſyrupus, qui hic parum diverſus proſtat in officinis ſub nomine ſyrupi papaveris albi.

Reliqua Remedia

Et bene multa qui ſcire cupit, videat libellum Caroli Claromontii, cui titulus: De Aere, Solo, & Aquis Angliæ, & de Morbis Anglorum, &c.

In Actis vero Lipſienſibus *1697.* auctore Cockburt, quæ in navigantibus adhiberi debeant.

Lexicon Chymicum Gulielmi Johnſonii, Mercuriumque Botanicum Thomæ pariter Johnſonii, qui etiam de Thermis Bathonicis tractatum edidit.

Myſteria opii revelata a Joanne Jone, Exercitationem de fontibus medicatis Angliæ Martini Liſter, Catalogum Plantarum Joannis Raii; Theophili de Garanciers *Flagellum Angliæ, ſeu Tabem Anglicam numeris omnibus abſolutam*; Franciſci Gliſſonii Tractatum de Rachitide; Loimologium, ſeu Relationem hiſtoricam peſtis Londinenſis ſcriptam a Nathanael Hodges.

Cetera tandem proſtabunt in Pharmacopea Londinenſi, *in qua medicamenta antiqua, & nova uſitatiſſima acutiſſime examinantur; Opera Medicorum Collegii Londinenſis ex Sereniſſimi Regis mandato*, *1619.* atque etiam in altera *Collegii Realis Londini*, typis Joh. Martin *1678.* cuſa. necnon in Theatro Chemico Britannico Eliæ Haſchmole.

DANIÆ

DANIÆ

SITUS, GRADUS LATITUDINIS SEPTENTRIONALIS, CLIMA, ET ACADEMIÆ.

DANIÆ Regnum a 54 ad 58 gradus circiter latitudinis ſeptentrionalis extenditur: habetque ad auſtrum Germaniam verſus Holſatiam, ſed in aliis confiniis circumhumectatur a mari Germanico, & Baltico. Totum olim conſtabat tribus partibus, nempe Cimbrica Cherſoneſo, Inſulis, & Scania; ſed bella, varii caſus, & temporum viciſſitudines terminos, ſtatuſque mutarunt: in poteſtatem Svecorum olim diſtractis Scania, Blekingia, & Hallandia. Parente vero Daniæ Regi Norvegia, Islandia, & Schetlandicis inſulis, necnon ora littorali Groenlandiæ.

Regionis conſtitutio, cum magis ſeptentrionalis ſit, quam ipſa Germania, facile eſt colligere eſſe clima aliquatenus frigidum. Nihilotamen minus, quamvis magna abſint flumina (1), tamen fertilis, & rigua eſt; atque abundant inibi terræ proventus, pro populorum commodis, & victu. Solum interdum deeſt ſal, & ... , a Portugallia per Hollandas præcipue naves advectum. Ad piſcium (2) vero frequentiam, & multitudinem quod ſpectat, nulli maritimæ regioni cedit. Hinc optime de Dania notat Thomas Bartholinus (3): *Solis benigno tepore terra noſtra calet, & nive hiberna, rore illo cœleſti, commiſſa illi ſemina matureſcunt.*

HAPHNIA

TOTIUS REGNI METROPOLIS, ET BONARUM ARTIUM SEDES

IN ſubditis inſulis, & urbibus ſcientiæ, & nobiles diſciplinæ non nimis excultæ ſunt. Archilycæum quaſi dixero ſolum, & primarium in regia urbe, Haphnia, vulgo Koppenagen, in inſula Selandia inſtructum eſt, tempore uſque Chriſtiani III. Regis Daniæ, opera, & conſilio ſummi Archiatri Petri Albertii, *qui bis ſupremum in Academia Magiſtratum geſſit.* Lyceum tamen, non multis ab hinc annis ſuos habuit manes; quandoquidem fatali incendio in cineres abiit, una cum nobiliori magiſque culta, & magnifica urbis parte, cum templis primariis, & bibliotheca majore Academiæ, ubi aderant turris aſtronomica, variaque inſtrumenta, tubi, machinæ, cum librorum, & codicum farragine, ut fuſe exponit Georgius Franciſcus de Frankenau (4).

Quibus præjudiciis acceſſit, etiam ad rem noſtram, non modica calamitas: quod nempe eodem actu perierint ſingulares tabulæ anatomicæ, ſpecula, anthliæ, vitra, omniaque ad Philoſophiam experimentalem neceſſaria; quibus Minervæ conſecratura juvenum manus quotannis oportunis documentis inſtruebatur.

NONNULLI MEDICI

MEDICINAM Danam illuſtrarunt Georgius Fuiren (5), Joachinus Burſerus (6), Simon Pauli (7), Petrus Severinus (8), Aſſuerus Payngk, & Olaus Borrichius ambo utiliter Chymiæ addicti, Henricus Smidius, Nicholaus Michaelius, & Wilhelmus Trelund, qui *decoctum evulgavit, cruento ventris fluxui oppoſitum*, Henricus a Moinichen, Michael Liſerus, Martinus Bogdanus, Georgius Segerias, Nicholaus Stenoninus, Jacobus Bordingius, Petrus Capitaneus, & Joannes Franciſcus, qui ambo in Academia Haphnienſi floruerunt. Proſtant & alii non pauci, ut colligi poteſt ab Actis Haphnienſibus, a quibus ulterius multæ res ad Phyſicam, ad Practicos uſus, ad Matheſim ſpectantes enucleantur, non omiſſis Botanices, & Therapeæ auxiliis, ut oſtendit Tractatus de Pharmacopæa Danica, nec non Enchiridium in Medicina de uſu plantarum indigenarum.

E THO-

(1) Eider fluminis nomen meretur. Reliqua parva ſunt.
(2) De illis etiam, ſignanter ad rem Medicam, quod ſpectat; Schonveldius egit.
(3) Pag. 7.
(4) Epiſtola de Incendio fatali nupero urbis Haphnienſis.
(5) Celebris Botanicus.
(6) Scripſit de Plantis in Dania naſcentibus.
(7) Anatomen præcipue, & Botanicam profeſſus eſt.
(8) Qui, ut ait Bartholinus; *Paracelſi infantiam* virili habitu ornavit.

THOMÆ BARTHOLINI

Celeberrimi in Danico cœlo Scriptoris

PROPOSITIONES LAUDANDÆ

PRIMA

NEmpe: *In prandio, & cœna, humida prius eſſe adigenda*, & etiam ſi fieri poteſt, refrigerantia, Gallorum & Italorum conſilio; qui lactucas, betas, & hujus farinæ herbas immiſcent.

SECUNDA

L*Ac Iſchiadicis utile*. Plinio (1), Celſo, Hippocrate præeuntibus, *Aſininum lac coctum*, multum conferre poſſe Iſchiadicis confirmamus, præcipue ſi ſervabitur lex, quæ ſtat in eo: *Coctum*.

TERTIA

S*Atietas & longa ſeſſio* ſuſpecta. Recte Danus invehit in Magnates, ceteroſque, qui cibis ventriculum implent, & a motu abſtinent.

QUARTA

P*Iſces carnibus non miſcendi*. In hoc quoque aſtipulor; quia diverſa actio diverſos caloris gradus, & motus efficit. Hinc major lucta, & concoctionis difficilior executio.

PROPOSITIONES REPROBANDÆ

PRIMA

THomas Bartholinus hæc habet: (2) *Dominicus dies, martis, & jovis, patina offertur, referta carnibus ſalitis, fumoque induratis, cum farciminibus, & bovum linguis*. Deinde, *quaſi perpetuum ferculum inter alias epulas quotidie proſtet, ut illo portando vix unus miniſter par ſit*. Tandem: *Recentem carnem calidioribus quidem in Gallia, Italia, Hiſpania utilitatem concedo; at nobis ſalita præſtantior eſt, cachochimia, ſcorbuto, hypochondriaco affectu torpentibus, quippe a putredine nos conſervat, apetitum languentem excitat, & hypochondria obſtructione liberat*.

Sicco pede præterire non poſſum illa verba: *At nobis ſalita præſtantior eſt*. Quandoquidem multa bona in animatis corporibus poſſe a ſale fieri admittendum eſt. At modus in rebus; præſertim in cibis. Profecto poſtquam Danicarum epularum luxuriam incomparabilis alioquin Scriptor ampulloſo adeo exceſſu amplificavit; non video quomodo collecta in venis ſalina amurca, & muriatica colluvies, a producendis mille damnis, & humanæ valetudinis præjudiciis, poſſit tuto calamo abſolvi. Imo ſi mentem meam libere aperire debeo, illius potius ſum voti, ut credam, proclivitatem, quam habent Dani ad affectiones ſcorbuticas, ut paſſim videmus maritimis in locis dominantes, ſignanter a continuo æſu ſalſuginoſi illius cibi pendere. De quo tamen fuſius ſuo loco loquemur.

SECUNDA

PIſcium immenſa quantitas pro Danorum palato proſtat, adeo ut, *pro ſingulis hebdomadis vario piſcium genere menſas ſuas inſtruere poſſint*. De quibus videndus Stephanus a Schinevelde.

Hinc manant tria abſurda. Unum: *Piſcium* (3) *alimentum hominibus ægrotis eſſe commodiſſimum*. Alterum: *Sed & ægri conſuetis hiſce cibis innoxie fruuntur*. Denique: *Quibus dotibus prædita ſalſamenta ſcorbuticis noſtris corporibus mille beneficia præſtant*.

Quæ omnia, & ſingula nunquam a nobis in operibus aliorum Scriptorum viſa, potiuſque ab amore in Danicam regionem, illiuſque fructus profecta, non eſt, cur ad examen revocemus, illiſque aliquid, aut multa, quæ abundarent, reponamus.

TERTIA

D*Olores vagi ſcorbuticorum allio diſſipantur, ſi illius ſuccu artus fricentur*. Dolores fere ſemper promoventur ab acri quod vellicat, atque ab irrequietis effluviis, & particulis, quæ nerveas propagines feriunt; hinc ſi viſum ſolummodo, aut tactum allium, naſi, palatinaſque glandulas adeo afficit, ut convellantur, & quaſi doleant; neſcio quomodo ceteros dolores poterit moderari, niſi dicere, & ſperare velimus clavum clavum trudere; adhærentiaque ſcorbutici tabi ſemina, in interſtitiis muſculorum latitantia, a mordenti, & vellicanti aromatico ſpiritu, poros cutis ſubeunte, diſſipari; taliterque coerceri, aut hebetari, & infringi, ut hinc doloris ſenſus efficere non poſſint. Facta conſulenda erunt.

QUARTA

PRo curatione dyſenteriæ: *Nucem moſchatam tritam aſſumendam*. Philiatri in exequendo hoc dogmate contremiſcant.

CE-

(1) Lib. 28. cap. 9.
(2) Diſſertatione VI. de victu Danorum domeſtico.
(3) In tanta exiſtimatione ſuos piſces habent Dani, ut inter dona a Chriſtiano Primo Rege Daniæ Sixto Quarto Pontifici oblata, poſitus fuerit Aſellus ſiccus, Halex, & Muſtela alba. Primus ſcilicet ex Dania, ſecundus ex Svecia, tertius ex Norvegia.

CEREVISIA

A Danis omnibus cereviſiæ ſumma laus datur, ſique deſunt Lupuli, pro illa efficienda, adhibent abſynthium, marrubium, chamæleaguum. Imo inſuper habent ſuas cereviſias medicatas, ut Itali nonnulli faciunt ſucculatam. Nempe cereviſiam adhibent *enulatam* contra peſtem, *ſalviatam* pro ſtomacho, *meliſſæ* pro corde, juniperinam pro calculis, & menſibus pellendis.

VINO CEREVISIA SUBSTITUITUR

DANIA non regio ſola eſt, quæ vino privetur. Et ipſe cum Bartholino fateor, in humana vita hoc multum damni non eſſe, dum major mundi pars ſine vino vivit, & multi in corpore morbi a vino pendere poſſunt. Quia præter calculos undique productos, lugendum ſæpe de tartareo embammate, ſanguinis maſſam conſpurcante, deque acutis, & inflammationi proximis morbis, ad quos vinum ſtimulus eſt.

FRAGA

MULIERES Danæ fraga humectant, & diluunt medio lacte, vel cremore lactis. Num id ſalutis conſilio fiat, ſtatuere difficillimum. Verum in epulis indulgendum eſt.

INDIGENA, ET PATRIA REMEDIA EXTERIS SUBSTITUTA

VIDEANT Practici, præcipue dum pauperibus, aut ruſticis mos geritur (1), num Danorum documento, atque inter ipſos celeberrimo Bartholino, ipſorum Archiatro, præeunte, etiam apud nos rhabarbaro, rhabarbarum monachorum, lapathum acutum, vel jus braſſicæ ſubſtituenda ſint. Animadvertant, num pro jalappa, adhiberi poſſit ſuccus iridis noſtratis, vel ſemina ebuli, & ſambuci. Atque adeo pro ſcammonio titymallum, pro turbith radices ebulæ in praxi feliciter reſponderent.

VOMITUS

VOMITUM provocant aqua calida mulſa, adduntque in decoctionibus, ſi opus eſt, cortices radicum juglandium, nec non narciſi lutei, betonicæ, ſeminis atriplicis, juſcula pinguia cum oxymellite ſimplici; vireſque vomendi ſecundum ipſos addunt, ſummitatibus ſambuci, & ſucco raphani, nec non illecebræ, ſcilicet ſempervivi minoris; qui, ſuo loco diximus, abundat etiam Brixiæ undique, ſed præſertim ſuper muris.

THERIACA

DE theriaca apud Gallos, Britannos, Italoſque plurimi facta, jam alibi locuti ſumus; quare eadem hic, dum de Danico uſu tractamus, non iterabuntur. Non ſilendum tamen monitum illud, conſervam calendulæ, rob rubi idæi, & ſambuci eadem contra venenatos morbos præſtare: & contra peſtilentiam *elyxir Tychonis Brahæi theriacæ* præferri deberi; atque ex iiſdem, additis juniperi baccis, pro pauperculis poſſe inſtitui.

PETROSELINUM ABORTUM PRODUCIT

DANIÆ animadverſum video, ne mulieres utero gerentes utantur petroſelino, eo quia *habeat vim pellendi fœtum*. Si vera hæc eſſent, nulla Itala mulier ad ſtatutum novem menſium pariendi tempus perveniret. Quippe quod vix datur dies, qua vel crudum, vel in aliquo embammate coctum petroſelinum non adhibeatur. Inter aperitiva, ſique lubet, diuretica idem connumerari, non eſt, ut pluribus ediſſeram. Sed illius exigua quantitas, quæ uſuvenit, quæque tot farciminibus, & ſalſamentis immixta, vix ſuam ſpecificam vim exerere poteſt; ut hinc abortus pertimeſcendus ſit. Contra igitur confirmatum tot ſæculis uſum ire non debemus. Imo ſi vulgarium Medicorum, nec non pharmacopolarum iram non pertimeſcerem, oppoſito modo, hac in re argumentum retorquerem, & dicerem: Si Daniæ pulſio immaturi fœtus ab æſu petroſelini formidatur, oh me curtum! qui neſcio quid pro extrudendo fœtu mortuo adhibendum ſit, neſcioque quomodo detenta menſtrua promovenda, ſaltem ſi rem acu certam tangere ſumimus. Ceterum, ſi remediorum diureticorum, & pellentium nomenclaturam, ab Auctoribus, & diſpenſatoriis officinariis propoſitam in medium ponere velimus, multæ pagellæ non ſufficient. Proh ſtrictos Medicæ artis cancellos!

FEBRIUM CURATIO

NUM vermis ſeptem nodulis diſtinctus, pollicis magnitudine (*cimicen* vocant) num allii porrum contuſum, pulviſque ipſe pyrius, & ceruſſæ cum cereviſia datus; numque optima etiam remedia in aceto, & vino (2) exhibenda ſint, ut febris ſolvere poſſint, ac debeant, emunctæ naris hominibus diſcutiendum relinquimus.

(1) Imo ipſos etiam apud Magnates feliciorem effectum interdum promoveant noſtratia, quam peregrina remedia. Quamvis, ut clare loquar, a titymallis abſtinendum, & a braſſica, pro purgando corpore parum obtinendum cenſerem.

(2) Etiam Rhenano, & Gallico.

FEBRES SPIRITU VINI CURATÆ

RARA res eſt, quam referunt de ruſticis Danis, interdum febres ſpiritu vini jugulantibus, addito etiam *ranunculo*, & *lumbricis*. Idemque mihi videor videre quod in agro Brixiano aliquando, imo multoties evenit. Illico ſcilicet ac quis ægrotat, ire deſperabundam uxorem, fratrem, vel agnatum per totum pagum, & frequentius ad pulſandas Nobilium, ſi qui adſunt, portas, ut tota, quanta eſt, integra vini pintha miſero ægro, ſi fieri poteſt, etiam dono, alioquin nibiberit morituro, tradatur. Inſtant inſuper, ut merum antiquiſſimum ſit, & purius. Domumque reverſi agunt, ut quam cito ingurgitetur. Multi periere. Aliqui curati ſunt. Quid ergo? Nos non ſumimus, quæſtionem hanc dirimere poſſe. Solum pluries diximus, & cecinimus, eſſe experimentum nimis periculoſum. Morbi dantur, in quibus, ſi exhibebis venenum, nihilominus homo præſervabitur. Febris motus eſt humorum fere omnium; utiliſque, ut pravi ſeparentut. Adauctis vino motibus, & æſtibus fortaſſe facilius ſeparabuntur; ſed in aucto nimium, & ultra continentium vires tumultu, pulveriſque pyrii inſtar, coercita, & deflagratura liquida, obſignatis etiam fortaſſe emiſſariis, elaſtico niſu in omne ſpatium ſe ſe extendentia, vitium ſolidis ipſis importabunt, ex quo interitus. Ut ſimilitudinem ſequamur, pari modo, ac ſupradictus pulvis procedit; qui ſi nimius, metallicos ipſos tubos frangit. Intelligentibus noſtris Philiatris pauca: & a Danis nobilibus, non vero a ruſticis diſcamus.

SUDORIFERA

NUM vero, ut Daniæ uſitatum eſt, *Sambucus*, *cornucervi*, *unicornu Danum*, *oculi cancrorum*, ſemina *fraxini*, *linariæ*, *cuſcutæ*, *ſal abſynthii* ſudorem provocent, aliis ſtatuendum relinquimus. Contenti monuiſſe, præconceptam remediorum vim raro mentibus noſtris reſpondere; adeo ut mihi jamjam remordeat conſcientia in illis præſcribendis.

MULTI MORBI, ET REMEDIA

CURANT Medici Dani febres ptiſana hordeacea, lacte oculorum fluxiones, oris phlegmones, & lacera inteſtina. Ejuſdem vero ſero humores temperant, & per alvum, atque veſicam eliminant.

Aptant ulceribus, & cancris crambem minutis caulibus; & ab urina illius, qui *braſſicam æſitaverit* multa ſperant, caputque dolens lavant. Laudant tuſſientibus rapas; rubum aptant inteſtinis; artemiſiam utero; parietariam, fragariam, equiſetum, erica, lithoſpermum veſicæ, & renibus; hyſſopum, lapathum, pulmonariam utramque, veronicam, tuſſillaginem, violam martiam, pectori; angelicam, calendulam, petaſitem, roſam, rubum idæum cordi; betonicam, primulam veris, nymphæam capiti.

PURGANTIA

A Purgantibus violentioribus potius abſtinent; quia credunt, Danorum populorum ventriculos illa ferre non poſſe. Et quando alvus movenda eſt, opus tentant laxantibus, emollientibus potiuſque vegetabilibus, habentque ſua ſpecifica, quæ Auctores etiam noſtri Itali proponunt.

Componunt *enema quotidianum* (1) aqua marina, vel lacte, vel jure carnium.

MORBI PECTORIS

MORBOS pectoris curant Dani mulſa, & hordei decoctione, tantamque fidem hiſce duobus remediis præſtant, ut in pleuritide etiam cum favorabili eventu adhibeantur.

PODAGRA MORBUS IN DANIA RARUS

SGRIBUNT Dani, non nimis inibi eſſe frequentes guttarios: cauſamque aſſignant vinorum penuriæ. Revera abſtemii raro ab illa ægritudine vexantur. Licet aliquando etiam viderim nonnullos, ablegato ob hanc rem mero, tamen in articuloſos dolores incidiſſe.

PULMONES FREQUENTER COSTIS ADHÆRENTES

IN morbis pectoris nunquam ſatis memorabo quam frequenter attentiſſimo examine diſquirendum ſit, num pulmonum viſcus compactum, adhærens, & continentibus adnatum, expirationis, & inſpirationis mechanicis legibus reſpondere non poſſit. Quo etiam caſu videndum inſuper, num antiquum vitium ſit, & pedetentim auctum; num vero repente productum. Vidi frequenter cruciatos ægros a multiplici bechicorum uſu, a ſulphuratis nempe, antimoniatis, mercurialibus, deſtillatis, ſpirituoſis, ut catarrhales amurcas in internis latibulis ſolvant, quando morbus a vitiata ſymmetria fortaſſe pendet: ut ſignanter in Dania memoratum, obſervatumque video, a Hieronymo Laubio, qui in cadavere olim aſthmatici vidit pulmones dextera *cum vicinia arctiſſime coalitos, duros &c.* & alibi ait: *Pulmones undique in thorace adnati*. Qui, ut dixi, caſus adeo in Anatomicis experimentis frequentes ſunt, & remediorum uſum adeo invertunt, ut id ſine examine relinquere piaculum duxerim.

AN-

(1) Ex quo conſequentia ducenda eſt frequentiam apud Danos enematum. Optimo ſane uſu: quoniam quaſi neſcia nocere ſunt. Et *Vicarias operas purgantium* præſtant.

ANTHELMINTICUM

RHABARBARUM, & flores hyperici a Medicis Haphnienſibus in verminoſis affectibus adhibita video. Quorum uſui non obſto, imo ſummopere laudo. Aromatico amarus rhabarbari ſapor eoſdem certo ad humiliora, craſſaque inteſtina depellet. Ubi a lacteis ſubinde dulcibuſque clyſteribus allecti, & fortaſſe educti, minus nocere poterunt, aut tenuia inteſtina minus vellicare, a quibus tormina, & cruciatus producuntur; ſed de his jam alibi egimus.

EXTERNÆ ÆGRITUDINES INTERNAS DOCENT

CAPITE Francia, jam tetigimus Medicorum lumini Chirurgiam admodum conſpirare. Characteres, color, lumen, quod in cute ſplendet intimum liquidorum ſtatum patefacit. Sanguis idem eſt, omnia unum: oh quot morbi particulares in viſceribus determinantur! quibuscum, per conſequens, & per accidens concurrat febris, de illa ſola Medici faciunt cantiones ſuas, ac ſi febris eſſet morbus, & cauſa morbi. Oh ſphalmata, eaque decumana: febris eſt productum, eſt effectus ab illis cauſis genitus, quas, o quam frequenter Medici ignorant: eſt motus ex miſcellaneo particularum in ſanguine occurſu ſuccedens, & mechanica neceſſitate durans. Quouſque, muſtaceo exemplo, purum ab impuro ſeparetur. Si res fæliciter evenire debet. Laudanda igitur ſolertia eſt ſeduli Dani Andreæ Chriſtiani, qui librum edidit, de cognoſcendis, curandiſque tam externis, quam internis humani corporis ægritudinibus; una ſiquidem ſcientia, alteram illuſtrat.

SPINA. VENTOSA

EX relatione clariſſimi Laubii video Haphnienſibus regionibus non parcere ſpinam ventoſam, caſum referentis, quo ſectus tumor, loco puris, ſanguinem dedit. Factiſque ſubinde in cadavere experimentis innumera femoris corroſi fruſtula in tumore reperta ſunt. Malum eſt in Italico etiam noſtro cœlo non infrequens; quodque pejus, non adeo facile curatum it. An vero ob rebellem, & refractariam ipſius morbi conditionem, vel artis ineptitudinem, vel demum artificum ſocordiam, non ſatis ſcio. Et tamen pluries adminiſtrationibus Chirurgicis & ego adſtans, quam diligenter obſervavi arduum opus, variis difficultatibus obnoxium. Quodque pejus; poſt factam oſſis, ulceriſque deterſionem, & mundificationem, proxima, aut remota iterum carne, innocendi motum poſita; illaque ipſa adhuc remedia poſcente, & fraciditatem, ſphacelumque minitante.

Cumque in Medicis rebus, practiciſque obſervationibus incubuerim ſemper præcipue examini cauſarum illarum, quæ difficiliores morbos conſtituunt; ſic in hoc quoque fruſtratas ſpes noſtras ſæpiſſime videns, vegetius adhuc inſurgebam, & libros volvens, & doctos amicos inquirens; ſed adhuc, ut vera fatear, multæ mihi ſuperſunt difficultates, circa ſpinæ ventoſæ curationem; tam ſi originem ab univerſali temperamento deſumamus, quamſi de externis remediis diſſerere velimus.

Obſtrepit Galenus, & cum illo multi alii, referente Muſitano (1) a craſſa pituita *ex Parentibus languidis*, & *pravo habitu præditis* in nepotes derivata; poſt imperfectas *variolarum*, *achorum*, *lactuminis*, vel *tineæ repurgationes*, hanc labem produci. Cui aſſerto videtur etiam aſtipulari celeberrimus olim in Patavina Academia Jatro-Chirurgus Petrus de Marchettis (2) acredinem pituitæ addens, qua os (3) corrumpitur; & etymologiam nominis explicans a dolore feriente, quo æger veluti ſpina pungitur. Ab humoribus vero vel qualitate, vel quantitate peccantibus cauſam Merclinus deſumit. Nec deſunt Celſus, Goræus (4), Petitus (5), Severinus (6), Heine (7), Botellus Ammanus, & alii, qui ex primo etiam ſpermate, & menſtrui ſanguinis inquinamentis morbum effici contendunt, & præcipue in majoribus oſſium læſionibus; quando poſt inflammationem articuli corrumpuntur: fitque abſceſſus de Pædarthroace participans (8).

Quoniam vero occaſio fert, ut noſtram opinionem circa ſpinæ ventoſitatem producamus, extra dubitationis aleam poſitum eſt, inter oſſea ſtrata, & meditullia varii generis humores circumvolvi, ſub nomine oleoſi præcipue cujuſdam roris, non excluſo ſanguine, ſero, multoque minus ſucco nerveo ipſo, etiam, inquam, inter interna perioſtea, ut exquiſitus ſenſus, occaſione exoſtoſium, & carierum internarum nitidiſſime demonſtrant. Hoc poſito, & ab Anatomicis, nec non morboſis effectibus reſultante, pari morboſa, & mechanica lege, qua humores in carnoſis partibus, intimiſque viſceribus, a naturali ſtatu abſcedunt, poterunt etiam ſubſtantiam oſſeam, & intima meditullia luentes, alterari, atque ab homogeneis nativis qualitatibus divertere, ex quo lues vitiumque oſſeum, ut clare loquamur, emerget; hac tamen differentia, quod ſecundum difficilius contingere poteſt; quia in carnoſis, pelliceis, mollibus, aerique expoſitis partibus corruptiones faciliores ſunt: ac in duris, coopertis, & oſſeis, quarum firmior reſiſtentia eſt, hinc rarius ægrotant.

CAU-

(1) De Tumoribus. Cap. LXXII. de ſpina ventoſa pag. 321.
(2) Obſervationum Medico-Chirurgicarum rariorum. Sylloge.
(3) Etiam juxta Avicennam. Qui circa hanc rem a ſuis Commentatoribus non bene explicatus eſt; ut optime notat Pandolphinus.

(4) In Definitione.
(5) Libro de Morbis oſſium. Capite de Exoſtoſi.
(6) De Abſceſſibus.
(7) Pagina 62.
(8) De quo videatur Petrus ab Argillata.

CAUSÆ CARIEI IN OSSIBUS MULTIPLICES SUNT

Tactæ a nobis, capite præcedenti, vitiorum oſſeorum cauſæ, quinimo ceteræ bene multæ, quæ excogitari poſſunt, non coacervatim colligendæ, ſed attenta diſtinctione, veritatis matre, una ab aliis ſeparanda eſt, & in medicando ſignanter ægro videndum qualis altera, vel altera polleat; ut univerſalia remedia dirigi cautius poſſint.

IN PUERIS

Præter lactis emuncti vitia, conſiderandus præcipue venit ſolidorum tonus. Etenim ob id præſertim in illis videmus ſpinas ventoſas; quia laxis, & debilibus organis inſtructi ſunt, ipſaque oſſa ad debitam ſoliditatem, & firmitudinem adhuc non pervenerunt. Cum non ſolum in articulorum extremitatibus, verum etiam circumcirca externos parietes plurimi interſint pori, & permeacula, per quæ ab externis perioſteis, membranis, & partibus omnibus ſuperincumbentibus humores compenetrant, & per illas arteriolas, & venulas oſſeam ſubeunt ſubſtantiam; per conſequens languida externa caro, & tenellum nundum maturum os ſibi mutuas dant ſuarum imperfectionum labes. Quod ſignanter noſcitur ab alba cute, a pallido ambitu, a genarum ſquallore, a gulæ lentis tumoribus, laxitatem ſolidorum portendentibus. Quo caſu circa temperamenti indolem, & auctæ ætatis gradus agendum eſt; ſed præcipue illis remediis, quæ ſolida inſtaurant, corroborant, & reficiunt. Sique tenella ætas eſt, lacte meliori. Sin vero ablactatus jam ſit æger, lacte iterum epoto, chalybeato, ferculis, juſculis, ranis, viperinis libaminibus (1) jure columbæ turriculæ, turturis, perdicum, motu, geſtatione, vino ſantalinis, raſuris, ſtypticis, & moderate aromatico-ſtomachicis medicato. Aquis etiam ſub Veneto hoc noſtro cœlo Tranſchurianis in agro Bergomate, vel Aponenſibus in Patavino.

CAUSÆ SPINAM VENTOSAM EFFICIENTES

Antequam tamen ſupradicta remedia executioni mandentur, & ulteriora nos proponamus, cauſæ diſtinguendæ ſunt. Non ſiquidem ſufficit dicere ſecundum Priſcos: *Spina ventoſa* pendet a pituita, eaque acri; neque illico ad immenſam medicamentorum purgantium, phlegmagogorum ſtruem, cum ægri ruina, deveniendum eſt; ſed excogitandum, cur humores intra oſſea latibula ſubſiſtant, & corrumpantur, quia abundent, quia non circumeant, quia potius ibi, quam in excretoria emiſſaria deriventur. Uno verbo, tota ars excurrenda eſt. Factiſque, quæ agenda ſunt circa præmittenda; videndum num ſanguis a majoribus, rachiticus, ſcorbuticus, ſalinus, varioloſus, atrabilaris, oleoſo rori, intra oſſeos cancellos latitanti, & excurrenti labem minitetur; ſecundum quippe cognitum præcedens vitium, remedia premittenda, & dirigenda ſunt; quæ reſpiciant, ut vulgo loquuntur, & Philiatri intelligant, cauſam antecedentem: qua non domita, nunquam morbus extirpabitur.

Hæcque facienda ſunt, tam ſi dolor oſteocopus ſolum præcedat, quam ſi pars jam ſuppurata ſit. Morbus enim eſt de illis, qui naſcentes dicti, quique in radice tollendi veniunt.

A LUE VENEREA

Evidens hujuſce aſſerti argumentum confirmatur, ſi a lue venerea oſſium labes penderet. Quis ſiquidem in ſcientia medica tam hoſpes eſt, qui neſciat, ſolis alexipharmacis antevenereis poſſe morbum exterminatum iri? Verum in hoc me jam jam redarguere poſſum; cum videam modernam Scholam in doctioribus, magiſque cultis provinciis, non ſolum laudare hydrargyrum in ſpina ventoſa, pendente a morbis venereis; ſed etiam ab aliis omnibus quibuſcumque cauſis, adeo ut audax præſcriptio quaſi corrigenda ſit (2).

REMEDIA INTERNA PRO CURATIONE SPINÆ VENTOSÆ

Factis, ſi opus eſt, venæ ſectione, purgatione, revulſione, derivatione, ceteriſque in uſum poſitis, quæ deſuper dicebamus, Capite *in Pueris*, & aliis, Deuſque velit ne nimis, methodicæ artis auxiliis, laudant nonnulli antimonium præparatum, & vino infuſum, diuretica, aſparagum, buſcum, fæniculum, cinnamomum, crocum, baccas juniperi, ſpecies dialaccæ, diacurcumæ, theriacam, mithridatium, conſolidam, oſmundam regalem, ſalviam, roſmarinum, juncum odoratum, myrrham, lentiſcum, ſyrupum de ſpina cervina (3), & ſi quæ ſunt id genus alia. Sed præ omnibus laudatum a quolibet Scriptore cujuſvis nationis video decoctum ex ſalſaperilla, radice chinæ, ſaſſafras, ſantalis, raſuris; utpote primarium horum morborum eradicativum. Ob id clariſſimus Antonius Nuck (4) ſcripſit: *Affectus hic, ſpina ventoſa dictus, omnem quamvis medicamentorum vim ſæpius eludat; nonnunquam tamen antivenereis, vulgo vocatis, auſcultat.*

REME-

(1) Conferatur Baldus Angelus Abbatius: in Lib. de Natura viperæ.

(2) Videatur Rophinkius, qui mercuriali ſalivatione curavit puellam hoc morbo detentam: etiam ſi actu pthyaliſmi apparuerint menſes. Lib. 2. Cap. 47. pag. 423.

(3) *Qui ab articulis trahendi energiam habet*. Muſitanus.

(4) In Experimentis Chirurgicis.

REMEDIA EXTERNA A CHIRURGIS ADHIBENDA

ALUMEN rochæ, balauſtia, chalybeata, litargyrium, ceruſſa, cuminum, vini ſpiritus, ſulphur, ſpongia in poſca, aut vino humectata, oxymel, aqua mulſa, aqua maris, terebynthina, galbanum, opoponax, ammoniacum, bryonia, ſcilla, lixivium, terra lemnia, pyrites, mumia, ſarcocolla, quinquefolium, myrrha, chamæmilla, fæniculum, melilotum, peucedanum, ruta, ſcordium, chamedryos, crocus, ſpica. Ad moderatos vero dolores mandragora, hyoſciamus, opium, requies Nicolai, philonium Romanum, pilulæ de cynogloſſa.

ARCANA, ET REMEDIA SPECIFICA

ARCANUM mirabile pro curatione ſpinæ ventoſæ, malum *formicæ* dictæ, Dominici Aude ſic eſt. ℞. *Vitrioli veri* ℥ II. *ſalis ammon.* ℥ I. *calcis vivæ, tartari calci ana* ℥ III. *Coquantur in lixivio e ſtipitibus fabarum quantum ſufficit, ad humiditatis conſumptionem. Exſiccata maſſa ſervetur.* Verum hoc inter cauſtica, etiam potentiora ponendnm eſt.

Mercurium dulcem in aqua plantaginis ſolutum laudat Johannes Harthmannus (1) Lapivacius (2); ſi adeſt lues venerea, addit tutiam, guajacum, Hildanus (3) oleum vitrioli, & aquam fortem.

Atramentum ſutorium, radicem ireos, peucedani, ariſtolochiæ, folia ficus, papaveris ſylveſtris, ſquamam æris, æruginem, aquam aluminoſam, ſpiritum ſalis ammoniaci, ſulphuris per campanam, laudat Muſitanus (4), ſed præ ceteris omnibus ſequentem tincturam. ℞. *Euphorbii* ℈ II. *ſ. rad. peucedani, ariſtolochiæ, bryoniæ ana* ℥ *ſ. myrrhæ, aloes ana* ʒ II. *caryophill.* ʒ I. *Infunde in aqua Reginæ Hungariæ* ℔. III, *per quinque, vel ſex dies, deinde colaturam ſerva.* Revera, etiam Merclinus, magiſque Gabriel Fallopius (5) ſuper omnia medicamina, quæ in oſſium exoſtoſibus, ob ſpinæ ventoſitatem productis, adhiberi poſſunt, mille laudibus extollunt euphorbium; quia *omnia alia Medicamenta ſuperat* (6). Videatur Aquapendens (7), Joannes Manardus (8), Joannes Langius (9).

REMEDIA PRIMARIA SPINÆ VENTOSÆ

NON ſupradicta interna, & externa ſolum remedia ſpinam ventoſam curare valent, ſed duo adhuc majora requiruntur, nempe mens, & manus Chirurgi, qui ſecundum rationem, bonamque praxim dirigat operationes ſuas, eaſque præcipue circa, in intimis oſſeorum ſtratorum latebris, naſcentem, vel ab externis perioſteis inditam ſphacelantem labem. Qualecumque ſiquidem fuerit inflammatorium ab extra productum, & pediſſequa proinde ſymptomata, certum eſt, earundem diverſis gradibus Chirurgum obviam iturum eſſe, emolliendo, pacando, reſolvendo, excutiendo, temperando, & quatenus evitari non poſſit, etiam ſupurationes adjuvando. At cum vere & realiter ſpina ventoſa dici non poſſit, niſi & quatenus vitium in ipſo oſſe inplantatum ſit, per conſequens illi videtur, adminiſtrationes Chirurgicas eſſe omnimode dirigendas. In hoc jam Auctores toti ſunt; morbique diuturnitas, excreta, carnes polypeæ, & languidæ circumſtantes, tubercula, excreſcentiæ jam ſatis loquuntur; ablatiſque operientibus integumentis, de agendis circa os tutum fertur judicium. Circa quæ Auctores videri poſſunt, & præcipue Marchettus (10), Severinus, Walterus (11), & præ aliis Petit, qui ſignanter ſcripſit de arte curandi morbos oſſium.

IN CURATIONEM SPINÆ VENTOSÆ

ANIMADVERSIO I.

STATUTA labefactati oſſis diagnoſi, non illico, & cæco uſu ad ſquamatoria (12) multoque minus ad cauſtica (13) Chirurgus tranſire debet, ac ſi uno ex iiſdem applicito, ibique relicto, munus ſuum adimpleviſſet. Sed requiritur modus, & optime nota aptati cauſtici vis, ne, dum (audite, & cordi veſtro infigite Tyrones) externi fracidi, carioſique oſſis ſeparationem molitur, intimiora, finitima, ſana meditullia, tacta, alteratave corrumpantur. Multos audivi, veritas in aperto ſit, quinimo vidi ſe jactantes, ob ſeparata ſuis arcanis multa oſſis fruſtula. O quam libenter eoſdem, ſi licitum, interrogaſſem, num fortaſſe adhibita cauſtica oſſa illa corruperint, quæ corrupta non erant! Remedia illa habenas non patiuntur, & fortaſſe inter præconceptos limites non continentur. Multo magis ſi actualis ignis adhibeatur,

(1) Praxi Chymica. pag. 392.
(2) Libro quinto Method. Medendi.
(3) Centuria quarta. Obſervatione ſecunda.
(4) De Tumoribus. Cap. LXXII.
(5) De Ulceribus pag. 49.
(6) Ibidem.
(7) Libro tertio.
(8) Libro ſeptimo.
(9) Libro 2. epiſt. 42.

(10) De ſpina ventoſa pag. 139.
(11) Qui ſcripſit lingua Germanica.
(12) Ut lapis pumex, radix vitis albæ, ſpiritus ſalis, mumia, aloe, bryonia, hyoſciamum, guajacum, calx, calchantum, peucedanum, oſſa dactylorum.
(13) Ut aqua ſulphuris, miſy, flammula iovis, cantharides, atramentum ſutorium, oleum vitrioli, ſulphuris, antimonii, arſinicum ſublimatum, aqua fortis, lixivium ſaponis nigri, & ſimilia.

tur, cujus anihilans, & obvia objecta invertens vis per oſſeos tubulos, a lamina in laminam longe reptat, & propagatur. Mechanicum hujus aſſerti experimentum videmus in lignis non bene adhuc ſiccis, in una extremitate igni expoſitis, & in altera lugentibus, ſignum probans accenſum lignum, & humida remote propellere, & totam reliquam ſubſtantiam ita alterare, ut caleſcat, evaporationem halituoſam, & vaporoſo-humidam efficiat, ſpumamque in altero extremo longe eructet. Poſt hæc, extincta flamma, non ne ſuperſtes lignum a naturali primo ſtatu ſuo penitus abſceſſit; novamque corruptam formam induit? Pari lege arguendum de oſſibus igne tactis, in quibus lance expendendum, num ſtante hoc metu, major eſſe poſſit utilitas ſeparationis oſſis læſi, aut damnum oſſis ſani? Ex hoc quiſque videt, quantum operationes Chirurgicæ ponderandæ ſint, & antequam agantur, conſultationes faciendæ, & Medici quoque advocandi, ut, ſi non tangunt, ſaltem judicent, & Chirurgum excitent ad agendorum rationem reddendam.

ANIMADVERSIO II.

VIDENDUM etiam, num ſupuratorii tumores ſpinam ventoſam producentes, indicantes, aut relinquentes, hinc inde iterum, iterumque repululent. Quandoquidem illo caſu carnificinæ faciendæ non ſunt, dum quavis diligentia adhibita, quid juvat in digito cauſticis agere, ſi alterum morbus vexat? quid operationibus Chirurgicis ægrum cruciare, ſi ab infecto ſanguine, & oriundis lymphis pars affecta alitur? Curatio ergo univerſalis præcedat; ſuppuratæ partes deterſæ, adapertæ manuteneantur, ulceroſa foramina dent ichores ſuos. Chirurgus de die in diem mille unguina, in Pharmacopolarum gratiam non mutet, & inter mundos plumaceolos, & linamenta pars horizontaliter, ſi fieri poteſt, compoſita quieſcat, ut occulti cuniculi, & remotæ ſtaſes non efficiantur. Vigilet, animadvertat, num fortaſſe natura, optimæ carnis inſinuatione, & adjumento ſphacelatas lamellas ſeparet; quæ inde volſella, aut ſpecillo loco ulterius movendæ, & revellendæ ſint, ut fælicius exeant. Vigilet inſuper, ne pars diu aeri exponatur, qui non ſemper, ſed aliquando os expoſitum alterare poteſt. Non Circumforaneis, & Agyrtis opus tradatur, qui dicere poſſunt, adeſſe os læſum, quamvis non ſit: qui aptant cauſtica activiora, ut in longinquis partibus lædatur: hinc vineam novellent, quæ ad plures menſes fructificet. Poſt hæc omnia, & multa alia, quæ ſcire debent boni Practici, ſi certo conſtabit de læſo oſſe, præ manibus ſumantur ſcripta magni olim Petri de Marchettis (1) oculique dirigantur in celeberrimum Heiſterum (2), atque a duobus hiſce viris ducatur lumen pro recta agendarum rerum inſtitutione. Sed jam ad Danam Medicinam redeamus.

SCORBUTUS
IN DANIA MORBUS ENDEMIUS

PLURIMI (3) conſentiunt, & factum loquitur, ſcorbuticum affectum eſſe in Dania inquilinum, & quaſi, ut ita dicam, contubernalem; ab aere, & ſemine, a terra, ab alimentis, in nepotes, & populos fatali ſydere propagatum. Qui effectus, & iterata per perennes ſæculorum periodos conditio, ſufficiens deberet eſſe pro explicandis morbi cauſis, quibus ſcilicet datis, morbus ſubſequitur; ideoque Clinicæ arti addicti ab examinatis Dani cœli circumſtantiis rationem pro origine, lumenque pro curatione conſequi de certo deberent. At ſic res non vadit, aut ut caſtigatius loquar, hactenus non ivit. Multæ ſiquidem doctrinæ hac illac inſtructæ ſunt; verum num punctum latum fuerit, perplexus dubito; cum eandem cantilenam ab omnibus alia lingua, alio modo repaſtinatam videam.

Danica regio fere tota maritima eſt, multiſque inſulis diſtributa; ubi immenſurabiles adſunt paludum tractus, otioſæ lacunæ, & interdum ob quietem putreſcentia, & lamoſa maris diverticula. In his cænum, aquatica vegetabilia decidua, & marceſcentia, conchæ exanimes, & mille inſectorum piſciumque agmina (4) graveolentes putidoſque halitus efformantia, aerem peſſimo modo inficiunt; ut hæc ſane ſint primaria ſcorbuti productiva. Sic a Danis Medicis nuncupatum, quia *ſcharbuck* Danice indicat oris eroſionem, & ventris tenſionem.

Huic primo noſtro aſſerto objicere aliquis poſſet: ſola Dania non eſt, ubi paludes adſunt: ubique noxiæ illæ circumſtantiæ verificantur. Cui reſpondemus, ceteras pariter regiones eſſe ſubjectas, & præcipue Seelandiam, Friſiam, Hollandiam, Galliam Narbonenſem (5) Islandiam, Pomeraniam, Livoniam, Curlandiam, ceteraſque alias regiones, quæ a gradu 55 uſque ad polos porriguntur, aliaſque bene multas.

Imo ſicuti Danum mare piſcoſum admodum eſt, ita fortaſſe in finitimis, populorumque frequentiæ proximis lacunis, & natura, non arte paratis piſcinis, aquæ magis corrumpentur, ob fæcalia cujuſvis generis non ſufficienter ſoluta, & mota ſedimina.

Poteſt inſuper eſſe Balticum, Germanicumque mare, dum Sundicum Haphniæ luit fretum, muriaticas peculiaris indolis qualitates, ad ſcorbuti pro-

(1) Loco citato.
(2) In Inſtitutionibus Chirurgiæ Cap. IX. de ſpina ventoſa pedarthrocace, & exoſtoſi. Pag. 352.
(3) Inter quos Dolæus Encyclopedia Med. Cap. XII. de Scorbuto. Nec non Bartholinus.
(4) Dicit de la Metriè. Piſces aliis piſcibus nutriri, qui in eſcam humanam tranſacti generant ſcorbutum.
(5) Ejuſdemque provincias ad maris confinia ſitas.

productionem conſpirantes ſecum vehere; quæ inſuper a ſpecificis Danæ, ut mox dicebamus, terræ exhalationibus, ad majorem nocendi aptitudinem excitentur. Id fortaſſe promoventibus vinis (1), quorum Dani cupidiſſimi potatores ſunt; nec non vegetabilibus omnibus, & præcipue hortenſibus, quæ populi illi in eſcam convertunt, ſi nimirum ſale, & ſulphure prædita ſint. Quibus duabus qualitatibus illuſtris in arte Medica Vir Thomas Willis (2) ſcorbuticum miaſma latere, & exiſtere contendit, præcipue, ſi cibi ſalſi, & fumo indurati, nec non aquæ putridæ in uſu ſint.

Si vero morbus hæreditarius, ſi contagioſus (3) evidens eſt, quomodo illis in regionibus perſeveret, atque in hac, vel illa domo ferocius reſurgat, & Medici in curandis etiam aliis morbis, ut doctus auctor ſcripſit, ſemper aliquid ſuperaddant, quod ſcorbuti ſemina depreſſa teneat.

CAUSA SCORBUTI

FORTASSE inſuper illarum aquarum non ſatis purarum potus, fermentantes cereviſiæ, aut vina in acetoſum declinantia, aut rancida, & mucilaginoſa, quæ Angli vulgari idiomate *ruines become over fretted, or become reapy* dicunt; ideoque ad vappam, acetumque diſpoſita (4) plurimum poſſunt ſcorbuticæ ſanguinis dyſcraſiæ viam ſternere, præcipue in temperamentis rachiticis, melancholicis, hyſtericis, arthriticis, & morbilloſo, aut venereo afflatu jam tactis: quæ ſunt terra apta, ut hinc ſcorbuticum virus altas poſſit mittere radices, nonniſi ſumma cum difficultate averruncabiles.

Ab his igitur circumſtantiis, magis in Dano ſolo, quam in alia quacumque regione collectis, & concurrentibus, fortaſſe evenit fatalis illa facilitas laborandi ſcorbuto: cui ſecundum magis, & minus etiam aliæ Provinciæ ſubjacent, non ſolum maritimæ, ſed etiam ceteræ, quæ in continenti poſitæ ſunt.

SCORBUTI DIAGNOSES

VERUM enim vero non ſtatim, nec adeo faciliter de vero ſcorbuto judicium ferendum eſt. Non enim adeo noſtris hic in oris frequens. Stomachum movent aliqui vulgares Practici, qui illico, ac vident aliquam in gingivis abraſionem, vel læſiunculam, illico ſcorbutum clamant, & conſanguineos, totamque domum ſubvertunt. Et circumſpectio, & principiis obſtantia ſummopere laudanda veniunt; ſed laus Deo, multa requiruntur, antequam ſcorbutum dici poſſit; poſſitque in proximos contagioſa propagatione ſerpere, & diſſeminari. Male quippe cum melancholicis, atrophis, tabidis, enervatis, cachoeticis, contractis, convulſis, atrabilariis, incurvatis, fuſe ſputantibus ſcorbutum confunditur; ſed ſignanter ad hoc, ut ſcorbutum dici poſſit, debent primo in uno eodemque ſubjecto adeſſe

1. Capitis dolores, & vertigines ſæpe corripientes, & apoplecticum, vel paralyticum inſultum, cum artuum reſolutione ſimulantes. 2. Aſthma, aut reſpiratio difficilis, inæqualis cum pectoris conſtrictione, & anguſtia. 3. Cordis tremor, palpitatio, & frequentiſſima ſpirituum deliquia. 4. Ventriculationes, flatus, iliaca, & colicha paſſio. 5. Dentium nigredo, vacillatio, caſus cum oris fœtore conjunctus. 6. Ulcera, & putredines ubique, ſed præcipue gingivarum, flaccidarum, ſanguinolentium, quæ flaveſcunt, vel rubent, vel tument, vel pruriunt, ſi leviter tanguntur. 7. In uno vigiliæ, in altero ſomnolentiæ. 8. Diarrhæa, dyſentheria, teneſmus. 9. Urina rubicunda, aut lixivialis, quæ interdum in citrinam, limpidam, & tenuem mutatur. 10. Lumbago, laſſitudo ſpontanea artuumque debilitas, & enervatio. 11. Stupores, formicationes, tendinum ſubſultus. 12. Dolores lancinantes, ferientes, & arthritides, vel podagram efficientes. 13. Genuum tremor, & ſub oculis livor ater, qui fere ſemper perdurant. 14. Sudores, præcipue nocturni, viſcerum tumores, lethargi. 15. Maculæ (5) violaceæ, rubræ, nigræ, liveſcentes, quibus totum corpus, elephantiaſis admodum, fædatur. 16. Febres, quas ipſe etiam deſcribit clariſſimus Joſeph Thomas Roſetti (6). *Aliæ namque inconſtantem, & erraticam indolem oſtendunt, cum & ſilere, & ſe pandere, nulloque typo conſtringantur. Aliæ vero typum ſervant, & vel tertianæ, vel quartanæ periodos ſimulant. Ac demum aliæ continuarum, imo & malignarum ſtadia currunt.* 17. Hæmorrhagiæ. 18. Pulſus celer, parvus, & irregularis. 19. Caloris, & frigoris ſuffuſiones ſubitaneæ. 20. Vomitus, rugitus, cardialgiæ. 21. Nervoſi ſucci depravationes. Addo ego unum alterum ſignum diagnoſticum, quod vidi in nobili Preſbytero, jam fatis functo, adſtante Medico ordinario Bartholomæo Verdura olim in Brixiana urbe Practico celeberrimo: cujus caput prurigine pertentatum, ſi leviter ungula ſcalpebatur, illico mittebat ſanguinem non cadentem, & collum genaſque humectantem, ſed exilientem, reſultantem, & veluti quodam impetu in aera emiſſum: ideoque, ut quiſque facile noſcit, arterioſum, a ſummis externis corticalibus appendicibus arteriolarum eroſis, ſolaque amovibili cruſtula coopertis: qua vel leviter tacta, vel loco mota, illico ſanguis

(1) Sic refert Salmon a Joanne Baptiſta Albrizzi editus. T. VII.

(2) Tractatu de Scorbuto Cap. I. pag. 569.

(3) Dolæus Encyclop. Med. Lib. III. de Scorbuto contagioſum dicit: *A nutrice in filiolum lacte inſtillatum*. Additque Sennertus. *Etiam poſt mortem ab extinctorum cadaveribus, toxicorum inſtar, communicari poteſt*.

(4) Multo magis ſi calx viva, ſi alumen uſtum, aut aliquid aliud embamma arte ſuper additur; ad ſpiritum, & colorem augendos.

(5) Signum pathognomonicum. *Si nummi denarii aream exæquant*.

(6) Syſtema novum Mechanico Hyppocraticum. Pag. 111. Lib. 2.

guis ſolutus, ſeroſus, roſeus, acerque ſaltitans proſiliebat. (1)

His itaque ſignis, vel omnibus, vel bene multis concurrentibus, de Scorbuto tutum fertur judicium: Quę in Philiatrorum gratiam commemorare voluimus, quique, ſi majora lumina poſcunt, videre poterunt auctores (2).

REMEDIUM IN DANIA PROPOSITUM ET USITATUM PRO CURATIONE SCORBUTI

CLARISSIMUS Joannes Chriſtophorus Rieger (3) hęc habet: *Succus quoque* [de Braſſica loquens] *egregiæ eſt medelæ ſcorbuticorum. Si bibatur, ut potus ordinarius. Cum autem inquilinum Daniæ ſit malum, non ſine cauſa Braſſica in hortis omnium ruſticorum viſa, ſterilem ſibi meſſem in Dania præſagivit olim Medicus peregrinus, in Bartholino* (4).

Braſſica olim meruit, ut de ejus laudibus unum volumen Cryſippus ſcripſerit; eaque ſola per annos ſexcentos Romanis (5) pro omni Medicina ſuffecerit; ideoque ſupervacaneum eſt afferre, quę Pythagoras, Cato, Dioſcorides, Galenus, Rovelius, Matheus Silvaticus, & Gręci omnes de illa dixerunt. Quę ſi colligerem, dicendi finis eſſet nimium remotus.

Ad rem tamen noſtram, atque ad tutius arguendum, num abundans in Danicis hortis braſſica pro curandis inibi ſcorbutis optima ſit, omittere non debemus, dotes, & ſpecificas virtutes traditas fuiſſe huic plantę antiquis temporibus virginibus. Quibus non ratione tantum, non pecudum more in veneratæ alicujus mentis obſequium, ſed lumine ſolum ab iteratis factis, atque a fęlicibus experimentis ducto ſententiæ ferebantur; idcirco ſi tunc in *capitis, & oculorum doloribus, podagra morbiſque articularibus; in vigiliis, paralyſi, tremore, malignis ulceribus, ſcirrhoſiſque inflammationibus* (6), necnon *in phtyſicis, & becticis, viperarum morſibus, apoſtematibus, igne ſacro, & ſcabie* (7), utiliter adhibebatur; mirandum nobis non erit, ſi & ſcorbuticæ affectioni, in origine ſua de ſupradictis morbis quodammodo participanti, ſuccurat; ideoque laudandi Haphnienſes, ceterique in aliis urbibus, & prædiis hortulani, qui braſſicas excolunt; approbandi Medici, & Civitatum Præfecti, qui hoc ſeminium non interdicunt, ſed ſinunt, & promovent. Ergo in ſcorbuticis maſſæ ſanguineæ dyſcraſiis braſſica, etiam in Italico cœlo, ubi jam undique proſtat, Danis facem præferentibus, adhibenda erit.

REMEDIA SCORBUTUM CURANTIA

ABROTANUM mas, & fæmina, geniſta, petroſelinum, hædera terreſtris, meliſſa, portulaca, naſturtium, anagallis, raphanum ſylveſtre, fumaria, botrys, artemiſia, & ſabina in mulieribus præcipue, buxus, chamedrys, ſi adſit febris, cichorea, chrambe, acetoſa, geniſta, chamepytis, glycyrrhiza, taraxacum, lingua cervina, tamariſcus, ptarmica draco, alliaria, eryſmus, ſcordium, ſcabioſa, berberis, gentiana, gratiola, iſatis, polypodium, hepatica, marrubium, trifolium aquaticum, angelica, zedoaria, chelydonium minus, cetrach, lactuca, fraxinum, lapathum, lupulus, betonica, ſedum minus, aquilegia, eſula, ſambucus, cochlearia, veronica, ruta muraria, ſaponaria, ſcorzonera, contrayerva, abſynthium (8), dictamus cretica, peonia mas, nitrum corallatum, ambra gryſea, tinctura anodina Ludovici, ſyrupus corallorum, nitrum perlatum, oculi cancrorum, tamarindi, ſaſſafras, ſalſaperilla, radix chinæ, antimonium diaphoreticum, magiſterium perlarum, maſtich, myrrha, aquæ thermales, vel artificiales (9), viperina, pulveres ſtomachici, ſuccinum, lignum rhodii, tinctura laccæ, calx, a Gallis ſpreta, a Germanis laudata, alkermes, antihecticum Poterii, gelatinæ, papaver album erraticum, in aliquibus caſibus, chalybs, deſtillatum limacum, aquę Quercetani, Doryngii, Tobiæ, Doncraellii, Schulzii, Wormii, Wedelii, ſantali, cornucervi. (10) (11)

REMEDIUM FAMILIARE

DECOCTUM raphani ruſticani cum ſemine cumini, fœniculo, fol. cochleariæ, abſynthii, & trifolii aquatici.

ELECTUARIUM DANICUM

SUUM Dani in curatione ſcorbuti habent præfixum electuarium; cujus partes eędem ſunt, ac illæ, quibus conſtat ſyrupus anteſcorbuticus Mynſicht.

GRO-

(1) Alia Scorbuticæ affectionis ſigna vide apud Bartholinum, Diſſertatione IV. de remediis Daniæ inquilinis, 49 enumerantem.

(2) Nempe Eugalenum, Dodoneum, Foreſtum, VVilliſum, Helmontium, Sylvium, Horſtium, Sennertum, VViemum, Timæum, Heſiodum, Roſſettum, Bontekae, Hartmannum, Hoffmannum, Mynſicht, Ectium, Albertum, Ronſeum, Reuſnerum, Platerum.

(3) Pag. 268.

(4) Pag. 24.

(5) Plinius XX. & Mathiolus pag. 498.

(6) Simeon Sethi.

(7) Vide Mathiolum.

(8) Ejuſdem decoctum ab Eugaleno quammaxime laudatur.

(9) Eaſdem proponit Kiperus, & a Caſtro.

(10) Pro curatione ſcorbuti Daniæ etiam in uſum venti Aqua antiſcorbutica Olai VVormii, & altera Tancredi Lælii.

(11) Videnda, quæ Nepotes Demouret Pariſiis promittunt.

GROENLANDIA

PATRIUM remedium, quod, ut ſupra dicebamus, pro curatione ſcorbuti habent Dani in braſſica, Groenlandi ponunt in acetoſa: ideoque hoc exemplo in curationibus debemus animadvertere, ne acetoſa in medicaminibus deficiat. (1) (2)

UNICORNU GROENLANDICUM

DENS eſt Balenæ, *Naruhal*, quem adhibent Dani populi: quique in longinquas etiam regiones transfertur, & in officinis proſtat, pro temperando in febribus calore, & tanquam ſingulare alexipharmacum in morbis contagioſis.

ISLANDIA

ET INSULÆ FEROENSES

FUNDAMENTUM harum regionum, quoad famem, & frigus, caro ovilla eſt: ſiquidem tam prolifice abundant, ut ſine eadem nullæ ſint dapes, & cum ovillis pellibus, ſeptentrionalis violentia quodammodo vindicetur.

LALANDIA

THOMAS Bartholinus, primarium elapſi ſæculi in Dano cœlo Medicum lumen, refert mulierem in inſula Lalandia utero gerentem per annos quinque; uſque dum adapertis prope umbilicum ulceroſis ſcatebris duorum filiolorum oſſa extracta fuerint. (3)

LAPPONIA
ET NORVEGIA

NORVEGIA, Lapponiaque Norvegica tangendæ ſunt, Danico utpote imperio ſubditæ, Danicorumque ut plurimum Medicorum dogmata ſequentes.

Hiſce in regionibus nec peſtis, nec febris adeo frequenter ſævit. Sanguis quippe conſtat craſſioribus tardiſque elementis; fibræ vero ſunt magis inſenſiles, ſtrictæ, tenſæ, immobiles; ideo non tam facile occurrunt elaſtici, tremulique corporum oſcillantium motus, ex quibus inflammationes, morbique acuti ſunt in limine.

LIPPITUDO OPHTHALMICA

POTIUS oculorum morbis ſubjecti ſunt, ob moram in ſtabulis, & tuguriis, acri ſalitoque fumo plenis, a quibus tunicæ irritantur.

PERIPNEUMONIÆ SPHACELI

QUI tandem morbi illis regionibus immineant, conjiciendum a ſanguine craſſo, lento, ut diximus, qui undique ſtaſes poteſt efficere; rationeque loci, ubi quieſcit, ratione effectuum, quos producit, variis ægritudinibus anſam præbere; præcipue ſi maritimi, aut boreales gelidi afflatus conſpirabunt ad hunc, vel illum morbum producendum magis.

MERCURIUS

IN Norvegica ditione aptum ſibi reperire poſſunt remedium lue venerea affecti, ob abundantes inibi fodinas, quæ dant præſtantem Mercurium.

GENTIANA

GENTIANA in Norvegia & per Daniam totam adhibetur tanquam zinziber.

ALCES MANDUCATÆ

IN Norvegia, ſed præcipue in ejuſdem partibus borealibus ruſtici alces venantur, & illorum carnibus utuntur, ſed crediderim, non nimis tuto conſilio. Quandoquidem caro durior eſt, quæ difficulter ſtomacho, & ceteris viſceribus aptabitur. Hinc morbi. Sed de Norvegicis mirandum non eſt, qui Urſos, pro cariſſimo illis cibo, vorant.

PLACENTÆ NORVEGICÆ

IBI fit quidam panis biſcoctus, non ex tritico, aut ſecale, ſed ex corticibus arborum compactus, qui fertur per totam Daniam, & uſui minus divitum inſervit.

PANIS QUADRAGINTA ANNORUM

PATRES familias commode rebus ſuis conſulere poterunt, ſi verum eſt, quod Bartholinus refert, in Norvegicis provinciis confici panem biſcoctum, taliterque elaboratum, ut incorruptus ad ætatem quadraginta annorum perveniat.

(1) Joannes Hummelius commentationem publici juris fecit, de Arthritide, tam tartarea, quam ſcorbutica, quæ edita eſt Budingæ, apud Chriſtophorum Stroech.

(2) De ſcorbuto videri poteſt Diſſertatio epiſtolaris nuper producta a Georgio Enrico Kramer, miſſa D. Treuu Medico, & Conſiliario Aulico; ubi etiam de Groenlandia ſermonem facit, ob aerem *paludoſum*, *humidum*, *inæqualem*, & deficientem cibis recentibus, hinc ſcorbutica affectio producitur.

(3) In Hiſtoriis Morborum pag. 103. nos eademmet commentati ſumus.

ANTISCORBUTICUM

AB anno 1387 uſque ad noſtram hanc ætatem Norvegia paret Regi Daniæ. Rara eſt terra, quæ inibi reperitur, *antiſcorbutica* dicta, *rubri coloris*, *ſigillatæ non abſimilis*, commendata ad ſudores promovendos, & præcipuum in affectionibus ſcorbuticis alexipharmacum. (1)

TORMENTILLA, ET CHAMÆMORUM

IN Norvegia pariter abunde proſtat tormentilla (2), quæ multiplici in uſu eſt. Proſtat inſuper chamæmorum peculiare illius regionis.

FINLANDIA

NORVEGIÆ ſubjacet Finlandia, cujus populi Finni dicti, fortes, & vegeti, adeo ut referant mulieres, occaſione partus, fere nunquam auxilii indigere, ſed cito ad domeſtica munia redire. Præcipuus ipſorum cibus piſcis eſt, *oret* nomine.

BALNEA

BALNEIS utuntur frequenter, ſpe ſe præſervandi a multis morbis. Sed methodo, quam circumſpecti Itali damnarent. Hoc eſt in quadam clibani ſpecie, & quibuſdam vaporum gradibus, qui affatim illos ſudantes reddunt. At, horrendum dictu, (quod fuſius fortaſſe tractatu de Moſcoviæ Medicina conſtabit) frigidæ aquæ e veſtigio ſubitanea effuſione totum corpus humectant, & hyemali etiam tempore, ſe ſtatim aeri exponunt. Hoc modo num ſe a morbis præſervaturi ſint, judicent alii.

SEELANDIA

FONS MEDICATUS

IN Seelandia, provincia Daniæ, prope pagum *Tiiſuuelde* adeſt fons medicatus, S. Helenæ dictus, marga, boloque, terræ ſigillatæ non abſimilis, fæcundus, quo Medici Dani utuntur in ophthalmiis a ſanguine turgente ſulphureo, & in oculorum tunicis ſtagnante, ortis; ubi partes refrigerandæ, & humor veluti repellendus. (3)

NONNULLA REMEDIA

SPECIFICA, AUT PECULIARIA, ET IN TOTO DANICO REGNO FREQUENTIORA

MORORUM SUCCUS

IN aqua ſolvitur ad ſitim fallendam, & undique adhibetur, præcipue in affectibus ſcorbuticis tamquam mirabile remedium.

AQUA NIVATA

Bartholinus archiater Danus (4) docte explicat conditiones, & caſus adhibendi aquam nivatam. Verum de hac dicemus, ubi de urbe Neapoli.

BALNEUM FRIGIDUM

Alibi pariter de balneis frigidis in hoc opere locuti ſumus. Quare laconice agendo, monemus circumſpecte intelligendum eſſe Danorum morem, & præcipue Henrici Ranzovii, illuſtris illius Regni decoris, multa promittentis uſu balnei frigidi; exemplo Parentis ſui, qui ad ſeptuageſimum tertium ætatis annum pervenit; tanto magis, quia doctus ipſe vir non dicit balneum frigidum, ſed *ſubfrigidum*. Additque corpus prius non debere eſſe calefactum: quæ probant, balneum non debere eſſe ſumme frigidum, & cum circumſpectione eſſe in uſu ponendum.

ANTEPILEPTICUM CHRISTIANI III. REGIS DANIÆ

℞. Cranium hominis, præſertim furis ſuſpenſi, nulliuſque morbi interventu mortui. Hanc calvariam in craticula aſſam ad pulverem redigit. Deinde accipito tria grana peoniæ, atque hanc cum una drachma prædicti pulveris, & aqua lavendulæ ad quantitatem unius cochlearis ægroto, tempore matutino exhibeto. Poſtero, & tertio die fac idem.

ACETOSELLA

Acetoſellæ decoctum rubrum Dani pro vino potant.

ANGINA

Anginam curant, aut, ut cautius loquar, curare ſatagunt, interne ſucco expreſſo ſtercoris equini; externe, ſale nitri cum melle cocto.

ARTHRITIDIS REMEDIUM AD MENTEM EMPYRICORUM DANORUM

Illud eſt aqua cannabis, qua ipſe Rex Sueciæ, & Gothiæ uſus eſt.

Ma-

(1) Videatur Dolæus de Morbis Abdominis, & ſignanter de Scorbuto, pag. 236.

(2) Ruſtici Norvegici, & etiam Dani ab Haphnia remoti, quibuſque res eſt anguſta domi, curant cachexias Hydropes, omnemque aquam intercutem, tormentilla.

(3) Circa curationem ophthalmiæ extat etiam arcanum Danum: quod nihil aliud eſt, quam extractum trifolii aquatici: *Aqua ophthalmica Arniſæi* dictum.

(4) In Medic. Dan. pag. 316.

Matricis morbi

Fomento fenugræci, lini ſeminis, meliloti, papaveris, in cerevisſia coctorum, addito ovi luteo.

Ulcera aurium

Sanat lupuli ſuccus.

Dolores capitis

Mulierculę Danę nudo aptant capiti panem ſiligineum, cum ſale, & aceto, additis interdum abſynthii ſummitatibus.

Dentium

Radix hyoſcyami in aceto cocta, calendula bombyce involuta, radix iridis aquatica, tormentillę, & ſuper omnia lixivium ex euphragia, quę in Danis agris mirum in modum progerminat.

Epilepsia

Collo appendunt ſemina peonię, & ungulam alcis; naribus offeruntur ruthæ folia conciſa in aceto ſambucino. Potatur aqua ciraſarum nigrarum, hyrundinum, liliorum convallium.

Hæmorrhagia narium

Turunda ex lyſimachia, vel ſucco ejus conficitur, aut ſucco argentinæ, & burſæ paſtoris. Item adhibentur putamina ovorum, urticæ tenellæ. Aceto partes pudendas immergunt. Naribus aptant ſtercus ſuillum calens. Sanguis effluens exſiccatur. Item ligaturæ, vapor aceti atrahitur, radix zizaniorum ſub lingua detinetur; Pariter turundæ ex alumine cum argilla. Super nares numiſma frigidum comprimens.

Ad oris affectus in scorbuticis

Gallæ immaturæ, balauſtia, vitrioli, & ſalis ſpiritus in convenienti vehiculo.

Paralysis

Membris affectis aptant aquam vitæ, in qua infuſa fuerint lavendula, ſalvia, juniperi baccæ, majorana; item ſpongia imbuta lixivio ex ſale nitri.

Scabiem

Curant aqua piſcium ſalitorum.

Cataplasma vulnerarium Regis Daniæ

Contra quemvis ictum, & contagionem ipſe Chriſtianus II. Daniæ Rex utebatur cataplaſmate. ♃. Ceræ ℥ III, picis græcæ, axungiæ thymalli, mumiæ anna ℥ .s., myrrhæ ℥ I, minii ℥ .s. corallorum alborum ℥ III, magnetis ℥ I. Ceram cum colophonia diſſolvi facito, deinde mumiam, poſtea axungiam.

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO VIRO

JOANNI SAMUELI CARL

Regis Daniæ Archiatro, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio

Franciscus Co: Roncalli Parolinus

S. P. D.

Obstrepit in his longinquis uſque terris tuorum meritorum fama, clariſſime Archiater; ideo admirari non debes, ſi benevolentię tuę anxius ipſe accedo, neque inquietari, ſi per momentum cauſa ſum, ut a multiplicibus ſtudiis, rebuſque tuis divertas. Annus integer excurrit, ex quo tomum unum ex Operibus meis tibi miſi, & mediator, nunciuſque illius levidenſis doni fuit ſpectatiſſimus Archiater Regis Poloniarum Philippus de Violante. Quia vero immenſo tractu, & incerto ſeptentrionali mari diſtamus, hęreo perplexus, num tenuis illa meę obſervantię arrha interciderit; indeque nunc favorem in me, in literariam Rempublicam, quem petieram, fruſtra expectem. Iterum igitur audere cogit neceſſitas, ſuadetque ſecuritas tuis meritis innixa, tutus, & in ſpem erectus fore, ut ſupplicationes, & quæſita mea accipere, teque, componendi vena, & eruditione divitem, reſcribere, res una ſit.

Mens illa, de qua tam docte locutus es in *Parænesi* tua *Medico-Morali*, impenſis Jacobi Preuſſii, Haphnię cuſa, jam ſcis quomodo interdum evolet, ictuque oculi orbem peragret. Videns univerſas, & ſingulas Provincias ſua habere inventa, & medendi modum; videns inſuper ea non undique proſtare, quia non omnia fiunt communia; videns denique, quæ nota ſunt in abuſum converti, non animadverſa climatum diverſitate, neque bene introſpecta Auctorum idea; Cogitavi num tam multiplex, & varia adminiſtrandę Praxeos methodus ad lancem uno in volumine colligata, & revocata, & opportunis adnotationibus excuſſa, bonam in partem accipi ab æruditorum cœtu potuiſſet. His poſitis, cultiorem Orbis partem ſelegi, Europam volutavi, & ſi fas eſt dicere, totam nunc etiam epiſtolis ſubverto; conſcius inde meę tenuitatis, & dubius num mea placitura ſint, adlaboravi provide, ut alii docti homines evadant pars Operis mei, & ſpecimen unuſquiſque ſuę Medicinę in epiſtola mihi tranſmittant. Intelligis Dane Hippocrates, quid a te vellem, quid opto. Si ſummi Regis mandata, aulicę, & urbanę aplicationes te diſtinent; age, ut ſaltem breviter mihi aliquid tuo in cœlo uſitatum, ad reſtaurandamque humani corporis fabricam aptum, pręnuncies. Nonnulli, ex tot, a me viſi labores tui, puta, *Therapia Dogmatico-Clinica ichnographice delineata, de natura indicationis, & indicati in uſu aqua-*

rum

rum ſoteriarum, lapis ac lutum pro renovationę laboratorii Chymici, ſunt ungues, qui leonem me faciunt cognoſcere. Itali typi, una a tuis ſcriptis decorati, libenter ſudabunt.

Ipſe autem, ut perpeſſum infortunium vitare ſtudeam, pręſentis epiſtolii duplex exemplar tranſcribo, & per vias diverſas mitto, ut uno amiſſo, aliud non deficiat. Ipſiſſimum Tu quęſo modum ſerva; vałę, & fave expectanti.

Brixiæ 16 Martii 1745.

PERILLUSTRI AC CELEBERRIMO VIRO

JOANNI GOTTLIEB BOETTICHERO

In Regia Haphniæ urbe Medicinæ Profeſſori, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio.

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

ELAPSO vere, epiſtolam miſi Pręſtantiſſimo Archiatro Joanni Samueli Carl, qua & neceſſitudinem noſtram exhibebam, & aliquid ſcitu dignum circa Danam nunc uſitatam Praxim percontabar; ſed vereor, ne fatali horum temporum, & Bellorum pręſertim in Germanicis Provinciis viciſſitudine, amiſſę perierint literę, & fruſtrata ſpes noſtra reſponſorias obtinere non poſſit.

Dum ergo in hac noſtra Brixię urbe, hiſce ſignanter diebus dum ſcribo, multæ rationes circumeunt circa rariorum vermium (1) exiſtentiam; dumque ipſe etiam (ut in arduis quęſtionibus mos eſt eorum, qui ſcire cupiunt, & veritatem quærunt) libros evolvebam, ut ſapere viderer, meas in manus, & ante oculos pervenerunt obſervationes tuæ in Dimacha Germano, & in muliere Pomerana factę, e quorum corporibus raros vermes (2) exitos vidiſti, fortunatumque eventum arguendum putaſti, pręcipue ab adhibitis anthelminticis.

Non inficior, validis conjecturis, & auctoritatibus id inniti. Noſque ipſi in Italia eandem methodum ſequimur, in enecandis, fugandiſque vermibus in humano corpore latitantibus, & ſuadet ratio, aromatico-amaris eſſe deponendos, saccharatis vero, in rectum adactis, inferius alliciendos, ut alta non vellicentur, & prope exitum deſcendant. At mi Joannes, quiſnam ſcit vermium inclinationem, genium, alimentum? Profecto ſi inter fęces continuo nidulantur, poſſemus etiam ſuſpicari magis inhiare eſcę amarę, corruptę, putreſcenti, quam dulci. Nonque per id, ſtatim in adacto ſaccharino clyſterę, ad nandum deſcendere. Quid porro? Poſtrema ipſa celeberrimorum virorum experimenta non ne palam faciunt, vermes in mercurio, ceteriſque anthelminticis obvolutos diu adhuc vitam protrahere? Sique hæc in aere libero, in miſcella vegeta, & forti, multo minus in inteſtinis, ubi actiones cum reactionibus confunduntur, ubique anthelmintica, amplius talia non ſunt.

De vermibus roſtratis, cucurbitinis, piloſis multi multa dicunt. Inter quos Spigelius, Sennertus, Panarolus. Sique libere te alloquendum, vidiſſem libenter ichonem, figuramque, ſaltem calamo adumbratam, illius, qui habebat *dentes acutiſſimos, ſerratim poſitos, multoſque pedes &c.*

Sed vela jam contraho, optans ſolum, ut duabus in rebus mihi faveas, & quidem primo, ut has, tanquam teſſeram, pignuſque novellæ amicitiæ noſtræ, bonam in partem accipias. Secundo, ut ſpecimen aliquod præſentis Danæ Medicinæ mihi notum facias: cupiens ſcire, num revera ſcorbutus veſtris in regionibus adhuc ſæviat, an vero vires eundo amiſerit, ut de endemiis adventitiiſque morbis interdum evenit, num utilitates ab Enrico Ranzovio promiſſæ, uſu balneorum frigidorum veræ ſint, numque febres inibi ſpiritu vini curentur.

Sique de his loqui non vis, aliud adhuc quod tibi placeat, quodque ad inſtaurandum hominem, utile in ægris viſitandis vidiſti: duæ, vel tres pagellæ, una in epiſtola mihi ſufficient, ut diſcam, & aliqua in re Danos imitari poſſim. Vale, ac ſcias, reſcribendo te fauturum Collegæ (3) tuo. Iterumque vale.

Brixiæ Venetorum 10 Septembris 1745.

ILLU-

(1) In Pago Brixienſi *Cocaglio* dicto famulus quidam dominorum de Bianchi, Antonius Beſta, repertum in ovo ait animal, quod multis, ut mos eſt, diſquiſitionibus anſam præbuit. Supoſitum animal, ſerpentem nonnulli dicebant, parvæ ſphitamæ longitudinem, minimique digiti craſſitudinem æquabat. Colore ſubflavum, & cum grandi cap[illegible] rictum imitabatur. Sed cum in cocto, & conſiſtente o[illegible] involutum, & circumplicatum eſſet, & inſuper expoſitæ partes eſſent pſeudo fictæ, & adumbratæ, reliquum eſt, ut potius de informi maſſa, deque monſtroſo pullo, aut pulli embryone dubitemus, quam quod ad canenda anguium, ſerpentumquę miracula, ut viri portentiferi facere ſolent, divertamus.

(2) Marta . . . . habitans non longe ab urbe, in Burgo *Pile*, poſt tormina in regione abdominis, & veſicæ, necnon dolorificas ventriculationes, mictos refert centenos, & ultra vermes, albo-rubicundos, molles, duobus digitis tranſverſalibus lungos, caudatos; quorum nonnulli, mortui tamen, a nobis viſi, de illis habiti ſunt, qui in latrinis conſpici ſolent. Obſtante licet optimi nominis Medico, humanos mictos mordicus, licet non viderit, promittente, & ſuſtentante.

(3) Epiſtola Andreæ Eliæ Buchneri Comitis Palatini S.R.I. Nobilis, Conſiliarii Pruſſiæ Regis, & Academiæ Imperialis Curioſorum Præſidis, Halæ Magdeburgicæ data, admoneor de aggregatione noſtra.

ILLUSTRISSIMO ET CELEBERRIMO DOMINO

JOANNI CHRISTOPHORO RIEGER

Franciscus Co: Roncalli Parolinus

S. P. D.

VIx dicere poſſum, amiciſſime Rieger, quo gaudio epiſtolam tuam, ad Anglorum Medicinam ſpectantem, acceperim, quantaque cum aviditate pluries relegerim. Quippe cum Londinenſium reſponſionum adhuc jejunus ſim, propeque diem opus meum, in quo alphabetico ordine de Britannia prius diſceptandum eſt, typis tradere putem, aperte vides, quantum cara mihi eſſe potuerit, potiſſimum quia ab optimo inter doctos proveniens.

Secunda eſt Dania, ubi duos pariter illuſtres Viros Carl nempe, & Boetticherum excitavi: ſed fruſtra. Ideo ſi etiam de illa aliquid luminis mihi promovebis, me plurimum devincies, in hoc te optans procuratorem, non actorem. Ne Critici in opus noſtrum, tuam tantum amicitiam mihi improperent; ergo vel ſcribendo, vel loquendo adde per amicum editioni Danicum decus, ſi potes: & ſancte promitto in hoc non amplius moleſtum fore. Tua octiduum ante poſtremam mihi miſſa, intercidit. At ſi perveniſſet, pergrata quidem, ſed ſerotina circa monitum non mittendi Bibliopolæ Genevenſi Goſſe librorum faſciculum, quandoquidem in illius manibus jam extant. Quod, ut certo ſcias, & videas, includo epiſtolam ejuſdem Goſſe, uti pignus ad exigendum, quoniam video rem tuam cognationis catenam aliquantulum fregiſſe.

Interim vale, & da nomen, cujus medio officia noſtra eundo ſemper magis augeantur.

Brixiæ 24 Novembris 1745.

Illuſtriſſimo, ac Celeberrimo Domino

Francisco Comiti Roncalli Parolino

S. P. D.

JO. CHR. RIEGER

ULtimæ Tuæ 24 Novembris ſcriptæ redditæ mihi ſunt ante hoſce tres dies. Grata tibi fuiſſe, quæ requiſitus ad te ſcripſi, gaudeo, non quod gratias me meritum opiner, ſed quod, quantulacunque mea ſint, amicorum optimo placeant. De Dania ut reſciſcerem, tibi utilia futura, quæ crederem, videbam ſtatim [quam nemo mihi ex illius terræ Medicis notus ſit, nec hic inter Batavos noverim qui, quod vellem, me docere poſſit:] ad ſolos mortuos conſultores hic optimos mihi recurrendum eſſe. Excuſſi itaque auctores quotquot potui; in quibus tantummodo ſparſim quædam reperi de Scorbuto endemio Daniæ morbo; ſed talia, quæ non uni Daniæ propria, & abunde ex perſpecta iſtius morbi indole nota ſunt. Fortaſſis Acta Hafnienſia *a Tho. Bartholino* 4. *edita in rem tuam conferre poſſe videbuntur, ſi juvat perſpexiſſe Obſervationes Medicas in Dania factas. Quo modo ibidem tractentur ægri, per exempla etiam patet in ejuſdem* Bartholini liſta Medica Hafnienſi, *Hafniæ* 1662. 8. *pag.* 409. 439. 494. *Proxime tamen ad ſcopum tuum, & ſolus, quantum novi, collineare mihi videtur idem auctor in Tractatu, cui fecit titulum:* De Medicina Danorum domeſtica Diſſertationes X. Hafniæ 1666. 8. *De contentis ejus nil adfero, quia omnino totus, ut excutiatur, digniſſimus eſt: nam eſt ibi, præter alia, integrum caput* de Morbis Danorum curandis, *& aliud*, de Morborum Daniæ popularium remediis inquilinis*; ut taceam alia*, de pharmacopoea Danica, de victu, & potu Danorum. *Evolvi etiam mereretur* Simonis Paulli Quadripartitum Botanicum, *in indice Rerum voce* Dania; *& poſt dictos* Olai Borrichii de uſu plantarum indigenarum in Medicina Enchiridium, Hafn. 1688. 8., *&* 1694. 4. *Atque hi ſunt Dani de Dania docentes viri doctiſſimi.*

Fas ſit mihi, amiciſſime Domine, addere, quos mihi notatos reperio in ſchedis meis auctores, ad inſtitutum tuum, ſi quid indicare poſſum, omnino facientes;

De Svecia; Acta Literaria Sveciæ, *quæ an.* 1720. *Upſaliæ in* 4. *publicari cœperunt*. Linnæi Oratio de neceſſitate peregrinationum intra patriam, Lugd. Bat. 1743. 8. *pag.* 20.

De Lapponia; Car. Linnæi Flora Lapponica, Amſtel. 1737. 8.

De Polonia; Gradtelii Warſavia *phyſice illuſtrata, Dreſdæ* 1730. 8. *p.* 152. *ſq.* Mich. Aloyſii Sinapii *Abſurda vera ſive paradoxa Medica. Genevæ* 1697. 8. *Part.* 1. *p.* 111. *ſq. Part.* 2. *pag.* 26. *ſq.*

De Polonis, *Lithuanis, Tartaris, & Coſacis pulcra curioſaque, latine ſcripta inveniuntur in* Philoſophical Tranſactions abridged. *Lond.* 4. *Tom.* 3. *p.* 606. *ſq.*

De Bohemia: Joh. Sophronii Kozak Tractatus Medicus de Sale. *Francof.* 1663. 4. *pag.* 42. Jac. Joſ. Jaepſerii *Iſagoge ad vitam longiorem. Norib.* 1680. 4. *p.* 39. 542.

De Weſtphalis, *hominibns porcivoris, dicit Plempius in de Togatorum Sanitate tuenda p. m.* 161. *quod pene omnes fœde ſcabioſi ſint. Vide quædam in introduct. mea Tom.* 1. *p.* 598.

Quod ſcabies, & eryſipelas frequentes in Scotia ſint morbi, annotatum eſt in Medical Eſſays, *Edinburgi* 1733. 8. *excuſis, p.* 78. *ſq.*

De Fluore albo, quod ſit mulieribus Berolinen-

nenſibus endemius morbus, dicitur in Actis Medicorum Berolinenſium *Decad. 2. vol. 3. p. 25.*

Ad Noſographiam Helveticam ſpectantia ſunt in Ephem. Naturæ Curioſ. *Centur. 6. append. pag. 109. ſq. & Germanice in Jo. Jac. Scheuchzeri Hiſtoria naturali Helvetiæ, Tiguri 1706. ſq. 4. Tom, 2. p. 189. Tom. 5. p. 137. 322.*

De Belgis memoratu digna reperio in M. A. Sinapii tractatu de remedio doloris. Amſtel. 1699. 8. p. 92. ſq., & in libello, cui titulus Synopſis *diſcurſum a Magiſtro Hermanno van der Heyden. Lond. 1653. 12. pag. 118. ſq.*

Vale, & ſi alicujus opellam meam judicas utilitatis, utere me Tuo.

Dabam Hagæ Comit. 1745 16 December.

ILLUSTRISSIMO ET CELEBERRIMO

ANTONIO FORMICA SICULO

Epiſcopi Culmenſis, & Supremi Poloniæ Cancellarii Medico ordinario

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

TUAM accepi Epiſtolam, ſeu ut potius dicam, elucubratiſſimam Diſſertationem, & Tractatum de Polonorum morbis, & remediis, ex quo perbelle elucet ingenii tui vis, & in examinandis morbidæ naturæ myſteriis nunquam ſatis laudata ſedulitas, quibus difficilima ars meliori in lumine collocatur adeo, ut mediis typis juvandam Europam, augendamque editionem noſtram cenſuerim.

Tam inſuper cognovi, te præſens Inſtitutum meum cognoviſſe, ut libenter ſeligerem advocatam, & patronam perſonam tuam ad mihi promovendum reſponſum etiam ex alia ſeptentrionali regione, Dania ſcilicet, quam hactenus fruſtra literis meis excitavi. Cumque ab eadem tu minus diſtes, optarem, ut directe, aut per amicum in Jutia meridionali, Cimbrica Cherſoneſo, Norvegia, aut Haphnia (quod melius, quia inibi Academia floret) ad Sundicum fretum ſita, commercium habentem, doctum aliquem in Medicis doctrinis Profeſſorem moneres de meo molimine, deque ſumpto argumento; & quaſi dixero, vim faciendo conſuleres, ut Danam præſentem Medicinam deſcribant in Epiſtola. Utque de certo concupitum favorem eliceres, permittendo, ut breviſſime, per epilogum, unam tantum, vel alteram rem, ad Praxim ſpectantem, motitaret v. g. quod remedium nunc adhibeant pro curatione ſcorbuti; numque revera in Norvegicis regionibus reperiatur *terra anteſcorbutica*, dicta, ſigillatæ non abſimilis, admirandos effectus in curatione efficiens; num abſint Guttarii; num etiam ægrotantibus, ut ait Bartholinus, permittatur æſus carnium ſalitarum, & fumo induratarum; num denique habeant ſuam cerevisiam medicatam pro variis morbis; aut qualecumque aliud illis volupe, deſcribant, quod etiam in Varſavia iſthic tua fieri poſſet, ſi ultra Danorum librorum ſupellectilem reperiretur aliquis, qui itiones fecerit in illas Provincias.

Jam intellexiſti: quare ſuperſedeo, de eo uno te certum faciens, locum vacuum trium, vel quatuor pagellarum in editione me eſſe derelicturum, ut te curante, & optime merito: expectata reſponſio circa Danam Medicinam intrudi, atque honorifice collocari poſſit. A ſecundo hoc meæ audaciæ teſtimonio argue quanta fides in te reponatur. Reliquum eſt ut pari lege aliquid jubeas. Et vale, Reverendoque Bonaventuræ Viſikoski Franciſcano Patri, quem per Brixiana mœnia tranſeuntem, duobus ab hinc annis meo in muſæo habui, meo nomine plurimam dic ſalutem.

Brixiæ Venetorum 1 Octobris 1745.

VIRO CLARISSIMO

HENRICO AUGUSTO GERLACH

In Hanzeatica, & libera Hamburgi urbe Medico celeberrimo, & Imperialis Germanicæ Curioſorum Academiæ Socio

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

MIRABERIS fortaſſe, Auguſte ornatiſſime, adaperiens has noſtras, videnſque novum ſcribentem hominem, qui nunquam, nec coram, nec commercio tibi innotuit: & ſupercilia fortaſſe caperans, dices: Quis eſt hic audax, moleſtiamque ferens abſque nuncio, abſque meritis? Verum, ſperare juvat, perſuaſus mutaberis, veniamque dabis, illico ac tria tibi conſtabunt.

Et quidem primo. Deberi nomini tuo, in has noſtras uſque oras percelebri, ut a remotis etiam plagis officia per literas mittantur, notumqne faciant ii, qualeſcumque ſint, qui diſcere amant, tuam benevolentiam ſummopere concupire.

Secundo. Id petere honorem non ita pridem collatum ab Imperiali Leopoldina Academia veſtra, quæ me, auſpice nobili Elia Buchnero Preſide cooptavit, tibique ſocium renunciata eſt. Hinc vides unum argumentum incipientis neceſſitudi-

tudinis noſtræ: quam, faxint ſuperi, ut eundo, creſcentibus novis ſtudiis, ſemper magis augeatur.

Tertio: Neceſſitas, potentiſſimus ille tyrannus, qui dictatoria auctoritate thronum ſibi ubique figit. Cum enim ſtudia noſtra eo venerint, ut extera documenta mihi neceſſaria ſint, & hactenus irrito eventu tentaverim Haphnienſes Profeſſores, ut de Danicis medendi uſibus mihi aliquid in epiſtola adumbrarent; neque ſinat inſtitutum meum ad Medicinam plurium, præcipuorumque Regnorum pertinens, ut populi rituſque Cimbricæ Cherſoneſi omittantur, aperte vides, me non ad alium confugere poſſe, niſi ad virum doctrina conſpicuum, humanitate, ceteriſque animi dotibus divitem, qui, utpote illis regionibus proximior, & fortaſſe illorum literatorum amicus, meique propoſiti patrocinator, per frequentiores, quam apud nos, tabellarios, vel Carl, vel Boeticcherum ſollicitaret ad favorem, & reſciret, num meas acceperint, & cur non reſpondeant. Tu ille mihi viſus es. Age ergo: ſique ſupradicti duo abſunt, aut adhuc renituntur, alios urge vel advenas, vel indigenas, vel viatores. Tandem omnibus deficientibus, tu ipſe, a me humiliter obſecratus, favere ne graveris, & aliquos præſentaneos Danicarum inſularum medendi floſculos, breviſſimo ſaltem in epiſtolio, tange, excerpendo deliba, & in Italicam manda terram. Aucti, & prælo, una cum operibus noſtris, traditi, adoleſcent, & in utiles fructus maturabuntur ſub Veneto cœlo. Mutuaque doctrinarum inſitione enata, ſurgentiaque beneficia viciſſim rependentur.

Summo Archiatro, & Profeſſori in Academia Kilonienſi Erneſto Gotthold Struue mea mitte obſequia; eademque porrige immortalis famæ viro Samueli Ermanno Reimaro, cujus doctrinam, ab Eminentiſſimo Sapientiſſimoque Cardinali Quirino plurimi factam, hic etiam ſuſpicimus: quique fortaſſe mentionem de nobis, deque quodam Opere noſtro circa Brixianas aquas, vidit in Epiſtola ejuſdemmet Principis ad Petrum Paulum Marcolinum data, quam anno elapſo Hamburgum miſit.

Si locorum diſtantia non obſtaret, tibi libenter dono ſiſterem poſtremo editum in folio maximo volumen, cujus fortaſſe ſpecimen vidiſti in Actis Lipſienſibus menſis Novembris 1744. pag. 648. Interim modum id exequendi meditabimur per Bolzanenſes Nundinas, quæ probabiliter cum Holſatiæ (de qua aliquid in alia Epiſtola) emporio aliquam habebunt catenam, præſertim ſi noſtra officia non dedignaberis. Vale

Brixiæ 6 Decembris 1745.

VIRO CLARISSIMO

HENRICO AUGUSTO GERLACH

In Libera Hanzeatica Hamburgi urbe Medico celeberrimo, & Imperialis Germanicæ Academiæ Socio

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

ELAPSO Decembri ſcripſeram ad te, rogans, ut, quia Daniæ regioni magis proximus, mihi aliquid moneres in epiſtola, quod ſcitu dignum, & in praxi utile uſuvenit in Jutia Meridionali, finitimiſque locis. Ut in hoc igitur faveas, accedo iterum, & addo ſchedulam illas in regiones alicui Literato mittendam; ſcire etiam optans, num adeo frequenter malignæ febres Danico in Regno graſſentur. Quandoquidem Scriptores diu, noctuque volvens, frequentes video productos caſus, & conſilia ad dirum morbum pertinentia. (1)

Præter quam quod celeberrimus etiam Johannes Gottlieb Boetticherus, in Danico cœlo ſydus, ſuo in opere (2) docte inquirit non minus in peſtem, & peſtilentiam (3) quibus Hamburgum urbs tua vexata fuit, circa quas notabile illud, Theriacam, & Mithridatium fuiſſe noxia; verum etiam in Haphnienſem, ubi poſt relatam circumſtantiam, decreſcente luna mulieres, juvenes vero, & plethoricos *circa plenilunium occubuiſſe*, illud rarum, *Hypochondriacos*, *natura ſua meticuloſos licet*, *ab infectione tamen liberos*, *& ſalvos manſiſſe* (4). De quo ſane hypochondriacis, ſi verum, gratulandum ſummopere eſſet.

Danicum vero propoſitum dogma abſtinendi ab emeticis, nobis potius arridet, & in hoc Septentrionalis Medicina cum Italica pari paſſu it: quandoquidem tunc violentis niſibus humana machina quatienda non eſt, niſi certo excretorii ſint.

Ceterum, quæ Haphnienſis Profeſſor proponit pro curandis illis morbis, nimium *alexipharmaca*, *ſudorifera*, *lateres calidos plantis pedum applicitos*, *inguinibus*, *axilliſque*, *veſſicam ſuillam aqua calente repletam*, *acida*, *camphorata*, *ſuccinata*, *bezoartica* (5) laudem mereri etiam a Profeſſoribus aliarum regionum poſſunt, feliciterque uſurpari. Verum Boetticheriana propoſitio non tangendi Chirurgicis operationibus bubones, antequam ad verum pepaſmum, & abſolutam maturationem pervenerint, a nobis non probatur;

G tur;

(1) Facultatis Medicæ Haphnienſis Conſilium de præſervatione, & curatione febris malignæ graſſantis. Haphniæ 1676.

(2) Morborum malignorum, in primis peſtis, & peſtilentiæ, brevis, & genuina explicatio ſanis principiis, & propriis obſervationibus ſuperſtructa. Hamburgi, impenſis Viduæ Beni Schilleri 1713.

(3) Peſtem a peſtilentia diſtinguit, & ſecundam ratione graduum periculoſiorem ſtatuit.

(4) Mangettus in Bibliotheca ſcriptorum. pag. 342.

(5) Reprobatis fonticulis præſervatoriis.

tur; & eſt contra id, quod loquentes de Anglicana Medicina propoſuimus; quia homine laborante, ultimiſque fatis inſtantibus, portæ aperiendæ ſunt, per quas coercita venena, cito agonem productura, abeant; ſique inter has anguſtias maturationes expectarentur, ſero nimis Medicina pararetur.

Si tamen ſcire vis, qualem Scriptorem ipſe eligerem pro diſcenda Danica (1) Medicina, proque ſeptentrionalibus illis dogmatibus bonum in uſum vertendis, certe eſſet præſtantiſſimus Olaus Borrichius, de quo in ipſo tractatu laconice mentionem feci; quandoquidem illum video fuſe, & circumſpecte agentem de rebus in arte præcipuis, diligentem Botanicum, attentum obſervatorem, & Anatomicum, ingenuumque relatorem eorum omnium, quæ morbos inter, & ægros verſando vidit. Rationi conſona ſunt, quæ deſcribit, ideſt interdum 1. *variolis* retrocedentibus *veſicantia* juviſſe, 2. *menſtruis* fluentibus venæ ſectionem in brachio fuiſſe funeſtam, 3. cardialgiam a fumo Mercurii productam, decocto pimpinellæ, & ſaxifragiæ curatam, 4. lotii qualitati in febribus malignis non eſſe fidendum, 5. ex pleuritide furorem uterinum ſubinde natum, 6. dyſenterias croco martis adſtringenti curatas, 7. denique extremum productum fatum ab applicatione argenti fugacis carpis manuum, ut febrim tollerent: ex quibus, & aliis bene multis, quæ mittimus, colligi poteſt, quantum non ſolum Daniæ gentes debeant Clariſſimo patrioque Scriptori ſuo, in Ripenſi Diœceſi anno 1626 nato, ſed etiam Medica in univerſum Reſpublica, ob tot documenta, quæ in noſtræ etiam ætatis medentes utiliter propagata ſunt. Faxint ſuperi, ut & in aliis quoque regionibus huic Dano conſimiles Borrichii renoventur, & floreant; Tuque parce fuſe dicenti, quia de illis rebus nunc nimium præoccupato, & ut valeas, animitus precor.

Brixiæ 1. Januarii 1746.

FRAN-

(1) Ad Therapiam quod ſpectat, videri poteſt Danica Pharmacopæa, cui titulus: Catalogus, & valor medicamentorum Haphnienſium cum taxa Pharmaceutica. Haphniæ 1672.

FRANCIÆ
CLIMA, CONSTITUTIO, FLUMINA ACADEMIÆ, ET INDOLES POPULORUM.

REGNUM Franciæ ab occidente ad orientem, 250 leucis in longitudine extenſum, iiſdemque 237 a ſeptentrione ad meridiem latum, terminatur ab oceano Aquitanico, & Mediterraneo, necnon a montibus Pyrenæis, quibus intercedentibus ab Hiſpania dividitur. Ab alio vero latere præcingitur mari Britannico, & Belgii parte, tandemque, quod reliquum eſt, Rheno a Germania, Alpibus ab Italia ſeparatur.

Latitudo ſeptentrionalis deſumitur a 42 gradibus uſque ad 51, & quamvis multiplicibus ventorum afflatibus, annuarumque eteſiarum, & circii incurſibus obnoxiæ ſint illius provinciæ; fertile, omniumque rerum, quæ in uſus, & eſcam cedunt, abundans quammaxime eſt; adeo ut major vix alibi videatur populorum frequentia.

Totum Gallicæ terræ tractum multa interluunt flumina; inter quæ quatuor primaria ſunt, nimirum Ligeris (1), Sequana (2), Rhodanus (3), & Garumna (4), quæ navibus magnis onuſta, lotas, tranſituique ſuo magis proximas regiones ditiores reddunt.

Florent in Gallicis, fere dixero, quibuſcumque Provinciis Univerſitates, & Academiæ, doctiſſimorum undique virorum cœtu, toto orbe celeberrimæ; in quarum inſtitutionem, & gloriam, ut Pontifices, Imperatores, Cardinales, Duces, & Principes vota ſua, invicem certando, contulerunt, ita ſupra omnes ipſi Galliarum Reges in hanc rem theſauros profuderunt, & perenni literatorum protectione (5) bonas artes, & nobiles diſciplinas lucentiſſimo in lumine collocarunt.

Hiſce exemplis, & ſtimulis, ſemper magis redivivo in eaſdem cultu, optimo conſilio factum eſt, ut ſtatutis temporibus præmia illis diſtribuerentur, qui aut ore, aut ſcriptis propoſitas quæſtiones doctius enuclearent: quod cum una reddat honores, & divitias, facile eſt intelligere, & vaticinari, illo in Regno Muſarum domicilia nullo unquam ævo eſſe peritura.

Pariſienſis tamen Academia a Carolo Magno Francorum Rege condita (6), ceteris prælucere videtur, proindeque & aliæ in Regia, & ampliſſima illa Metropoli bene multæ ſucceſſivis temporibus, & Chriſtianiſſimo ſemper auſpice, in omnibus ſcientiis aut inſtructæ, aut ampliatæ ſunt. Nimirum Picturæ, & Sculpturæ anno 1648. Inſcriptionum, & Pulchrarum Litterarum anno 1661. Scientiarum 1666. Architecturæ 1671. Præter quas celebrantur etiam apud exteros, Monſpeſſulana (7), Toloſana (8), Burdegalenſis (9), Perpiniacenſis (10), Pictavienſis (11), Valentina (12), Veſuntina (13), Dolana (14), Bituricenſis (15), Arelatenſis (16), Avenionenſis (17), Moltalbanenſis (18), atque multæ aliæ in primariis Galliæ urbibus diſtributæ. Publico inſuper uſui proſtant Pariſiorum Lutetiæ quinque Bibliothecæ. Prima Regia (19), ſecunda Sancti Victoris (20), tertia Mazariniana (21), quarta Juriſconſultorum, & Advocatorum (22), quinta Doctrinæ Chriſti Fidelium (23); ut venerabundus ſilentio premam, quæ nova & ſum-

(1) Oritur in Arvenorum finibus, tangit Bojos, Heduos, Bituriges, tandem ſe exonerat in Oceanum Aquitanicum.

(2) Incipit in Burgundiæ Ducatu, lotiſque Campania, Caſtillione, Barro, Treca, Melodano, & acceptis in ſinum ſuum Albula, Icauna, Matrona, & aliis fluminibus, navigabile factum, bifariam ſecata Pariſiorum Lutetia, deſinit in Oceanum Britannicum.

(3) Decidit ex Adula monte in Helvetiorum confinio. tranſit per Sedunos, Genevenſes; Galliam a Sabaudia dividit; ſe condit, & iterum emergit; Poſtea auctus Bari fluvio, Lugdunenſem provinciam a Delphinatu ſeparat; tandem tactis Occitannia, & Avenione diviſus cadit in Mediterraneum.

(4) In montibus Auræ productus exit e Pyrenæo, & brevi curſu evadit fluvius Aquitaniæ maximus. Fanum S. Beati, Lugdunum Convenarum, Valentinum, Toloſam rigat, & non longe a Tonino, Marmanda, Regula, & Cardilliaco labens, poſt magnum efformatum lacum, ſe exonerat in oceanum Aquitanicum.

(5) Referunt Lectorem primarium Philoſophum magnificum Univerſitatis publicæ, in ſolemnitatibus diſtinctum habere locum.

(6) Anno 790.
(7) Anno 1289 a Nicolao IV. Papa erecta.
(8) 1233 a Gregorio IX. Papa.
(9) 1473 a Ludovico XI. Rege.
(10) 1349 a Petro Rege Aragoniæ.
(11) 1431 a Carolo VII. Rege.
(12) 1452 a Ludovico Delphino, poſtea Rege.
(13) 1564 a Ferdinando I. Imperatore.
(14) 1426 a Philippo Duce Burgundiæ.
(15) A Ludovico XI. Rege.
(16) Recens.
(17) A Bonifacio VIII. Papa.
(18) Recens.
(19) Aperitur die Martis, & Veneris.
(20) Die Lunæ, Mercurii, & Sabbathi.
(21) Die Lunæ, & Jovis.
(22) Die Lunæ, Martis, Jovis, & Sabbathi.
(23) Die Martis, & Veneris.

ſumma in id incrementa addere pergit Potentiſſimus præſens Monarcha, quo hujus generis operi tam glorioſo cumulum imponat.

Galli ſunt hilares, ſpiritu pollentes, & ad ingenioſos, militareſque labores mirum in modum apti; nullumque ſtudium magis amant, quam gloriæ, & honoris. Laudandam civilitatem habent in exteros, præcipue ſi præditos virtute nanciſcantur. Culti admodum, & venuſte compoſiti, in geſtu, & amœnioris urbanitatis lautitiis: ſummæ ingeniorum felicitatis non ſolum in bonis artibus capeſcendis, ſed etiam cordati in docendo, & graves: adeo ut, pro nobilium diſciplinarum cultu, pro belli, paciſque legibus, proque humanis ceteris uſibus optime dirigendis multa a Gallicis gentibus diſcenda veniant.

DE MIRA STRUMARUM CURATIONE A REGE CHRISTIANISSIMO CELEBRATA

A Clodoveo primo Franciæ Rege orthodoxam fidem profitente originem habuit admirabilis ſtrumarum curatio. Eo quia divino lumine afflatus, & Clotildis uxoris admonitionibus edoctus, derelicto idolorum cultu, ſacra aqua perfuſus, & a Sancto Remigio Remenſi Archiepiſcopo, Chriſmate unctus, *gratiam gratis datam*, & cęleſtem quandam prærogativam accepit, ut Regis tactu, & verbis ſcrophuloſi convaleſcerent. Divus vero Ludovicus, ut notat Gulielmus Nangius (1) illi ritui addidit ſignaculum crucis, quare exinde in Regios ſucceſſores privilegium propagatum eſt, qui ſtatutis præcipue ſolemnioribus diebus anniverſariis Paſchatis, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, & Natalis Domini, in ampliſſimo loco ægrorum frequentiæ idoneo admirandam cœlituſque delapſam rem peragunt. Quamvis & extra id tempus, ut Reges rem gratam faciant, confluentem aliquem advenam tangere non recuſent.

Gratiam hanc divinitus conceſſam fuiſſe probat etiam rerum gerendarum ordo. Nunquam enim Rex Chriſtianiſſimus ad humano generi utiliſſimum opus devenit, quin prius precibus antelucanis, & veſpertinis oraverit, & in Sancto Miſſæ Myſterio Pane Cœleſti pręmunitus fuerit. Quibus ad totius Regiæ aulæ, & Pariſienſis populi exemplum peractis, Rex ad infirmos appropinquat; eundem ſubſequentibus, & ſupplicantibus Primariis Regii ſanguinis Principibus, necnon Eccleſiaſticis Patribus, totoque Adminiſtrorum, & Equitum comitatu. Hinc a Regiis ſtipatoribus, excubiis, haſtatiſque militibus cohibito populo, & ægris, interdum plus quam mille, in aliquem ordinem diſtributis, Hiſpaniſque primum, ceteris promiſcuum, Gallis vero ultimum locum tenentibus, atque a Regiis Medicis examinatis, num ſtrumæ ſint, Primarius Archiater pone ægrum ſtans, manu compreheſum ſtrumoſum caput Chriſtianiſſimo exhibet, qui dextera ſignans, & tangens, illa verba emittit, LE ROY TE TOUCHE, ET DIEU TE GUERIT. Quo facto: *Multis dolores acerbiſſimi ſtatim ſedantur; quibuſdam ulcera ſicceſcunt, aliis tumores minuuntur, & intra paucos dies (dictu mirum) ex mille plus quam quingenti perfecte ſanantur.* (2)

METHODUS GALLICANA IN CURANDIS STRUMIS

IN nominis etymologia, num ſcilicet ſtrumę ſcrophulæ, aut Ganglium, vel Nodus dicendę ſint, in earundemque morboſis in proximum effectibus; num per contagium participabiles ſint, quod affirmative ſtatuerunt Pariſienſes Scholæ, dictante celeberrimo viro, & Decano Domino Jabot; num denique hæreditariæ, ut nos ipſi olim de Bronchocele aſſeruimus, in epiſtola ad Clariſſimum virum Antonium Roſſi, hujus loci non eſt inquirere. Tempus enim in hiſce dubiis commentationibus terendum non eſt. Potius igitur, ut propoſitum inſtitutum ſequamur, videndum cum Galeno, cur hæc *caro ſicca ægre* ſolvitur. Sique ſolvenda, videndum cum Gallis doctiſſimis clinicis, quomodo id fieri poſſit.

Concurrente igitur glandularum circa collum vitioſa fortaſſe ab utero coordinatione, quomodo v. g. eſſet *frons parva, nec prominens, maxillæ latæ, collum anguſtum*, vel ad laxitatem, vel ad criſpaturam, vel denique, cum Galeno, ad ſiccitatem diſpoſitarum; necnon albi præcipue ſanguinis craſſamenti, pituitoſis, & craſſioribus amurcis referti, ataxia, in ſublimi hoc ſubtus maxillas emunctorio ſtrumoſus tumor concreſcit, & fit caro illa *ſubcandida, facile augeſcens* (3), vel quia canalium inoſculationes magis, quam alibi præpeditæ ſunt, vel quia incerniculorum figura determinatæ molis, & morboſæ illius cohærentiæ excrementitias particulas admittit, vel denique quia alibi præpedita ſunt emiſſaria, per quæ natura morboſos ichores aſſueta eſt deponere.

Hinc Pariſiis non ſolum, ſed ceteris etiam Franciæ locis curatio non pertentatur, niſi etiam Medicus præſto ſit, ad liquidorum puritatem promovendam, ad inferiores tramites aperiendos. Pręcipue ad cognitionem, atque averſionem cauſæ illius, quæ ſemper in ſanguinis ſinu quærenda eſt, a multiplici viſcerum ſtatu, & conſtitutione expiſcanda, ut remedium primariæ origini aptetur. Purgationem idcirco Medici Galli inſtituunt, eamque iterant non laxantibus tantum, ſed ſale gemmæ, ſcilla (4) oxymelite (5) agarico,

(1) In vita Sancti Ludovici.
(2) De mira Strumarum ſanatione lib. 1. Andreas Laurentius.
(3) Aetius.
(4) Vide Paulum Barbette.
(5) Fernelius.

rico, turbith gummoſo, rheo, trociſcis alhandal, ſenna, aloe, & ſimilibus (1), Poſt, aut inter ſupradicta, addendo decocta, aut electuarios ex cinamomo, croco, ſantalis, gingibere, aniſo, roremarino, ariſtol. rotunda, pane porcino, filipendula, pyrethro &c.

METHODUS PROPOSITA AD EXAMEN REVOCATUR

SUPRADICTA Francorum Medicorum methodus, qua purgantibus, nec non calidis remediis ægroti tractantur, ſequenda præcipue eſt in temperamentis plenioribus, ubi liquida lentori mixta abundant in venis, ſicque fiunt tumores ædematoſi, frigidi, aut bronchocelem, vel meliceridem imitantes, in quibus humorum copia minuenda, viſcidum ſolvendum, & fibra erigenda eſt. Verum in ſcrophulis velim animadvertatur, vexari potius homines calidæ conſtitutionis, & ſicci, ut ajunt, temperamenti, atque inſuper raro morbum hunc pertinaciſſimum a quantitate, ſed potius a qualitate pendere. Quę qualitas, ſi bene rem tetigero, colli vaſa, tendines, univerſum adjacens fibrarum genus tendit, corrugat, ſyderat adeo interdum ex adnatis plagis, & ulceribus, ut vel nullus, vel parcus, vel ſeroſus liquor extillet, nec a majori expurgatione aut ſuppreſſione, morbi in melius mutatio contingat.

Hinc ſtruma ab aliquibus dicitur caro ſicca, gypſum nullis remediis auſcultans, interdum livet, & nigricat; interdum vero cachoeticam, & atrabilarem naturam ſapit, ut multis ab hinc annis nos ipſi lugendo vidimus in doctiſſimo Medicinæ Profeſſore Brixiano Antonio Tombino; in quo dira ſtrumarum ſeries circa collum in interſitis glandulis ad annos ſæviit, remediiſque omnibus reluctata eſt, tandemque ſcyrrhoſo-carcinomatoſam indolem oſtendens, fati vadimonium accerſivit.

STRUMARUM, ET NATARUM DIVERSITAS

M*Agnæ in longum* (2) *quaſi pendulæ facile huc & illuc mobiles* (3). Hæ autem non in genere ſtrumarum, ſed atheromatum, & meliceridum ponendæ ſunt, quæ pendent a peculiari folliculo, & quæ curationem facile admittunt, ut lippis, & tonſoribus notum eſt. Strumæ in tumorem quidem excreſcunt nec mollem, nec pendulum, ſed durum, interdum ſine multo tumore vaſa colli, & tendines circumligant, arctant, convellunt, & veluti in nodum adigunt; intus nec adeſt caro ſuperflua, quam corrodere poſſis, nec occulti ſinus, quos aperire, nec confluentes ichoroſitates, quæ ſeparari velint; ſed interdum adeſt aut durities petroſa immobilis, quæ non ſuppurat, minuſque aperienda eſt. Interdum ulcus ad latera habens ſanguifera vaſa, vel nervos, qui tangi nolunt, nec debent; quibuſcumque adhibitis remediis morbus nec cedit, nec immutatur. Sique una glandula, unum ulcus clauditur, & ſolidatur, finitima interim, aut paulo poſt aperitur, & hiſcit: qui quidem proditorius circulus, & inſita in loco rabies, latenſque venenum, non cedit purgantibus; imo poſtulat integram dulcificantium familiam, & diæteticum refrigerantis, atque humectantis diætæ curſum: quæ omnia in operibus doctiſſimorum Galliæ hominum, illorum præcipue, qui laudabili exemplo Medicinam una & chirurgiam profeſſi ſunt, graphice proſtant deſcripta: & a quibus reliquæ Europeæ gentes veræ in hanc rem praxis utiliſſimos floſculos poterunt ſeligendo delibare.

STRUMÆ EXTIRPANDÆ SUNT GARENGOTIO DOCENTE

QUAMVIS Heiſterus (4) non nimis probet integram *glandularum maxillarium induratarum* ablationem, ob hæmorrhagiæ metum: attamen in extremis morbis extrema remedia laudant ipſimet Artis noſtræ primarii Antiſtites. Hinc in cura coacta, ceteriſque exedentibus, & cauſticis ipſis non juvantibus celeberrimi Garengotii Galli veſtigia ſequenda eſſe cenſerem: dextera ſolum, & anatomicis luminibus directa in agendo ſedulitate, ne majora vaſa ſaucientur, ſed ſanguinis fluxus coerceatur.

QUID MAGIS PRODESSE POSSIT

AB obſervatione, quod ſcrophularum (5) morbus endemius in aliquibus regionibus eſt, ducenda conſequentia, aerem, aquas, locos, ad originem conſpirare plurimum poſſe. Ideoque ut ait primus artis Anteſignanus, vitanda, mutanda, *quæ morbum fecerunt*. Iter, peregrinationes ſumendæ, & apricæ regiones inhabitandæ a ſubtili & ſaluberrimo aere perflatæ. Hinc in pichrocholis & ſiccis temperamentis utendum illis præcipue auxiliis, quę univerſam ſanguinis maſſam reſpiciunt, & eius defœcationi, puritati, & homogeneæ conſtitutioni conſpirant, cujuſmodi ſunt lac, balnea, Thermæ (6) motus in rheda, vel equitando factus; experiendo inſuper ptiſanas, avenacea,

(1) Andreas Laurentius.
(2) Laurentius de Strumarum natura, & curatione lib. 2. p. 60.
(3) Pag. 62.
(4) Chirug. part. 12. ſect. 11. cap. XCVIII. pag. 638.
(5) Paronychiam foliis rutaceis, & herbam *Aparine* a Mathiolo propoſitam pro ſcrophularum curatione, laudat celeberrim. vir, & emeritus Patavinus Profeſſor in ſua epiſtola ad Dominum Hieronymum Gaſpari.
(6) Et præcipue minerales chalybeatæ. ut Galli Medici faciunt, qui in hoc imitandi ſunt, ut peculiari capite videre eſt in Opere *de Marguery*, de quo ſuo loco proſtabit mentio.

cea, viperina, potiones lacteas artificiales, decocta ſpecificis aliquot lignis actuata; experiendo etiam aliquam vivendi, & morum mutationem, in diæta, in conviviis, in dormiendi tempore, in vinorum delectu. Ex quibus omnibus novitas illa in ſanguine, in ſpiritibus ſurgere poteſt, quæ ad optatam valetudinem conſpiret. Tandem vero quia duro nodo durus cuneus, in cura coacta, totque bene multis incaſſum pertentatis, non obſtarem experimento mercurii, qui quamvis ſpecificum remedium hoc in caſu non ſit, & per partem affectam evacuationes pertimeſcendæ ob ptyaliſmi metum; attamen ſignanter ex eo quia a ſuperaddito fluento maxillares, ſublinguales, & totius colli glandulæ enormiter magis tumeſient, humectabitur rabida illa ſiccitas, ſolventur fortaſſe ab incidente hydrargyri potentia gypſeę concretiones, per amygdalas, palatinas, & tracheales glandulas in favorabilem proportionem vertentur, & exportabuntur, domito fortaſſe remanente fermento illo, a quo pertinaces, calloſę grumefactiones nutricantur.

A BRUTO IN HOMINEM SANGUINIS TRANSFUSIO, PRO CURATIONE MANIÆ, INUTILIS, DIFFICILLIMA

LUTETIÆ Pariſiorum multæ controverſiæ verſus finem elapſi nuper ſæculi obortæ ſunt circa mutandum in homine ſanguinem, ope introducti in venas argentei tubi, qui bonum recipiat, & intra venas morbidi languentis exportet. Magniſque coram Viris, Galliſque Medicis magni nominis in Regia urbe experimenta, & tentamina facta ſunt (1) Bourdelot ſcilicet, Lallier, Dodart, & Debourges, ut Maniacus curaretur. Verum quamvis relator victoriam canat, attamen ab effectibus morboſis in ægro obortis, *violento* nempe *vomitu*, *ſomno profundo*, *& nigra urina* conjiciendum, animalem machinam miris fermentationibus, & irritamentis agitatam fuiſſe.

Præter quam quod, quid quæſo facere poteſt una libra optimi introducti ſanguinis in viginti quinque, heterogeneis jam antea exiſtentibus. Nihil, aut parum ſane, niſi & ipſe in heterogeneum converti. In una libra ſanguinis vituli, quæ, in ſuppoſito, in ægrotans corpus transfunditur, quæ vis, quæ potentia latere poteſt, ut addita, & circumfuſa, corrigere poſſit particulas illas, in quibus ſedes maniæ exiſtebat? Et dato etiam, quod introductus multa poſſet; quæ, precor, damna pertimeſcenda non ſunt a modo, ab ordine, a difficultatibus, quæ temerarii hujuſce operis ſunt pediſſequa. Profecto ſi facta ſola inciſione in brachio, & pede, & intruſa fiſtula, nondum pertentata transfuſione, æger Lutetiæ obiit convulſus, quidquid muſſitatum fuerit de exhibito ab uxore veneno, facillimum eſt ſtatuere, ex venarum vulnere in fibrarum ſyſtemate nervoſo, proinde in humoris maſſa, convulſionis, inflammationis, & ſubitæ necis cauſas implantatas fuiſſe. Sique hęc relata non viderem, ſique hoc remedii genus jam proſcriptum non eſſet ab emunctæ naris viris, & in Gallia non ſolum, ſed toto orbe celeberrimis, nihilominus ſolo primo intuitu ab ipſo abhorrerem. Cum enim partes ſecandæ & viribus, & ſubligaculis, & inſtrumentis immobiles reddendæ ſint, in vivumque venoſum tubum metallicus tubus intrudendus, & ſtatuto tempore retinendus; quis non videt inſuperabilem operis difficultatem; in qua adhuc timere debebimus, num vitulus ægro, non æger vitulo ſanguinem dederit? Ex utraque enim parte ſuus vigebit impetus, circumprimentes urgebunt vires, quæ a ſpirituum motu magis augebuntur. Hic igitur curandi ægrotos modus mille obnoxius eſt difficultatibus, quæ quidem & in ipſa Gallia cognitę ſunt, a viris Pariſienſibus ſapientiſſimis, ſi agitatæ fuerunt coram *Locumtenente Cauſarum Criminalium*, quinimo ad *Parlamentum* devolutæ.

LAUS PARISIENSIUM CHIRURGORUM

SI in Gallia dubitatum eſt, num transfuſio ſanguinis executioni mandari debeat, quomodo quæſo alibi tentabitur? Omnis regio habere poteſt, & habebit Chirurgos probos, & dexteros. Sed generaliter loquendo, nullibi viget Ars Chirurgica magis, quam Lutetiæ, Monſpellii, & reliquarum in Galliis urbium; quia adſunt Artifices dexteri, agiles, prompti, & Anatomicis doctrinis imbuti; adeſt inſtrumentorum, tam argenteorum, quam ferreorum ſeries tam concinne elaborata, ut Ars illa ſuam inibi videatur habere ſedem.

Hoc tam verum eſt, ut ſtudioſæ exercitationis gratia in encomia Chirurgicæ Artis raptus, ipſo Andry Pariſienſis Collegii Decano, ſuiſque Aſſeclis parcere non potuerim, in illo molimine, quo hanc Medicinæ partem impetit; ideoque veluti in ſuggeſtum aſcendens cauſam pertractavi. In hunc præſertim finem, ut juventus nobilis illam colere non dedignetur, & ut ne paulatim in reunctores derivata, cum notabili omnium damno neglecta, parvique facta vileſcat, & pereat. Ob hoc tamen meum tentamen, quod fortaſſe poſthæc adjicietur, Chirurgi ſuperbire ſupra Medicos non debebunt, quia præconia mea illis Chirurgis tantummodo directa, qui & Medici ſunt, aut Medicos tanquam Facultatis utiliſſimę Pręſides venerantur.

Ceterum ne reliquæ gentes me nimis addictum Gallis credant, libere me explico, intelligere circa

(1) In Bibliotheca Medico-Practica Mangetti lib. XI pag. 290.

circa manualem executionem, & gerendarum rerum in Chirurgis illius nationis ſummam agilitatem, & fortaſſe nimiam promptitudinem. Nam quoad determinationem, & ſententiam, num hęc an illa operatio ægro profutura, & exequenda ſit, & alibi acutæ mentes, Gallis pares, adſunt, & præcipue ſub Italico cœlo nunc etiam adeo florent, ut palma ipſis competere poſſe videatur.

Transfuſio itaque ſanguinis, quæ in ipſa Gallia ſuſpecta eſt, parum non ſolum proderit in mania, verum etiam in quocumque alio morbo; illiſque remediis aſſimilabitur, quæ plurimum valere videntur in intellectu, ſed nihil in facto, pręcipue ob ſummam ipſius facti difficultatem.

MANIÆ CURATIO A GALLIS PROPOSITA, ET IN ITALIA ETIAM ADHIBENDA

Et ſanguinis per ſectam venam detractione, quod empiricus in una ſeptimana, referente Platero (1) ſeptuageſies utiliter fecit, & extracto colocynthidis, hiera picra, & helleboro, ſi lubet nigra, & emetico, ſuperbibitis cereviſia, aut paſſulatis juribus, humorum prius ſarcinam eſſe evacuandam, quivis methodicus in arte vir cum Gallis confirmabit. Sed dum hæc præliminaria fiunt, perquirendum etiam, num cauſa aliqua aut vera, aut ſuppoſita morbo viam ſternat, inquirendum circa mores, circa animi pathemata (2) circa ſuppreſſas evacuationes uteri, vel phyſica, vel politica remedia primariæ origini dirigenda ſunt. De cetero a Galeno in hunc uſque diem Balneorum uſus ſemper invaluit, adeo ut non deſint, qui caput ipſum lavacris, vel *doccie* alluendum ducant.

Poſt hæc perdurante adhuc morbo, & accidentalis limites ſuperante, aut in Lunæ phaſibus ſæviente, ut in Francico Delphinatu vidit olim Guainerius (3) tunc ſi fieri poteſt, ad excitandas hæmorrhoides deveniendum eſt, quin imo ad eaſdem de tempore in tempus aperiendas. Cum enim Abrahamus Frambezarius obſervaverit a mania liberatos phtyſi correptos, arguendum per conſequens, tumultuantem illam ſanguineam materiam alicubi deponi; unde emiſſarii neceſſitas ſemper magis probatur.

OPIUM IN MANIA NUM ADHIBENDUM

Quoniam de mania ſermo eſt, operæque pretium illud ſit, ut conſtet in multis morbis ad Tyronum lumen quid lædat, quid proſit, aut ſaltem prodeſſe poſſit, mittenda non eſt in hoc diro morbo opii potentia ſine aliquo examine. Fateor tamen, me pluries circa hoc ancipitem fuiſſe; cum ex utraque parte cauſſæ, & rationes immineant illud adhibendi, & vitandi; præcipue quia bene multos, qui narcotica ſumpſerunt, ipſe quoque audivi, & vidi quaſi fatuos, ſtultos, & veluti attonitos, a ſomnifera, & ſtupefaciente vi quaſi incantatos; idcirco cum hæc a remedio fiant, & probabiliter eveniant in cerebri glandulis, & utribus, nemo non videt, poſſe inſuper augeri alicujus ſtaſis periculum. Verum enim vero in Medicina facienda vix unam ſententiam executioni in ægro mandandam poteſt clinicus ſtatuere, quin multæ, aut ſaltem aliquæ difficultates in promptu ſint, quas ſi excutere, aut pertimeſcere vellet, unquam nihil ageret, ad domumque ſuam ſemper ſine medendo, & per conſequens ſine juvando, reverteretur. Idcirco quando cetera incaſſum fuerunt pertentata, quando ſcintillantes oculi, & ſanguinis tumultus capitis regiam invadi ſuadent, quando noctes inſomnes angunt & adſtantes, quando humorum plenitudo jam dempta eſt, quando deliria errabunda ſunt, neque de ſolido vitio timorem incutiunt, quando præſertim in ſpiritibus animalibus morbus reſidet, quando exploſivi convulſivi niſus in artus derivantur, ſane non video, cur clinicus ad adminiſtrationem narcoticæ potionis, ipſiuſque opii devenire non poſſit. Omnia ſiquidem, quæ memoravimus, fortaſſe poterunt opio parere, & minus in maniacum deſævire. Quibuſcunque igitur difficultatibus objectatis, remedium adhibeatur, a parva doſi ad majorem tranſeundo; non enim ſolam frigidam ſtupefacientem qualitatem habet, ut Antiqui voluerunt, ſed continet in ſe *ſpiritum volatilem*, & *fœtidum* oleum, ut Recentiores, a quibus ſtagnantes in corticalibus glandulis amurcæ, & melancholici lentores poſſunt ſolvi, & ad optatum circuitum reduci.

IN MANIA TEREBELLO CRANII OSSA PERFORANDA

Postquam vero bene multa artis auxilia in uſum poſita fuere, cum fieri etiam potuerit, ut ægro inſciente, aut immemore aliqua jam diu capitis contuſio enata ſit; aut etiam citra contuſionem liquida ſubtus membranam in corticalibus glandulis, in medullæ ſubſtantia, in corporibus ſtriatis, concreſcere, & extravaſari poſſint; hinc natis compreſſionibus, & irritamentis deliria, & mentis alienationes enaſcantur; non extra rem erit documenta clariſſimorum virorum ſequi, & foramen intra oſſeas ſubſtantias aperire, per quod inimica concretio a parte poſt partem, pulſanti juvante ſubſultu, poſſit erumpere.

PAL-

(1) Obſerv. lib. 1.

(2) Quandoquidem ex metu, & triſtitia atram bilem produci ambo noſtri Senes. Primus *Aphoriſmo* 23. Secundus vero *de Symptomatum cauſis* cap. 7. ſtatuerunt.

(3) Ægrum nempe, qui *Luna exiſtente combuſta carmina* componebat, Tractat. 15. cap. 4.

PALPITATIO CORDIS EX OSSICULIS INTRA AORTAM CONCRETIS

IN Mercatore Pariſienſi, qui, quoad vixerat, cordis palpitationi fuerat obnoxius, D. Morand Profeſſor Gallus celebris reperit *en differens endroits de petits os tres ſolides irregulierement arrangès, & elevès en forme de Roche* intra Aortam. Ex quo lucem ducere debemus, & difficillimum eſſe de morbis pectoris judicium, & caute incedendum circa cruciandos remediis ægros. Quandoquidem ſi cauſa inamovibilis, ſolidaque eſt, fruſtra laboramus, & laceſſita natura properat ad interitum.

SUPERFŒTATIO HAUD RARA

IN actis Scientiarum (1) conſtat: *La ſuperfaetation eſt fort douteuſe, ou plutot elle eſt gènèralement niée*. Pauloque poſt tamquam pro miraculo refertur caſus a Maſſon Medico facultatis Monpeſſulanæ *d' une femme qui s' ètant delivrèe d'un Embrion envelopè de ſes membranes, bien conformè dans toutes les parties, & agè environ de 40 jours, etoit accouchèe le lendemain a terme d' une Fille ſe portant parfaitement bien*. Qui tamen legit opera Patavini olim Profeſſoris, doctique Itali Valliſnerii (2) in eam ſententiam cadit, non adeo difficiles eſſe ſuperfœtationes, & ipſe quoque non intelligo, quomodo ita raro contingant. Tam enim ſi a promiſcuo ſemine, quam ſi ab ovulis mirabilis machina ſurgat, explicatu arduum eſt, quomodo non eveniant. Solumque, poſt conceptum, uterini oſculi hermeticum ſigillum, nodoſam hanc difficultatem ſolvit.

EMETICA

CIRCA exhibitionem emeticorum Medici Galli diverſo greſſu incedunt, eorundemque alios vidi amicos, alios adverſos. Nam præter ea quæ optime commemoratus eſt magnus Hequet, ubi emeticorum actionem a purgantibus diſtinguit, & ubi narcoticis (3) ſedanda eſſe illata a vomitoriis damna animadvertit, in actis etiam Regiæ Scientiarum Academiæ proſtat Hiſtoria cujuſdam juvenculæ annorum 28, quæ doloribus in regione abdominis, dorſi, & ſtomachi vexata, quamvis ter a D. Rouhault miſſus fuerit ſanguis, attamen poſtquam *avoit rendu plus de trois pintes de ſang, tomba dans un extreme affoibliſſement*. Ideoque ob metum, quod omnia ex acri materia ſtomachum rodente, & vellicante penderent, vomitorium adhibitum fuit, & quidem feliciter.

Contra vero M. Petit Medicus Pariſienſis celeberrimus, poſt effata illa veriſſima verba: *L' ouverture des cadavres inſtruit plus que les livres*; caſum refert ulceris carcinomatoſi, & fiſtuloſi in fundo ſtomachi exiſtentis, cui probabiliter anſam fortaſſe præbuit *emetique tres violent exhibito a* quodam Medico, vocato *le Medecin des Urines*: de quo hæc habet Clariſſimus Petit. *Cet homme la traita de la meme maniere qu' il traitoit un grand nombre des perſonnes de condition aſſez credules pour le croire Medecin*. Ex quo conſequentia ducenda eſt, & in illa magna totius Galliæ domina ſuos circumire agyrtas, qui artis candorem, & nobilitatem deturpant; & ſumma cum circumſpectione ad violentorum emeticorum exhibitionem eſſe deveniendum, dum relati morbi conditio quibuſcumque remediis, etiam a dextero Gloire adminiſtratis, ſemper magis, & ad plures menſes, reluctans fati vadimonium acceſſivit; & in cadaveris inferiore ventre repertæ ſunt ſcyrrhoſæ maſſæ, adhæſiones vitioſæ, profundæ anfractuoſitates, ulcus nigricans, fætidum, & rotundum in ventriculi fundo cum deſcendente foramine, per quod ipſa alimenta exibant. Quæ quidem omnia num adhibito alias emetico tribuenda ſint, non equidem ſatis ſcio, ſed timendum eſt.

CLYSTER NUTRIENS

EX Hiſtoria morbi cujuſdam mulieris a Domino Littre in Actis Academiæ Scientiarum, relati, arguere de certo debemus, Gallos Medicos, quando nutriendi urget neceſſitas, jubere adminiſtrationem frequentiſſimam enematum opimis, & ſucceſis juribus prægnantium, ea ſpe fretos, ut aſcendere, & per lacteos tubulos reptare in ſanguinem utiliter poſſint. Hæc enim habet: *Je me determinai donc a faire donner tous les jours a la malade trois lavemens, un de le matin, le ſecond vers le medi, & le troiſième ſur le ſoir, faits chacun avec un bon conſommè à la viande, dans lequel on delayòit tantot un ou deux jaunes d' oeuf, & tantot environ un poiçon de bon vin*.

Mordicus ipſe non obſto, num bono cum effectu hæc uſui demandari poſſint. Hancque difficultatem ab auctoribus excuſſam olim examinabamus, quando Praxim in limine ſalutavimus. Præter fæcum impedimentum, Bavhini valvulam, & craſſiorum inteſtinorum obvias difficultates, & cavernoſa diverticula, nimis diſtant duodenum, jejunum, cholon, ut lacteæ reperiantur venę, pręcipue contra periſtalticum undatim deſcendens inteſtinalis tubi motum, cujus mechanica conſtitutio, & natura eſt, contenta verſus anum exprimere, id etiam ſuapte vi quærente graviorum deſcenſu.

Aliud enim eſt de certo ægris prodeſſe, aliud aliquid agere, ut aliquid agere videamur. Vixque in præſens remedia illa illum ad finem in uſum ponuntur, permittenda tamen ſunt; quia ab inferendo damno immunia, niſi ab eorundem immiſſione inteſtinalis colliquatio cum exitu, & virium diſpendio magis augeretur. Aut vinum quod Medicus

(1) Anni 1729. Obſervations anatomiques n. 111, pag. 15.
(2) Delle vova delle femmine Vivipare 255. Trattato della Generatione. Vide Capitolo XX. pag. 297.
(3) Novus Medicinæ conſpectus pag. 105.

dicus Gallus addit, calorem, & inflammationem in ſedalibus canaliculis, & mariſcis cieret.

CLYSTER ANTIPYRETICUM

SCRIBIT Helvetius enemata ex cortice Peruviano ad hoc, ut febrim expellant, iteranda ſæpius in die eſſe a quarta ad quartam horam.

GONORRHÆA SINGULARIS

GALLI Medici, & præſertim D. Maſſon mentionem facit Gonorrheæ pluribus vicibus non ab urethra exeuntis, ſed a ſubſtantia ipſius glandis circum circa coronam exſudantis, illius conſiſtentiæ, & virulentiæ in venereis morbis aſſuetæ, quamque Dominus Barbeyrac Medicus Monſpelienſis vocat *Gonorrhèe batarde*; quod quidem & organicæ partis conſtitutioni, & morbo adamuſſim congruit; dum ſi in illo loco ulcuſcula ſuccreſcunt, ſero cicatricem permittentia, quia vitioſo indeſinenter ſero nutricantur; pari, & aucta ratione, cur in aliquibus non potuerunt fibrillæ partis ita laxari, & corrodi, ut excitato emiſſario, excrementitii ichores, gonorrhæam repræſentantes, jugiter abundare non poſſint. Quidquod ſi celeberrimus Morgagnus (1) glandem vocat corpus *ſpongioſum, celluliſque* conflatum, per conſequens, vel carunculis ſolitum meatum urinarium intercipientibus, vel ſpongioſæ glandis oſculis plus juſto hiantibus, poteſt virulentus ichor tranſudare. Huic opinioni magis aſſentior, quia memor ſum eorum, quæ olim vidi, dum Parentis noſtri Medicinam facientis veſtigia ſequebar. Ægrum nempe in vico, vulgo *Rua Sojera*, venerea lue laborantem, cui aptato mercuriali unguine, lymphis in motum poſitis, caputque impetentibus, loco ptyalyſmi, in medio dexteræ genæ, tribus tranſverſalibus digitis ſubtus oculum, exigua puſtula enata eſt, ſubtus quam adaperto foramine, fontis inſtar, non guttatim tantum, ſed perenni fluxu, per totum curationis curriculum exiere lymphæ, & ſalivales illæ amurcæ, quas hydrargyri vis in motum poſuerat. Natura ſiquidem ludit in operationibus ſuis. Magiſque ſtricte cum Mechanicis, hodie dominantibus, ſed meo judicio non duraturis, loquendo, cum corpus humanum fere totum ſit liquida, & tubi, quoties in primis orgaſmus excitatur, & qualitas rodens viaſque ſibi aperiens latet, non poteſt quin in canalibus, aut conicis, aut mille difficultatibus, & anfractibus, impeditis, circumeunti fluido mora paretur. Hinc tumor, hinc fermentatio, hinc corroſio, inde exitus, & tranſudatio.

(1) Adverſaria Anatomica quarta Animadverſione V.

RABIES

CANIS rabidi, vel aliorum animalium venenatorum morſus, hydrophobia dictus, malum eſt adeo dirum, adeo violentum, & contagioſum (2) ut ejuſmodi genuina explicatio adhuc in puteo lateat, niſi de illis garrulis hominibus loquamur, qui verbis, nugis, & fabulis contenti ſunt, & nudo cortice ſatisfacti.

Illico ac Brixiæ obſtrepit nuncium, Dominum Petrum Sault Gallum Medicum inſignem edidiſſe Diſſertationem de præſervatione, ac curatione hydrophobiæ agentem, ſummopere gratulatus ſum, eo quia una res de illis, heu nimis multis, erat, quæ adhuc in Medica arte deſiderantur, quæque plurimum hominibus prodeſſet, ſi certior curativa methodus tandem eluceret. Sed tantum abeſt, ut a rationibus, & documentis Saultianis ipſe movear, quin potius me jam adverſarium ſentiam, & neque circa morbi participationem, & eſſentiam, neque circa remedium aſſentiri nullo modo ipſe poſſim.

PROPOSITIONES II. PETRI SAULT CIRCA HYDROPHOBIAM

PRIMA propoſitio conſiſtit in eo, quod venenum medio morſu, in ſanos homines infixum, & adactum verminoſum ſit, ſalivaque rabidi mille inſectis, & vermibus ſcateat; hocque axioma ſtatuminare nititur anatomico, repertorum in cerebro denati rabidi vermium, experimento.

Primæ eſt conſectaria ſecunda, hoc eſt curationem Mercurio ſuſcipiendam eſſe, utpote primarium anthelminticum, & ſpecificum vermium exterminativum.

Ergone ex viſis repertiſque in cerebro unius hominis vermibus, qui a cane rabido tactus olim fuerit, tuta illatio ducenda eſt, morbum a vermibus pendere? Argumentatio ab uno accidenti in tot inde productas conſequentias domi meæ non tenet; dum homo poteſt morderi, qui jam vermes in cerebro habebat, aut alia de cauſa producti ſunt. Ad hoc, ut ſtatuamus, ſalivam eſſe vermium ſedem, debent in ipſa ſaliva, microſcopii ope, vermes prius conſpici, ad hoc, ut dicamus, virulentiſſimum contagium ab ipſis ortum habuiſſe, debet conſtare illorum in novum ſanguinem reptandi modus, & inſinuatio; ut denique ſtatuamus extremum fatum illos promovere, non una obſervatiuncula ſufficit, ſed iterata multiplex requiritur experimentorum ſeries, quæ obſcuram palliatamque veritatem detegat.

Evaneſcente igitur exiſtentium vermium ſecuritate corruit, & ſecunda propoſitio aptandi Mercurii.

(2) Etiam per oſcula, ſtrumenta communicatum refert Julius Palmarius.

curii. Circa quem, etiamſi verminoſum lateret ſeminium, oh quam timeo, ne illorum eſſet effectuum productivum, quos ſibi Phanatici mercuriales homines pollicentur! Si, ut alibi (1) in hoc opere dixi. Lumbricus mercurio innatans ad dies vitam ducit, profecto obſtrepant, quantum velint, Auctores mercurium in verminoſis effectibus adhibentes, difficillimum erit probare, quomodo in viſceribus, meditulliis, fibrarumque omnium difficultatibus, particula mercurii ab anfractibus libera, & ſui juris ſuperficialiter agens, vermem illico emori, & exire faciat, aut potius irritare, ut magis noceat (2).

ARS PROLONGANDÆ VITÆ

AERE, cibis, aqua, & climate docet Dom. de la Metrie modum tuendæ valetudinis, cujus rationibus, & longævorum præſertim hominum exemplis quieſcendum, ſuaqe veſtigia in pluribus rebus ſequenda ſunt.

UT MULIERES AB ABORTU PRÆSERVENTUR

MEDICI Pariſienſes, ut abortum prævertant, pulverem granorum Kermes in ovo abſorbendum mulieribus propinant (3) quo documento, & mulierculæ rubrorum pannorum cinnos minutim inciſos exhibent.

LACTATIO ABSQUE NUTRICE

PARLAMENTUM Pariſienſe demandavit Medicis, Chirurgis, & juratis Feminis, ut una ſtatuerent modum, ſi fieri poſſet, lactandi abſque lacte, aut abſque nutrice. Primus tentabatur decocto frumenti, gelatina panis, & pulte, ſed cum parva fælicitate. Secundo, ſubſtituebant mammis nutricis quoſdam ſacculos pelliceos, in perforat am veluti, & artefactam papillam finientes, piliſque equinis, & lacte turgidos, ut emuncti tepidum lac extillarent, & funderent.

ANIMADVERSIO

CUi uſui, ab aliis etiam doctis viris excogitato, nos etiam aſſentimur; nec obſtamus quandoque fœliciter, & cum optato effectu poſſe Parentum votis reſpondere. Tam enim filioli amantur, tam interdum avara, & dira ſors nutrices reddit difficiles, male morigeratas, aut venereo, ſcabioſoque tabo pollutas, ut ars fatum vincere debeat, & divites, magnateſque ipſi fame perituro infanti, quodammodo providere cogantur. Oh ingratas, crudeleſque matres, quæ timore flacciditatis, & amittendæ pulchritudinis, lac denegant filiolis ſuis! Ipſæ ipſæ potiſſima interdum ſunt hujus luctus cauſa (4).

PURGANTIBUS ADDENDA NARCOTICA, ET CORTEX PERUVIANUS

S*Apientem aſtutiam* illam dicit Clariſſimus Hecquet, in qua poſt mane exhibitum catharticum, veſpertinis horis narcoticum præſcribit, ad pacandos tumultus in inteſtinorum fibris ſuperſtites. Pariterque aliis in caſibus addito, & intruſo cortice, ut ſervetur fibrarum tonus, *morſibuſque ferendis* magis aptæ ſint.

SANGUINIS MISSIO A GULA, BRACHIO, PEDE NIHIL DIFFERT IN EFFECTU

REVULSIONEM, derivationem, tractionem clamant Scholæ omnes, præſertim antiquæ. Dominus Senac Medicus Realis Pariſienſis Scientiarum Academiæ erudito opere quæſtiones ſolvit, & propoſitionem bono in lumine collocat, probansvenam undique ictam nihil diferre in effectu. Sanguinis quippe circuitus pluries in die reficitur. Hinc ab illius imminutione par beneficium diſtribuitur. Vir alioquin clarus in hiſce meditaminibus ſolus non eſt. Ipſe non aſſentior; ſed deeſt tempus divertendi nunc in Hypotheſibus.

VARIOLÆ

SCRIBIT Helvetius (5), *Se il vajolo, per la violenza della febre tarda ad uſcire, può applicarleſi de criſtei, e purgarſi parimente con la polvere febbrifuga.*

ANIMADVERSIO

PULVEREM febrifugam, quam Gallus Scriptor a chinachina deſumit, in principio variolarum adhibere, nunquam ipſe collaudabo, & de hoc rationes tantæ ſunt, ut ſuperfluum duxerim illas in propatulo ponere.

IN

(1) Vide Regium Lepidi.

(2) In hanc rem videndus Ridley: cui titulus *Obſervationes quædam Medico-practicæ, & philoſophicæ, inter quas aliquanto fuſius agitur de Aſthmate, & Hydrophrobia &c.*

(3) Ipſo Mathiolo facem præferente.

(4) Videatur in hanc rem epiſtola noſtra Taurinum miſſa ad Clariſſimum Virum Antonium Roſſi: Capite. Mediolanum.

(5) Trattato delle malatie più frequenti. Pag. 99.

IN CELEBERRIMUM

ANDRY

PARISIENSIS MEDICORUM COLLEGII

DECANUM

CHIRURGICÆ ARTIS VINDICIÆ

DEcus Medicæ artis amans celeberrimus Do: Andry, & ægre ferens Pariſienſes S. Coſimi Chirurgos in eandem audacibus ſcriptis invexiſſe, ſui muneris, & characteris eſſe exiſtimavit, ut, in aciem veluti inſtructis rationibus, & factis bene multis, quibus Medicina ſupra Chirurgiam dominatum oſtentat, publicum perpetuumque in Patriam, atque exteras gentes erigeret monimentum, quod a latis præjudiciis Medicinam vindicaret, atque ejuſdem gloriam ſuper conſtans, & ſtabilius fundamentum erigeret.

Cleon a Eudoxe touchant le memoire des Chirurgiens contre la preeminence de la Medecine ſur la Chirurgie. Par M. Andry, Profeſſeur Royal, Docteur, Regent, & ancien Doyen de la Faculté de Medecine de Paris &c. ſeconde edition. Revuë, corrigée, & augmentée: avec une table des matiers, accompagnée, & de remarques. Medicina corpus vel tuetur, vel reſtaurat ſalutem, ſub qua Chirurg. Apothecarior. Pigmentarior. Balneatorum, raſorum turba militat. Gregor. Reiſch.

Quia vero non ſolum in Chirurgos, eoſque manuales tantum, & ignavos fertur, verum ipſam artem, ipſam *Chirurgiam* male tractat, famulamque ſubordinatam clamat, & deprædicat; per conſequens pati ipſe non potui, ut ſummo mortalium detrimento, ars, & Medicinæ pars tam neceſſaria, maleſano livore impetita, ſuiſque veluti juribus exuta, aut jaceret, aut a nobilibus viris derelinqueretur. Quare quamvis alienus a literariis hiſce rixis ipſa natura comparatus ſim, ejus tamen cauſam pertractare non abs re duxi, ea ſpe fretus, quod ſicuti laudem non meretur Andry, quia flocci facta Chirurgia, & neglectum ſuum Medicinæ ſorori communicat, & ſemper magis a vilioribus hominibus comparabitur, ita arridere fortaſſe poterunt Vindiciæ noſtræ, quibus bonæ Artis jura, & merita vindicantur: hinc ipſi iterum inhians ſtudioſa, civiliſque juventus, quod rei caput eſt, & ad quem ſolum finem ſcripſimus, cum majori fructu humanæ ſaluti velificabitur.

Dicite mihi celeberrimi Andry fautores; tota quæſtio, ſi bene rem tetigero, ſita eſt in hoc, ut ſtatuamus, quænam harum Artium eminere ſupra alteram debeat. Quæſo: ubinam præeminentiæ origo deſumenda eſt? Fortaſſe ab ortu artificis, ita ut a Parentibus commendatiſſimis derivatus, nobiliſſimi ſanguinis puritate fruatnr? Minime. A Magnatum gratia, a Toga, a divitiis, a mille Scientiarum ornamentis, a faciliori ad Principes acceſſu? Minime: Quandoquidem hæc omnia, aut bene multa verificari & in Chirurgo poſſunt. Meo judicio; alterutrius præeminentia deſumenda eſt a majori utilitate, quam de certo proximo ſuo affert. Ad rem igitur. Orans, & obteſtans, ut, tantummodo poſt lectas vindicias omnes, judicium feratur.

MEDICUS CHIRURGIÆ

CAUSAM AGENS

UBI

LXVIII. PROPOSITIONIBUS DE ILLIUS NOBILITATE, ET SUPRA RELIQUAS MEDICINÆ PARTES CERTITUDINE DISSERITUR

I.

SCIENTIA (2) manibus medendi Cbirurgia dicta, non a Chirone, ut quidam falſo crediderunt (3) ſed a Cheir, quod eſt manus, & ergeia, quod eſt operatio, ortum ſuum habuiſſe creditur. Ideo ſi Cornelio Celſo (4) aſſentimur, vetuſtiſſima, & reliquis Medicinæ partibus antiquior fuit, ut clare oſtendunt Daniel Sennertus (5), & Ettmullerus (6).

II.

Finis omnes ſcientias, & facultates ſpecificat. (7) Pharmaciæ, & diætæ finis eſt ſalutem ſervare, & amiſſam reſtituere (8). Ecquis hanc vim, & effectum a Chirurgia poterit excludere?

III.

Subjectum idem eſt utrobique, corpus humanum ſcilicet, cui diverſimode conflictato, externis Cbirurgia remediis, internis reliquæ Medicinæ partes opem ferant.

 IV.

(1) Lib. 12. cap. 15.
(2) Sic dicta a Platone in Charmide, & a Galeno in arte Medicinali Cap. 2.
(3) In Hiſtoria Medica Chriſtiani Johannis Langii pag. 8. & in Carminibus Joannis Aurati Poetæ Regis, ante introductionem Operum Ambroſii Paræi.
(4) Bibliotheca Chirurgica Mangetti.
(5) Practicæ Medicinæ lib. 5. pag. 1.
(6) In diſcurſu Collegii Inſtitutionalis. T. 1. pag. 26.
(7) Pompeus Saccus in Novo Siſtemate Medico: in Præfatione.
(8) Doctiſſimus Laurentius Heiſterus in Inſtitutionibus Chirurgicis. pag. 6. addit tertiam; ſcilicet quando *truncato corpore* non integra ſalus, ſed vita conſervatur.

IV.

Medicus, ac Chirurgus iiſdem doctrinis perficitur. Phiſiologia enim docet, ubi galaxia incipit, hæmatoſis ſubſequitur, & nutritio abſolvitur, ubi vitalium partium ſedes, ubi ſpirituum promptuarium: cur reſpiratio in ſpiritalibus contingat, quomodo ſanguinis motus, & ad cor reditus, quando denique per excretorios tramites ſuperfluitates ſecernendæ; ſed pariter & ipſa docet, ubi venæ, & tumores ſecandi, nervus aut arteriæ vitandæ ſunt, quomodo in mollibus caro corrodenda, aut augenda, paracenteſes, aut puncturæ efficiendæ. Ex quibus abunde patet, phyſiologiam eſſe pariter Chirurgo neceſſariam, non miuus reſpectu ſolidorum, quæ inſtrumentaliter ſe habent, quam ſpirituum, utpote cauſarum efficientium, demum ratione ſanguinis, & ceterorum fluidorum hanc, vel illam partem irrigantium, & nutrientium.

V.

Non enim cauſam illius tumoris ſtatuere poterit Chirurgus, niſi cognita prius cruoris natura, & conſtitutione, ita ut in atrabilari illo temperamento canceroſus, lentus in frigido, ſuppuratorius in ſanguineo ſit. Hinc eſt, quod quandoque abſque manuum tactu judicium producitur.

VI.

In vulnerato pariter, & ulcere, aut fiſtula laborante, oleum, & operam perdes, niſi univerſalem therapeiam ad examen revocabis, neque ages, ut confluentes humores alio divertantur.

VII.

Præter inſuper Phiſiologiam, non ne Matheſis alter gradus eſt, quo ad Chirurgiæ culmen aſcenditur? Quid quæſo pollet Chirurgus abſque oportunis inſtrumentis, quæ veluti agendarum rerum inanimes miniſtri ſunt; & quidem aureis, argenteis, ſtanneis, plumbeis, vitreis, eburneis, ligneis, æneis, & præcipue ferreis? Quæ inſuper ratione uſus dividuntur in tot formas, nempe acus, annulos, ferulas, ferramenta, forcipes, inſtrumenta dentata, mitellas, fibulas, trochleas, lenticularia, circinos, decuſſoria, dilatatoria, malleos, roſtra, ſcobinas, tricholabia, ſpecilla, ſcalpella, ſiphones, vectes, totque alia, quæ in chiroplothecis videri poſſunt. Quid quæſo pollet Chirurgus, frontales, brachiales, pectorales, crurales, pedulesque neſciens aptare faſcias, ex quorum amplexu, connexione, niſu in meliori ſitu organa ſervantur? Quid, niſi terebello armatus ad cranei, ceteraque oſſa perforanda, ſublevanda? Quid denique ſi abſint ſcamnum Hippocratis (1), Gloſſocomum Galeni (2), Lorum Hildani, aut ſaltem Petit (3) tractoria machina Vitruvii (4), & celebre illud polyſpaſton (5) cujus inventor magnus fuit Archimedes, ſi præ aliis Nobili, & multigenæ æruditionis Viro Comiti Joanni Mariæ Mazzuchello referenti, & docenti (6) credimus. His adhuc addenda eſſet mechanica, levis, dextera, agilis, ſubitanea, lenta manuum adminiſtratio plumaceolis, ſtragulis, pulvinaribus, lemniſcis, ſtuppis, ſuſpenſionibus, preſſionibus, ita ut exiret ſanies, & extranea corrupta, ora aptarentur, læſa pars potius in horizontali plano, aut ubi minor dolor, decumberet, & optatum, uno verbo, æquilibrium produceretur. Hæc omnia, & multa alia ex phiſilogico, & mathematico promptuario extracta, non ne prima neceſſaria elementa Chirurgiæ ſunt? Ecquid igitur pari paſſu in decore cum Medicina non ambulabit.

VIII.

Quid? quod ulterius callere etiam debet Chirurgus Anatomen (7) metallurgiam, mediaque pyroſi, & docimaſia mineralium, & ſemimineralium omnium vires, aut latentes, aut protinus vivificatas, Botanicam, florum, fructuum, caulium, ramorum, ſtirpium, radicum, plantarum omnium activitates, energias, virulentiam, narcoticas, & lethiferas qualitates? cœli influxus (8) Aquarum thermalium, & acidularum proprietates? Uno verbo (nunquam enim eſſet dicendi finis) ea omnia callere debet, quæ Medico pharmacia, & diæta curanti, neceſſaria ſunt. Ea tamen lege, ut ſicuti Chirurgi operationibus ſpeculationem addentes, non proletarii, ſed Philoſophi dicendi ſunt (9), ita quoque Chirurgia ſola manualis, abſque ceteris doctrinis inſania fit (10).

IX.

Proindeque iterum mechanicum agendi lumen fulgere debet in univerſis exequendis reſpectu ægri, & remediorum. Etenim ad majorem Tyronum intelligentiam, ſi tumor occurrit, diſquirenda origo intercepti orbis, quæ pendere poteſt a concreſcibili albicante ſero, aut ex minimis, rubeiſque globulis ſanguinis ad concretionem perductis, ex vitriolicis, nitroſis, & aluminoſis ſalium (11) particulis interſitas membranas vellicantibus, ex coarctatis fibrarum nervearum, & carnearum inoſculationibus, ita ut auctis pedetentim obſtaculis, encyclicus intercipiatur motus, morboſaque moles ſemper magis tumeſcat. Quo facto quis ibit inficias, coercita liquida cujuſcumque generis,

(1) Videa rmamentarium Chirurgicum Sculteti Tabula XXII.
(2) Libro VII. de Uſu Partium.
(3) In Inſtitutionibus Chirurgicis Laurentii Heiſteri Tab. X. fig. 6.
(4) Libro X. Capite 4.
(5) In Tabula VIII. Operum Heiſteri.
(6) Notizie Iſtoriche, e Critiche intorno alla vita, alle invenzioni, ed alli Scritti di Archimede Siracuſano.
(7) Ut peculiari Diſſertatione, Haleæ nuper cuſa, probare nititur Schulze: cui Titulus: de Anatomes ad Praxim Chirurgicam ſumma neceſſitate.
(8) Theophraſt: Paracelſus in Chirurgia magna.
(9) Martin del Rio.
(10) Mangettus in Bibliotheca Chirurgica.
(11) Quas in ſanguine exiſtere probat Clariſſimus Malpighius.

neris, neque excluſo aere, vi elaſtica pollere? Quapropter eodem momento multa contingere poterunt. Vel enim globuli rubei contenti ſanguinis, ex compreſſione plano-ovales fient (1), aut aer in minus ſpatium urgebitur; aut denique cum Bernoullio (2) particulæ figura tetraedrica donatæ, quæ conſtant ex quatuor triangulis regularibus, tamquam agentes miſcebuntur particulis tetraedricis quidem, ſed baſibus ſibi mutuo obvertentibus, compoſitis, & patientibus.

His ſtantibus, pereunte ſenſim ſine ſenſu oſcillatorio fibrarum motu, ratione circuitus; ratione tamen quietis ſemper magis auctis, contra ſtagnantia corpora undequaque compreſſionum momentis, non poteſt quin internus elaſticitatis niſus, ubi ad ultimum compreſſionis terminum pervenerit, tandem reluctetur, & reſurgat; proindeque plano-ovales ſanguinis globuli ad naturalem ſphæricitatem redeant, aer vinculafrangens in majus ſpatium, anguloſæ particulæ in concavas, & ſinuoſas implantentur, quas aliquis acidas, & alkalicas nuncuparet, ex quarum omnium viribus, reſiſtentiis, & occurſu effervescentia, fermentatio pertimeſcenda ſunt.

X.

In hoc interim diſcrimine multa, & quidem probabilia poſſumus animo fingere (reſpectu tamen ſuppoſiti exempli; non enim hic locus de reliquis per continuatam ſeriem tractandi). Siquidem primo teres, oblungum (3), & cavum fibrarum corpus, ſanguifera, univerſum utriculorum genus, propriis, forſanque mixtis liquidis oppletum, atque infartum, unamque partem alteram collateralem, ſuperiorem, inferiorem urgebit. Verum cum oſſa, aut ſolidiorum internorum muſculorum ſtrata cedere non tam facile poſſint, neceſſe eſt, ut tumor externe ſuccreſcat, atque a baſi ſurſum elevetur, diſtractis, & extenſis, citra continui ſolutionem, proximis villis, & cutaneis integumentis. Quia vero hæc omnia poſſunt fieri citra internam parietum, & canalium ruptionem, & confuſam ſtagnantium liquidorum miſcellam, advertendum, utrum æqualis tumor, rubedo, & ſyſtrophe, abſque ulla febri, fluctuatione, aut coloris mutatione, remedia reſolutiva indicaret. Quæ quidem illico adminiſtranda, præcipue ſpongiis calentibus, & emplaſtris, quorum ope, ſolutis interne fluidis, aucto in ſolidis niſu, & moderato premente pondere, ſemperque connitentibus ſyſtoles, & diaſtoles motibus, anihilatio, reaſumptio, reſolutio poteſt e voto contingere. Quodque animadvertendum, citra ſanguinis noxam, quia in parte hactenus non orta putredo.

Sin autem diu ſubſiſtente ſtagnantium liquidorum amurca, fractis parietum, & pellicularum repagulis, violatiſque valvularum ſufflaminibus, vi elaſtica, aut centripeta in amplexus ruant commota corpora; ab importuna miſcella, mutatis ſpecificis gravitatibus, & adhæſionibus, noviſque cuſis internarum molium faciebus, inteſtinus orietur particularum omnium conflictus: hinc major calor, effervescentia, & fermentatio, cum carnoſarum partium fraciditate, putrefactione, inde interna puris concameratio, fluctuatio, indici Chirurgi cedens, ſuppuratoria poſtulans auxilia.

XI.

Addamus, quod Chirurgus Matheſeos etiam fundamentis inſtructus, illas offendere non poteſt cenſuras, in quas incurrunt Medici illi, qui nuptis mechanicis principiis, juſſaque ad geometrizandum natura, rationibus accomodant facta, ſæpiſſime a ſolida Praxi divertentes.

XII.

Neque vero ille ſum, qui Mechanicen, illiuſque cultores damnare audeam, niſi ſi qui ita inhæreant, ut omnes, vel latum unguem hinc diſcedere improbent, ac rejiciant, ſeque pro iis venditent, in quos Euclidis anima, juxta Pythagoræ ſomnium, migraverit. Quandoquidem negari non poteſt, determinatis quibuſdam corpuſcularibus principiis multa melius explicatum iri. Hinc eſt, quod ſuper cathedras, & in ſcriptis, magno cum plauſu, & ſecunda admurmuratione blandientes, hæ theoriæ ventilantur, & diſcutiuntur. Verum ubi Euripo, ut cum Ramazzino loquar, applicandæ ſunt, ſæpiſſime corruunt, tum quia principia ſunt magis efficta, quam demonſtrata (4) (5), tum quia nec ſcribi, nec dici poſſunt de unoquoque (6); tum denique quia elementa medicandi viventis ægri, differunt menſura, gradu, ſchemate ab illis, quæ in emortuo, & in aere libero geometrizandi anſam præbuerunt, improviſaque animi pathemmata, flatus, frigus, calor, ſuppoſitos a Mathematico motus, vires, & agendi determinatam aptitudinem e veſtigio invertunt. Quam quidem inextricabilem difficultatem animadvertentes hujuſce ſectæ patrocinatores, ubi poſt exaratam mille ſingillatim exemplis, milleque veritatis imaginibus doctrinam, in arenam ad ægrorum lectulum deveniendum eſt, trepide vacillant, & nutant, adduntque, & periodos omnes ſigillant illis verbis, *ſaltem proxime*. Matheſis propterea in Medico non ſolum erit ornamentum, ſed medium, ut ceteræ jam dictæ, aditum ad experimentalem protinus aſſequendum patefaciens: ſed quæſo vigilet oculatus, auritusque ſit, ne uſque ad ſuperſtitionem ſe totum illius deliquiis tradat, & latifundiis immergatur. Cum non deſint

(1) Cum Levenochio.
(2) In Opere Petri Antonii Michelotti de ſeparatione Fluidorum pag. 84.
(3) Santoninus de ſtructura, ac motu fibræ in Operibus Baglivi pag. 499.
(4) Vide Alexandrum Kniſmacoppe in Prælectione pro Empirica Secta adverſus Theoriam Medicam.
(5) Ipſe enim Cl. Mazinus in Præloquio Mechanicæ Medicamentorum ait: *Etenim in Medica Facultate æqua analyſis corporum deſiderari ſolum poteſt.*
(6) Galenus ad Glauconem.

ſint boni Practici, & dogmatici obſervatores, qui ſibi ſuadeant, in dies jam auctam, & creſcendi libidine amplificatam Matheſim, brevi tamen, ſua magnitudine, ſuaque mole eſſe laboraturam.

XIII.

Ex quibus omnibus apertum fit, callere debere Chirurgum mechanicas liquidorum omnium proprietates, gravitates, vires, dominium: doctrinam inſuper villorum contractilium, fibrarum oſcillantium, ſolidorum reniſus, ut collatis invicem illationibus, rationibus, praxique facem præferente, agenda ſeligat, ſphalmata vitet. Falſa idcirco ſunt, quæ memorat Andry (1) quando de Geometria, Mechanica, Phyſica ait: *Toutes parties qui n' appartiennent en rien a la Chirurgie*. Quando ex oppoſito adeo ſpectant ad Chirurgum, ut Chirurgus ſine iiſdem non ſit Chirurgus: neque cauſam ignavi Chirurgi ipſe tracto; ſed tracto cauſam Chirurgiæ in homine, qui neceſſariis doctrinis imbutus ſit.

XIV.

Rationem itaque reddat ampulloſus Medicinæ dictator, cur ſupra Chirurgiam dominatum affectet; cur ipſam allatret, ſycophantetur, & famulum clamet? Silet: dicam ipſe, quia operoſas manus admovet.

XV.

Proh ſcelus! An neſcis, quod antiquis temporibus Chirurgus Medicus apellabatur (2). An neſcis quod olim a Plutarcho (3), & Aetio (4) Chirurgi manus deorum dicebantur, & Anaxagoras ſapientiſſimum dixit hominem, quia manibus instructum? Tu quid agis, quando ambabus obſtructiones abdominis premis, aut quæritas, quando tuſſi, aut vomitu eructatum farcimen, lotii ſedimentum, aut ipſas fæces dextera, & virgula ſubvertis, & aut ſingula, aut omnia intueris.

XVI.

Ergo homo, qui hominem tangit, dum aggreditur opera, quæ natura per ſe moliri nequit, & dum proximo laboranti ſuam fert opem, dedecus, & infamiam offendet, & ceteris vilior evadet? Deus bone! miles manu hominem occidit, miles eſt nobilis. Chirurgus manu hominem ſervat, Chirurgus erit ignobilis? Quæſo ſecundam propoſitionem alio modo repetamus; utpote noſtri argumenti probantiſſimam. Marchettus fiſtulam in ano ſecans, vitam ſalutemque dat Chriſtianiſſimo Galliæ Regi. Marchettus erit ignobilis?

XVII.

Hoc olim non timuit Achilles (5) Theſſaliæ Dominus; Oſirides, & Ptolomæus (6) Ægypti Reges, Theodoricus Epiſcopus Cervienſis (7), qui ſciendi, & juvandi cupidiſſimi, Chirurgicam artem callere, atque propriis manibus ad actum deducere dignati ſunt.

XVIII.

His omnibus collatis, quale intercedit diſcrimen, cur Medicina ſupra Chirurgiam caput exerat?

XIX.

Mehercule, maximum intercedit; & quidem illud eſt, quia poſt purgatum, ſyrupatum corpus, & miſſum hæma, poſtque eadem bis, aut ter iterum pertentata, non tamen de certo ſalus ab iiſdem proficiſcitur. Adhucque hærere debemus incerti, utrum occulta criſis, naturæ viribus connitentibus, opem tulerit; forſanque æger citius convaluiſſet, niſi interna molimina, & ſolidorum aut fluidorum momenta, ab importuna remediorum exhibitione fuiſſent enervata, & perturbata. Ideoque qualecumque occurrat fatum, Medicina nec laudanda, nec redarguenda eſt. Hinc videmus in febribus multoties *negotium naturæ committi*, & ejus ſola ope convaleſcere. (8)

XX.

Contra vero jurejurando affirmare, & promittere poſſumus, prope divinam fuiſſe manum illam, quæ olim e corpore tela, nunc vero feſtucas, mucrones, globos ſcloparios, & quæcumque extranea extrahit; quæ ſectis intercoſtalibus muſculis fluctuanti, & coercito pari exitum in empyemate aperuit; quæ cataractam, viſum reſtituendo, removet; & fracta, aut in internodiis disjuncta oſſium capita iterum coaptata, & directa opportunis tractionibus, preſſionibus, variis virium, & circumſtantiarum mechanicis momentis redegit; quę ex icta arteria proſilientem ſanguinem *ſauciatorum Anchora* (9), in quovis vero vulnere, inteſtina, aut viſcera, & ſolida majoris uſus, e corpore exeuntia, manibus ſtitit, & repreſſit; quæ in infantibus ante triennium productam herniam ſubligaculo coercet, & ſanat; quæ calvariæ oſſa, ex percuſſione depreſſa, atque ex depreſſione inæqualibus, & acutis interne nactis ſuperficiebus, membranam cum junctis ſymptomatibus irritantia, vel ſublevat, vel extrahit; quæ forcipe ex naribus polypoſam (10) exedentibus vero ſuperfluam carnem tollit. Deficientem vero ſarcoticis, & balſamicis inſtaurat, & adaperta ulceris, aut leporina labia

(1) Numero III. pag. 17.
(2) Mercurialis in 2. Epidemiorum Hippocratis.
(3) Quarta Symporiacarum.
(4) Sermone tertio cap. 12.
(5) In Hiſtoria Medica Chriſtiani Johannis Langii pag. 8.
(6) In Præfatione Operum Ambroſii Paræi.
(7) Vide Guidonem de Cauſiaco pag. 134. retro.
(8) Daniel Sennertus in Practicæ Medicinæ lib. v.
(9) Liquor ſtypticus Joannis Cornelii VVeber ſanguinem confeſtim, & miraculoſe ſiſtens, etiam ex vulnerata arteria; tenoris ſequentis. Rec. vitriol. Hungarici, aluminis ana lib. .s. Phlegmatis vitrioli lib. IIII. Coq. tamdiu donec omnia fuerint diſſoluta. Liquorem frigefactum filtra, & a cryſtallis ſubinde natis ſepara. Adde ſingulæ libræ liquoris ol. vitriol. un. I.
(10) Ex cujus præſentia, & aggeſtione, magno referente Baglivo, Diſſertatione quarta de Statice aeris, & liquidorum, ipſa Hydrops pertimeſcenda eſt.

labia coarctat, & conglutinat; quæ denique tumorem ſecat, & impedit, ne latens puriformis amurca intimas membranas, & perioſtia tangat, & afficiat; ferro fiſtulam, quę ſponte nunquam ſaneſceret, radicitus extirpat; crurum plagas, non balſamis, ſed lecto, & vincturis conſolidat; igne emortuos ſphacelatos artus ſeparat, finitimos ſervat, totque animatæ machinæ de certo utiliſſima exequitur.

XXI.

Quibus abſque auxiliis aut morbus cum ægro ad ultimam perveniret ſenectam, aut frequentius dies inſtaret ſupremus.

XXII.

Hæc ſunt facta, quæ de turba, de conjecturis, deque Medicinæ theoriis, hypotheſibus, & multiplicibus therapejæ methodis vocem extollunt.

XXIII.

Hæc ſunt artis miracula, quæ vitam manu reſtituit, & interdum ipſam animam ſervat. Ecce modum.

XXIV.

Quando mulier utero gerens ad partum feſtinat, & quando aut ab humorum dyſcraſia, aut ſolidorum vitio, vel tot concurrentium cauſarum, & motuum viciſſitudine ipſe fœtus inter uterini oſculi anguſtias coarctatur, & circumpremitur, ita, ut præ foribus ſit ſuffocationis periculum; quis in orthodoxis legibus tam ignarus eſt, qui neſciat, totum opus in eo eſſe ſitum, ut infans, proximam ſubiturus lucem, baptizetur? In difficillimo autem hoc rerum ſtatu, hoc eſt ſi os pubis nimis adhærens, ut in primiparis; ſi vaginæ tumor, aut matris in enitendo debilitas, vel circumſitorum nervorum ex dolore, & convulſione contractio, & ſexcenta alia, in practico obeundo munere paſſim obvia, & ab auctoribus connumerata, fœtus caput, aut manum, aut pedem tantumodo exire permittant, aut in limine uterini oris ipſum fœtum firment, tunç, & eo caſu, cum periculum in mora ſit, quis ubicumque locorum, præter Chirurgum, anatomicis ſuffultum luminibus, poterit uterinum, ſi opus eſt, adminiſtrare ſpeculum, illudque per vaginæ iter intrudere, aliove modo, & inſtrumentorum manuumque dexteritate agere, adeo, ut oriens pars, amotis, ſectiſque ſi lubet pelliculis, & ſecundinis involventibus aliquatenus pateat, perſpectaque, ſacro Baptiſmatis lavacro, ablui, & baptizari poſſit?

XXV.

In mulieris utero gerentis morte violenta, aut ſollicita, nonne Chirurgus, imi ventris ſectione peracta, Cæſariano more, fœtum ſervare, & animæ ſalutem promovere poteſt?

XXVI.

In ampliſſimo naturæ, & ſublunarium omnium Regno, ſi quis mihi indigitabit hominem, artificem, dignitarium, ſtrenuiſſimum exercituum Ducem, cujus arte, vi, vel potentia alterius anima in cœlo de certo ponatur, mille grates a me accipiet. Si igitur fortunatiſſima occaſio hæc in Chirurgica arte peritos favet; ſi iiſdem Scriptores Sacri fere omnes committendum eſſe opus ſtatuunt; ſi denique non undique anatomicus præſto eſt, cur de ſummo tantoque opere Chirurgis non gratulabimur; quorum utiliſſima ars ceteras omnes artes, & ſcientias ſuperat in poteſtate, & de qua privilegium ſalvandi animas verificatur?

XXVII.

Andry fautores quid reſpondetis? Ipſe numero 19. dubios dixi veſtræ Medicinæ effectus, & fructus; num. 20. utilitatem, & certitudinem, media Chirurgia, obtentæ pluries ſalutis demonſtravi. Poſtremis vero hiſce numeris 23, 24, 25, 26, ſervatam animam probavi. Igitur ſi & vos majora, aut paria ſaltem monſtrabitis, vadimonium deſerere non erubeſcam. Sin minus: transeant in Galliam Vindiciæ noſtræ, Chirurgorum fortaſſe Pariſienſinm gratulationem reperturæ.

XXVIII.

Addamus, quod Chirurgia reliquas Medicinæ partes docet: docet inquam, quoties ſanguis phlebotomo extractus aperit, quæ vitia in ipſo latebant: quoties cognitus frigidus tumor indicat craſſas, hebetes, atque adhærentes maſſulas liquidorum orbem retardare, atque intercipere: quoties phlichenoſes, & undique emergentes papulæ ſalſilaginem, duriſſima inæqualis protuberantia atram bilem, oſtrecacea, albidiuſcula ulceris labia veneream luem portendunt, & admonent quo pharmacia dirigenda ſit.

XXIX.

In vico D. Antonii Abbatis aliquot ab hinc annis decumbebat lecto N. N. veſpertina per ſubingreſſum continua vexatus febri, cum nocturnis ſudoribus, & hypochondriorum ſuſpenſione: qui quidem poſt multa, eaque incaſſum adminiſtrata, remedia in Bergomate diſtrictu, Brixianos etiam Medicos experiri opportunum duxerat. Adſtabat propterea doctiſſimus in Medicina facienda vir Joannes Fainellus, qui ad tollendum ſymptomaticum ſudorem, atque inteſtinorum difficultatem catharticum jam præſcripſerat. Accitus ipſe, & ab ægro edoctus de olim perlata, & nunquam extirpata ſiphylide, viſoque, neque exiguo, tumore ſupra dexteram anteriorem coxam, quatuor digitis tranſverſalibus infra inguina, in eam deveni ſententiam, ſuppuratoriæ eſſe indolis, & maturationi jam proximum, ideoque & ponendum emplaſtrum coquens, & purgantis exhibitionem eſſe pro-

procraſtinandam, utpote quæ naturæ conſiſtentiam in ſalubri promovendo emiſſario poterat interpellere. Vocatus itaque in conſultatione meum dignatus eſt affirmare effatum, ſactaque ab Antonio Tonolino, practico hujus urbis Chirurgo, & Noſodochii lithotomo, poſt tres dies tumoris ſectione, exeunte feliciter pure, febris brevi miteſcere viſa eſt. Proindeque, & alexipharmacis decoctis, & argento fugaci extranea lues integre domita fuit. Ex his perbelle patet, quod octo fortiora cathartica medicamina, interpolatis vicibus a Bergomatis Medicis præſcripta, ut febrim curarent, aut eandem ſemper magis excitabant, aut perturbato naturæ niſu, & diſtractis ſpiritibus, & viribus, optabilis critica in tumore fermentatio impediebatur.

XXX.

Ergo Chirurgia interdum magiſtra eſt Pharmaciæ, & diætæ, ut teſtantur etiam monita Clariſſimi Pauli Valcarengi (1), ubi ait: *A Chirurgicis maxime documentis magis tutam ſanioris methodi viam deſumere ſoleo.*

XXXI.

Paginæ potius quam hiſtoriæ deficerent, ſi omnes in medium adducere vellem, quos pharmacia pedetentim conficiebat, & Chirurgia redemit.

XXXII.

Quid plura? negari non poteſt magnum illum optimatem, & Anatomicorum hujuſce ſeculi principem Joannem Baptiſtam Morgagnum, in quo tot virtutes mixtæ fluunt, excellere, ac prælucere ratione Anatomicæ artis: cujus ſubjectum, & munus eſt manu mortuum ſecare; non ut ille reviviſcat; ſed ut ſemper magis illuſtrata micrographia, tutiores illationes, & theoremata proferantur, ad vitam ceteris ſervandam.

XXXIII.

Conſequentia igitur patet, dari artes manu tractatas, quæ hominem ad honorum culmen provehunt.

XXXIV.

Quid igitur dicendum de Chirurgo, qui non mortuum, ſed vivum ſecat, atque adeo, ut reviviſcat?

XXXV.

Quid inſuper dicendum, ſi Chirurgus, qui artificialiter operans præ aliis, ut dicebamus, principia Medicinæ (2), Anatomiæ (3), & Chymiæ (4) ſcire debet, univerſo inſuper diſciplinæ genere perpolitus omnibus numeris officio ſuo fungeretur?

XXXVI.

Jam audio oggaganientes: ubi eſt Chirurgus hiſce doctrinis inſtructus, & omnibus numeris perfectus? Silete, compeſcite tumultum, ne, ſecto naſo, os cruentetur; utraque enim pars Medicinæ eſt: ibi, ubi eſt Medicus omniſcius. Quæſtio non eſt de homine, qui ſemper quærendus erit, ſed de Arte.

XXXVII.

Si Clariſſimus ipſe Andry, ſi Ballonius, ſi Helvetius fulgentiſſima Gallicæ Medicinæ decora, artem quoque Chirurgicam exercuiſſent, nonne omni ex parte periti dici deberent? nonne in iiſdem verificarentur ea omnia, quæ Andry in Chirurgis deſiderat? Quando ego laudo Chirurgum, illum laudo, qui in omni ſcientia magnis illis viris æquiparari poteſt, & ſuperadditam Chirurgiam habet. Laudo Hippocratem, Aquapendentem, Paræum, Marchettum, Heiſterum, & hujuſce generis celeberrimos Chirurgos, a quorum peritiſſima manu, oh quot hominum milleni fuerunt ab orci faucibus revocati! Quique & circulo, & calamo Medicis nunquam ceſſerunt, ſed immortalem ſibi famam compararunt.

XXXVIII.

Parcite Andryni, ſi qui ſupereſtis; ipſe non credo Pariſienſes, neque S. Coſimi Chirurgos adeo rudes, & imperitos. Quandoquidem, & ſi ipſos non vidi, neque ſua ſcripta, immenſo enim terrarum tractu diſtamus; attamen multi aſſervantur in noſtra Bibliotheca Gallorum Chirurgorum libri, Barbette nempe, Garengeotii, Mauriceau, Guillaumet, Eliæ col de Villars (5), & aliorum quos veneror, & diſco, & a quibus arguo quinam ſint ceteri. Si Chirurgi S. Coſimi nimis acriter ſcripſerant, parcendum illis erat, utpote accenſis, & propriæ artis amore captis. Poterat Andry agere, quod reliqui fecerunt, ut ſurdus videretur. Reſpondendo ſiquidem, & nimium honorem ſuis Adverſariis fecit, & ſplendorem Chirurgicæ artis, quæ in illo Regno ſemper floruit, imminuere viſus eſt. Nonne veſter Gallus Aſtruc (6) me impetiit, ac invexit illis verbis, quod ego improprie, aut parum latine loquor, & tamen in *Hiſtoriis Morborum* vindictam non facio, ſed gratias ago?

XXXIX.

Quare potius dicendum eſt, quadam fatali humanarum viciſſitudinum, & temporum depravatione, conſpurcatis barbarie ſcientiis, quæ & ipſæ ſuam

(1) In Medicina Rationali.
(2) Guido de Cauliaco in Capitulo univerſali.
(3) Laurentius Heiſterus in ſuo Compendio Anatomico parte 5. ait Chirurgos ſalva conſcientia non poſſe carere cognitione Anatomiæ. Adeo ut Georgius Veſnerus peculiarum Diſſertationem produxerit de Anatomes majori in Chirurgia, quam Medicina neceſſitate.
(4) Opinio Paracelſi in Chirurgia magna T. 2. pag. 49.
(5) Qui etiam Medicus curſum Chirurgiæ Pariſiis dictabat.
(6) Tractatu de Morbis Venereis.

ſuam habent fortunam, etiam Medicinam illud damnum offendiſſe, Chirurgiam, fracto utili vinculo, de cujus neceſſitate ſignanter Haleæ ſcripſit Stahlius (1), ab ipſa ſeparatam fuiſſe.

XL.

Quod poſt Eraſiſtrati Ariſtotelis ex filia nepotis ſæculum contigiſſe, Valeſius, haud ſine mærore, deploravit; ſcilicet ob diviſas artes, aut ut melius dicam, a diverſo hominum genio in tranſverſum actas Medicinę partes, ita ut qui pharmaciam, & diętam amant, Chirurgiam tamquam ab alto deſpiciant, & Chirurgi Chirurgiæ Doctores vocari malint (2).

XLI.

Et tamen Hippocrates utramque exercuit (3) proindeque hæc a Græcis magis, quam a ceteris nationibus exculta fuit; adeo ut ad faciliorem intelligentiam, Chirurgia Tyrocinium Medicinæ haberetur (4) ut in Aſclepiadum familia ſolemne fuit.

XLII.

Veruntamen negari non poteſt, ut Herodotus ait (5), antiquis etiam temporibus, peculiaribus morbis peculiares Medicos fuiſſe addictos; ut olim de Roma Galenus (6) de Ægypto memorat Alpinus (7) referente Mangetto (8), quod utrum laudem mereatur, ſapientes decernant.

XLIII.

Illud utique unum animadverto, quod utrumque extremum media veritas damnat; ideoque ſi in ſingulis morbis peculiaris adeſſe deberet Medicus; ſique ſolus tumorum numerus aſcendit (9) ad 226; in aliquibus oppidis cives omnes non ſufficerent, neque eſſet ſcientia, aut ars, ſed confuſio, etiam ob epigeneſes, & metaſtaſes, quæ contingunt.

XLIV.

Contra vero neque criminandus mos eſt divortii a rationali methodica Chirurgia quarundam operationum, puta depreſſionis cataractæ, media ſectione extractionis lapidis a veſica, caſtrationis &c. ad quæ peragenda circumeunt errones (10) obtenta a Magiſtratibus licentia. Cum enim illa incerti ſint exitus, merito proſcripta ſunt.

XLV.

Præter artis ſeparationem, illud quoque damni contingit, quod ſicuti in juriſprudentia ſui adſunt rabulæ, ſuique ſaccularii clamatores, clam, ſi fieri poſſet, & abſque permiſſione Leguleii, aut Advocati, patrimonia philodicorum expilantes; ſicuti in Medicina undique ſurgunt Agyrtæ, Empyrici, & Glorido͏ctores portentiferi, qui ſatantur, & intolerabili dicacitate, ac ſi ſoli ipſi ſaperent, & reliqui velut umbræ volitarent, miracula canunt, & effutiunt, ſeque mutuis telis conficiunt, ut concreditam dogmaticis rationalibus fidem ſurripiant, & cum rei domeſticæ augmento experimenta per mortes agere poſſint: ita quoque & in Chirurgia (quam, ut ajebat D. Hieronymus de arte Scripturarum, *omnes paſſim ſibi vindicant; hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent*) aliqui adſunt, pro quibus præſens cauſa non agitur, & quos ſolos ſi Andry impeteret, non obſtupeſcerem, qui non cogitant, & fortaſſe non cogitare ſciunt, quid dicant, aut faciant, modo dicant, aut faciant aliquid; qui corporis humani ſtructuram, partium ſitum, & conformationem penitus ignorant (11), & qui jure ac merito dici mererentur balneatores, raſores, neſcii rationem reddere cauſarum, & originis ægritudinum.

XLVI.

Qui ſi unicum aphoriſmum mente tenent, illum ſemper nullo in morbis diſcrimine, ſtribiligine fędatum crepant, unaque fidelia omnes tentant dealbare, & trulliſſatos reddere parietes, ut de ſophiſtis olim prædicabat Hippocrates (12) Arti noſtræ aptantibus, quæ pertinent ad pictoriam: Λέγουσι δὲ τινες καὶ ἰατροὶ, καὶ σοφισταὶ, ὡς οὐχ ἔνι δυνατὸν ἰατρικὴν εἰδέναι, ὅστις μὴ οἶδε ὅ, τί ἐστιν ἄνθρωπος; καὶ ὅπως ἐγένετο πρῶτον, καὶ ὅπως συνεπάγη· ἐγὼ δὲ τουτέων μὲν ὅσα τίνι εἴρηται σοφιστῇ, ἢ ἰατρῷ, οὐ γέγραπται περὶ φύσεως, ἧσσον νομίζω τῇ ἰατρικῇ τέχνῃ προσήκειν, ἢ τῇ γραφικῇ. Sin vero aliquem bubonem curaverint, aut in illum morbum inciderint, qui ſponte ad ſalutem properabat, jamjam Archiatri, & Protophyſici, plaudente interdum, & volente populo, facti ſunt.

XLVII.

Res ſane Hippocratis cachinno digna, ipſos videbis tangere pulſus, viſcera, judiciumque, Medicos ſe venditantes, ferre de urinis, deque variis metamorphoſibus, quæ in dies eveniunt: ipſos videbis nihil minus quærere, quam veritatem, quinimo doctorculi, & excellentiſſimi titulo inhiantes, forſanque in alienam meſſem temerariam manum mittentes pharmaceuticis præſcriptionibus.

XLVIII.

Hinc eſt, quod memorant Scriptores decumana commiſſa ſphalmata; videlicet ſectam phletothomo arteriam (13) in brachio pone venam, pediſſequo aneuryſmate, inflammatione, & morte; ſectam in inguinibus herniam, pro bubone habitam; clauſa

 ante

(1) De Medicinæ & Chirurgiæ perpetuo nexu.
(2) In Ettmullero.
(3) Vide ejuſdem Opera de Offi. Medici de Articulis, de Vulneribus,
(4) In Bibliotheca Chirugica Mangetti lib. III. pag. 319.
(5) Libro ſecundo.
(6) Libro 10. de uſu partium.
(7) De Medicina Aegyptia libro, & capite I.
(8) In Bibliotheca Chirugica.
(9) Hanc ſententiam tenet Joannes Philippus Ingravius; ut videre eſt in Sennerto Practicæ lib. v.
(10) Sic ipſos vocat Clariſſimus Van Horne in Mirot.
(11) Sennertus in Practicæ Medicinæ lib v.
(12) In Chirurgo Carteſiano diſp. II Clariſs. VValdſmich

ante tempus vulneris, aut antiqui ulceris labia, remeante in viſcera pure.

XLIX.

Memorant unguentarios ruſticos, & mulierculas, quos & ego cum celebertimo Andry damno, cathartiſmum in luxatis, & fractis inſtituentes, penitus ignota phyſiologia, & anatome, ideoque ipſi, aut appoſito emplaſtro oſſium coaptationem procraſtinant, pars tumeſcit, & poſt hæc occaſio calva, aut abſque debito adſtantium, & tractionis auxilio, artus directionem promovent, aut multiplicibus preſſionibus, & motibus partem irritant, & exaſperant, ut aliquid, & multa, eaque neceſſaria agere videantur.

L.

Qui autem mos ſuſpectus etiam ſummopere eſt, quando nullum adeſt oſſium vitium, ſed ſola contuſio, tumor, aut articuli diſtorſio: ubi ut aliquid ultronee factitent, ſeque utiles exhibeant, crus, aut brachium dextrorſum, ſiniſtrorſum, quotidie, aut bis in die urgent, & adigunt, apte, inepte, dirigunt, detorquent, ut flexio, motus, & articulatio reviviſcant. Si tamen hæc fiant, dum membranarum productiones, & tendinoſa ligamenta diſcuſſionem in villis paſſa ſunt; dumque ſparſim circumjacentes fibræ, ob extenſionem ſtrictæ, & coarctatæ, aut ob confluentia fluida turgentes obtemperare non poterunt flexionis motibus, in confeſſo eſt, expectandam dolorum iliadem, cum aucta partis intumeſcentia, ejulatibus, atque in artem ipſam imprecationibus; ideoque in his caſibus neceſſe potius eſt quietem habere.

LI.

Quod autem ille, vel alter hiſce mediis ſanitatem acquiſiverit, aut interrogandus Auſonius Gallus (1) ubi ait: & cum fata volunt, bina venena juvant; aut grates ſuperis reddendæ, aut artus luxati fractique non erant. Illis itaque ſolis ſalus nunquam committenda, ſed tantummodo etiam ſi rudes, auſcultandi (2) ſi quid ad medelam conferat.

LII.

Hic autem non poſſum quin cum Levino Lemnio exclamem (2), & illius verba ad verbum tranſcribam: *Cum autem in extruendis ædibus architectum deligamus ſolertem, atque induſtrem, in dirigenda nave nauclerum expertiſſimum, in bello gerendo Duces exercitatos, ac ſtrenuos, in expolienda lingua præceptorem eloquentem, in mente inſtituenda, formandiſque moribus moderatorem optimum, cur in morbis expugnandis, in facienda tuendaqne ſanitate triobolares, circumforaneos, ac deliras anus admittimus; quibus corpus noſtrum trucidandum exponimus, animique domicilium diruendum offerimus? adeo nemo non artis Medicæ peritiam ſibi arrogat &c.*

LIII.

Qualiacumque tamen ſint utiliſſimæ Chirurgiæ præjudicia, atque in humanam perniciem introducta ſcandala, lætandum nobis ſummopere eſt, in hac urbe penitus abeſſe, ſuperiſque faventibus florere viros doctos, probos, practicos, pollentes ingenii acumine circa cauſas, & eſſentiam morborum; ad difficillima quæque expeditos, & celeritate intelligendi, & decernendi conſilio præditos; cautos denique & ambidexteros tam in oſſibus aptandis, quam in ceterarum omnium Chirurgicarum operationum adminiſtratione, ita ut aliis regionibus invidendum non ſit.

LIV.

Quia tamen uſque ad aras tantummodo advocatus eſſe debeo, & omnia argumenta per epidicticum genus ſolummodo verſus dogmaticos rationales Chirurgos, non vero balneatores dirigenda ſunt; ad tollendas, ſi quæ ſuperſunt, hallucinationes, ſuaderem, aut obſervandas adamuſim animadverſiones Danielis Sennerti (3), agendo, ut Medicus ſemper præſideat, & Chirurgorum vulgarium actiones dirigat, eorumque errores, ubi occurrant, corrigere queat;

LV.

Aut adoptandum conſilium Ettmulleri ubi ait (4): *Medico: ac debere hunc eſſe ſimul peritiſſimum Chirurgum.* Quem quidem antiquum morem, humano generi utiliſſimum eſſe poſſe, quis negaverit, ſi una pars alteram illuſtrat, & vice verſa? Adeo ut ipſe Galenus illud ipſum confirmaverit illis verbis: *Medicinæ partes connexas eſſe conſtat, ut nullo modo deduci, ac ſeparari ſine totius Profeſſionis detrimento poſſint.* Refertque Paracelſus (5) de Medicina, & Chirurgia: *Omnia unum*, quale enim foris, tale intus eſt, neque una exiſtit externum, & internum, una conſtellatio, una influentia.

LVI.

In poſterum itaque, ut Chirurgia a præſentibus præjudiciis ad priſtinam lucem revocetur, iterumque effloreat, non quilibet voluptarius adoleſcens, qui obſtipo capite, aut, veluti ſaxum, nullo humanarum viciſſitudinum ſenſu tangitur, ſed Philiatri (ſemen enim in terra apta ſerendum eſt) & Medicinæ etiam amatores, qui & ingenio, & ardentiſſima proficiendi voluntate præditi ſunt, interque non temporaria, ſed perpetua ſtudia nati & alti, ſollicitandi ſunt, ut, noviter inito antiquo fœdere, etiam Chirurgiam calleant, aut callere non erubeſcant. In hunc etiam finem, in Patavino, aut Veneto Theatro reſeratam, non perfunctoriæ,

(1) In Epigrammate.
(2) De occultis Naturæ Miraculis pag. 167.
(3) In Epiſtola Nuncupatoria, lib. v. pag. 2.
(4) In Inſtitutionibus Medicis Tom. primo pag. 32.
(5) In Tractatu ſecundo de Aſtronomia pag. 162.

ſtoriæ, ſed attentius obſervando microcoſmi ſyntheſim, ut præterita clarius intelligant, venturaque cautius tractent (1).

LVII.

Quo vero ad viliora opera, licet ſemper laudabilia, quando ad proximi utilitatem, habeant pediſſequos, aut adſtantes ſuos Jatraleptas, myropæos, herniarios, & reunctores, qui ancillentur, paranda parent, & faciendis, quantum fieri poteſt, utiles interſint.

LVIII.

Neque frequentes vulnerum medicationes, & ſolutiones ament, aut nimis raro, negligentes, quæ ſedulitatem exigunt, ipſas inſtituant: quandoquidem ipſa Magati Methodus (2) hactenus certiſſima non eſt, ut probant Reſponſiones *di Nicolò dello Re* (3) in quibus ſolemnis eſt hæſitatio Xenodochii Neapolitani Gubernatorum, utrum ſcilicet vulnerum ſolutiones ſemel, aut bis in die faciendæ ſint. Licet tamen in re Chirurgica perſtrepens quæſtio ſit, nunquam, meo quidem judicio, in abſtracto judicari, quinimo citra riſum tractari poterit. In concreto, hoc eſt prope ægrotum lectulum, ſententia ferenda eſt. Quod quidem etiam dicendum de turundis, & penicillis cavitati vulnerum intruſis, de quibus tot volumina ſcripta ſunt. Quis tamen erit tam bardus, qui unam, alteramve methodum indiſcriminatim probare poſſit? Profecto in omni ventre, quando intima penetralia vel plumbum, vel ferrum vi adactum petiit; & quando ſciſſis vaſorum parietibus intra thoracem, intra peritonæum morboſa poſſunt coacervari liquida, aut etiam citra ſuppoſitam penetrationem; quando extractis oſſibus, nervis, aut quibuſcumque ſolidis majoris uſus, inflammationes, fiſtulæ, abſceſſus, & occulti ſinus pertimeſcendi: tunc & eo caſu linamentis, & quandoque cereis cannulatis, ichorum exitus adjuvandus, & commercium ſecundum artis dogmata, & exequendarum rerum neceſſitatem, manutenendum eſt. Sin vero, memoratis, & aliis bene multis abſentibus circumſtantiis, ſolaque vigente glutinandi vulneris intentione, turundæ adhiberentur, curatio ſane contra artis præcepta protraheretur, & difficilior evaderet.

LIX.

Exclamemus itaque neceſſe eſt, proh ſummam ægrorum ignorantiam, qui ad morborum curationem barbitonſores vocant! Proh extremam aliquorum Medicorum conniventiam, & nimiam bonitatem, qui tyrannicum morem, ad prava converſum, non tollunt; aut ſaltem ægros de imminentibus non admonent præjudiciis!

(1) Sic docet Clariſſimus Vir Carolus Franciſcus Cogroſſius Profeſſor Patavinus, in Oratione Pro Medicorum virtute adverſus Fortunam Medicam, pag. 18.
(2) In conſiderationibus Medicis T. 1. pag. 110. & 113.
(3) Nelle Novelle della Reppublica Letteraria per l'anno 1736. Stampa Albrizzi.

LX.

Inſuper admonendi eſſent Tyrones, ne elato ſupercilio ſe gerant, atque velut truſatilem, ut inquit Plautus, molam pro arbitrio ab omnibus verſari ſe ſinant; aut in rebus deſperatis, cęco impetu, & calculis non ſubductis, ſalutem promittant, aut omnia formidine compleant: neque admirandis hiſtoriis quorundam Auctorum credant, qui ut gloriolas aucupentur, omnes ſe curaſſe jactant: multo minus ab uno incompoſite, & ſimpliciter veritati operam danti (4) ad alterum elegantiorem, & voluptate afficientem (5) aut ex ſuperna ſede delapſum, meliora ſpondentem, divertant, & lectitando impalleſcant. Hoc enim eſt tempus projicere, & fruſtra ingenium fatigare, præcipue ſi in electione hallucinentur, & omiſſis gravibus, & optimis, fucata, atque emphatica decerpant.

LXI.

Nec omittenda eſt exhortatio ut etiam Medicus aliis Medicinæ partibus junctas det manus ad acquirendam priſtinam valetudinem, non ſolum ratione ceterorum conſpirantium, quæ ab Homobono Piſone (6) magna vocantur auxilia, quam præcipue eorum, quæ vulneraria a Practicis nuncupantur: quæ quidem licet ſupervacanea videantur, eo quia cerebrum non habent recta ad partem affectam perveniendi, Medicique indicationibus ſatisfaciendi; nihilominus negari non poteſt, organicum oriri, & naſcentem ſurgere morbum ex peculiaribus in cruore præexiſtentibus particulis, figura, mole, motu fluida poſſe lædere pollentibus. Et ecce ſtaſes, papulæ, ulcera, meliceꝛides, & mille generis alia. Itaque ſi Melampi Hiſtoriæ referunt Æſculapium potionibus febres quidem, ſed etiam plagas, & ulcera curaſſe; ſi remedium illud, vulnerarii nomine indigitatum, & ſales, & lentores ſolvere, acida cicurare, confluentia ad partem fluida verſus urinæ vias promovere, & balſamicis, roridiſque particulis, ſanguinem ditare poterit, cur pro ſuſpecto habebitur? Ceteris itaque omnibus remediis, & Medicus amice præſto ſit, neque Chirurgum de Serotina valetudine criminetur, aut contra.

LXII.

Nobilitas itaque artis patet ab origine, quia reliquis Medicinæ partibus antiquior, & quia ab Apolline. Ab exemplis, quia a Regibus exercita. A doctrinis, quæ collectæ intercedere debent ad formandam Chirurgiam *docentem*. A manibus quæ potentiam ad actum inducunt, & *utentem* ſupremum præſtantiſſimæ, & de certo utiliſſimæ artis gradum conſtituunt.

 LXIII.

(4) Ut ait Seneca Epiſtola 40.
(5) Inquit Ariſtoteles lib. III. de Rethorices Cap. 1. de Elocuti. T. 4.
(6) De Regimine magnorum auxiliorum in curationibus Morborum Diſſertationes quatuor.

LXIII.

His omnibus denique Chirurgiæ utilitatem, nobilitatem, certitudinem jam demonſtratas arbitramur; & licet multa probata ſint doctrinis, & ſuffragiis graviſſimorum hominum, qui aut architectonice, aut manuum miniſterio Chirurgiæ erant addicti, ideoque ſuſpecti aliquibus aduncæ naris videri poſſunt, ne Chirurgica cæderent vineta: Tamen nihil magis meditati ſumus, aut in medium adduximus, niſi quod aſſumpti muneris eſſe exiſtimavimus, & quod verum, aut veritati (1) ſimillimum nobis viſum eſt (2), ut abunde teſtantur etiam ſcripta Archiatrorum, Lanciſii ſcilicet, Sennerti, Ettmulleri, & ſimilium, quorum verſus Chirurgiam laudes referre, hic in præſens animus non inclinat.

LXIV.

Poſt hæc ab artis limitibus exeundo, & extra medicum circulum loquendo, Oh quam libenter, forſanque utiliter, hortarer omnes, ut in majori exiſtimatione Chirurgiam, & Profeſſores haberent; atque majoribus honoribus ipſos proſequerentur! Quandoquidem quouſque Philiatri Minervæ, & Æſculapio conſecraturi, Chirurgiam videbunt contemptam, & male acceptam, ab ipſa abhorrebunt, ideoque ab unguentariis tantummodo, & raſoribus adhibita, & exercita in ipſos contemptores, quoties ægrotabunt, & Chirurgica ope indigebunt, ruina redibit, externi morbi non extirpabuntur; & ſicuti *ſub noctem fures furantur, quia non conſpiciuntur*, ita quoque ut ajebat Paracelſus (3) de Medicina, per Chirurgiæ *noctem irrepet mors, vitamque ſurripiet theſaurum hominis præſtantiſſimum.*

LXV.

Exemplum itaque ſumatur a Julio Ceſare, ut ſcribit Svetonius (4), qui artes liberales, & præcipue Medicos Profeſſores curantes Chirurgia, Pharmacia, & Diæta tanti fecit, tantoque favore, & benevolentia proſecutus eſt, ut illos Romanorum civium titulo nobilitaverit, & honoribus adauxerit, ne ab Urbe diſcederent; ſed publicæ utilitati vigilarent, & privilegiis ornati, atque excitati, omnium valetudini incumberent.

LXVI.

Exemplum ſumatur a Populo Romano, qui ob curatum Imperatorem Auguſtum Antonio Muſe Medico auream ſtatuam erexit (5), necnon ab Olao, Haraldi filio, Norvegiæ Rege, qui propriis manibus colli apoſtema cujuſdam viduæ curavit. (6)

LXVII.

Quia vero ex Romano tripode in Italiam, in orbem fluxere uſus, & juſtiſſimæ leges propagatæ ſunt, declamantibus ante Patritios Venetos, & Judices, & Dominos, (7) Medicis, & Philoſophis Patavinis, eorundemque Advocatis, ut magnus illius ſæculi Chirurgus Fabricius Aquapendens, Fallopii diſcipulus, excluſus jaceret ab ipſorum Collegio, ſancitum fuit, ut & ipſe admitteretur, dignitatibus, & utilitatibus gauderet, quę primis Profeſſoribus Theoricæ, & Practicæ concedebantur; adeo ut tandem Civitate donatus (8) ſupra ordinem ellectus (9), & Eques Divi Marci factus (10) in Rotatu ante Philoſophos ordinarios anno 1697. pervulgatus fuerit. (11)

LXVIII.

Poſtremo certiſſimum eſt, nihil eſſe, poſt homines natos, in univerſa rerum omnium natura utilius, nihil optabilius, quam id unum, quod de certo vitam reſtituit. Propterea ſi pereunte vita pereunt ſublunaria omnia, divitiæ ſcilicet, Nobilitates, Principatus, & Imperia, profecto, qui promota ſanitate aptos reddit ad alterutrum, aut omnia poſſidenda, ceteris quibuſcunque artibus, & ſcientiis (de quibus hæc veritas, ut diximus, nec par magna verificari poteſt) longe lateque ſupereminendo; non proletarius, ſed utiliſſimus, nobiliſſimus, cœlituſque delapſa arte ditatus dici merebitur.

ULCERIS CANCEROSI CURATIO

BELEIUR Chirurgus Pariſienſis curabat apoſtemata venerea, & canceroſa liquido vitriolico aureo, de quo videndus Digby (12).

MORBORUM CURATIONES PER TRANSPIRATIONEM

DOCTUM Gallum Dominum Sault XX ſuis Obſervationibus præeuntem ſequi & nos debemus, ſollicitata, vel aucta, vel imminuta, prout opus fuerit, in ægris corporis tranſpiratione, quam ſatis docte Sanctorius illuſtravit, & quam boni Practici utiliſſimam inclamant.

CEREBRUM A QUA CAUSA MOVEATUR

DOM. Chevalier Præſes Collegii Medici, & Pharmaceutici Pariſiis inquirit in cerebri motum, unde veniat, potiuſque aerem, quam

cetera

(1) Quæ ut ait Tullius: *Per ſe ipſa defenditur*.
(2) In Scriptis Medicis *Snmma, ac unica virtus eſt veritatis ſtudium*. Theophraſtus Paracelſus Chirurgia magna T. I.
(3) In Tractatu 4. de Proprietate Medici.
(4) Numero 42.
(5) Vide Chriſtianum Joannem Langium in Hiſtoria Medica pag. 11. ſæcul. 1.
(5) In Hiſtoria Norvegiæ Snoronis Sturlei.

(7) Riccoboni de Gymnaſio Patavino lib. 4. cap. 4. pag. 94.
(8) Ibidem lib. 11. cap. 39. pag. 50.
(9) Ex eodem Auctore.
(10) Tommaſinus Elog. T. 1. pag. 317.
(11) Vide Orationem Joannis Tuillii in Bibliotheca Scriptorum Medicorum Mangetti.
(12) In Medicina experimentali.

cetera omnia in medium affert; ſed hæ ſunt quæſtiones ad rem noſtram Practicam ne hilum quidem facientes.

MEDICA CONSILIA PARISIIS CUSA

LAudo atgumentum, quod ſumpſit celeberrimus Vir Ludovicus Joannes le Thieullier Archiater, & Conſiliarius Regis Franciæ, proboque Conſultationes ſuas Chicoineau, & Helvetii documentis illuſtratas, typis tranſmiſſas fuiſſe. Menti ſiquidem meæ fixum ſtat, plus docere editas a doctis Viris Conſultationes, quam ceteram librorum omnium farraginem, ubi ſępeſępius homines in intellectualibus machinis expatiantur.

SIMARUBA

JUſſiu ſocius Academiæ Scientiarum, & demonſtrator ſtirpium in Horto Regio multas utilitates promittit a cortice Americano Simaruba ad curandum fluxum dyſentericum. Circa quod dogma illud prætereundum non eſt, remedium adhiberi debere in decoctione ſolutum, non vero in ſubſtantia.

MAGIA

OPtime meritus eſt Conſiliarius, & Medicus Regis Franciæ Andrea, qui ſuis epiſtolis ad Amicos datis inquirit in differentias Magiæ veteris, & illicitæ, numque maleficiis per figuras cereas, philtra, characteres, ceremonias, ligaturas, injecta, perque conventus ſabbathicos homines poſſint incantari, & morbis incognitis affici. Sed potius concludit, *naturaliter, & ſine ope diaboli procedere*.

GALLORUM

NONNULLA INVENTA, ET MAGNO HIATU PROMISSA

1704 DUm ſcribimus, non paucæ Italas noſtras in oras adveniunt novitates, rem Medicam augentes diligentium Gallorum Hominum, qui de humana valetudine ſolliciti arcana ſua mille laudibus extollunt.

I.
TURBEN
Succus Liquiritiæ

DOminus Turben, Conſilii, Comiſſariorum, & inſignium Medicorum auctoritate nixus, ſuo liquiritiæ ſucco phlegmata, aſthmata, gulæ phlogoſes, ſanguinis craſſamentum, & pulmonum morbos ſolvere promittit.

II.
CORDIER
Pellis Divina

COrdier vero ſua pelle divina a Dominis Dodart, & Matèchal Medico, & Chirurgo Regis approbata, podagram, rheumatiſmum, paralyſim, pleuritidem, ſurditatem, ulcera, multoſque alios morbos ſanare, ſanaturumque ſe eſſe jactat. Monitaque præmittit, ad hoc ut arcanum in tota ferme Europa venale proſtet.

III.
MARCHIANTE
Arcanum Antescorbuticum

IL guerit en peu le Scorbut, & tous les autres accidens, qui peuvuent ſurvenir dans la bouche.

IV.
CHONNET
Cancros in mammis Emplastro extirpans

SOlo Emplaſtro ab extra applicito, & citra ullam lanienam non cancros tantummodo, ſed reliqua etiam canceroſa ulcera in aliis corporis partibus feliciter curata aſſerit.

V.
PIRITHOUSS
Dolores Dentium acutissimos illico abire facit

QUodam elyxiri ex vegetabilibus compoſito omnes dentium dolores fugari poſſe contendit.

VI.
MUTELE' DU CHEVALIER
Opiat Philosophique

QUo paralyſim, aſthma, hydropem, podagram, iſchiadem, rheumatiſmum, fiſtulaſque gangrænoſas curaſſe ait.

VII.
NEILSON
Hernias sanat

MEdio ſubligaculo elaſtico hominibus, mulieribus, pueris aptato, non impeditum prolapſum, ſed integram ſanitatem certo ſpondet.

VIII.

(1) Damnatur in Actis Curioſorum Germaniæ T.5. pag.147. fruſtraque in cephalalgia adhibita fuit Peaux Divine.

VIII.
ARNOULT
Apoplexiam

Quodam ſacculo applicito bene multos Apoplecticos (1) curatos ait.

IX.
DEMOURET
Scorbutum

Nepotes D. Demouret venditant arcanum a Patruo inventum, pro curatione Scorbuti: Operique (2) præmittunt multorum Profeſſorum teſtimonia; ſed, quando remedia cum re conjuncta ſunt, debemus credere quod poſſumus.

X.
VIVIEN
Hemorrhagias sistit

Vivien Colonellus Gallus ſpiritu vini ſanguinem in hemorrhagiis, inque vulneribus ſiſtebat; adeoque invaluit fama illius arcani, ut Britanniæ Rex prætio 5000 imperialium illud ſibi comparaverit. (3)

XI.
ANEL
Suctus Sanguinis ex vulneribus

Quod ore nonnulli faciunt, quodque utiliſſimum alii deprædicant, Dominicus Anel quodam inſtrumento, ſiphone ſcilicet, diverſimode ad exigentiam fabrefacto, & comprimentibus plumaceolis circumquaque aptato, inſtituit, ita ut tracto embolo ſanguis, pus, & quæcunque in vulneribus, plagiſque latentes immunditiæ extrahantur (4); ſed ejuſdem etiam auctoris inventus ſiphunculus; pro curandis fiſtulis lacrymalibus non nimis in Praxi laudem meruit.

XII.
AQUA STYPTICA

De quodam Gallo aquam ſtypticam venditante videbitur Mangettus (5).

XIII.
BONETTUS
Lithotomia

A Bonetto Chirurgo Pariſienſi excogitata, deinde a Jacobo Beauliau in Veſontione, aliiſque Franciæ locis executa, ſecandi abdomen in alterutro inguinum, ut calculus extrahatur. (6)

XIV.
ALLIOT
Curatio Cancri

Joannes Baptiſta Alliot multa conſarcinat in ſuo Traitè du Cancer (7).

XV.
ALLIOT PETRUS

Tutam promiſſionem facit *profligati ſine ferro & igne carcinomatis* (8).

XVI.
HELVETII
Nutritio per nares.

Se jactat Helvetius (9) plures ab orci faucibus revocaſſe, adactis infuſiſque per nares alimentaribus ſuccis, quando tranſitus in gula interna præpeditus eſt, ac ſi decidens liquor per eandem fluere non deberet. Proh ſomnia: ſaltem Aquapendens, qui ante Helvetium id excogitavit, plures difficultates præmittit, tubulum ſive canulam obtortam, inteſtino agni obductam inſtituit; & animadvertit ne tacta epiglottide ſuffocationis periculum immineat.

MORBI FREQUENTES IN GALLIA

Febres intermittentes, *continuæ*, *malignæ*, *putridæ*, *hecticæ familiares*, *& plerumque ferales*. Quarum Vir Clariſſimus Hoffmannus (10) tres notat cauſas: nempe autumnalium fructuum abuſum, vini penuriam, & nimis abundantem aquarum potum. At etiam ubi hæ cauſæ non vigent in ſummo gradu, ut in Gallia, tamen febriles effectus condolendi ſunt. Sique aquæ potus, & fructuum ingurgitatio febrium cauſa eſt, non video

(1) Inter quos Marchionem de Colombat, Dominum Monmartin, & alios.
(2) A Carolo della Spina cuſo Pariſiis.
(3) Acta Lipſienſium anni 1683. pag. 153.
(4) L'art de ſuccer les Plaies ſans ſe ſervir de la bouche d'un homme, par le Sr. Dominique Anel.
(5) In Bibliotheca Scriptorum pag. 406.
(6) Cui tamen Joannes Mery Reginæ Chirurgus, & Academiæ Scientiarum Anatomicus obſtitit.
(7) Curationem cancri magis circumſpectam proponit des Haies Gendron Monſpellienſis, de quo videnda ſunt Acta Lipſienſia anni 1701. pag. 304. Qui ad pacandos dolores proponit tanquam infallibile arcanum Solanum furioſum, ab Italis, *bella Donna* dictum.
(8) Borrichius eundem tractatum intruſit in Actis Haphnienſibus.
(9) Trattato delle Malatie, e de' loro rimedj. Venetiis apud Aloyſium Pavini pag. 29.
(10) Diſſertatione Phyſica Medica XV 221.

deo cum ſtatim ad primam, & tertiam ſanguinis miſſionem confugiendum ſit, ut Galli primis morbi diebus frequenter faciunt.

LUMBRICI

IBi etiam vermium ferax proventus, ob peculiaria alimenta, victuſque humiditatem.

IN OBSTRUCTIONIBUS VISCERUM NUM CHINÆCHINÆ CROCUS MARTIS, ET SYRUPUS CARIOPHILLORUM ADDENDUS.

ANIMADVERSIO CRITICA

GALLICANÆ huic methodo ipſe non aſtipulor, quia mars, & cariophyli calorem in ſanguine ciere poſſunt, ad quem tempore febris ipſa natura inclinat; &, ut fert adagium, contraria contrariis curanda ſunt. Memoria tenendum, quod ſuperius diximus, ſcilicet non addenda purgantia; quodammodo quippe poteſt dici chalybs ſi, non inteſtinorum (quæ aliquando etiam morat) ſaltem ſanguinis purgativum. Nos Itali, Brixianique potius in febribus a chalybe abſtinemus. Si unam excipias febrem, quæ ipſi ſolo unitur, nempe albam mulierum. In qua ſupradicta methodus quaſi eſſet toleranda. Potius quando febris cum obſtructionibus conjuncta eſt, arrideret aliquibus rhabarbarum cortici mixtum; ſed tam parva vidi de hoc miracula, ut anceps, & herens opinionem a doctiſſimo Romano Medico (1) percontaverim.

SANGUINIS MISSIO IN FEBRIBUS

UNIVERSALITER loquendo, Francos Medicos potius ad ſanguinis miſſionem video pronos, quod, quando agitur de acutis morbis, atque ad inflammationem vertentibus humoribus, laudandum eſt.

SENTENTIA SYDENHAMII GALLICÆ SENTENTIÆ FUNDAMENTUM

QUOD vero in Pleuritide mittendus, & iterum mittendus ſanguis ſit, uſque dum cruſta alba ſupra ſanguinem in matula non amplius videatur, lex eſt nimis libera, nec ſatis cauta. Quia tale craſſamentum, & pituita poterit in eodem ſanguine latere, ut in quarta, & ſexta vice adhuc ſuperſit. Inſtante metu, ne ob ſanguinis diſpendium alter, neque minor, morbus ſit in limine; ſitque inter ea, quæ evenire poſſunt, ut æger cum ſanguine, & materia cruſtam efficiente, in venis ſuis adhuc convaleſcere poſſit.

FONTES MEDICATI

CUILIBET Provinciæ addere, & ſcribere de Aquis tædioſum fortaſſe eſſet, jam proſtant penes Auctores opportuna documenta; & nemo ignorat adeſſe in Gallia Fontem Bituricenſem (2) ſulphure, vitriolo, & ochra ſaturatum, pro erigenda fibra, tollendis obſtructionibus, & moderando ſanguinis fervore; Autolienſem (3) chalybeatum; Abbecourtenſem (4) alchalinum, nitroſum, & ferreum; Forgenſem (5) aluminoſum, & ferreum; Carenſacenſem (6) aperientem, & purgantem; Fonſanche (7) ſulphureum ſaponaceum alkalinum; Lanionenſem (8) ferreum; Muſſipotenſem (9) ſale gemmæ turgidum, & nitroſum; Provinenſem (10), & Puguenſem (11) & San-Reginenſem (12) aluminoſos, & ferreos; Vichinenſem (13), Tornacenſem (14). Circa Medicatos Franciæ fontes legenda præcipue ſunt Opera Burlet (15), & videndum opus Dominici du Clos (16).

ALVERNIA

CLAROMONS Urbs Metropolis eſt ſub Archiepiſcopo Bituricenſi in Alvernia, Provincia Galliæ celeberrima, ibique, hoc eſt in ſubditis agris, & inter Lemovicenſes, Boios, Ruthenos, & Gabalos ſitis, tres præcipue fontes nominantur. Primus *Saxa* gignens; ſecundus, *qui in die feſto S. Petri Apoſtoli clarus eſt*, *turbidus die præcedenti*; tertius vero prope Cuilam caſtrum; qui *vini ſaporem habet*; quare incolę minus mero litant.

Et quoniam de fontibus ſermo eſt, addo, nuper, hoc eſt anno 1738, doctiſſimum Virum, Regis Archiatrum, & Conſiliarium Jacobum Franciſcum Chomel edidiſſe tractatum de Aquis mineralibus, balneis, & dochiis *de Vichi*, qui pariter in inferiori Alvernia, Claramonte ſcilicet, editus eſt (17).

AN-

(1) Vide epiſtolam Noſtram ad Clariſſimum Limperanum datam: ubi de Urbe Roma.
(2) In Præfecturæ Aurelianenſis Urbe Bourges.
(3) Prope Lutetiam Pariſiorum.
(4) A *S. Germain*.
(5) In Normandia.
(6) In Aquitania.
(7) In Languedocia.
(8) In Britannia minori.
(9) In Lotharingia.
(10) Non longe a Lutetia.
(11) In Nivernia minori.
(12) In Burgundia.
(13) De quo infra.
(14) Videatur epiſtola D. Briſleau ad D. Fagon Regis Conſiliarium data, in qua agitur de Fonte Tornacenſi noviter detecto,
(15) Qui ſcripſit *Sur l'eau de Chaus & ſur l'uſage Medicinal. Sur les Eaux d'Aix la Chapelle. Sur le Camphorata de Montpellier. Examen des Eaux de Vichi, & de Bourbon.*
(16) *Obſervationes ſuper Aquis Mineralibus diverſarum Provinciarum Galliæ &c.*
(17) Apud Boutadon.

ANDEGAVUM

CAUTERIA SETACEA VESICANTIA IN EXILIUM MISSA

IN Andegavo, olim Juliomego, vulgo *Angers*, urbe præclara Epiſcopali, Ducatuſque Metropoli, poſtremis hiſce annis egregius juvenis Chirurgiæ Profeſſor Dominus Mopillier conniſus eſt Diſſertatione quadam ſuadere Andegavenſibus Collegis ſuis, toti Galliæ Celticæ, & mediis typis, Orbi reliquo, ut abſtineant in poſterum ab adminiſtratione artefactorum emiſſariorum, eo quia damnum, non utilitatem ſint allatura. Hinc ſuper fundamentis jactis a Domino Queſnay, a Secretis Academiæ Realis Chirurgiæ, procedens, inquirit in pondus, in ſeparationes, in circuitus, in ſtaſes, in exitus liquidorum omnium in humano corpore virulentorum, variaſque reddit rationes de illorum proportione, & quantitatibus. Sed hæc ſunt verba, & calculi calamo facti, difficulter morbido corpori aptabiles, in quo omnibus momentis omnia mutantur, & ſuppoſita geometrica cadunt fundamina. Hoc poſito difficulter credam, dogma illud ſequaces neque in Andegavenſi, neque reliquo ſolo eſſe reperturum.

AQUITANIA

URBS PRIMARIA PICTAVIUM

POPULI Pictones (1) peculiari colicho dolori ſubjecti ſunt, qui vere inibi poteſt dici morbus notus, & popularis; de quo fidem faciunt ſcripta Franciſci Citeſii Regis, & Eminentiſſimi Cardinalis Ducis de Richelieu Medici (2) docte deſcribentis ſymptomata morbum concomitantia, vultus ſcilicet pallorem, extremorum frigus, virium ſubitaneum languorem, animum inquietum, corpus anxium, vigilias aſſiduas, leipothymias, ſeu potius cardiogmos frequentes, appetentias proſtatas, ructus, vomitus, ſingultus, ſtrangurias, lumborum, & inguinum dolores, mammas, & pectus aculeis vellicata, paralyſes, poſtque omnia, duo obſervata fere ſemper fuere.

1. Nempe fruſtra adhibitis remediis omnibus, ſolam interdum *puſtulam in extremo pede ſubortam, quæ humoris purulenti quidpiam effudiſſet, hunc affectum perfecte judicaſſe*.

2. Si quis a morbo evadebat, per urbem ad multum tempus ibat veluti larva, ac ſtatua procedens, pallidus, ſqualidus, macilentus.

CAUSA COLICÆ PESTILENTIALIS

INquinamenta illa ex maligno, ut plurimum ſyderum aſpectu, ut Saturni, & Martis, in ſignis fœmininis, cum capite, vel cauda draconis, vel luminarium ecclipſibus in aere &c.

Secundam vero Aquitanicæ illius peſtilentiæ cauſam tribuunt vinis acerbis Pictonicis (3) (4) illius anni; ſic redditis a congelante perpetuis rigidiſque aflatibus aquilone; *Galernam* Galli dicunt, a quo, decidentibus etiam continuo pruinis, vegetabilium omnium etiam manducandorum pernicies producitur.

Tertiam in bilis æſtu, & qualitatibus ponunt ad corroſivam ipſam qualitatem accedentibus.

CURATIO

CURATIONEM ineunt Pictones, mutato ſi fieri poteſt aere, aut ſaltem vitato *Matutino*, & *Veſpertino*, ventreque cooperto *lineo panno*, vel *charta papyracea*, imos inſuper pedes ſpleniis obvolvendo.

Prohibent plura capiti integumenta, ne nimium incaleſcat. Euchymos cibos ſeligunt, & oleribus refrigerantibus, puta lactuca, & *intybo dealbato*, corpus nutriunt. Vinum damnant primo, ſed progrediente affectu, & imminutis viribus, illud collaudant.

Summum vero Pictonenſium Gallicorum Clinicorum in ſuperanda ægritudine tentamen in eo præſertim conſiſtit, ut dominans, ſecundum ipſos, bilis fruſtra non agitetur, promoveatur, ſed violenter per inferiora purgetur. Loquuntur idcirco de triplicata colocynthide, de melle, de electuario de citro ſolutivo, de pilulis minoribus Monſpelii, deque Crollii panchymagogo; doloreſque recrudeſcentes pacant oleo amygdalarum, necnon miſſo, ſi opus eſt, ſanguine. Enemata demum ex lacte, & melle, potus vero ex vino, & oleo frequentant, & balneum inſtituunt, ſi fieri poteſt; ſique urget neceſſitas, cynogloſſam, ſuccumque Thebaicum adhibent.

FONS RUPIPOZEOS

NOVEM tantum milliaribus diſtat a Pictavio fons Rupipozeos, in cujus aquarum potu medelam ſuam reperiunt colicha detenti, ipſoque paralytico affectu ſyderati. Ex quibus omnibus ſimul ſumptis a Gallica ſchola diſcendum nobis eſt, quomodo cholicis doloribus mederi poſſimus, aut debeamus.

MAR-

(1) Suam habent Academiam in Pictavio Metropoli inſtructam anno 1431. a Carolo VII. Rege.

(2) De novo, & populari apud Pictones dolore colicho bilioſo. Diatriba.

(3) Vide Epiſtolam noſtram miſſam Archiatro Regis Poloniæ, ubi Brixia.

(4) Levinus Lemnius ait, potum Vini Pictavienſis mordaces *fumos cerebro inferre &c.*

MARTIANUS MONS

Eſt oppidum, ſeu regiuncula Galliæ in Aquitania, ubi morbus ſpina ventoſa inquilinus eſt, & plurimos ex illis populis vexat, adeo ut Joſeph Pandulphinus, utpote originarius illius regionis, ſcribere de illo morbo opportunum duxerit, in patriorum concivium utilitatem. Verum quia ſuper hoc argumento ſatis jam diſſeruimus, Capite: Dania, ideo illuc Philiatros remittimus.

BORBONIUM

Medici Borbonienſes medentur ventriculi morbos, & dolores cholicos, fonte medicato thermarum inibi naſcentium, in quibus notat D. Baudry Xenodochiorum Medicus, & eiſdemmet aquis Præfectus, ineſſe teporem calori hominis viventis apprime analogum, qui particulis aquarum ſalino-ſulphureis, & bituminoſis junctus, ſummæ utilitatis eſſe poteſt etiam in tuſſi, & tabe.

BRITANNIA MINOR

Rhedones, Gallis Rennes, urbs Metropolis eſt in Britannia minore, olim Aremerica dicta, anno 1491 Franciæ Regno annexa, cujus ſubditæ regiones ex majori parte ab Oceano rigantur. Sique vera ſunt, quæ inibi ſcribit Dominus de la Sabionere (1) populi illi feliciores erunt, quam in qualibet totius Orbis parte, nempe Antimonium ſulphure actuatum poſſe, & morboſas in animato corpore cauſas ſolvere, & univerſalis veluti ſalubriſque panaceæ inſtar, radicale humidum inſtaurare, vitalemque auram alere, ne deficiat. Oh pulchra verba, oh eventus optabiles! Calamum ſiſto, ne contrarius videar. Satis jam alibi, auctoritati Redianæ innixus, de pertimeſcendis Antimonii præjudiciis ſcripſi; ſed ante me ſcripſerunt Medici doctiſſimi Pariſienſes, in quorum magna urbe Lutetia controverſiæ, ob antimonii uſum, enatæ ſunt.

BURGUNDIÆ COMITATUS

VULGO LA FRANCHE COMTE'

CHINACHINA SINE PURGANTIBUS ADHIBENDA

Medici Burgundiones (2) non addenda eſſe purgantia Peruviano cortici proponunt. Lætor ſummopere, etiam Gallos in hac parte meæ ſententiæ eſſe. Cumque documentum hoc a quotidiana praxi ſumatur, per conſequens ſtabit, ſpero, nec amplius in dubium vertetur. Ratio non tam facilis explicatu eſt: *Multa mota nocent, quæ non mota non nocebant*. Oh aurea divini ſenis verba! Domat, figit, pacat, coercet, obtundit admirabilis cortex febrilem fomitem, & hæc fortaſſe efficiuntur, & perſeverant, uſquedum cœlitus delapſum remedium mixtum quieſcit, & ad contactum ſtat, obſignatis veluti Meſeraicis fodinis, ubi fomes colligitur, & ſpecifica aromatica ſua vi ſubactis gaſtricis, pancreaticis, & biliosis ichoribus, qui circa duodenum luxuriant. Quatenus ergo inſita activitas a purgantium additamento enervatur, aut ad inferiora truditur, non poteſt agere, quod agere nata eſt, deficiente aptatione, & quiete illa, quæ neceſſaria fortaſſe eſt, ut corpora invicem per internam luctam ſubigantur. Damnum inſuper non modicum ferente tubi inteſtinalis deterſione, a cathartico producta, ob quam vellicata, & hiſcentia orificia humorum pernicioſorum exitum permittunt, & magis fundunt. Sed ad reddendas phænomenorum rationes non divertamus contra inſtitutum noſtrum. Factum ſtat, & per ſe loquitur. Chinachina purgantibus admixta frequenter non profuit, & in hoc doctis Medicis Gallo-Burgundis nos quoque aſſentimur.

VESUNTIUM

Joannes Franciſcus le Feure in Archiepiſcopali ſua Metropoli Medicinæ Profeſſor celeberrimus, optime meritus eſt de hominum valetudine, in medio ſermonem adducens circa uſum caffè, thè, cocolatæ, & tabaci; ſed tali modo (qui in Scriptoribus ſemper laudandus eſt), ut diſtinguat uſum ab abuſu, proponatque utilitates, ſed etiam damna timeat.

Caffè ait utilem *literatis*, *& podagricis*, lacti additum *tuſſientibus*, *aſthmaticis*, *phthiſicis*, *& calculoſis*; noxium vero temperamentis *ſanguine* abundantibus, morbiſque *hæmorrhoidum*, *urinæ*, *& viſcerum* ſubjectis.

Thè *tranſpirationem* promovere, *humores temperare*, *memoriam*, *cerebrumque* erigere.

Succolatam utilem in *ſenibus ad inſtaurandum humidum radicale*, necnon in *ſtomachi debilitate*.

Tabacum vero noxium in hominibus facili negotio bile percitis.

FEBRES EPIDEMICÆ, PLEURITIDES

Veſuntii pariter prodiit opus (3) ignoto nobis Auctore, ubi agitur de febribus putridis, malignis, epidemicis, deque pleuritidibus in

(1) Apud Joſephum Vatar 1737.
(2) Obſervation ſur les differentes eſpeces de Fievre &c. Qui ont regnè en Franche Comtè depuis quelques annees, A Beſançon.
(3) Apud viduam Daclin.

in Burgundiæ Comitatu dominantibus, Chinaque, & ſanguinis miſſione tollendis.

DOLA

DECEM leucis a ſupradicto Veſuntione in occaſum urbs eſt, olim primaria, & Senatus Provinciæ ſedes, ad fluvium Dubim, Dola ſcilicet Sequanorum, ubi patrius Medicus Clariſſimus Normand ſcripſit de Dolenſibus Aquis, deque illarum principiis, qualitatibus, & uſu, cujus documenta potatores ad legendum remittimus.

DELPHINATUS

DELPHINATUS Gratianopolis, Gallis Grenoble (1) ad Iſaram fluvium, primaria urbs eſt, quam cum tota Provincia Humbertus ultimus Princeps Regi Franciæ dedit, pacto, ut dein Filius Regis primogenitus Delphini nomen geſtaret. Habet ab ortu Pedemontium, ab occaſu Rhodanum fluvium, quo dividitur ab Occitania, & Lugdunenſi Provincia.

Quamvis elegans & culta, necnon ad radicem montium ſita ſit, vitare non potuit epidemicam anni elapſi catarrhorum conſtitutionem, quæ inibi, & in toto Delphinatu ſeviit, nonque ſolum intra cancellos benignæ conſtitutionis, deſtillationis, coryzæ, & rheumaticarum fluxionum ſtetit; ſed abſcedit, atque effecit pernicioſiſſimos morbos, *pleuritides* nempe, *peripneumonias*, febreſque *putridas*, *malignas*, *purpureas*, a quibus totius Galliæ Narbonenſis in Allobrogibus populi admodum vexati fuere.

Hoc excitamento fuit doctiſſimo Viro Conſiliario, & Medico Regis ordinario D. Beyliè, ut ad examen reduceret morbos, &, quibus producuntur, modos, qui ſuam Provinciam, & finitima loca vaſtaverunt, imo nobili deſiderio proximi juvandi percitus, in laudando Opere ſcripſit therapeuticum ordinem, quo illi morbi tractati, & tractandi erant; quem, quia nobis arridet, & Gallicæ illius Provinciæ medendi modum manifeſtat, relinquere noluimus ſine examine.

Ab aere, atque a ſuppreſſa tranſpiratione doctus Gallus primariam cauſam deſumit; hinc ſtatuit indicationes *evacuandi*, *ſolvendi*, & *relaxandi*. In quem finem in fluxionibus rheumaticis ſolius decoctione tuſſillaginis utebatur: horis vero veſpertinis aqua ſalviæ deſtillata, in qua ſoluta fuerit *theriaca*, & *papaveris albi* ſyrupus. Addita vero *confectione hyacinthina*, & *laudano liquido Sydenhamii*, ſi a pectore morbus pendebat, humiditatum, & ſudorum exitum promovendo; poſt venæ ſectionem ipecachuanna iterata, extracto juniperi, & laudano, ſi a ventriculo: denique *ſucco amygdalarum dulcium*, & *lacte in aquis vulnerariis* ſoluto, ſi ex ſiccitate tuſſis convulſiva ſæviebat: optimeque animadvertit illuſtris Auctor *reſignatam* multoties *venam*, ubi inflammationes imminebant; quibus ſuperandis ſequens adhibebat remedium.

(1) A Gratiano Imperatore inſtauratore nominata.

SUDORIFERUM IN DELPHINATU UTILITER ADHIBITUM PRO PECTORIS MORBIS

CONSTABAT ex *ſucco borraginis*, *theriaca* recenti, & *ſanguine hirci*.

Id etiam Brixiæ, & in tota Italia utiliter fieri poſſet; imo quotidie fit, cum vix aliquis ægrotet morbo pectoris inflammatorio, in quo de ſputo promovendo Medicus ſollicitus eſſe non debeat, quin hirci ſanguis præparatus non adhibeatur. Cumque de illo qui vulgaris in officinis proſtat, interdum dubitandum ſit, ſic ſummo in prætio habetur ille, quem Brixiæ interdum ampliſſimo Viro Comiti, & Equiti Carolo Martinengo ex Valle-Tellina dono mittit Gentis Lavizariæ nobilis decus Petrus Canonicus Angelus, utpote quia in illa regione hæc animalia facilius reperiuntur: ideoque remedium ex primis manibus non adulteratum magis tutum eſt.

THERIACA

FIDES vero, quam de Theriaca in illis regionibus habent, num tuto fundamento innixa ſit, non ſatis ſtatuere audemus; quia noſtro ſub cœlo, pro exoneranda thoracis morbida ſarcina non nimis adhibetur, multoque minus pro ſudore promovendo. Nihilominus a magnis Viris, atque a Doctis hiſce nationibus bonam in partem lumina accipienda ſunt. Tanto magis quia a Ballonio, a Fernelio, ab Helvetio primariis Gallicæ terræ luminibus illam frequenter adbibitam video. Video illam ſępe præſcriptam a Medicis Britannis, & Hungaris, ut nihil poſſit fieri magis. Qualiſcunque propterea ſit actio, qua humores commovet, aut in ſpiritus fertur, utilitates etiam ſperari poſſent. Diſplicet ſolum, quod paulatim invaleſcat uſus illam pręparandi ubilibet, & in locis, ubi non præſident Magiſtratus, nec omnia interſunt, quæ neceſſaria ſunt. Hinc Philiatros monemus, ut ſemper adhibeant, & præſcribant illam, quæ Venetiis fit, dum illa ſola eſt genuina, ceteris omnibus antecellens.

SEPTEM MIRACULA

IN Delphinatu commemoravit olim Boeſſius, Dionyſius Salvaginus ſcribens; I. *de Fonte ardenti*. II. *de Turre veneni experta*. III. *de Monte inaceſſo*; IV. *de Tinis Saſſenagiis*; V. *de Fonte vinoſo*; VI. *de Manna Brigantienſe*; VII. *de Barbaro*.

IN

IN MORBIS PECTORIS SECTIO VENÆ PRIMIS DUOBUS MORBI DIEBUS FACIENDA

GALLICANAM Narbonenſem Beyliè doctrinam cito, & in principio morbi ſecandi venam in acutis pulmonum, & pectoris morbis, quæſo quivis Philiater cordi figat, & in uſum convertat. Quandoquidem eſt res tam tuta, ut citra controverſiam ſit: id docuit praxis mea; id vidi in omnibus Scriptoribus, qui ſanum habent ſinciput; id multoties refricavi, dum egi de conſtitutione epidemica Hungariæ, ut ſuperfluum autumem dicta ad nauſeam iterare. In principio vires ſubſiſtunt, probabiliter ſolida non adhuc læſa, nec criſes inchoatæ. Adeſt tumultus in venis, in ſpiritibus, & onerata ſæpe fibra oſcillationis motum reciprocare non poteſt. Semper Medicus habere debet ante oculos canalium, & continentium omnium partium, tonum, quę ſi ab humorum multitudine violentur, jam actum eſt.

IPECACHUANNA

CIRCA Ipecachuannæ uſum in rheumaticis affectionibus, ubi ventriculus in culpa eſt; me habeo indifferentem. Quia *emeticum adſtringens* eſt. Primum noſtra in regione non nimis utile, naturæ adverſum, violentas ſuccuſſiones in propinquis partibus producens, & pectus affectum in conſenſum trahens; ſecundum catarrhos in aliquibus obſignare poteſt.

LANGUEDOCIA

THERMÆ de Balaruc in Languedocia plurimum continent ſulphur *ſubtile*, *mite*. Hinc ſi manus abluantur, cutis remanet mollis, & quaſi unctuoſa. Illas utiliter adhibebunt Gallici Medici in gracilibus, atque ad hecticam properantibus. Sique pari lege Brixiani, aut Brixiæ finitimi incolæ iiſdem uti vellent, opportunæ admodum eſſe poſſent Aquæ Milzanelli, quæ aliquatenus Thermis de Balaruc aſſimilari poſſunt. De illis olim ſcripſit Varandeus in Archilycæo Monſpellienſi Profeſſor; & etiam nunc dum ſcribo, factam mentionem video *Pariſiis* 1737 in Memoriis Provinciam Naturalem Languedociæ illuſtrantibus (1): ubi tangitur difficultas levitatis thermarum de Baraluc difficulter ſtantis cum partibus mineralibus exiſtentibus, & ipſa aqua naturaliter ponderoſioribus. In hoc tantum dico, minerales particulas in aquis thermalibus eſſe pauciores, quam quiſque credit; 2. circa aquarum majus, faciliterque reperibile pondus, multas fabellas (2) circumferri; 3. denique aereo-ſpiritales partes in mota aqua interdum latere, quæ illam, non alterant, extendunt, & reddunt leviorem.

TOLOSA

IN Languedociæ capite, & Parlamenti ſede, urbe ſcilicet Toloſana poſtremis temporibus, hoc ſcilicet ſæculo ineunte, floruit in Arte Medica Vir celeberrimus Gervaſius Ucay, qui tractatum de morbo venereo tanta cum doctrina edidit, ut poſt primam Toloſanam editionem, ſecunda Amſtelodami, & tertia Lutetiæ Pariſiorum brevi poſt acceſſerit.

ANCILLA ANDROGYNOS SEU HERMAPHRODITUS FORMÆ INSOLITÆ A D. VEAY RELATUS

MEDICUS Toloſanus ſcribit ad D. Uſſans ſuper muliere viſa in Hoſpitali Sancti Jacobi, & pro homine reperta (3). Si quis ſcire cuperet Medicos in urbe Toloſana medendi ritus, videat opera præſtantiſſimi Franciſci Bayle in illius Univerſitate liberalium Artium Profeſſoris Regii, ibidem cuſa apud Gulielmum Bolert, & apud Fouchac Bely. Remedia vero innoteſcent ex Pharmacopæa Toloſana, Toloſæ edita 1561.

APOPLEXIA A SERI QUANTITATE INTRA CRANIUM

OH quam certior prognoſis, & tutior medela ægris aptaretur, ſi Gallorum Medicorum more anatomicæ inſpectiones in cadaveribus frequentius inſtituerentur. In capite cujuſdam Nobilis Matronæ *de Fernois*, ubi *adſtabant Viri illuſtres Domini Catalanus a Porta*, *& Pugetius Regis Conſiliarius magnæ Cameræ Parlamenti Toloſani in cavitatibus anterioribus*, *& poſterioribus*; *tum in falce*, *ac reduplicatione duræ matris*, *inventa aquæ flaveſcentis*, *mediocriter ſalitæ pinta una*, *ſeu libræ medicinales quinque*.

LOTHARINGIA

INTER Campaniam ad occaſum, & Alſatiam ad ortum, inter Lucemburgum ad ſeptentrionem, & Comitatum Burgundiæ ad meridiem, Lotharingia (4) Galliæ Belgicæ Ducatus ſita eſt, inter Moſam, Rhenum, & Scaldem, flumina extenſa. Olim proprio Duci, Nancæi reſidenti, parebat, nunc ſubeſt Regi Galliæ; ideoque de illa hic ſermo eſt.

(1) Multa de Languedocia qui ſcire cupit videat opus D. Vaiſſette, Pariſiis editum apud Jacobum Vincenti.
(2) Videatur examen noſtrum de Aquis, circa illarum pondus &c.
(3) Vide excerpta Eruditorum pag 17.
(4) Sic dicta a Lothario Rege Galliæ.

Lotharingiæ (1) frequentes referunt apoplecticos inſultus ex duabus præcipue cauſis 1. ab aere fuliginoſo, & ſoli natura; 2. a crapula, ſeu validi meri compotationibus. Hinc a ſanguine, necnon a ſero craſſo, difficulter ſe in poros cerebri inſinuante, ſyderationes, & attonitos morbos deſumunt Medici Lotharingi.

LUGDUNUM

EPILEPSIA A JUGULARIBUS OBSTRUCTIS, ET EXSICCATIS.

Viscidum in liquidis nimis durum, & quaſi dixero oſſefactum in ſolidis bina ex primariis morborum cauſa eſt. Id ipſum teſtantibus anatomicis experimentis Andreæ Falconet ex Conſule, & Decano Collegii Medicorum Lugdunenſium, Antonii Marquis, & Charaigner, qui in epileptico annos 42 nato, tandemque apoplexia fatis functo, viderunt partem majorem ramorum jugularium internorum induratam, & obſtructam humore glutinoſo exſiccato.

ANIMADVERSIO

Hinc ab obſervatione ſupradictorum Lugdunenſium Profeſſorum ducenda lux eſt, quantę utilitatis eſſe poſſint ſetacea, veſicantia, magnaque cucurbitula colli vertebris applicita, quibus contentæ humiditates ſtatim cum ſolidorum vitio ſtagnantes poſſunt dimoveri.

MASSILIA

IN PROVINCIA

ILLUSTRI VIRO DOMINO

DARAN

In Maſſilia, urbe Galliæ Narbonenſis, Chirurgicæ artis Profeſſore

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

Medicis Hollandis Amſtelodamenſibus elapſæ hebdomadæ novitatum foliis Brixiam pervenit, & obſtrepit tui nominis fama, Vir optime, in illa potiſſimum parte, ubi feliciſſimas circa morbidæ urethræ vitia curationes factas aſſeris; noviterque facturum facili negotio polliceris. Ex quo nobilis Vir ſuæ ſalutis cupidus inſtat, & mihi prope vim facit, ut tibi, licet diſſito, toleratas ærumnas ſuas, adhucque perdurantes, hac epiſtola prænunciem, avide pro reſponſo expectaturus oracula tua, & adamuſſim etiam executurus, quæ præſcripſeris; quando documenta, arcanumque tuum in longinquas regiones mittere non recuſes; quandoque credas facta promiſſis ſtatura, & Chirurgorum Italorum manus in adminiſtrandis medicaminibus aptas eſſe poſſe.

Quin igitur te morer doctiſſimi tui Aſtruch effato: *Non debere Medicum Chriſtianum remedium, quod tutum eſt ſilentio ſupprimere*, illud habe, Nobilem Brixianum virum, conſiſtentis ætatis, temperamenti calidi, in primo juventutis limine Gallicam Gonorrhæam contraxiſſe, quæ partim ſpreta, partim aliquibus medicaminibus pertentata, ad multos annos perduravit. Ex qua ſatis hinc inde, inſculptis in internis urethræ parietibus aliquot ulcuſculis, album interdum, ſanioſumque ichorem fundentibus, tandem ſuccrevit caruncula, aut ſi mavis cum Recentioribus, urethra corrugata eſt adeo, ut mejendi difficultas emerſerit, nunc magis, nunc minus, pro ut errores in victus regimine, aut novum aliquod contagium efficiebant.

Poſt hæc diverſo tempore varia in uſum poſita fuere Medicæ artis auxilia, tam in genere alexipharmacorum, quæ totam ſanguinis Maſſam, in domanda venerea lue, reſpicerent, quam eorum, quæ vulgares Chirurgi mediis ſiphonibus, cereiſque candelis meatui minario aptare ſolent; plumbata nempe, mercurialia, ſaturnina, corrodentia, exſiccantia, balſamica, & ſimilia. Quorum uſu univerſalis quidem morbus domitus, quod ſciamus, eſt, perfecta quippe valetudine fruitur. Sed in urinæ viis imum remanſit impedimentum in urethra, duos tranſverſales digitos, infra veſicæ collum. Hinc urina difficulter deſcendit, interdum guttatim, interdum bifurcata; ſique illi accedunt vel calor, vel tartarum, vel mucoſum, & filamentoſum gluten, aut aliquis ſævit dolor, aut arctior difficultas in promptu eſt.

Fides, & candela tamen olim tranſibant, uſque in veſicam, niſi quod poſt glandem, & ultra granum hordeaceum, ſcilicet poſt ſex circiter digitorum tranſveralium introitum, apici candelæ caruncula obſtabat; poſtea diverſimode modulatos impulſus ſuperabatur, & indicia nunc profert, quaſi ad duriuſculam indolem perveniſſe, quæ ſolis exedentibus vinci poteſt.

Utilitatem quidem ſentit a cylindruli ſyringiformis intruſione ex mechanica obſtaculi depreſſione; magiſque ſtatim adaperto meatu; ſed poſt parvum tempus vel urethra iterum in axim coit, vel caruncula elaſtico niſu ſuapte vi reſurgit, ut hinc iterum de urinæ difficultate æger angi debeat.

Hos inter anfractus, & difficillimæ curationis ambages, tuæ ſcientiæ rumore, & luminibus opportune coruſcantibus, parcas neceſſe eſt, ſi tibi hiſce literis moleſtiam aſſerimus. Gratum ſiquidem nobis fuit, & ægroto amico jubenti parere, & tibi mittere prima noſtræ obſervantiæ teſtimonia. Vale

Brixiæ 15 Januarii 1744.

RES-

(1) Vide Vepferi opera, Exercitatione de Locis affectis in apoplexia, pag. 247.

RESPONSIO D: DARAN AD AUCTOREM DATA

A Marſeille 28 Fevrier 1744.

MONSIEUR

J'Ai roçeu la lettre que vous m'avez fait l'honneur de m'ecrire en datte du 16 Janvier, ſur le ſujet de la maladie de Monſieur N. N. votre ami. Les grands affaires que j'ai, m'ont empechè d'y repondre plutot, que cette ordinaire. I'y vais ſatisfaire en començant par vous temoigner ma ſenſibilitè ſur tout ce, que vous me dites d'obligeant, & ſur la confiance, que vous avez priſe en moy ſur la ſeule renommè de ma reputation, qui s'eſt repandue juſque dans vos cantons. Sur quoy je puis me flatter, que vous n'avez pas portè un mauvais jugement, & qu'il eſt tres vray, que touts ceux qui me connoiſſent ne le revoquent plus en doute, ſur tout pour ce qui regarde toutes les maladies veneriennes, retention d'urine, & autres maux, qui peuvent venir dans le canal de l'urethre, que je gueris radicalement par ma methode douce, & facile. L'experience d'environ cents malades, qui ont etè gueris, depuis mon arrivèe en cette ville, qui fut le premiere Septembre paſsè juſque a ce jour ont perſuadè les plus incredules de la certitude, de mon remede, & de ma methode, dont le principal point conſiſte a reconnoitre par mes obſervations l'endroit, & la qualitè du mal, qui cauſe l'obſtacle a l'ecoulement de l'urine; parce que par ma pratique de pres de vingt annèes a traitter ces maux, j'ay obſervè, que ordinairement, quatre ſont les endroits dans le canal de l'urethre, qui peuvent etre viciès dans les gonorrhèes negligèes, ou mal traittèes, qui ſont ſçavoir, les cellules du canal de l'urethre, les glandes de Coſper, les veſſicules ſeminaires, & les glandes proſtates. La qualitè du mal, eſt, ou des ulceres ſordides, qui ont des bords calleux, ou des caroncules fongeuſes, & ſouvent des verruces; touts accidents qui arretent le libre cours des urines, independament des facheuſes ſuites, qu'ont ordinairement les ulceres. Apres m'etre aſſeurè de l'endroit viciè, je dois moy meme apliquer le remede, qui dans mes mains eſt tre ſeur, & qui dans des autres pourroit, bien loing d'etre certain, devenir dangereux. C'eſt pourquoy, ſi votre malade vouloit ſurement guerir, & agreablement, il faudroit qu'il ſe rendit icy, ſi la choſe lui eſt poſſible, ou bien attendu quelque tems, que j'ay encore beſoin de reſter icy, venir a Paris, ou je dois aller. Vous pouvez l'aſſeurer, qu'il n'azardera rien avec moy, qui ſuis ſeur de mon remede, telement que je n'exige pas un ſol de mes malades qu'au prealable ils ne ſojent gueris radicalement. Vous pouvez au reſte etre perſuadè Monſieur, que s'il etoit poſſible, qu'on peut ſe paſſer de moy pour guerir ce mal, que je ſcai trop bien a qnoy le devoir de ma profeſſion m'oblige envers le prochain, pour heſiter a ſoulager un malade, pouvant le faire par mes conſeills, ou autrement, & d'ailleurs trop ſenſible a la grace, que le Seigneur m'a faite de la decouverte de mon Remede, pour ne pas lui en marquer ma reconnoiſſence en l'adminiſtrant aux perſonnes, qui ont le malheur d'en etre atteints. Je ne ſuis pas ſurpris, ſi tout ce que vous me dites, qu'a fait votre malade ne l'a pas gueri, car pour guerir un tel mal il faut un remede, qui conſume, deterge, & cicatriſe, & cela ſans porter la moindre irritation a cette partie, ſans quoy l'inflamation ſe y mettroit facilment, & la gangrene ſuivroit de pres, qui emporteroit aiſement le malade. tout l'effet que peuvent faire les ſondes de plomb n'eſt que de dilater la partie, & l'aplanir, mais comme ces chairs etrangeres, ne ſe detruiſent point, elles reprennent leur forme, d'abord qu'on ote ces ſondes, ainſy elles ſont d'un fort petit uſage; auparavant que votre malade prenne aucune reſolution, il peut prier le Conſul d'Hollande, ou autre perſonne de Marſeille qu'il luy plaira, de luy marquer, s'il eſt uray, que j aye traittè la quantitè des perſonnes, dont je vous parle plus haut, & dont touts regardoient leurs maux come incurables, parceque pour la plus part etoient atteints de retention d'urine depuis 10, 12, 15, & 20 annèes qui plus, qui moins. I ay l'honneur d'etre tres parfaitement

Monſieur

Votre tres humble, & tres obeiſſant Serviteur
DARAN

SURIAN

PRo Maſſilienſi Medicina locupletanda optandum, ut cito, & feliciter redux in patriam ſuam ſit celeberrimus Vir Joſephus Donatus de Surian inſignis Botanicus ab inſulis Americanis, ad quas ſummo cum honore miſſus eſt a Rege Chriſtianiſſimo, ut diſceret, & doceret.

NARBONENSIS
PROVINCIA

COLPI DI VENTO

IN Occitania inferiori, Braccatæ Galliæ parte, adeſt urbs Biteræ nomine, quam Galli Beziers dicunt, ubi ut plurimum ſævit morbus endemius, & inibi frequens qui cum a Clariſſimo Bovillet, Medico Univerſitatis Monſpellienſis viſus fuerit in motum poni a diverſis aeris qualitatibus, hoc vel altero tempore dominantibus, diſtincto opere (1) inquirit in urbis, ſupra collem poſitæ, ſitum, in montium propinquitatem, exque meridiana parte in

(1) 1737 edito Biteræ apud Viduam Stephani Batbut.

te in maris motum; ex quibus omnibus conſequentiam ducit, inibi perflare aerem ſubtiliſſimum, & ſumme rarefactum; cui inopinato obſtantibus aliis cardinalibus ventis animata Biterenſia Barometra debeant illico varias motiones pati; ideoque pleuritides, fluxiones, & mille alia homines impetunt, quæ recte *ventorum ictus* dici poſſunt. Hinc doctus Bovillet, therapeuticas etiam præſcriptiones ſuadet, & promovet. Utinam diligentiſſimi hujuſce Galli exemplo id faceret omnis Medicus in ſua quiſque regione. Exteri quippe, ſed præcipue poſteri in eodemmet ſitu, illo morbo conflictati alienis laboribus, & periculis diſcerent quid eſſet agendum.

HYDROCELE SARCOCELE

QUONIAM in Narbonenſi Gallia ſumus, ubi olim inhabitabant Allobroges, Centrones, Gabali, & Segalauni, quæque ab Atace fluvio luitur, ſilentio prætereundi non ſunt duo ſignanter morbi, quibus Braccatenſes populi vexantur. Hydrocele ſcilicet, & Sarcocele ab infartis ſcroti teſtiumque utriculis, ubi lenteſcens amurca, aut fluctuat, & ſectionem ſuadet, aut hæret inter membranaceas, & carneas intercapedines ſcirrhumque præſefert; ex quibus ærumna ægro, difficultas Medico eſt in limine. Num vero origo morbi pendeat ab aquis per Garumnam, & Rhodanum fluentibus, aut aere minus ſalubri, perque Pyrenæos montes, Gebennam, & maritimas Alpes tranſeunte, num ab intemperanti uſu caſtanearum, & nucum, quorum maximus inibi proventus, ut gravis Auctor opinatur (1) non ſatis perſpectum habemus. Tantummodo circa remedium non ſilere contenti, fruſtra medicatos calices a Gallicis Clinicis exhiberi: niſi de mutando aere agatur; ſaltem ab illis quorum res domi non ſunt anguſtæ.

CLIMA GALLIÆ NARBONENSIS

REFERT Hoffmannus conſtantem inibi eſſe cœli faciem, æquales tempeſtates, & ad multos menſes ſerenitatem perſeverare, quod ad ſervandam hominum ſalutem plurimum facit.

AVENIO

CAUSA PESTIS

IN præclara Archiepiſcopali Metropoli Galliæ Narbonenſis, ad Rhodanum, Avenione, Germanicæ Medicinæ decus, & clariſſimus olim Medicus (2) docebat, omnis peſtis cauſam ex halitibus arſenicalibus eſſe deducendam; hocque deſumebat a ſulphureo quodam odore ſparſim per aera evolante; ſed melius dixiſſet, *omnis*, ſubſtituendo, *aliquando*.

(1) Fridericus Hoffmannus, Diſſertat. Phyſica Medica xv. pag. 221.

MONS PESSULANUS

IN Occitania inferiori Mons Peſſulanus ſub Archiepiſcopo Narbonenſi, ob propriam præcipue, & patriam inibi Academiam in bonis Artibus, & Scientiis ſemper floruit. Etenim præter ceteros poſt Gulielmum Rondeletium habuit Antonium Saportam, qui ſuis ſcriptis Medicam facultatem non parum illuſtravit; ut videre eſt in Hiſtoria Facultatis Medicæ Monſpelienſi. Quibus, & Cancellariatui etiam illuſtris Academiæ ſuffectus fuit poſt obitum Andreæ Laurentii Franciſcus Ranchinus, qui Chirurgicam etiam rem non parum explicavit, præcipue in Guidonem de Chauliach; atque in deciſiones, num lepra a lue venerea diverſa ſit.

HÆMOPHTOE

AUCTOR magni nominis de Medicina Monſpelienſi loquens, ait curatum fuiſſe nobilem virum ſanguinem ſpumoſum cum tuſſi eructantem ſyrupo de roſis ſiccis, de ſucco portulacæ, & papaveris albi an. cochleatim capiendo.

ANIMADVERSIO

OBSERVATIONEM meretur adjunctus etiam Monſpelienſi modus aptandi in hæmophtoe cucurbitula regioni hepatis, & hypochondriorum, necnon oxycratum teſtibus. Quod quidem licet multi Scriptores proponant, attamen videntes Gallos Medicos eademmet methodo inſiſtere, pro utili interdum habere debemus.

DEIDIER

ANTONIUS Deidier pariter Monſpelienſis Diſſertatione (3) ſua nimis approbat propoſitionem inſectorum, *animalculorum* ſcilicet, *numeroſorum*, *minimorum*, *agillimorum*, quæ ab infectis in ſanos celeri contagione propagentur. Hinc præjudicata, fixaque mente ſua, contagiorum ab uno in alterum rationes reddit. Qua proclivi credulitate, ceteri judicent. Quandoquidem crambes hæc jam ſatis recocta eſt, non minus ab exteris, quam ab Italis noſtris, & præcipue Valliſnerio, & Curtio.

FEBRIS DEFINITIO, ET CAUSÆ

INTER omnes qui de Medica Republica meriti ſunt palmam præripiunt illi, qui de Febri, ejuſque cauſis, & ſymptomatibus ſcripſerunt. Quoniam morbos fere omnes illa producit, aut comitatur. Monſpellienſis idcirco Profeſſor Sauvages de la Croix, & laudandus, & obſervandus eſt, quia recenter de iiſdem egit; ſub nomine, *Theoria Febris*.

CHI-

(2) De la Fout de Venen. Peſt.
(3) Monſpelii edita anno 1723. in 8.

CHIRURGIA MONSPELLIENSIS

PRævia anatome, & microcoſmi prius cognita ſyntheſi, in Univerſitate Monſpellienſi, Chirurgia ab optimis Magiſtris docetur, & Philiatri per illam veram viam diriguntur, quę praxi, & experimentis innititur. Laudamus inter cetera Franco-Monſpellienſem uſum tractandi capitis vulnera; in quorum curatione, oh quot errores in aliquibus locis committuntur! Optimus eſt modus quem tenent Galli in examine accidentium concomitantium, graviorum ſcilicet, ſi cranium vitiatum eſt. Dum ſi tactum tantummodo pericranium, nec adeo accidentia perſeverant, enumerant ſigna commotionis ipſius ſubſtantiæ cerebri, & circa lumen, num os fractum ſit, ſequuntur Aquapendentis, Itali noſtri, methodum, tangendo oſſeum fundum atramento, ut ſequenti mane ſi os album eſt, ducatur conjectura, nullam adeſſe fracturam. Animadvertunt cranium in infantibus contundi, in adultis rimam facilius agere, & more magnorum virorum ipſi Galli Chirurgiæ anteſignani fatentur, difficillimum eſſe ſtatuere locum contra fixuræ, hoc eſt quando in oppoſita parte os frangitur. Hinc majus, vel minus periculum arguunt, ſi rimam, aut fractam partem Chirurgus noſcat, & videat, num non intima, ſed externa oſſis tabella læſionem ferat.

CURATIO VULNERUM CAPITIS

COntusiones ſimplices comprimunt vola manus, aut plumaceis, aqua frigida madefactis, ut fibras criſpent; inde tranſeunt ad anodina, & reſolutiva. Tanquam arcanum, & remedium potens habent parietariam contuſam, & ſpiritu vini madefactam; item medullam panis coctam in vino nigro, addito ſale ammoniaco, ut humores ſub cute detenti reſolvantur.

Si oritur, aut ferro promovenda ſuppuratio eſt, ulcus abluunt decoctione abſynthii, pariter in vino facta. Nudum os filamentis cooperiunt, & pelliceis tegumentis digeſtivum, non craſſum, non oleoſum, aptant. Si internum latet vitium, & humorum, vel ſanguinis ſtagnatio, & transfuſio; vel parva inſtituunt foramina, vel terebrationem ipſam, & purgantia, ſanguinis miſſiones, clyſteres adhibenda eſſe deprædicant.

SANGUINIS MISSIO

PRacticus *Pierre Simon Rouhault* origine Gallus, in tractatu ſuo de Vulneribus capitis, quem aliquot ab hinc annis nobis humaniter Auguſta Taurinorum, ubi apud Siciliæ Regem ad Chirurgi gradum fuerat evectus, dono transmiſit, optime ſentit circa ſanguinis miſſionem, quam iterandam eſſe ſuadet: *mais on doit tirer du ſang du bras, du pied, & quelque fois meme de la gorge, ſelon la grandeur de la maladie, & des accidents* (1).

De facto, ſi vires permittunt, nec aliquid magni momenti obſtet, minori ſanguine æger magis in tuto eſt. Utque quæ magis nobis arrident fatear, remotam magis laudamus venarum inciſionem, quæ ab affecta parte humores magis amovet, & præcipue in illis regionibus, ubi valido mero litant. Nuper tamen Montiſpeſſulani Profeſſor ſanguinis miſſiones circumſcribit (2).

ARISTOLOCHIA

HAbent Monſpellienſes quantitatem clematitidis in *vineis*, *foſſis*, & *aggeribus*, quam doctus Rieger (3) in quantitate unius drachmæ utiliſſimam ſcribit *in paſſionibus hyſtericis*, *cachexia*, *& febribus intermittentibus*.

OPUS MEDICUM PROMISSUM

DOm. Bovillet Medicus Monſpellienſis magni nominis anno 1737 epiſtolam miſit D. Chicoineau Archiatro Regis Galliæ, qua Hiſtoriam univerſalem morborum humanum corpus infeſtantium promittit, eamque fundamentis Phyſicæ, Anatomiæ, & Matheſeos innixam promulgat, una cum tutorum remediorum deſcriptione. Si facta reſpondebunt, cum ægrotantium utilitate, gratulabor.

SYNCOPE

SUmmopere laudandi veniunt Scriptores illi, qui de uno tantum morbo loquuntur. Sic enim res magis introſpiciuntur, & funditus notæ ob oculos verſantur, adeo ut excerpti hinc inde peculiares tractatus bonum librum efficerent. Quæ itaque in ſyncopis cauſas, & nocendi modum inquirens Monſpellii, expoſuit Hieronymus Queye, probanda ſunt. Sed miſſis hypotheſibus, & arguendi alioquin acerrimis modis, ad remedia veniendum, & videndum num propoſita utilia ſint.

METHODUS MONSPELLIENSIS CURANDI LUEM VENEREAM

FAcem præferente D. Guiſard Medici Monſpellienſes, Hoffmanni (4) etiam auctoritate fulti, in curatione luis venereæ litus Mercuriales, & oris fluxum vitant & damnant, ex eo quia modus nimis violentus ſit, & periculoſam emaciationem promovens. Quibus rationibus, & uſui, quem poſtea idem Guiſard, etiam Lutetiæ fœlicem invenit,

(1) Traitè des playes de Tete, Chapitre V.
(2) Diſſertatio de ſanguinis miſſione Authore Hugone Gourraigne Medico Monſpellienſi.
(3) Pag. 901.
(4) Capite V. ſectione ſecunda.

nit, aperte non obſtamus. Sed jam in Hiſtoriis Morborum expoſuimus ſententiam noſtram, hoc eſt Mercurium, quem dulcem dicunt, & mille laboribus, atque rectificationibus elaboratum, minus nocere poſſe, & interdum etiam paulatim Monſpellienſi-Guiſardiano more ſumptum, morbos curare. Sed aliquando duro nodo durus cuneus adhibendus. & pluries accitus ad conſultationes comperi, poſt pluribus menſibus adhibitum fruſtra Mercurium; tamen adhuc ad promotum oris fluxum recurrendum nobis fuiſſe.

Vellem, ut Scriptores argumentis ſuis non adeo nuberent, ſed propoſitiones opportunis animadverſionibus diſtinguerent. Nos quoque in Italo cœlo delicatam prius methodum inſtituimus, & mercurii uſum. Sed illa non juvante, in cura coacta, & ob aliquam neceſſitatem ſollicita, præcipue in fortibus, & idonei temperamenti ægris, ad magnum remedium tranſitum facimus.

AER MONSPELLIENSIS PURUS ET PERFECTUS

ID etiam conſtat aſſerto celeberrimi Richardi Carr Collegii Medici Londinenſis ſocii, ſuiſque in epiſtolis, Londini impenſis Stafford d'Anſon cuſis, in quarum VIII: *Viro cuidam tabe confecto conſilium impertitur, ut Monſpellium contendat, cum aer ibi clementior ſpiret.*

De facto Gallici aeris ſalubritatem demonſtrant Scorbutici ex Anglia provenientes, ut ſalutem acquirant, Id dicente, & docente Chameau Medico Gallo, qui inhærens veſtigiis celeberrimi Barbayrach Monſpellienſis, lac pro curatione Scorbuti extollit, & cetera acria damnat.

PARISIORUM LUTETIA

RELATIO MORBI HISTORICA

PODAGRICA affectio, teneſmus, hæmorroidum fluxus, deinde tubercula verrucæ intra anum, tandem viſcerum obſtructiones, dyſuria, excretiones puriformes, aſthma, & continua habitualis febris in nobili & Reverendiſſimo Cathedralis Canonico N. N.

Hiſtoria morbi in nobili ſupra notato Viro quinquaginta annorum, conſtitutionis calidæ, humidæ, & coloris in facie palliduli, graphice deſcripta fuit a Sapiente Viro Joanne Franciſco Guadaneo, qui nobiſcum curationi adſtabat, menſeque Junii Lutetiam Pariſiorum tranſmiſſa, ut Gallica oracula pro curatione proſequenda accederent. In eademmet omnia, quæ ad temperamenti indolem, ad jam præteritorum morborum ſeriem, ethiologiam, & therapejam ſpectabant, ad amuſſim explicata erant; præcipue tamen, quæ tunc Nobilem virum cruciabant, ſcilicet primis circiter Junii diebus 1741 quando data fuit. Quo ſane tempore tot erant ſeviſſima ſymptomata, quibus circumdatus detinebatur, ut optatæ ſalutis ſpes nulla ex parte fulgeret. Quandoquidem ex perenni teneſmo ſedales partes frequenter exacerbabantur, latenteſque ſtrumoſæ ſupra internum ſphincterem prominentiæ quibuſcunque injectionibus reſiſtebant, abdomen profundis obſtructionibus erat infartum, continua, eſſentiali, habituali ſæviente febri, dyſuria, vigiliis, annorexia, violentiſſimis doloribus eandem concomitantibus, cum omnimoda virium diſſipatione, adeo ut conſumptus, & gracilis factus, ſolis oſſibus hærere videretur.

Hæc itaque omnia & cetera ad rem pertinentia fuſe ſcripta ſunt, ſimulque memorata adhibitorum remediorum ſeries tam ex pharmaceutico, quam chirurgico ærario deprompta, ut a juvantibus & lædentibus doctus Gallus tutiores poſſet inſtituere indicationes pro nobis in tutam viam dirigendis. Potiſſimum quia morbus in dies ſemper magis periculum minitabatur; neque a tot factis quidquam utilitatis obtentum erat. Macies ſiquidem lac requirebat, ſed febris etiam putrida obſtabat. Obſtructiones aperitiva poſcebant, ſed jam aucta totius corporis colliquatio cum ſummo virium diſpendio eadem prohibebant. Verrucæ & polypeo-ſcirrhoſæ intra anum prominentiæ ſolis reſolventibus poterant attenuari. Sed frequentia inferni ventris tormina, & putridæ febres adeo perſeverarunt, ut extremum diem obire coactus fuerit, multis diebus ante quam Gallicum conſilium pervenerit tenoris ſequentis.

RESPONSUM EX REGIA PARISIORUM METROPOLI BRIXIAM TRANSMISSUM

Podagram mitiorem longo hæmorrhoidum fluxu ſolutam, dirus excepit teneſmus, quem blandiora cathartica, & injecta per anum emollientia lenierunt, lac ſedavit, exſiccavit. Hinc retento qui excerni debebat, humore, obſtructa lien, hepar, meſenterium, purgantia, & aperientia incaſſum tentata, edulcorantia, & clyſmata blandiora profecerunt, exploranti digito prominentes ſupra ſphincterem carnes occurrerunt, ceu totidem tubercula, verrucæ, polypi, vel potius turgentes, & ſtrangulatæ hæmorrhoides. Topicis emollientibus, detergentibus, exſiccantibus, conſolidantibus, & ejuſdem fere generis potui morbus per ſex fere menſes ita cedit, ut omnino debellatus videretur. Inde vero ſævire, noviſque ſtipari ſymptomatis cepit, febre intermittenti; frequentibus, ſed doloroſis ſanguinis, ichoris, puris mucique excrementis commixtorum dejectionibus; obſtructionibus viſcerum, aſthmate, marcore, febre lenta continua, coccygis, & immani ad tactum in pelvi dolore, dyſuria, & inſomnia, nullo remedio mitigandis, opiata clyſmati mixta noctes aliquando dant placidas. Seſſio ægro, moleſta ad anum ponderis ſenſatio, nil

exterius obſervatur, intus vero quid præternaturale reperitur durum ovi æmulum.

Melancholicis, & podagricis hæmorrhoides fluere ſolenne ſatis eſt, & proficuum. Ipſas vero fieri ita graves, blandiri tandem indociles, augeri, mutari, novas induere formas, totque variis ægritudinibus anſam præbere, rarum, nimia ſanguinis craſſities, & ad motum ineptitudo cauſa morbi remotior. Hinc oppleti infarctique venæ portarum rami, hinc infarta, & obſtructa infimi ventris viſcera. Sanguis venoſus abdominalis, ſed præſertim hæmorrhoidalis, craſſus, torpidus, effoetus eſt hoc in melancholicis, & podagricis inſigne, ut varices in eorum venis hæmorrhoidalibus non efformari, mirum ſit. Quod ſi virus acceſſerit ſtrumoſum, ſcrophuloſum, venereum, quæ ſymptomata, qui morbi non concipiuntur oriundi? optandum foret, luem hanc ultimam morbo, de quo jam agitur, natales dediſſe. Salutis ſpes fulgeret magna, & hæc unica ægro reliqua videtur, neque alia quavis arte corpus illud carcinomatodes ſphincteri, vel extremo inteſtino adnatum ſolvi, vel extirpari poteſt. Optandum foret, Medicos purgandis, & detergendis viſceribus abdominalibus plus operæ dediſſe, de ano minus ſollicitos; optandum foret, aquas minerales adhibitas fuiſſe, quibus nos in conſimili fere caſu ſucceſſum non ſemel vidimus; optandum tandem foret, irritis omnibus aliis remediis, Mercurium in uſum vocatum eſſe, quo latentis forſan morbi ſeminia ſtrangularentur. Equidem eo res eſt jam perventa, ut unicum hoc quamvis anceps remedium tentandum ſuperſit, præmiſſis balneis domeſticis, lacte aſinino, clyſmatibus emollientibus, & anodynis. Balneorum numerus ægri viribus, & morbi ſævitiei reſpondeat; aqua tepida ſit, ne ſudores moveat; alvus laxa ſervetur, ſanguiſque producta neceſſitate ſemel vel bis mittatur. A balneis ad frictiones tranſeundum. Sit unguentum una tertia ſui parte hydrargiroſum, optime commixtum, cujus, prima vice, drachma una pes inungatur, facto dein duorum dierum intervallo, inungatur pes alter pari quantitate, quæ in ſubſequentibus frictionibus adaugeri poterit ad drachmas duas. Summa nitendum cura, ne moveatur ptyaliſmus; hinc inſpiciatur quotidie os, obſerventur glandulæ ſublinguales, & gingivæ, fiatque majus vel minus inter frictiones intervallum, pro majori vel minori quantitate Mercurii, ad os adventantis. Si hinc æger non ſublevetur, de illius vita conclamatum eſt.

Dabam Pariſiis 23 die Julii 1741.

CANTUELL D. M.

Aprouvè Silva

Subatius.

IN GALLICANAM CONSULTATIONEM

OBSERVATIO PRIMA

DOCTRINA ſumma cum eruditione conjuncta eſt in clariſſimo Viro D. Cantuel. qui reſponſionem dedit; ſed omnibus rite perpenſis, video eandem tribus præcipue partibus integrari. A morbi reſumpta deſcriptione; a correctis omiſſionibus in curando noſtris; atque a promovenda curatione per hydrargyrum. Primam confirmo, noſtris utpote cogitationibus parem. Secundæ obſto; quandoquidem purgata jam quantum ſatis, & deterſa viſcera fuere. Stomachi debilitas aquis mineralibus obſtabat; quodque magis admirationem nobis infert, eſt obſtinata adhibendorum Mercurialium propoſitio per totam paginam expoſita, quum in ſchedula monitoria Lutetiam tranſmiſſa nulla mentio facta ſit morbi venerei. Profecto ſi æger tam pius, tam religioſus adhuc inter vivos extitiſſet, quando conſultatio Brixiam pervenit, neſcio quodnam reſponſum dediſſet. Præter hæc: quiſnam de continua febri ad habitualem properante, inque conſumptis ob tot latos morbos ſpiritibus, abſque ullo, de certo, luis venereæ contagio, Mercurii adminiſtrationem adhibuiſset, ſi jamjam liquida omnia ad diſſolutionem feſtinabant? Admitto equidem imi ventris infartus, &; intra anum latentia, verrucarum inſtar, tubera, ſolventem Mercurii vim poſcere potuiſſe. Sed quando peculiari in corpore morbo univerſalis obſtat ceterorum liquidorum indoles, quando in ſpiritali viſcere incipit labor, & deſtillatio, quando de marcore, de tabe periculum imminet, commotis ab argento fugaci liquidis omnibus, verſuſque tracheales, & palatinas glandulas pulſis, vel decumbere, vel quieſcere, vel comprimere, & irritare poſſunt primarias in humano microcoſmo partes; hinc ſubita mors a remedio, quam morbus tardius produxiſſet.

Quæſo inſuper: ſi pedes unguento hydrargiroſo inungendi, cur, quomodo impediendus pthyaliſmus eſt? Hoc enim eſt utilem excretionem promovere, & eandem præpedire. In humano corpore vis Mercurii dirigenda non eſt, aut ſaltem dirigi non poteſt. Ideoque eodem exhibito, vel aptato, videndum inſuper *quo natura vergat*, *& ferat*, ibique accipienda excretio eſt, quaſi dixero etiam per ipſam partem affectam. Si enim huic motui obſtabimus, aliamque directionem moliemur, luctans æger in pejora cadet. Hinc ſequitur axioma illud, quod Mercurius corpori humano dictatoria poteſtate jubet; hinc eodem exhibito Medicus ſtatim vigilare debet, quam viam ſeligat, ut eandem & ipſe ſequi ceteris remediis poſſit.

OBSERVATIO SECUNDA

ILLUD inſuper pro conſequenti deducendum eſt, non multum utilitatis obtineri a conſultationibus

bus aliunde quæſitis, in quibus id præcipuum deeſt, quod Conſilii Auctor ægrum non vidit, in quo præcipuus Medicinæ faciendæ cardo conſiſtit, & in quo viſionis momento tota ars ictu oculi percurrenda eſt. Idcirco quoniam Gallus uſum Mercurii laudat in caſu non affecti venerea lue; ideo ſuſpicari licuit, num in Pariſienſibus Medicis aliqua adeſſet ad eundem exhibendum proclivitas.

PASSY

DE AQUIS MINERALIBUS PROPE LUTETIAM PARISIORUM DETECTIS

VIGINTI circiter ab hinc annis, & quod excurrit, increbuere ad humanam valetudinem juvandam minerales aquæ de Paſſy prope Sennæ ripam, & in parte occidentali ejuſdem vici: ſignanter tunc cum & ego examini Brixianarum aquarum adlaborabam, cumque ex literariis actis ſuboluiſſet, celeberrimum Virum, & facultatis Pariſienſis optimum Medicum, Moulinum de Marguery de iiſdem ſcripſiſſe, in earundemque naturam, uſum, & effectum ſedulo inveſtigaſſe; meo muneri, & neceſſitati aptum duxi, novum ut opus, Brixiam tranſmitteretur, ſedulo incumbere, ut floſculos delibarem, & utilia documenta noſtrum in uſum converterem. Opuſculum (1) propterea avidiſſime expectatum, & accipere, & legere res una fuit. Placuit modus, arriſit ordo, adhucque laudo concinnam methodum, qua Aquarum Paſſyenſium naturam de ferro, vitriolo, & balſamico ſulphure participantem explicat, quæſtionum nodos ſolvit, & per experimentorum multorum criterium intimas qualitates pandit, adeo ut ſi aliquis parem provinciam ſuſcipere deberet, par quoque via ab eo eſſet tenenda. In bono lumine vir optimus collocat quæſtionem, & differentiam, quæ intercedit inter aquam communem, ac mineralem; prima ſiquidem & humectare, & refrigerare, & ſolvere poteſt; at non huic vel illo morbo mederi, ut faciunt minerales. Ducto inſuper lumine ab iis, quæ meditati ſunt Giure Thompſon, & Breſmal Galli doctiſſimi Profeſſores, inquirit in aciditatem aquarum ferruginoſarum, quamvis poſtremus aquas de Tongres ſtatuerit chalybeatas quidem, ſed tamen acido oppoſitas, quinimo alkalinas.

AQUARUM MINERALIUM GRAVITAS

CIRCA tamen aquarum mineralium gravitatem ſicuti probo, quæ dixit (2) nempe *dans les eaux la difference des peſanteurs eſt ſouvent ſi petite, qu' elle eſt imperceptible*; ita non ſatis intelligo, quomodo integra gradus medietas inter aquam mineralem de Paſſy, & aquam communem Sennæ interceſſerit. Medius ſiquidem gradus in exiguo hydrometro magnam differentiam facit, quam ipſe in examine Brixianarum (3) aquarum reperire non potui. Verum, miſſis hiſce diſquiſitionibus, ad utiliora tranſeundum nobis eſt, ad id nempe quod in Operis limine promiſimus. Ideoque hoc in caſu nonnulla delibanda ſunt in methodum, & in morbos, quos mineralibus aquis curandos ſenſerit Gallicus Medicus, ut ducto lumine ægris Italis noſtris melius conſulamus. Contra vero ſi documenta huic ſolo non quadrant, ad Tyronum lucem reſpuantur. Scientia ſiquidem aquarum mineralium in illo Regno ſemper floruit, quia iiſdem ob nativam ſanguinis caliditatem ſemper indiguit, & Magnatum remedium eſt. Hinc multos videmus in Francicis provinciis fontes celeberrimos, Bourbon nempe, Spa, Forges, Vichy, Balauruc, Pougues, Provins, Roven, Abecourt (4), & Tongres, qui antiquitus cogniti in Gallia ſunt, & de quibus id ſignanter verificatur, quod nos eveniſſe in Aquis Brixianis Milzanelli olim ſcripſimus (5), hoc eſt, antiquas qualitates in iiſdemmet aquis manſiſſe uſque in præſens. Auctores ſunt Plinius, & Breſmal recens. Primus ait: *Tingri, civitas Galliæ fontem habet inſignem multis bullis ſtillantem, ferruginei ſaporis &c. purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia &c.* Breſmal vero anno 1700 eaſdem examini iterum ſubjecit (6), & reperit, quales Plinius indicaverat.

GALLICORUM MEDICORUM EXEMPLUM IN AQUARUM MINERALIUM, PRÆCIPUE CHALYBEATARUM, ADMINISTRATIONE QUIBUS IN MORBIS ADHIBENDUM SIT

IN tinea, lepra, puſtulis cutem fædantibus, ophtalmia, eryſipelate, ulceribus, ſcrophulis, vultus rubedine, in aliquibus tumoribus, in ſcyrrho naſcente, in arthritide, & rheumatiſmo, niſi cum ſummo partium ædemate conjunctus ſit, in iſchiadico affectu multum prodeſſe poſſe aquas fer-

(1) *Traitè des eaux minerales novellement decouvertes au Village de Paſſy, pres Paris. Dans le quel ſont expliquees leur nature minerale, la difference des ſources, leurs qnalitez, leurs vertus, e leurs effets ſur le corps humain. Par M. Moulin de Marquery Medecin de la Faculté de Paris.*

(2) Pap. 62. n. 84.

(3) De Aquis Hirmæ.

(4) De quibus multa, & quidem docte commentatus eſt Gouttardus Medicus Regius.

(5) De Aquis Brixianis examen Chymlco Medicum. De Aquis Milzanelli, pag. 127.

(6) *Traitè des eaux minerales de Tongres, imprimè en François a Liege.*

ferratas non ſolum inficior, ſed cum docto quoque Marguery ipſe affirmo. Ut apprime multis experimentis comprobat, & nos quoque in Italo hoc noſtro cœlo non ſemel obſervavimus. In febribus pariter intermittentibus, irregularibus, continuis utiliter potari poterunt, ſed ordine ad indigentiam aptato in hora, in tempore, nec non in aquarum quantitate & tepore. In melancholico, hypochondriaco, & atrabilari affectu, vertigine, cephalalgia, aſthmate præcipue ſicco, tuſſi, ſtomachi morbis, obſtructionibus, tenſione abdominis, inteſtinorum conſtipatione, teneſmo, diarrhæa, fluxu bilioſo, & hepatico, dyſenteria, cholera, hæmorrhoidibus. Denique in morbis organorum tranſitui urinæ inſervientium, ſaburris nempe, & calculoſis concretionibus, nec non ulceribus, & vitiis etiam a lue venerea provenientibus. Quibus omnibus in ægritudinibus in humanam carnem, heu fatum! ſævientibus, ipſe quoque, cum Marguery noſtro, & probo & laudo uſum aquarum ferratarum. Verum enim vero quia hominum ſententiæ diſpares interdum ſunt, aut ſaltem quia regiones diverſæ, & ſpatio inter ſe diſſitæ & uſibus diſſonæ, per conſequens fateri coactus ſum in aliquibus morbis, quos mox ſubdam, ejuſdem methodo non aſſentiri, nec pecudum more clariſſimum alioquin Virum ſequi poſſum; tum quia illibatus, ſemperque ingenuus ab interno animo pendere debet ſcribendi ordo; tum ut Tyrones documenta Gallica bene perpendant, & circa exequenda magis penſitent, & animadvertant.

GALLICA DOCUMENTA VITANDA IN USU AQUARUM CHALYBEATARUM

DUo in primis præmittere congruum eſt; primo, dum de aquis loquor, me intelligere integram, aut quaſi integram ad aliquot libras potationem, quæ menſe Junio, Julio, aut Auguſto inſtituitur, quæque ad aliquos dies perſeverat, etjam ad dimidium menſem, & ultra, vel magis, vel minus ſecundum ægri indigentiam, & Clinici mentem. Quandoquidem unum vel alterum poculum, hujus vel alterius aquæ ad extinguendam ſitim, aut ad libitum potare, non eſt aquas minerales bibere, de quibus Auctores ſcribunt & intelligunt.

Secundo: Quamvis Marguery ſcribat ſignanter de Aquis ſolis de Paſſy, nihilominus nos de Medicis Gallicis loquimur & de aquis in univerſum chalybeatis. Et ratio eſt, quia quoad primum, cum ipſomet Marguery etiam bene multi Medici Gallici conveniunt, quia toto opere, & quidem erudite, eoſdem notis peculiaribus indicat, ab iiſdemque doctrinas, & floſculos delibat, nec unum morbum curatum promittit, quin alicujus auctoritas aſtipuletur. Ex quo, & a doctis etiam ſuis cogitandi modis, nec non a medendi ſcientia, quam ab illuſtri Facultate Pariſienſi accepit, arguendum eſt, paribus inſtitutionibus fuiſſe educatum, paribuſque dein diſciplinis, & methodo in medicina facienda, praxique adminiſtranda proceſſiſſe.

Ad Aquas ſolas de Paſſy quod attinet, cum eædem præcipue a ferro, & vitriolo medicentur, in aperto eſt, ejuſdem adamuſſim, aut parum diverſæ, qualitatis, & in Italia noſtra, atque Brixiano etiam ſolo vigere, Ex quibus oritur, hypotheſes, & argumenta ab uno in alterum feliciter collimare.

PRO CURATIONE HYDROPIS AQUÆ MINERALES ADHIBENDÆ NON SUNT

AD curandam leucophlegmatiam, aſcitem, & tympanitidem, Gallicorum Profeſſorum magni nominis D. Marguery auctoritate fretus, aquas ferratas laudat & proponit; quo in caſu exemplis tamen non abundat. Currenti pede clariſſimum virum ſequi non poſſumus. Sed multum timeo, ne nobiſcum in foveam Tyrones ducamus, tam ſi diſtenta ſolummodo, quam lacerata, & diſcerpta lymphatica vaſa ſint, hinc ſero turgeat corpus totum; nec poteſt fieri, quin formidemus ex vitio ventriculi, ex infarctu viſcerum, ex obſtructione, aut atonia renum hæc contingere: ex quibus omnibus, non utilitatem, ſed onus, ſed gravitatem, & læſionem aquæ illaturæ ſunt; ſique non tranſirent, enormem rupturam, & ulterius ſuffocationem poſſent ciere. Et quoniam illo in caſu æger fortaſſe vivit & ſuperſtes eſt, quia adhuc remanet aliqua in viſceribus vis dominans, fœces ad ambitum, ad infimos artus depellens, quoties novo neque exiguo fluento viſcera obruentur, & exundabuntur, non poterit quin vis illa fatiſcat, magiſque ad centrum ſera inclinent cum majori periculo. Paucis, dominans ſerum & partes multas infarciens facit, ut fibræ onuſtæ, plenæ, & tenſæ non oſcillent. Si adhuc replebuntur, minus oſcillabunt. Ac licet aquæ minerales diureticæ ſint, & ſera fortaſſe craſſa ſolvere poſſint, tamen quando natura in propriis digeſtionibus jam manca eſt, vitiata, neque pauca confecta ſera poteſt corrigere, in lotium convertere, atque ad ureteres demandare, ſi aquas addimus aquis, vulgus cachinnos tenere non poteſt, & remedium facillime criminatur; licet aliqui Auctores curatos interdum hos morbos non ſolum, ſed etjam Hydropes (1) aquis mineralibus decantent. Quod veriſſimum eſſe poteſt; Sed methodus illa ſuſpecta eſt; ut quivis in arte verſatus fateri debebit:

(1) Dux Aſcalone olim Neapoli Regis locum tenens in Hiſpania Hydrope laborans curatus fuit aquis fridigidis. Sic referente D. Bigot Chirurgo Gallo, & ita ſcribente Nicolao Creſcentio. Ragionamenti intorno alla nova medicina dell' Acque.

IN LAPIDE VESICÆ AQUÆ MINERALES CHALYBEATÆ ADHIBENDÆ NON SUNT

INter morbos, quos curare valet aqua medicata de Paſſy, enumerat clariſſimus Auctor *la pierre, ſuppreſſion d'urine*. Si intelligit de lapide veſicæ, quod probabile eſt, quia jam ſupra locutus erat de nephritide, neſcio quomodo laborans, & geſtans lapidem in veſica poſſit tantas aquas potare. Inſtat quippe metus mille dolorum, & cruciatuum in ejuſdem tranſitu. Qui Medicinam facit non ad phantaſiæ modulum concinnatam, ſed ab obſervationibus prope ægrorum lectulos illuſtratam, & pendentem; videtque aut in exitu, aut poſt exitum duarum, vel trium unciarum lotii, contorſiones, ejulatus, lacrymas, & clamores; quomodo quæſo proponere poterit pintas toto mane bibendas, ut hinc toto die ſemper crucietur? Adde: poſſe etiam lapidem ſe moventem, ad veſicæ oſculum interdum, ſtante ægro, deſcendere, obturare, & tunc exitus erit difficilior, quod ſolo decubitu poterit reparari. Si aquæ minerales, ubi ad veſicam pervenerint, lapidem ſolverent, ſalina lotii ſpicula hebetarent, temperarent, & feliciter tranſirent, laudandæ quidem eſſent: ſed hæc ſunt deſideria, quæ in vigintiquinque annorum praxi ſemper optavi; ſed nunquam vidi ad effectum perducta.

NEQUE IN CARUNCULIS URETHRÆ

NEque pro curandis, imminuendis, aut aliquo modo juvandis urethræ carunculis uſui aquarum mineralium, a Gallico Profeſſore propoſito, aſſentiri poſſum. Remedium enim eſt, quod non curat neque ſpecifica qualitate, nec humectandi potentia, nec actu tranſeundi. Tam ſi carunculæ in meatu urinario promineant, quam meatus urinarius ab informibus cicatricibus corrugatus ſit, non video, quid prodeſſe valeant, cum impedimenta ab illa humectatione turgere magis poſſint. Sed hæc tranſeant. Peto, viditne unquam clariſſimus Marguery mingentem hominem, qui carrunculis obnoxius, & vexatus eſt? Hic ſpatio ſemihoræ duas, vel tres urinæ uncias, & quidem guttatim emittit. Iterum peto: quantum tempus requiretur ad mingendas plures pintas? Profecto tota dies non ſufficit. Profecto per partem affectam diris hiſce modis corpora purganda non ſunt. Irritatis ſiquidem ex urinæ deſcendentis pondere fibrillarum, & nervorum diramationibus, ad inflamationes, ad ſuppreſſiones via parari poteſt. Ad ſuppreſſiones, inquam, in quibus, meo judicio, magnum piaculum eſt, aquas medicatas adhibere, & ingurgitare. Quæ ubi potatæ ſunt, ſi difficultatem, ſi cauſam ſuppreſſionis non ſuperant, jam actum eſt. Libere loquar: in urinæ ſuppreſſionibus ipſe fere ſemper diuretica ſuſpecta habeo.

PICARDIA

REFERENTE P. Droeto, Picardiæ provincia tulit olim morbum peſtilentialem, qui primum producebatur medio dolore quodam colicho acutiſſimo, quem jam citatus Franciſcus Citeſius Pictonum dolori aſſimilat. Inſenſiſſimum virus ſpiritibus præcipue animalibus labem importabat: quandoquidem fere omnes ægroti evadebant paralytici, aut epileptici (1), atque adeo fato cedere debuerunt.

PONS ARLIUS

PRope Pontem Arlium, quem aliqui Pontarleſium dicunt, in vico Palleti referunt 1688 virginem quandam, nomine *Jaquceline Nicolet*, 35 ſeptimanis ſine cibo vixiſſe. In hoc quiſque credat quod poteſt, ac velit.

PROVINCIALIS GALLIA

FEBRIFUGUM ALARY

IN Gallia Provinciali celeberrimus pariter fuit Pharmacopæus Alary arcano ſuo ad fugandam febrim, in ipſa poſt Pariſiorum Lutetia, Juſſu Regio, in Xenodochiis comprobato pluribus experimentis, in quaſdam veluti tabellas, ſeu tragæas, redacto, quarum quatuor, vel quinque in quartanis febribus adhibentur.

Quandoque enim vomitum, quandoque ſeceſſum excitant. Quod ſi verum eſt, neſcio quomodo *Prægnantibus tuto exhibeantur*. (2)

NONNULLA REMEDIA IN GALLICIS REGIONIBUS FREQUENTIORA

ANTHELMINTHICUM

CArolus IX. Galliarum Rex vermibus laborans, curatus fuit ab Harley illuſtri tunc Medico, aqua per os ſumpta, in qua plumbum liquefactum repetita vice extinctum fuit. Quod dein alii Medici utiliter fecerunt.

AQUA FLORUM OMNIUM, GALLIS EAU DE MILLE FLEURS

Eſt aqua diſtillata calore Balnei ex ſtercore vaccino recenti tempore vernali, quo prata abundant floribus. Optima in gangræna, peſte, inflammationibus, arthritide &c. tam intus, quam extra.

CA-

(1) Quo pariter morbo, referente Aegineta, Reipublicæ Romanæ Provinciæ olim vexatæ fuerunt.

(2) Videantur in hoc opera Sponii, Medici Lugdunenſis.

Cachexia

Cachexiam curant Medici Gallici (1) electuario, ♃. rad. ang. ℥ .s. menthæ ʒ III abſynthii ʒ I cum melle, & ſucco cytoniorum an. q. s. f. electuarium.

Ars juveneſcendi

Balnea tepida cum lenibus frictionibus, & inunctionibus nervinis circa articulos (2).

Aqua calcis vivæ

Sponius, & Burlet Academiæ Regiæ Scientiarum membrum ſummis laudibus extollit aquam calcis vivæ in ulceribus, diarrhæa, dyſenteria, ſi cum lacte jungatur.

Hæmorrhoidum dolor

Obſtetrices Gallicæ aptant hæmorrhoidibus virorum, & etiam mulierum gravidarum cataplaſma ex millepedibus cum pulpa pomorum acidorum cocta.

Hepatis dolor

In dolore hepatis vulgus, & ruſtici Pariſienſes ſumunt ʒ I pulveris radicis hederæ in decocto pulli ad multas vices.

Aurum potabile

Summopere laudatur etiam ab Helvetio in ſyncope, apoplexia, & quibuſcunque leypothimiis.

Potio cordialis Lutetiæ Pariſiorum uſitata

Ex elyxyre Mathioli, aqua meliſſæ, roſarum cum confectione alkermes, & oleo cinamomi, ſyrupo mali granati, & ſpiritu ſulphuris.

In Dyſentheria

Utuntur Gallici Medici decoctione radicum conſolidæ, agrimoniæ, cichoreæ cum floribus mali granati, roſis, & liquiritia.

Hæmoptoe

In ſanguinis ſputo cum tuſſi utuntur inibi millefolio albo, radice tormentillæ recentis, plantagine, tamarindis, myrabolanis, & ſantalis citrinis, tormentilla, ſymphito ma. conſolida, pimpinella, bugloſſa, coctis ſi lubet, in jure colli vervecini. Aut opiata ex troc. de carabe, terra ſigillata, lapide hæmatite, gumma Arabica, & tragachanti, & aquis ferratis, in quibus pinpinella infundatur. Item liquore albuminis ovi fortiter agitati, & amyli an. q. ſuf. & amylum ſolum in aqua decoctum pro magno habetur remedio in Gallicis ditionibus.

Chinachina

Quoties in febribus intermittentibus adhib enda Chinachina (2) eſt, illi frequenter addunt pulverem radicis ireos, & ſal antimoniacum.

Sal eſſentiale febrifugum

Præter chinamchinam, multam fidem ponunt Medici Galli in ſale eſſentiale febrifugo, ſcilicet, ex radicibus, & foliis anthoræ, contrayervæ, gentianæ, angelicæ, aſari, & hellebori nigri compoſito.

Ars prolongandæ vitæ

Referunt, Ludovicum XIV. Galliarum Regem, poſt quam obſervaſſet genus hominum terram fodentium, & colentium eſſe vivacius, *in horto, qui Verſaliæ eſt ejuſmodi labores exercuiſſe*, ut falleret ſenectutem.

Infantum morbis

Aptant *rhabarbarina*, utpote præcipuum ab atonia etiam præſervativum.

Utero gerentibus

Facillimi ſunt Medici Galli ad extrahendum, quaſi omni tempore, ſanguinem.

Venæ ſectio ex pede damnanda in puerperio

Saphenæ ictus, poſt partum, ſuſpectus fuit magno Hecquet, ob uteri vitia, *ſpaſmum* ſcilicet *phlogoſim*, & *erethiſmum*, frequentiſſima, ut Choæ Scholæ docebant, & inflammatoria puerperarum tormenta: hinc facto inferiori emiſſario, timendus in uterina magis vaſa *ſanguinis illapſus*. Quem tamen æger, Medicuſque vitabunt, ſi venæ ſectio erit *larga*, & *liberalis*. Patet igitur Gallicum dogma, aut multum, aut nihil prodeſſe.

Jus pro pauperibus

Parant Medici Galli hordeo, melle, ſaccharo, ſatureja, majorana, ſale, & cæpis, quas ipſe omitterem.

Huic nonnulli ſubſtituunt decoctum ex baccis juniperi.

Emeticum

Paratur ex vitro antimonii, nitro puro, ſaccharo, & cotoneorum ſucco.

Potio purgans, qua Rex utitur

♃. Fol. ſennæ ʒ II, rhab. ſal. abſynt. an. ʒ I, ſucci unius citri, inf. in aq. fontis mane add. jus vituli, lactucæ, cherefolii, porcellanæ, betæ, cichor. ana m. I. mannæ ele. ʒ II. f. expreſſio.

PUL-

(1) Referente Tournefortio.

(2) Beganus Gallus in Libello de arte bis juveneſcendi.

(3) Chinamchinam Gallici Medici mille modis paratam in uſum ponunt. Verum nos Brixiani tot ſupervacaneas Pharmacopolarum utilitates mittimus, & puritate, qua ſummopere natura gaudet, contenti, Chinamchinam, ut ajunt in ſubſtantiam, & pulverem redactam, adhibemus.

Pulvere sudorifera

Utuntur Pariſienſes ex angelica, ariſtolochia, ſerpentaria, virginia, petaſitide, carlina, valeriana, zedoaria, gingibero, calendula, croco orientali, ſulphure, antimonio, camphora, bezoar, ſanguine hirci, pulvere viperina, charabe, diaphoretico ſolari, citro, theriaca, mitridathio.

Pareira brava

Ad multos morbos curandos, pro ſpecifico diuretico, adhibetur, ſed illi addunt oleum ſcorpionis Mathioli, & balſamum de copaya, ſal ammoniacum, & Hiſpaniarum vinum. Hinc activitas aut conquiſita, & ſuperaddita, aut non vera.

Diuresim

Promovent Medici Franci agrifolio, ononide, ſaxifragia, beta, baccis lauri, juniperi, alkekengi, cinorrhodio, urtica, cæpis, perſicaria, & ſale tartari: illo præcipue, quod in urbe Montepeſſulana elaboratur.

In Hydrope

Exhibent ℥ vi ſucci depurati, extracti a radice ſambucei.

In Cholica nephritica

Pulverem e radice cardui ſtellati.

Ad sudorem promovendum

Vas aquæ calidæ ſub axillis. Helvetius Auctor eſt.

Pleuritis

Num vero in pectoris morbis, pleuritide præſertim, ſudor promovendus ſit, me ancipitem fateor, niſi caſu quo natura doceat, per aliaſque vias criſes non appareant.

Arcanum ad curandam pleuritidem

Stercus mulare infuſum in vino albo per horas ſex: col. per chartam, & calidum, quantum fieri poteſt, exhibeatur.

Extra, lateri dolenti aptant Medici Pariſienſes avenam frictam cum aceto, vel ſacculum avenæ calefactæ, vel veſicam lacte plenam, aut felem vivum adapertum.

Tinctura coralli anodina

Conſtat opio paulatim exſiccato, & in pulverem redacto, ſuperadditis octo unciis tincturæ corallorum, additiſque ſale volatili tartari, floribus benzoini, camphora, croco, ligno ſaxifragiæ, & liquiritiæ, melle, oleoque cinamomi, & aniſorum.

Gasparo-Antonio

Nil aliud eſt, quam Bezoar compoſitum ex lapidibus pretioſis, & bezoar orientali, & remixtum aqua roſarum, & gumma tragachante, ut maſſa in bolos dureſcere poſſit.

Clysteres

Quando repurgandum corpus eſt, ſpatio nyctemeri quatuor vicibus iterandi ſunt. Quod in urinæ ardoribus faciendum ſuadent Medici Gallici, pura putaque, & tepida fluminis aqua.

Hæmorrhoidibus dolentibus

Aptant folia ſambucci contuſa, aut ſuccum ſempervivi cum laudano.

Aurum potabile

Scribit Helvetius, aurum potabile eſſe *il maſſimo de cordiali*. Id ipſum nos quoque affirmamus, ſi non de ſanguine, vel corde, ſe de humanis uſibus & commoditatibus loquamur.

Variolæ

Utuntur pulvere viperina, theriaca, confectione hyacinthina, & decoctione ſcorzoneræ. (1)

Pleuritis

Gallicos Medicos vidi in promovendo ſudore unice intentos. Quod multoties corrigendum venit, habito reſpectu ad id, quod indicat natura, & ſtatuto prius fundamento, a quo morbus ſignanter pendeat.

Remediorum Catalogus in Gallia usitatorum

Denique qui, ſi non omnia, ſaltem bene multa remedia in Gallicis regionibus, & præcipue Lutetiæ Pariſiorum, uſitata videre vult unico intuitu, ſumat præ manibus Pharmacopœam Regiam Galenicam, & Chymicam Gallice a Moſe Charam Uticenſi conſcriptam, & Codicem Medicamentarium, ſeu Pharmacopæam Pariſienſem ex Mandato Facultatis Medicæ in lucem editam a Hyacintho Theodoro Baron Decano 1732.

ILLU-

(1) Summa circumſpectio intercedere debet in adhibendis viperinis, æſtum in ſanguine cientibus, quare, potius in ſolis temperamentis humidis, lento, tardoque ſanguine præditis, in uſum erunt ponenda.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO

ALOYSIO JOANNI THIEULLIER

Regis Archiatro, & Conſiliario, necnon Rectori Facultatis Medicæ in Academia Pariſienſi

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

DOCTISSIMAS elucubrationes a Gallico in Italicum idioma translatas, & Venetis Actis typiſque productas libenter legi; laudans ſtatim cautelam, & circumſpectiones tuas, in internis inflammationibus, proindeque abdominalium viſcerum, & præcipue hepatis apoſtematibus, præmittendas, antequam ad latam inciſionem Chirurgicæ Artis Profeſſores deveniant. Præcipue vero ſedulis tuis cogitatis, rationi, & experientiæ innixis, delectatus ſum ob tres cauſas. Prima, quia video vos Viros optimos, togatos, & nobiles non dedignari, imo proclives, & publici boni amatores, comiter deſcendere ad Artem Chirurgicam illuſtrandam, docendoſque artifices, ut minus errare poſſint, ac debeant: contra damnandum abuſum alicujus regionis, ubi nefas ducunt verſari in morbis externis manui ſubjectis. Hinc ob provinciam ad barbitonſores demandatam, populus lugens de medio eſt. Secunda, ob tuis in ſcriptis mentionem factam præſtantiſſimi Junckeri, amici noſtri, cujus epiſtola Halæ Saxonum data, dum ſcribo, præter alia, admoneor de re admirabili, ſcilicet Matronæ, non infimæ ſortis, uncias ſexdecim opii quolibet menſe, ad pacandos cephalalgiæ motus, devorantis. Quod ſane neſcio an in Gallicis Provinciis ſit ita frequens. Tertia denique, quia, dum ais, purulentos ichores poſſe fluctuantes ſubſiſtere inter muſcularia abdominis ſtrata, in mentem veniunt, quæ aliquot ab hinc annis vidimus in Em.o Principe, veſtræque Regiæ Societatis Scientiarum Socio, Angelo Maria Quirino, ob ſupradictam cauſam decumbente, & amplum tumorem in lateris muſcularibus interſtitiis geſtante, ubi lanceola punctio facta fuit, qua media, exeuntibus ad plures dies purulentis ichoribus, Eminentiſſimus Cardinalis, lætantibus civibus, convaluit; quem adhuc ſoſpitem Superi, ad Sacri Collegii Decus, ad Brixianæ Eccleſiæ bonum, & ad literarum omnium incrementum, feliciter ſervant.

Dum mihi igitur adblandior, & placeo, Brixiæ executa videns, quæ tu Lutetiæ Pariſiorum proponis; non poſſum quin de hoc eventu te moneam. Imo idipſum notum facio Reverendiſſimo Abati Andreæ Rugerio, nunc apud Archiepiſcopum Durino Nuncium Apoſtolicum Pariſiis degenti, ut confirmet obſequia mea, & tibi dono det, ſi adhuc extant, ſin minus ſaltem legendas mutuet Hiſtorias Morborum noſtras, in ſolio maximo cuſas, quas illi transferendas in Galliam tradidi, ut Patronum acquirerem & literatum, qui mihi ſcriberet aliquid circa ſtatum hodiernæ Pariſienſis Medicinæ, aut circa unum tantum, vel alterum medendi uſum pro adaugenda, & decoranda editione noſtra.

Hæc dum intueris, & excipis, dumque e longinquis regionibus accedentem, tuique nominis celebritate permotum vides, quæſo ne graveris favere poſtulatis meis. Et quoniam tui animi dotes, tuaque in optimis diſciplinis encyclopedia te ad primarios, Aulicos etiam, honores evexit; fac, ut bona tua quaquaverſum diffuſa, in Italicas ſemper magis terras, & ſignanter in me licet immerentem, derivata ſplendeant, & propagentur. Jam præexiſtentes ſic tanto aptius verificabuntur de te ipſo Academicæ dotes, quas in Medico tuis in ſcriptis neceſſarias putaſti, & in exemplar comitatis, vel ob hanc cauſam confirmatus docebis, quomodo ad te confugientes tractandi ſint. Sic ego mirum in modum devinctus exclamabo: Oh Gallos humanos, a quibus petere, & accipere res una eſt! Vale.

Brixiæ Venetorum 20 Februarii 1746

PRÆSTANTISSIMO, AC CELEBERRIMO DOMINO

JOANNI BAPTISTÆ LUDOVICO CHOMEL

Franciæ Regis Archiatro

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

DUM Europam totam, temerario quaſi dixerim auſu, epiſtolis excutio, ut ſudantem ſub prælo editionem ditem, & exteris ornamentis adaugeam, video in Actis Venetis regeſtam Theſim, examenque tuum, quo Hygienem, priorem ſcilicet Medicinæ partem, humanæ valetudinis præſervationi directam illuſtras. Ab hoc ſolum ſpecimine, te in corde meo putans bonarum diſciplinarum amatorem, ſtudiorumque auſpicem, deliberavi ſtatim ad literarium commercium invitare, notaque facere tentamina, quæ,

ab

ab incluſa ſchedula patebunt magis. Deſcende quæſo ad favendum Italo huic, & age, ut tellus etiam noſtra ex virtutum tuarum ſemine ſata, uberius in univerſi utilitatem fructificet. Vale, ac ſcias, non dedignari, & favere ſupplicibus e longinquo advenientibus, partem eſſe inſignium, & beatorum hominum.

Brixiæ Venetorum 20 Maii 1746

GER-

GERMANIÆ

CLIMA, EXTENSIO, FLUMINA, POPULORUM INHABITANTIUM INDOLES, ET ACADEMIÆ.

GERMANIA in Europæ centro ſita, centum octoginta leucis Francicis a Lotharingiæ finibus uſque ad Hungariam in longitudine extenſa, aliiſque centum ſupra nonaginta a mari Baltico uſque ad Alpes Fori-Julii lata, ab uno latere Franciam, ab altero Rhætiam, Vindeliciam, Noricum, & Hungariam reſpicit. Viſtula a Sarmaticis regionibus dividitur, tandemque in reliquis limitibus finitima deſinit in Oceanum Germanicum, Balticumque mare.

Tota quanta eſt, & maxima, luitur undequaque a multis fluminibus, naves, ut plurimum, neque modicas, ferentibus, quorum ſeptem præcipua ſunt, nimirum Albis (1), Amaſius (2), Danubium (3), Moſa (4), Odera (5), Rhenus (6), & Viſurgis (7).

Olim dividebatur in quinque populos, Iſtævones, Hermiones, Ingevones, Vindiles, & Peucinos nuncupatos; ſed cum Imperator Maximilianus I. vidiſſet, confuſam pariter eſſe partitionem a nonnullis Geographis propoſitam per varias fluminum ſectiones, illiſque proximas provincias, Germanicum totum Imperium in decem Circulos compoſuit, ideſt Auſtriacum, Saxoniæ Superiorem, & Inferiorem, Bavaricum, Svevicum, Rhænanum, Electorum Rheni, Burgundicum, Veſtphalicum, & Franconicum, quibus pro totius Germanici Imperii complemento ſolum Bohæmiæ Regnum addendum eſt.

Germanicæ gentes armis egregiæ admodum ſunt in bello gerendo exercitatæ, & ſtrenuæ, laboribuſque omnibus indefeſſæ. Nobiles venatione, reliqui vero admodum ingenioſi (8) agrorum, artiumque cultu ſummopere delectantur; ad quod conſpirant nundinarum, & commercii frequentia, necnon terræ ubertas (9), & conveſtiti montes aut arboribus, aut paſcuis, deficientibus tantummodo olivis, limoniis, & ficubus, quorum vegetatio apud Magnates in viridariis promovetur, idque ob frigidam, ſub mitiori tamen cœlo, aeris conſtitutionem, polique ſtatum, deſumptum a quadraginta quinque gradibus latitudinis ſeptentrionalis, extenſumque uſque ad quinquaginta quinque. Nihilo tamen minus Germani licet viatores, & peregrinationum avidi, exterorumque uſuum memores, tamen amore capti ſunt regionis ſuæ, quam ceteris omnibus pulchriorem exiſtimant. Revera mores aperti, & ingenui inibi quammaxime vigent, & advenarum etiam conſuetudo ſummopere placet, præcipue ſi mutuis ad delicias poculis invitari ſe ſinant, & per jocum non irrideant, fixoque intuitu Teutones magis ſuſpicioſos reddant.

Faventibus vero Imperatoribus, Electoribus, Auſtriæ Archiducibus, Cardinalibus, Landgraviis, ceteriſque bene multis totius Germanici Imperii Principibus hac illac in Metropolitanis urbibus, & Monarcharum, Dominorumque ſedibus celeberrimæ Academiæ inſtructæ ſunt, nuncque etiam mirum in modum præter alias (10) vigent Cæſareo-Leopoldino-Carolina Naturæ Curioſorum (11), Viennenſis (12), Lipſienſis (13), Jenen-

(1) Provenit ex Bohæmia, Sileſiæque finibus in Monte *Dans Riſenberge* dictus: hoc eſt, Gigantum juga. Tangit Saxoniam ſuperiorem, & inferiorem, poſtea fluens intra Hamburgum, lotis Dreſda, Torga, Vitteberga, Magdeburgo, miſcetur Oceano Germanico.

(2) Incipit in Comitatu Riddeburgenſi, rigatiſque VVeſtphalia, Monaſterio, & Friſia orientali excipitur ab Oceano pariter Germanico.

(3) Decidit a Monte Abnoba in Sveviæ Sylva Nigra, in ortumque fere ſemper fluit, Vindelicos, Noricos tangit, Pannonios, hoc eſt Hungariam, Turcicaſque Europeas ditiones ſecat, & deſinit in Pontum Euxinum.

(4) A Francia provenit, viſaque Lotharingia, & Barrenſi Ducatu tendit in Belgium, proindeque in Oceanum.

(5) Juxta Oderam oppidulum in Sileſia oritur, deinde tangit Brandemburgum, & Pomeraniam, antequam deſinat in mare Balticum.

(6) Maximus poſt Danubium, Germaniamque a Gallia diſterminans. Sua debet primordia Alpibus occidentalis Rhætiæ; proindeque tactis Helvetiorum limitibus, lacuque Brigantino, & Arola, & poſt Alſatiam Hellebo, tandemque ad Moguntiam Moeno auctus, Moſellam, Coloniam Agrippinam, Batavoſque rigans, in Oceanum effunditur.

(7) In confinio Franconiæ incipiens Verra dicitur. Per Alſatiam fluit, in ſinumque ſuum ad Mendam oppidum, accepto Fulda fluvio, Viſurgis nuncupatur, & Brunſuvicenſem Ducatum, VVeſtphalicas, aliaſque regiones rigans Oceano Germanico miſcetur.

(8) Referunt illis orbem debere inventum Typographiæ, & pyrii pulveris.

(9) Plurimum etiam adjuta ab abſentia venenatorum inſectorum, aliis in regionibus a calore productorum, & ſegetibus noxiorum.

(10) Argentoratenſem, Chilonienſem, Dilligenſem, Erfordienſem, Francofurtanam ad Oderam, Graecienſem, Heidelburgenſem, Lavingenſem, Leodienſem, Paderbonenſem, Roſtochienſem, Sigenenſem, Trevirenſem, Trebingenſem &c.

(11) A Leopoldo Imperatore,

(12) Ab Alberto III. Archiduce Auſtriæ.

(13) A Friderico I. Electore.

ſis (1), Altorfienſis (2), Friburgenſis (3), Colonienſis (4), Ingolſtadienſis (5), Moguntina (6), & Pragenſis (7).

Quibus ſucceſſiva temporum ſerie in hoc uſque ævum factum eſt, ut bonæ Artes ſemper floruerint, ſed Medica præſertim meliori in lumine, cum Germanicarum gentium bono poſita fuerit, ut videre eſt in tot editis Operibus cedro dignis, quæ per totum Orbem iterum recuſa, oſtendunt doctrinam cum circumſpecta praxi, medio quaſi dixerim improbo labore, admodum vigere, & exteris etiam nationibus documento eſſe, præſertim in parte illa, quæ morbidæ naturæ myſteria, labores, & æſtus prope ægrorum lectulos ſcrutatur: quod primaria ſemper eſt, & erit Medicæ ſcientiæ baſis, ac fundamentum. Quia vero innumerabilibus prope exiſtentibus Germanicæ Medicinæ monumentis, ire per univerſa, & ſingula nimis eſſet longum, atque fortaſſe inacceſſum, ſic epiſtolico frequentius commercio, & Sapientum reſponſionibus de Germanica hodierna Medicina agens, tentamen adiutum adauctumque eſt.

ARGENTINA

CLARISSIMO VIRO

GEORGIO HENRICO BEHRIO

Comitis Joſephi ab Hoenlohe-Waldenburg Archiatro, & Practico apud Argentiuenſes celeberrimo

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

VOLUENS, ut diſcerem, volumina præſentium Scriptorum in Germanicis Provinciis, ubi nunc Medicina floret, reperi opinionem tuam, factis innixam, circa modum curandi paſſionem iliacam medio tabaci fumo per imas partes adacto. Arriſit. Dubitavi; quodque a multis ſcriptitatum, propoſitumque jam videram, & omiſeram, ad lancem iterum revocatum eſt. Exiſtimatio quippe de te, dum tua legerem, crevit, & tacita quadam penetratione mea uſque in pręcordia adeo invaluit, & inſedit, deſiderium vero, ut meliora ab exteris excerpam, & Italos, reliquoſque juvem, adeo me vellicat, ut de illius medicaminis viribus, agendi modis, & pertimeſcendis effectibus aliquid in epiſtola tecum conferre, opportunum duxerim.

Nec mireris, aut me reprehendas, Henrice clariſſime, ſi ignotus, vel immerens accedo, & veluti vetus amicus tecum de Medicis doctrinis agere cupio. Medici omnium ſunt & illico ac quis doctorali, laurea inſignitur, & praxi ſe addicit, non amplius ſui juris eſt, aliis deditus, non patriis tantum, ſed remotis etiam, præcipue, ut ſoſpites reddat. Hocque facit non medendo ſolum, ſed docendo, & ſcribendo. Ergo huc confugere poſſum, tibique meas propoſitiones aperire, ut collatis rationum momentis, quid magis tutum, ſit & proſit, emineat in aprico.

Doloroſa inſenſiſſima tormina, & ventriculationes vehementiſſimæ, quæ circa umbilicum, renes, ſtomachum, totum abdomen ſæviunt, interdum paſſio iliaca ſunt, ab ileo patiente, cujus fibellæ, & villorum omne nerveum genus, inteſtini internam tunicam conſtituens, vellicata, irritata convellitur. Non eſt hujus loci, ut cauſæ rebellis effectus, quem Barbari *miſerere mei* dicunt, ſejunctim enumerentur omnes, quamvis alioquin ad rem noſtram eſſet; mutata quippe cauſa mutandum remedium. Univerſaliter tantum ſuppoſitis diræ ægritudinis, in fatale volvulum quandoque finientis, fomitibus, pituita nempe, calculis, vermibus, fæcibus induratis, tumoribus, flatibus, bile a ſua craſi aberrante, aut denique noxiorum ciborum ſimul fermenteſcentibus meri reliquiis; videndum, quomodo agere, & quæ efficere poſſit intruſum ſiccum clyſma, nicotianæque fumus, & proinde conſequentia ducenda, num Argentoratenſis tuus, & Clariſſimi Joannis Chriſtiani Ehrmanni, & fortaſſe etiam te auſpice, & docente, aliorum modus ſequendus ſit; an aliquando immutandus, vel circumſcribendus.

Hoſpes eſſem in Medicina, ſi me laterent vires, proprietates, & laudes Nicotianæ, quam Petum Indi dicunt. Jam undique inquilina facta eſt herba Regina, quam *calidam*, *ſiccam*, *reſolventem* abſtergentem dicebant veteres; dicebantque utilem in dentium, & capitis doloribus, pectoris, vitiis aſthmate, flatibus, obſtructionibus, ſtomachi cruditatibus, tinea, nephriticis doloribus, animi deliquiis, pernionibus, vermibus itinerantibus, ad fallendam famem, & ſitim, multiſque aliis morbis, adeo ut in delicias hominum tranſierit, & vitioſi mille accepta bona a Tabaco decantant.

De facto præter exaratas neotericis experimentis, & pyroſis auxilio detectæ adamuſſim ſunt tabaci vegetantis proprietates & vires energeticæ a ſale, ſulphure, oleo, & ſpiritu volatili pendentes, atque ad evitandos ſtimulos aptiſſimæ, ex quibus illa in humano corpore eveniunt, vomitus, & catharſis. Sique bene rem, mentemque tuam aſſequor, doctiſſime Behri, illi duo ſignanter effectus ſunt, qui rationem cum facto conjungunt. Quandoquidem ſi ex ſuppreſſis fæcibus, obſignatoque ano iliacus inteſtinalis ſurgit, Patientemque vexat tumultus, urget indicatio, ut purgamenta citius, quam fieri poſſit, ſollicitentur.

Hæc

(1) A Joanne Friderico Electore Saxoniæ.
(2) A Ferdinando II. Imperatore.
(3) Ab Alberto Duce Auſtriæ.
(4) Ab Urbano VI. Papa.
(5) A Ludovico Duce Bavariæ.
(6) Sub Diethero Iſemburgico Archiepiſcopo.
(7) A Carolo VI. Imperatore.

Hæc ſunt probabilia. Videndum deinceps & mala, & bona, quæ efficere poteſt adactus nicotianæ ſumus, ſuppoſito etiam quod clyſmatis tubus eſſet ad indigentiam abſque errore oneratus, de quo Bartholinus (1) conſulendus eſt.

Mala deſumi poſſent ab inflatione, ſi flatus jam turgent, & partes omnes a ſupradictis cauſis coarctatæ ſint ſolido inteſtino continenti jam reſtricto; a ſucceſſiva compreſſione quam rectum, & colon magis diſtenta faciunt in affectum ileon; a minori aptitudine diſſolvendi induratas fæces, quam quod haberet liquidum oleoſum, ſi adhiberetur; a majori facilitate exeundi per illam viam, qua advenerant; a ſalinis ſulphureis particulis tunicam, internam inteſtinorum vellicantibus (quod quidem ſi porta inferior relaxetur, poſſet eſſe utile: at quis promittet?) hinc promoto ad ſuperiora conſenſu, ut in contractilibus contingit, ſpaſmi augerentur; a difficili cibi aſcenſu, ob tot impedimenta, & contractas partes uſque ad inteſtina tenuia, ut hinc vel corpus moveatur, vel ob narcoticam etiam nicotianæ indolem dolores imminuantur; imo rurſus ab narcotica nicotianæ qualitate, quæ quietem inducendo, catharſim, quæ fortaſſe neceſſaria eſt, impedit; ab aliquo accidentali occurſu corporum fermentiſcibilium (neſcimus quid lateat, quid ab illa miſcella reſultet) & occurſu fumi tabacini inflammabilium, de quibus rationes reddere non poſſumus; ab alliſione & impulſu, quem poteſt facere in continens inteſtinum jam laxum, aut fraciditati proximum; denique ab oleoſis particulis ipſius nicotianæ in fumum ſublimatis, quas Magnus Redi ponit inter præcipua totius Mundi venena, actura heu quæ agere nata ſunt.

Bona vero pendere poſſent a lentorum omnium & duriorum ſtagnantium corporum diſſolutione, ob ſal volatile, acre, & penetrans; a periſtaltico inteſtinorum excitato motu; a langueſcentibus ſuffocatis ſpiritibus in vitam revocatis; a revulſis, & ſeparatis mucis, a quibus villoſi parietes infarciuntur. Videmus quippe fumum illum in ore per infundibulum tractum & abſorptum propinquas regiones perreptare, non ſolum intercapedines, ſed ultra minuta ſpatiola, & meandros ſubire, ex quo omne ad palatum allicitur, fluxile, quod non erat, redditur, hinc primarius apophlegmatiſmus dici meretur; ab admirabili hoc in caſu ſpecifica proprietate ſecum vehendi, & eodem actu pollendi narcoticis (2) viribus, ad pacandos dolorificos inſultus, quibus morbus hic ſtipatur, utiliſſimis; ab exemplo deſumpto ex gravibus Scriptoribus, qui tabacinum clyſma, Anglis Medicis præeuntibus, propoſuerunt; a factis denique, iiſdemque, quæ tu ipſe refers, quibus integra fides præſtanda eſt.

En ſummarie tractatam cauſam, quam dum ſcribendo factitabam, animadvertebam etiam, cauſæ advocatum amittere ſanciendi jura, nec licere judicem eſſe. Lis ergo ad te redeat. Tuque, qui, ut noſco a ſcriptis tuis, doctrina, & praxi dives es, difficultates tolle, controverſiam dirime, medenteſque docere ne graveris. Itali a Germanis, ego primus, diſcere non dedignabuntur, & oh utinam univerſi, & ſinguli aliena etiam amarent, reciprocoque commercio, miſſis ſibi ſoli ſapiendi gloriolis, viciſſim bonum omne ſugeretur! Profecto adeo non ceſpitarent conjecturæ noſtræ, & nobiliſſima ars ſuper ſtabilius fundamentum erigeretur.

Anno uſque 1738. quando Argentorati ſumptibus Joannis Becki lucem vidit Lexicon tuum Phyſico-Chymico-Medicum, geſtivit animus mihi conciliandi benevolentiam tuam; a natura quippe ita ſum comparatus, ut celeberrimorum hominum debitam habeam exiſtimationem.

Rarus eſt caſus, quem vidit, & proponit doctus veſter Argentinenſis Auguſtus Wencher, de fiſtulante puella cum perforato ventriculo, & exitu cibariorum, tanto magis ſi addamus per tot annos optimam corporis nutritionem. Sed elapſa hebdomada, ſcribens ſuper quodam argumento ad clariſſimum Carolum Franciſcum Cogroſſium, Profeſſorem Patavinum, nunc Cremæ commorantem, dixi, difficilius explicari poſſe ſalutem, hominumque uniformitatem, quam morbum, & monſtra.

Sed jam vela colligenda ſunt, & humanitas tua brevi incommodo allicienda, ne dum majora tumultuarie conſarcino, moleſtiam faceſſam. Illud unum addere liceat, & tibi fortaſſe hærenti, num mei, & ſtudiorum meorum fautor eſſe debeas, documentum proponatur. Lydio tuorum, neque modicorum, juſſuum lapide me tange reſponſoria in epiſtola. Si ſerviam, ſi promptiſſimus obediam, quomodo mihi negare poteris concupitam neceſſitudinem tuam? Deus te ſervet.

Brixiæ 25 Martii 1745.

ARNOSTADIA

SALIVÆ UTILITAS

ARNOSTADIENSES in Thuringia, inibi docente Jacobo Auguſtino Huner-Wolffio, adhibent ſalivam *pro temperando acri*, & *roboranda parte* in arthritide; atque etiam pro *ſolvendis nodis* & *gangliis*, necnon lichenes, & tubercula hæmorrhoidalia (3).

HYDROPIS CURA

IN eadem Arnoſtadienſi urbe uſuvenit fœniculum aquaticum pedum talis applicitum, ut, adapertis plagulis, hydropicorum aquæ feliciter fluant, & exeant.

DYSTOCIA

HOc eſt, partum difficilem, impeditamque fœtus excluſionem tollunt obſtetrices, jubentibus Medicis Thuringis, myrrha, borace, croco martis, & oleo ſuccini. (4)

(1) Cent. 4. pag. 42.
(2) Quas ex oleo reſoluto Ettmullerus fieri dicit.

(3) Auctore VVedelio.
(4) Qua in re conſulendus Mercatus, Rederi, a Caſtro, & alii.

AUGUSTA VINDELICORUM

VIRO CELEBERRIMO

GEORGIO FRIDERICO GUTERMANNO

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

S. P. D.

Multa debemus iis omnibus, qui in Archilycæis, publiciſque theatris Anatomen coluerunt, & peculiaribus ſcriptis inventa, & partium uſus orbi Medico manifeſtarunt; ſed majora adhuc Clinicis, quando praxim exercentes, & conflictatam in aliquo morbo naturam ſcrutantes, tandem, ſupremo ſic volente numine, fato functos, examini ſubjiciunt, & nullo omiſſo viſcere, nulla neglecta fibella, patefactiſque, uno verbo, extis omnibus, de ſolidorum ſtatu rationem reddunt, & inſuper philoſophico criterio in præteriti morbi cauſas, in concomitantia ſymptomata, in effectus ſubinde natos, in pernicioſas metaptoſes inquirunt, ut eluceat funeſtæ ægrotationis focus, in futuris hominibus, antequam pari fato noceat, ſi fieri poteſt, extinguendus. Hoc eſt docere, clariſſime Guttermanne, perque viam illam incedere, quæ unica, & primaria proximo prodeſt. Eam ipſam igitur mihi ſollicite cogitanti, affulſerunt obſervationes tuæ in Germanicis Actis (1) inſertæ, quibus morbum, agonem, & ſecta viſcera ob oculos multis in caſibus ponis, & ſubdis, quæ fieri debuiſſent, quæ meditanda ſint, ut in poſterum ſciant non Philiatri tantum, ſed cordati ipſi viri, quæ facienda ſuperſint.

Auguſtanus tuus in Vindelicia ratiocinandi, & medendi modus ſummopere mihi arriſit, & veriſſima ipſe quoque aſſererem a te relata circa puerum octuennem in urbe Lindavia ad lacum Brigantinum, a maximo timore animique anxietate ſubitanea, & violentiſſima adeo labefactatum, ut ſolida ipſa primarii uſus, nempe mediaſtinum, pericardium, cor ipſum corrumpi, laxari, ampliari, immutari debuerint, ideoque ſerum, & liquida purulenta, violatis vaſorum ducentium, & revehentium parietibus, lacunas, hydatides, & tumores effecerint.

Pro raro ipſe teneo caſum illum, quem refers de ſexagenario majori blenam nigram, dum viveret, & ægrotaret, evomente, repertis in ejus cadavere *hepate*, & *veſicula fellea* prorſus *ſanis*, & *integris*. Quandoquidem atri humoris, mucique productio in humano corpore, abſque bilis interventu difficillime explicanda venit, ſi unam excipias, quæ in ſphacelatis partibus contingit. Audivi vulgares Medicos, illico ac vident atrum humorem e corpore exeuntem, bilem clamantes. Quod in poſterum, anatomicis tuis experimentis facem præſerentibus, claudicabit. Licet fieri etiam poſſet, ut bilis, licet ab hepate ſeparata, & in ſua cyſti perfecta, tamen in poſterioribus, & ſucceſſivis itineribus, & miſcelis corrumperetur, gaſtriciſque, & pancreaticis ſuccis a nativa craſi aberrantibus, mixtum omne abſcederet, atque ad gangrænoſum gradum perveniret.

De inteſtino recto intus in adulta puella rupto mirandum non eſt; ſique abdominalia viſcera marceſcentia, & corrupta poſtremis vitæ diebus a ſitu & craſi ſua abierant, conſequens eſt, & inteſtina, præcipue rectum, tot putredinibus expoſitum, idem fatum ſubire debuiſſe. Rupto inteſtinali tubo, per patentem non longe ab umbilico fiſtulam fęces ipſas in maturæ ætatis moniali exiiſſe, olim demonſtravimus in Hiſtoriis noſtris Morborum, (quæ fortaſſe ad tuas manus pervenerunt) quæ inſuper integræ ſanitati reſtituta fuit. Ipſe autumarem, multos morbos, qui extremum accerſunt diem, quoſque ſoli liquidorum, aut ſanguinis dyſcraſiæ plerique tribuunt, ſæpeſæpius a læſa, & vitiata ſolidorum ſymmetria pendere, & fortaſſe eorundem cauſas latere, aut neſciri; quia eventuum, & factorum lumen terra tegit.

Inquies fortaſſe, eccur mea commentaris? eccur, quæ jam ſcio, mihi iterum refricas? Id ago, ut diſcam, & ut methodum tuam, adeo mihi acceptam, ſemper magis promoveam, atque inſuper, ut tibi, licet a me diſſito, morem geram, & quæ a me pendere poſſunt, promptus, & paratus exhibeam.

Poſt aliquot menſes typis tradenda erit Europa noſtra, in qua de Germanorum Medicina, & per conſequens etiam de Auguſtano-Sveva diſſero. Tu igitur, Vir Præſtantiſſime, qui eam imples, feliciſſimo ſydere Lycates populos juvas, & liberæ Epiſcopalis Coloniæ ſoſpitati vigilas, quæſo ne graveris ad mihi prænunciandam, brevi quantumvis epiſtola, præſentem veſtram in aliqua, vel ſaltem in una ægritudine, Medicinam: & ſine, ut tuo a me perquam maxime expetito ornamento, editio futura noſtra vadat ad longinquos. Indecens non eſt in aliquo molimine Germanorum cum Italis connubium; & quoniam lætus ipſe ad novellam hanc neceſſitudinem tecum ineundam accedo, faxint ſuperi, ut paria rependas, & valeas.

Brixiæ 6 Februarii 1745

(1) Obſervatione LXIII. pag. 227. & ſequentibus.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO DOMINO

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Salutem plurimam, atque officia obſequioſiſſima

GEORGIUS FRIDERICUS GUTERMANN

Med. Auguſt.

ELogia tua, Illuſtriſſime Domine Comes, multis ſuperant minima mea merita paraſangis, quibus levidenſes meas obſervatiunculas mactare dignatus es. Calcar equidem addere debent, omnes intendendi nervos, quo ſpei tuæ de me nimis eximiæ, aut, ut recte dicam, deſiderio tuo aliqua duntaxat ex parte ſatisfaciam. At vero vix habeo, quod ad præclariſſima monita reſpondere queam. Res meæ pendent a gratia Dei, is niſi praxim uberiorem, occaſiones colligendi obſervationes, ſapientiam, animum curis vacuum, res proſperiores, ſanitatem, otium præbeat, egomet ipſe parum, vel nihil ab me expecto, quanquam in eo jam ſim occupatus, ut, quæ clinico-practici uſus ſunt, prætermiſſis omnibus curioſis, ex Ephemeridum Nat. Cur. voluminibus excerpam, nempe morborum hiſtorias, extiſpicia, remedia juvantia, nocentia. Interim avidiſſime ſubſcribo cogitatis tuis, quibus declaras, extiſpicia demum rectam præferre lucem arti noſtræ ad inquirendas, & cognoſcendas abditas morborum cauſas, ſedes, atque eventus, eorumque juxta ductum recte demum elici atque evinci poſſe, quid æger, quid fortean Medicus, quid adſtantes, bene, an perperam geſſerint. Quid agi debuerit, qua medendi via in poſterum aliis eodem modo ægrotaturis obviam eundum ſit. Reliq.

Hiſtoriæ morborum, quas a ſemet editas citat Illuſtriſſimus Comes in litteris ad me datis, ad meas, fateor, non pervenerunt manus, iſque dubio procul liber eſt optima fruge refertiſſimus, quo carere idem eſt, quod carere optimo. Minime quidem deficit hic loci bibliopolarum numerus, ſed quia eorum nullus, niſi ad id inſigni pretio conductus, libros Italicos, Gallicos, alios ut taceam, comparat, aut venum exponit, ideo compluribus utiliſſimis libris caremus inviti. Ejuſmodi ſcripta niſi commoda nanciſcamur occaſione ab exteris ipſis, parum ſpei nobis ſupereſt, & vel rubrum eorum conſpiciendi. Quodſi ergo opportunitas ferat, e. gr. nundinarum Bolzanarum, ſeu Bozenenſium, res mihi contingeret omnino acceptiſſima, laudatas morborum hiſtorias adipiſcendo.

De novo publici juris reddendo libro gratulor enixiſſime, vitam, ſalutem, animum, res ex voto fluentes, ad felicem imponendum colophonem apprecans devotiſſime. Germanis haud infima laus erit, a viris laudari laudatis. Etenim a Viro adeo humaniſſimo, qualem Illuſtriſſimus Dominus Comes ſe erga me iuſimum præbet, nil niſi humaniſſimi expectari licet. At hæret iterum aqua, dum ab Illuſtri tua Excell. excitatus Medicinam Auguſtano-Svevam deſcribere debeo. Liceat tamen tentare, num mentem tuam aſſequi mihi datum ſit.

Alit hodienum unice urbs noſtra, in qua, prouti conſtat, & Catholica religio, & Auguſtana Confeſſio paribus utitur juribus, Medicinæ Doctores Collegio Medico inſcriptos XIX, præter Medicum Epiſcopalem, D. Bianconi, Italum, quippe qui noſtro Collegio, quod Civitatis eſt, non eſt adſcriptus, quorum unus ex antiquo Ill. Magiſtratus S. C. quotannis poſt exantlatas pharmacopoliorum viſitationes, quæ m. Septembri fiunt, ratione religionis alternatim, anno currente Catholicus, ſequente A.C. addictus, per ſuffragia collegarum, eligitur in Decanum Collegii noſtri, eique itidem alternando inter religionis partes, ſed ad dies vitæ, adjunctus eſt, ex beneplacito Ill. Senatus Secretioris conſtitutus Vicarius perpetuus, proximam a Decano ſedem ſemper occupans, hujuſce ſuccenturiano, cum eoque noſtri Collegii reſponſa ſubſcribens. Quinque noſtrum ſunt Phyſici, quorum primarius intuitu religionis alternatur, id quod officium, necnon viſitatoris officinarum pharmaceuticarum, hodie conjunctum eſt cum ſparta vicarii perpetui; reliqui quatuor ſunt duo Catholici, totidemque Aug. Confeſſionem profitentes. Eſt inſuper quidam Medicus xenodochialis, alius leproſorii, hic peſtilentiarius, iſte lazaretanus, ille noſodochio, alius rei obſtetriciæ præfectus, & ſ. p. quiſque ad dies vitæ, ceteri ſunt practici liberam praxim exercentes, ab ærario publico vero ſtipem non merentes. Si quid incidit, de quo Collegii intereſt noſtri, vel ubi Ill. Magiſtratus ſententiam noſtram poſtulat, convocamur ſive ad unum omnes, ſive ſaltem ſex ſeniores, per miniſtrum pharmacopoei, in cujus officina (harum ſunt ſex, quatuor poſſident A.C. addicti, duas Catholici) pomeridie convenimus aut congredimur. Religionum diſparitatem, uberrima praxi fruendi cupidinem, partam in diverſis Academiis eruditionem, aliaſve relationes, animorum gignere disjunctionem, facile credas, juxta proverbium: quot capita, tot ſenſus. Quam grave igitur ſit Medicinam noſtratem in ægritudine, aliqua prænunciare, id quod ab me efflagitas, Comes Illuſtriſſime, levi negotio conjicies. Ego certe aliud enunciare nequeo, quam quod quiſque pro ingenio ſuo praxim faciat. Ad minimum non falleris, ſi cum ex ſcriptis Frid. Hoffmanni, quem hodie communem fere juxta cum Stahlio, utpote cujus placita nondum omnes miſſa fecerunt, Germanorum Medicorum præceptorem rectiſſime dixeris, tum ex diſpenſatoriis, v. gr. Auguſtano, Viennenſi, VVurtembergico, Brandenburgico, noſtræ Medicinæ ſtatum colligas; dummodo cuique datum eſſet, methodum præclariſſimi illius artis Medicæ antiſtitis recte aſſequi, aut fideliter, atque feliciter imitari. Nec poſſum mihi temperare, quo minus diffitear, moleſte me ferre, quod beatiſſimus

ille

ille Medicus remedia ſua, quibus feliciter uſus eſt, & quorum in conſiliis ſuis toties mentionem fecit, haud patefecerit. Unicum reliquit filium, unicamque filiam, ingentium magna ex parte ex his ipſis domi elaboratis medicamentis partarum opum hæredes, quibus ſane neutiquam detrimento fuiſſet, ſi parens eorum lectores, atque admiratores Scriptorum ſuorum feciſſet quoque participes compoſitionis, v. gr. balſami vitæ, liquoris anodyni mineralis, elixyris temperati balſamici, elixyris ſtomachici nervini, elyxiris pectoralis, pilularum balſamicarum, ſalis aperitivi, pulveris præcipitantis, pulveris bezoartici, pulveris vitæ, pulveris ſpecifici anthiepileptici, & reliq. Ego hæc ſciendi avidus jam ante tria luſtra addideram litteris, quibus conſilium ab ipſo petii in caſu epilepſiæ inveteratæ cum vermibus complicatæ, quam in Medicina ejus conſultatoria reperiar, ſchedam, in qua formulas ſuis compoſitionibus ſurrogatas conſcripſeram, annexo petito, ut eas rectius inſtruere vellet, & reſponſum tuleram, eas haud male eſſe adornatas. Vir quidam celeberrimus, ad ſuperos nunc delatus, qui ejus familiaritate per plurimos annos uſus fuerat, confeſſus eſt, eum amaviſſe ſubinde variationem, neque abfuiſſe plane a parte illa Medicinæ, quam Guido Patinus conſtituit principem, Charlateneriæ nomine eam inſigniens. Sed ut redeam in viam, ſi aveas, Excellentiſſime Comes, reſcire meam qualemcunque methodum ſpecialem, v. gr. in febribus intermittentibus, ea eſt, ut præmiſſo remedio digeſtivo ad reſolvendam ſaburram viſcidam bilioſam in primis viis ex tartaro ol. ſale abſynth. lap. 69. citrat. & ſimil. exhibeam tempore intercalari vomitorium. Deinde inſto digeſtivis, purgans repeto, & tandem ad ſtomachica tranſeo, v.gr. eſs. abſynth. compoſ., eſs. caſcarill., tinct. vitriol., Martis Lud. Sin his non obſtantibus æger recidivam patiatur, digeſtivis denuo utor, & quidem in forma potius fluida, quam ſolida, ut impuritates mucidæ, ſanguini, & humoribus immixtæ, certius diſſolvantur, & præſcribo ſal tartari fix. in aqua ſolvendum, eique ad punctum ſaturationis inſtillandum phlegma vitrioli. Diebus a febri vacuis offero pilulas balſamicas in elyxire ſolutas, quod e flav. cort. aurantion. c. ſale tartari, mediante vino quodam generoſo, v. gr. Malvatico, Frontiniaco, Hungarico, aliove, extrahitur. Et mire rebelles ſint, oportet, paroxyſmi febriles, ſi his non cedant, & ego, ſi corpus affatim repurgatum reputo ex urina non amplius turbata, facie ægroti naturali, coactus ſim accedere ad ſpecifica febrifuga ad inhibendos motus febriles, quæ ſunt vel cortex Peruvianus, cujus ℥ II immergo in ℔ II vini rubri, quod poſt 24 horas a cortice decantatum ſæpius per diem parcis hauſtibus bibere jubeo, vel pulvis ex Act. Acad. N. C. Vol. III. p. 45. excerptus, e croco Martis pul. S. A. & ſale card. ben. conſtans. Suppoſito utique recto diætæ regimine.

In febribus continuis, v. gr. peripneumonicis, quam primum ad ægrotum venio, venam ſecari. & ſanguinem largiter educi jubeo, atque ad depellendam ſanguinis circa membranas in pectore ſtaſim, præſcribo mixturam temperantem reſolventem, cujus 2 vel 3 cochlearia ſingulis 4 horis ſumenda ſunt: ℞. Aquæ card. ben. ſcabioſ. tarax. chærefol. ãa. ℥ I lap. cancr. ſucco citr. rec. ſaturat. mandibul. luc. piſc. ppt. dent. apr. ppt. antimonii diaph. ſalis nitri depurat. chryſt. ſpec. diatragac. fr. rec. ãa ℈ I vel ʒ .s. Sirup. papav. alb. ʒ II ℥ .s. externe cataplaſma e pomis putridis in oleo lini frixis.

In morbis chronicis, e. gr. aſthmate cum tuſſi, metuque ſuffocationis ad diſſolvendam, atque expectorandam pituitam bronchia infarcientem, quinimo tubercula pulmonum nodoſa deobſtruenda. ℞. gumm. ammoniac. elect. in aqua hyſſop. ſolut. ʒ III extract. rad. helen. in aqua hyſop. ſolut. ʒ I p. rad. irid. Flor. flor. ſulphuris ana ʒ II mell. crud. ℥ IIII ol. aniſ. gt. XI m. f. eclegma, doſis: quotidie ter 2 vel 3 cultri cuſpides.

In aſthmate ſanguineo a plethora, aut ſanguinis per hæmorrhoides aliaſve naturæ vias evacuatione ſuppreſſa, v. g. vel derivatoria, vel revulſoria.

In aſthmate hypochondriaco, ubi ſimul alia ludibria hypochondriaco-ſpaſmodica manifeſto adſunt, ad ſubigendum acidum, reſolvendum viſcidum, aperienda viſcera, tonumque partium reſtituendum ad æquilibrium. ℞. limat. ferri ppt. ʒ II gum. ammoniac. el. in gran. ʒ I extr. caſtor. gr. XV. M. c. Mithridat. Dam. f. pilul. pond. gr. I .s. D. mane, & veſperi n. XV. Inſimul impero motum corporis, quietem animi, ſalubres cibos, & potus.

In aſthmate ſicco ſpaſmodico paroxyſante his demum diebus profuit ſexagenario cholerico unicus pulvis antiſpamodicus. ℞. lumbric. terr. ppt. ʒ II rad. peon. ʒ I cinnab. fact. rectif. & ppt. ʒ .s. M. f. pulv. dividatur in part. VII æqual. idque ſumpſit mane, & veſperi, & ſubjuncto purgante ex ſpecif. jalapp. Mynſicht. ʒ I p. cholagog. Diſpenſ. Auguſt. ℈ .s. ol. r. aniſ. gtt. II.

In aſthmate ab illuvie thoracis hydropica, cum pedum ſcrotique oedemate, ad reſolvenda tam vaſa, quam veſiculas pulmonales obſtructas, derivandumque ſerum extravaſatum per renes & alvum: ℞. rad. ſquill. ℥ .s. rad. pareir. brav. ʒ II rad. enul. ℥ III irid. Flor. liquirit. ſem. anis. ſtell. ana ʒ I milleped. ppt. ℥ II croc. Or. ʒ .s. M. f. ſpecies, includ. nodulo e ſynd. affund. aquæ fervidæ, & vini probe diuretici, Rhenæni, aut Moſellani, ana ℥ X. Poſt macerationem per 24 horas incipiat æger mane, & veſperi haurire ℥ III. Cui ſubjuncta viſceralia cachexiam tandem plene, ſi Deo placet, ſanabunt.

In morbis mulierum fere omnibus plurimum valent penes me pilulæ balſamicæ viſcerales ex extractis herbarum, corticum & radicum amararum, aperitivarum, antiſcorbuticarum, gummatumque balſamicorum, cum refractiſſima extracti aloes optime depuratæ, & correctæ portione paratæ. Quamadmirabiles effectus hæ præſtent in cachexia ſeroſa,

pituitoſa, bilioſa, in ſtatu viſcerum corrupto, in morbis chronicis, in obſtructione menſium, in chloroſi, in paſſione hypochondriaca, atque hyſterica, in colica, in dyſenteria, in diarrhoea, in hæmorrhagiis uteri, in fluxu menſium inordinato, dolorifico, in fluore albo, in lochiorum defectu, æque ac in fluxu eorum nimio, in doloribus ad partum, & poſt partum, fidem excedere videretur, ſi vellem enumerare. Filum igitur abrumpo, adjungens nihil amplius, quam votum ardentiſſimum, ut Deus O. M. Te, Illuſtriſſime Domine Comes, res tuas peragere adjuvet feliciſſime; item petitum humillimum ut clementi tuo favore me excipias benevolentiſſime, tarditatique reſpondendi ignoſcas, ſiquidem quorſum litteras mitterem, an Brixiam Tridentinorum, an alteram Brixiam, quæ Italis Breſcia *vocatur? aut cuinam mercatorum noſtratium commendarem, dubius atque inſcius hæſitavi, donec per D. Guſtavum Adolphum Ammann, Patricium Auguſt. ſchedula monitoria mihi fuerit miſſa, per quem nunc litteras has reſponſorias rependo. Utinam certe ad me pertingant, alias maximo afficerer tædio animique dolore. Vale.*

Dab. Auguſtæ Vindelicorum, Ann. R. S. MDCCXLV. die 19 Julii.

BAVARIA

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO

FRANCISCO JOSEPHO GRUNVUALD

Circuli Monacenſis Phyſico Provinciali, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio.

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

QUOTIESCUMQUE ad manus perveniunt opera agentia de epidemicis Morborum conſtitutionibus, non poſſum quin totus in illis ſim, & cetera mittam. Tam ſcite, tam graphice texiſti Hiſtoriam, optimo ſane conſilio Buchneriano nomini dicatam, de febri nova miliari, qua Poenninæ Bavariæ alpes vexatæ fuere, ut non ſolum tempore diræ illius luis a te in tuto poſitæ, & preſervatæ illæ fuerint, ſed & regio Bavarrica nunc edocta, ſi iterum laboraret, & univerſalis medentium reſpublica, & reliquæ Gentes multum debere in confeſſo ſit; quandoquidem te elucubrante, & Auctore, non empyrico faſtu, non occultis arcanis, non præcipiti remedio, non otioſa tarditate, non animalium facultatum cantione, non nupto cericoſe modo, non pecudum more juratis Priſcorum ſchedis, ſed ratione, Auctorum criterio, experientia, & conſilio ducibus, morbos inter & ægrotos quotidie verſans, & concrediti montani populi amore captus, ſtatuiſti, quæ tunc agenda forent; atque inſuper, ſolutis bene multis quæſtionum ambagibus, & difficultatum nodis, arduiſſimum alioquin acutæ ægritudinis, & cutaneorum morborum negotium bono in lumine collocaſti.

Placuit tua illa abundans remediorum ſupellex, quam ſecundum alternantium, viciſſitudinum gradus propoſuiſti; quæque divitem encyclopędiam tum demonſtrat. Placuit indifferens circumſpectio circa cathartica, vomitoria, & venæ ſectionem, de quibus profecto ſententia ferenda non eſt, ſed ab hac, vel illa circumſtantia lumen ducendum. Medicus quippe vir horarius eſt, ſcelecturus prope diem, quæ hodie damnaverat, & emerſis etiam morbillis, venam ſignaturus, ſi violentiora urgeant ſymptomata, ut & Malachias Geigerus Medicus Electoralis Bavaricus Profeſſor veſter celeberrimus, & tu etiam pro dirimenda lite luculenter docuiſti.

Nos tamen Brixiani, & ego inter alios, in cutaneis acutis morbis, ſed præſertim in variolarum curriculo, a multigena remediorum præſcriptione potius in præſens alieni ſumus; totumque curationis cardinem ponimus in ſanguinis miſſione, ſi fieri poteſt, ante variolarum eruptionem, laxataque interdum prima die aluo, cetera omnia committimus naturæ; utque aperte noſcas, quomodo agamus, patiaris neceſſe eſt, ut addam hiſtoriam pueri perquam mihi cariſſimi, hiſce ſignanter diebus, dum ſcribebam, ægrotantis.

Filiolus meus dilectus, nomine Conſtantinus, ſeptennis poſt duos in pueritia latos morbos acutos, & plenos periculo, attamen alioquin ſanus, alacris, connutritus, & conſilio meo, ob variolarum timorem in hanc uſque ætatem abſtemius, nullo, quod ſciamus, in victus regimine perpetrato errore die Martis, 9. ſcilicet menſis, quo hæ datæ ſunt, ſumma mane expergefactus, & lætus noſtram manum deoſculatus. Cum poſt duos quadrantes, quatuor ſcilicet horis ante meridiem, dum ſolutis Deo precibus, gymnaſium adire vult, pallidus ex improviſo, & quaſi deficiens, auxilium lacrymabundus petit. Accedo, imminutiſque repertis pulſibus, jubeo, ut lecto tradatur. Veſpere ejuſdem diei ſurgit febris, cibum odit, dormitat, gravitat, interrogationibus non reſpondet, fruſtra anum ſuum ſollicitat, mingit cruda.

II.a Eadem, paucis mutatis, ſummo mane perſeverant, ideoque cum undique confluentes variolæ ſævirent, hæreo incertus, num ſanguis mittendus ſit, ad imminuendam, ſi fieri poterat, futuram efferveſcentiam. In cauſa propria nolui eſſe judex: quæſtio idcirco ad doctiſſimum Profeſſorem, & compatrem meum Joannem Franciſcum Guadaneum devoluta eſt, qui ſalvatellæ ictum collaudavit, extracteque fuerunt tres unciæ ſanguinis; pro ætate illa potius adhærentis, & inſtitutus fuit potus calidus ex decoctione raſuræ cornucervi, & lenticularum, mediocri ſervato aeris tepore in cubiculo

culo, ita ut nec ſæviens frigus cutim ſtiparet, nec auctus calor motum ſanguinis augeret. Hora pomeridiana in dextera gena, quæ a manu ejuſdem lateris compreſſa fovebatur magis, apparuerunt tria rubra puncta, varioloſum apparatum demonſtrantia, hinc aliqua, accidentalis tamen, mentis alienatio ſubſecuta eſt. Auctaque jam nocte, conſilium de ſuſcipiendo cibo ægre ferebat, adeo ut pro tribus ſolis cochlearibus tres Venetos ducatos donare debuerim.

III. Rubræ puſtulæ ſatis conſpicuæ eruperunt, præcipue in vultu, & pectore, & morboſa ſymptomata potius imminui viſa ſunt, ſedes clauſæ, urinæ crudæ, viſcidiuſculæ, paucæ, & frequenter redditæ, mens libera.

Inſtabat filiolorum meorum Gubernatrix, origine Germana, ut illico exhiberem per os aurum in pulverem redactum, ſtybium, & alia bene multa, quod ſua in regione ipſa viderat utiliter adminiſtrari, & quaſi muſſitans querebatur de ignavia mea, quia illico non exhibebam remedium varioloſam labem foras ad cutim propulſurum. Tacui, & juſtam criminationem ſuſtuli, & ſancte confiteor, nihil exhibuiſſe, quia nihil certum mihi notum erat, quod prodeſſe poſſet.

IV. In pectore, artubus, & etiam ſub plantis pedum rubicundæ puſtulæ emerſerunt, frequenter ſternutavit, & ad oblata ſe paratum exhibuit.

V. Internæ fauces rubræ, accenſæ, varioloſumque inſultum & ipſæ patientes, deglutitionis actum reddebant difficilem, oculi prurientes, ſedes nullæ, urinæ paleares, febris imminuta, cum ſiti tamen.

VI. Oculi clauſi, proximum lumen non patientes, deglutitio difficilis, febris imminuta.

VII. Crevit aliquatenus febris, & varioloſæ puſtulæ ſphericæ, in vultu frequentiſſimæ, & magis elatæ, ad aliquam albedinem inclinarunt.

VIII. Cibum petit, ſolidu[illegible]ue ſumpſit, qui antea ſolis juſculis, iiſque ſolu[illegible]& liquidis vixerat, excrementa per anum pauca. [illegible]

IX. Febris perſeverat, deg[illegible]facilior, aliquæ puſtulæ in vultu exſiccantur, [illegible] dejecit.

X. Tota nocte tuſſi vexatus fuit, in artubus puſtulæ adhuc albæ, & humidæ ſubſiſtunt, ſoloque in vultu exſiccantur, oculis magis adapertis.

XI. Incepit pruritus in vultu, & præſertim in capite, vox magis clara, & elata, & lotium in majori quantitate.

XII. Abſque febri, veſpertina tamen hora iterum ſurgente.

XIII. Oculi omnimode adaperti, tota facies detumuit.

XIV. Optata eluxit apyrexia, & explicatis ſtomachi fermentis, finito prandio adhuc famelicus querebatur, ideo de proxima ſalute certiſſimum conſtitit judicium. Aperte vides, Vir Clariſſime, nos id obtinuiſſe abſque ullo medicamine, quod fortaſſe alter Medicus in altera provincia quotidie iteraſſet. Nec me adeo ſtupidum, aut rei domeſticæ amantem credas. Id ipſum feliciter hiſce diebus ſcias eveniſſe etiam in aliis nobilibus perſonis Nob: Joanne nempe Averoldi, magis adulto, & cruſtaceo undique varioloſo tegmine cooperto, a ſeptima uſque ad decimam quartam attonito, deliranti, & peracuta febre vexato; in filiabus adhuc tenellis Nob: Co: Mutii de Calino, aliiſque bene multis, qui ſola primis diebus ſanguinis extractione, abſque ullo alio remedio, priſtinæ ſaluti reſtituti ſunt: ergo Florentino more in naturæ motibus ſpontaneis ſui calices Pharmacopolis derelinquantur.

De Febri tua miliari paucis antehac menſibus nobis ſcripſit Taurinenſis Profeſſor Antonius Rezia Regis Sardiniæ Archiater, necnon Clariſſimus Vir Balthaſſar Walthieri Curia-Rhætus, qui febrem miliarem aſtutam vocat, & jam ab annis centum in Germania ſævire dicit, quæque apud Polonos roſa nominatur. Verum hi ſunt naturæ luſus, utiles, ſi interna rabies foras expellatur; ſed multoties etiam ſuſpecti, ſi non perfecte critici, & latens venenum portendentes. Quomodocumque tamen, ſaltem docentes, Medicumque admonentes de indicationibus illis, quas ſequi debet.

Mihi videor, te videre meas has in literas ſupercilia caperantem, ſtupentemque, eo quia, nulla prævia neceſſitudine, talia ipſe referam, & communicem, ac ſi de annoſo inter nos commercio ageretur. Verum ſcias neceſſe eſt, me nunc elucubrare, ut Itala noſtra, ut Germana veſtra, & multarum aliarum regionum practica Medicina unum in opus collecta, citius, quem fieri poterit, utilibus animadverſionibus, ut unum Regnum ab altero diſcat, commentata, præloque commiſſa, cunctis pateat, & univerſis. Meretur Electoralis Ducatus tuus ſplendeſcere; ſed ipſe optarem, ut præſens medendi norma a Bavaricis Proceribus, & a te, M. Grunvualde, illuſtrata, in remotas gentes fuſa, a clinicis in ſanguinem uſque converteretur. Age ergo, nec ſinas hanc inſulatam, & ſolitariam cudi epiſtolam. Age, ut eadem tuæ perquam optatæ reſponſioni, & de patriis provincialibus morbis, in ſolo, quod Iſara luit, differenti, aut ſaltem ſummis labiis delibanti, nubat. Gemellæ prodeant. Decumanos primæ errores deleat ſecunda, imo tollat. Multum ſpero. Tua, quæ vidi, majora promittunt, nec virtus ſtat ſine comitate; de acquiſita benevolentia tua jam certus, & ſuperbus ſum. Hæc quippe noſtra, qualiacumque ſint, cum literarium quoddam ſpecimen repræſentent, teque ad publicum bonum incitent, diſplicere non poſſunt, dum offeruntur. Adeo non diſtat Monachium a Brixiana terra, quin literarum alternans viciſſitudo frequens eſſe poſſit. Si bibliotheca tua caret editis operibus noſtris, agam, ut ſaltem recentiora, tibi dono reddita, & ultimo in loco reponenda, proſtent tuis nutibus in urbe Tridentina. Si hærebis incertus, num me inter tuos ponere debeas, errabis. Volo te præcipitem in amplectenda neceſſitudine noſtra, quam novis officiorum vinculis ſemper magis confirmabo. Vale.

RA-

RATISBONA

LITHONTHRIPTICUM

IN ampla, & libera Vindelicię urbe, ad Danubium, ubi interdum Imperii Comitia fiunt, vegetat peculiaris planta (1), quam utiliſſimam deprædicant pro ſolvendo in renibus, vel veſica calculo. In Ephemeridibus Germanicis cent. 7. & 8. obſerva. 15. non pauci referuntur caſus oppido rari, curati fœliciter affectus, qui aliis lithonthripticis non ceſſerat. Portentifera planta eſt Botrys Mexicana, de qua ſcripſerunt, *Franciſcus Hernandez*, & *Gaſpar Bauhinus* in Appendice.

Num id verum eſſe poſſit, numque idipſum ſperare nos debeamus etiam ab eadem planta, undique in apricis, aliiſque Italiæ locis proveniente, repetita Praxæos experimenta conſulenda erunt.

BELGIUM

ILLUSTRISSIMO DOMINO

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

S. P. D.

JOANNES CHRISTOPHORUS RIEGER

EXoſculor humanitatem, qua me proſequeris ignotum tibi, Vir optime, & immeritum, in literis tuis 23 Aprilis mihi inſcriptis. Munus, quod mihi deſtinaſti, Hiſtorias Morborum, grato animo accipio, teſtimonium favoris tui perennaturum. Pari eas diligentia evolvam, qua tractavi limatas quatuor Diſſertationes tuas an. 1740 puplico donatas, in quarum lectione quid profecerim, judicabis poſthæc ex derivatis inde in meam Introductionem inſignioribus ornamentis. Dabo etiam operam, ut quod reſtat de labore meo, quamprimum typis excuſum fuerit, tibi reddatur, non quod virtute ac doctrina tua dignum, putem a me proficiſci poſſe munuſculum, ſed quia glorioſum duco, demonſtrare tibi animum meum. Perge favore tuo erga me, ejuſque magnum da, quæſo, hoc ſignum, ut libri infraſcripti, te jubente quantocyus deferantur Genevam ad Bibliopolam Henricum Albertum Goſſe, qui pretium perſolvet promptus. Propenſa, quam mihi ſignificaſti, voluntas me jubet audere, & ſperare quod hactenus per alios quæſivi fruſtra. Vale publico Scientiarum humanæque ſalutis emolumento, & me tuum puta.

Hagæ Comitum 18 Maii 1744.

1. *Academiæ Brixianæ Philo-Exotericorum Naturæ & Artis* acta. Brixiæ 1687. 8.*
2. *Tomus tertius Magiſterii Naturæ & Artis, Auctore Franciſco Tertio de Lanis, in folio.*

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO VIRO DOMINO

JOANNI CHRISTOPHORO RIEGER

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

LEGERE epiſtolam tuam 18. Maii datam & me arctiſſimis vinculis tibi obſtrictum devictumque fateri, unus fuit actus. Gratæ ſignificationes in eadem poſitæ, ſummuſque honor quo diſſertationes quatuor meas dignas reputaſti, ut aliquæ earundem notæ celeberrima tua in Introductione ſignarentur, ſingularia ſunt tuæ humanitatis teſtimonia, imo potius monumenta, quæ me amantem, anxiumque terrent, ne toto vitæ meæ corriculo tot mihi collatis beneficiis ſatisfacere poſſim. Quomodocumque tamen res ibit, illud unum velim intelligas, me quidem hominem minimum, toto ut ajunt cœlo, diſſitum, tibi, cui nihil magnum nihil ſplendidum deeſt, multa ea que ſingularia facta non eſſe præſtiturum, verum ſi voluntas mea, ſi animus, ſi deſiderium tibi coram in lance pendebunt, argues, imo ſtatues certo, cujus ſortis ſit novellus hic amicus tuus.

Optatos a te libros habui ſine pretio. Acta ſiquidem Academiæ Brixianæ Philexoticorum Naturæ, & Artis 1687 mihi dono data fuere ab egregio Viro Antonio Abbate Guelfi, qui cum, auſpice, & protectore Eminentiſſimo Principe Cardinali Quirino, ſummo Italicæ literaturæ ornamento, ad omnigenam librariæ ſupellectilis praxim perveniſſet, meque videret per bibliopolarum officinas deſperabundum, & curſitantem, libellum a te quæſitum reperit, & mihi favit. Tomum vero tertium Magiſterii Naturæ, & Artis Franciſci Tertio de Lanis cum uno volumine Hiſtoriarum mearum permutavi; jamque, ſuperaddito opere meo jam diu tibi promiſſo, quod hactenus ob occaſionum penuriam mandare non potui, colligata teneo, quantocyus curans, ut perveniant Genevam ad manus Henrici Alberti Goſſe; ſed ut tecum libere loquar, major interdum difficultas eſt libros mittere, quam reperire.

Hæc ſunt res parvæ, quas dum cogito, rubore verecundor, ſique relego limatam epiſtolam tuam, mihi videor cum fœnore agere, pro levidenſibus meis, futura politiora utiliaque tua promiſſa mihi opera videns; quibus nullam cariorem rem mihi pervenire poſſe facili negotio tibi ſuadebis, illico ac ſcias argumentum, quod nunc præ manibus habeo. Illud autem eſt præſens Practica totius fe-

(1) In Hortulo Joannis Adami Goritzii Ratisbonenſis.

re Europæ Medicina. Idcirco cum in Introductione tua, in notitiam rerum naturalium, & arte factarum, optimo ſane conſilio penſitata, plurima pateant, huic, vel illi provinciæ ſignanter aptabilia, colligere potes quanta lux ab ejuſdem lectione mihi corruſcare poſſit: tanta, ut, pede ſuſpenſo, mihi animadvertendum ſit, ne præterlapſis Rhetorices cancellis, in exiliumque miſſis eruditione, imitatione, contra inſtitutum meum, quod conſtat ex aliis ſcriptis, ad rapiendum cadam, agamque, ut jejuna nuditas mea encyclopædiacis tuis plumis conveſtiatur. Tam enim mihi arridet tuus diſſerendi, & ratiocinandi modus, tua ſtyli puritas, judicandi integritas, & delibandi ſelectus, ut non ambigerem, te in re Medico-literaria Hollandorum præſentium Coriphæum ſtatuere. Tu fortaſſe miraberis, atque ab encomiis alienus hos ſenſus deſpicies; ſed adhuc illud unum habe, hoc non eſſe laudare, ſed dicere veritatem.

Ad meos vero conatus iterum tranſeundo, apprime tu poſſes, arduum immenſumque a me ſumptum onus imminuere, & ad Hollandiam quod ſpectat, aliquod in epiſtola ſpecimen peculiaris inibi præſentis adhibitæ Medicinæ exhibere, aut circa endemicos morbos ab aere, aquis, locisque productos, aut circa aliquod nunc magis uſitatum remedium, quo animalis machina inſtauratur, ad vitamque reducitur.

Neque vero me tam audacem credas, tamque neceſſitudinis noſtræ terminos præterlabentem, ut rogem te, immenſa Kennemaniæ, Waterlandiæ, Goelandiæ, Vornanarum Inſularum, uno verbo, totius fœderatarum Provinciarum Belgii in Germania Inferiori, ſpatia percurrere, niſi cuncta, ſaltem non pauca, quæ in precipuis veſtris, Bataviſque urbibus in uſu ponuntur, referre. Hæ ſiquidem res ab amico, &, ut melius loquar, a Domino, inſignioribus ſtudiis ſuis intento, petendæ non ſunt. Sed ſat mihi erit, ut duobus, vel tribus pagellis peculiare aliquid ad Medicinam practicam faciens, de hoc tuo cœlo mihi explices.

Proſtant quidem multa, & quaſi dixero, innumerabilia documenta a celeberrimis Hominibus Hollandis in Archilycæis expoſita, non ſolum exactis ævis a Petro Foreſto, cum Lugduni in Academia primum condita cathedram conſcendit, a Joanne Antonide Vander Linden in Friſiana; dein in Lugdunenſi Schola, a Joanne Baptiſta Vanhelmont Bruccellenſi tot editis operibus optime notis; ſed etiam temporibus nobis magis proximis a Franciſco de le Boe Sylvio, Hermanno Boerrhaave, quem Hippocratem Belgicum aliquis diceret, aliiſque quam plurimis, ad quos enumerandos non epiſtola, ſed catalogus non ſufficiet. Sed hi omnes Rieger non ſunt, ab iiſdemque promanatæ doctrinæ editionem futuram meam ornare non poſſunt,

BRABANTIA

Scorbutum in Brabantia, cujus præcipue ſeptentrionalis pars veſtris Hollandis paret, ſævire Dolæus (1) auctor eſt. Quo morbo Itali minus frequenter vexantur, licet mari multis in locis proximi ſint. Suſcitantur quidem & apud nos ſalſuginoſi in ſanguine ichores, qui cutim maculis inquinant, gingivarum eroſiones producunt, doloreſque pariunt in articulis. De qua re quamvis illico vulgares Medici ſcorbutum crepent, & domos ægrotorum cum ſuis Parentibus ſubvertant, revera Danicus morbus non eſt; cum raro ad ulteriora procedat, & remediis vincatur. Præcipue ſi mittantur ſpecifica, ſoliſque diluentibus, & ſanguinem dulcificantibus opus ſuſcipiatur. In hoc noſtro cogitato, ab experimentis deſumpto, nolo te morari, ſperans fore ut majora, ſupremo favente Numine, videas, & fortaſſe tuo ingenio quadrantia, ut ſubolet ex aureo tuo Opere (2), dum de Acetoſa tractas, & cum Bartholino cochleariam eſſe corrigendam doces.

LOVANIUM

Quoniam de Belgio loquimur, & in Brabantia ſumus, tibi ſilere nolo, vidiſſe in Venetis Actis mentionem duorum Operum nuper cuſorum. Primum ab Henrico Joſepho Rega (3) in Univerſitate Lovanienſi Medicinæ Profeſſore; quo Aphoriſticis dictatis, *rationibus*, & *experientia* comprobatis, multa ad Pathologiam, & Therapeiam ſpectantia producit. Arduum utique tamen eſt ſumptum onus probandi ab humoribus *immaterialibus*, & *incorporeis* morbos pendere, quod de ſolo ſpiritu a nemine viſo verificari poteſt. Quamvis diverſi effectus, qui a diverſis ſpiritibus proveniunt, propoſitionem etiam hanc redarguant, cum diverſa qualitas requirat diverſam exiſtentiam, & exiſtentia per prima principia, & atomos explicetur, quę licet inviſibiles, tamen aderunt, & viderentur fortaſſe, ſi cryſtallorum arte oculi magis armati ad ulteriora procederent. Docti alioquin Auctoris propoſitiones confirmando, reſpectu quod ſectiones Anatomicæ non ſemper pandant, quæ fuerit morbi, lychnucum extinguentis, cauſa: potiſſimum ſi in fluidis meditabatur.

Alterum continet Inſtitutiones Medicas, Auctore Gervaſio Auguſtino de Villers (4), pariter in Univerſitate Lovanienſi Regio Profeſſore: cujus ſolertia laudanda eſt, verſans præcipue in præſervando homine, ne ægrotet. Num vero omnia in omni regione accipienda ſint, decernent, qui ſanum habent in Medica facultate ſinciput. Peculiaria fortaſſe Lovanienſis Provinciæ vina ſulphure, phlegmate, & tartaro, abſque proportionato æquilibrio, prægnantia fecerunt, uti Vir Clariſſimus in eadem inveheret. Ceterum utinam, ut doctiſſimus

(1) Pag. 149.
(2) Tomo primo pag. 39.
(3) Typis Martini van-Overbeke.
(4) Iiſdem Lovanienſibus Typis.

mus Villers, in ſua quiſque regione Medici ſuorum concivium valetudini, & præſervationi vigilarent, quodque diętema inſtituendum ſit, in apertum proferrent.

AMSTELODAMUM

Multa ſibi promittere a chalybis uſu Medicos Amſtelodamenſes, apprime elucet in libello ſingulari, quem Theodorus van-Zelſt Medicus ibi celebris produxit, dum multorum annorum cholicam, podagramque, ſcorbuticum virus ſimulantem, martis tinctura curatam ait. Adderem libenter ego, felicem hanc ſortem contigiſſe; quia mulier, & adoleſcens erat; tantaque in hominibus ægrotis ſperanda non eſſe. Mars eſt anchora in curandis mulierum morbis, vel quia inſita in omni glandularum genere obſtacula removeat, vel quia uteri camerinæ ſpecificum ſit, vel quia ſecundum Anglorum documenta ſpiritus adaugeat. Magiſque proderit idem chalybs, ſi executioni mandabuntur monita circa motum, ſomnum, & vigilias, quæ in eademmet urbe Profeſſor Medicinæ Ordinarius Joannes de Gorter ſumma cum eruditione interpretatus eſt.

NEOMAGUS

Ubi de Dyſenteria bilioſo-contagioſa anni 1736.

Dyſentericam, contagioſamque luem ſæviiſſe in Geldriæ Provincia, præcipueque in ejuſdem metropoli Neomago, habemus ab incomparabili diligentiſſimo Archiatro Joanne Hartmanno Degnero Academiæ Cæſareæ naturæ Curioſorum Collega, qui conſtitutionem epidemicam anno 1736 graſſatam, optimo ordine aptatiſque notis commentatus eſt adeo, ut Hippocrati, & Sydenhamio pene ſimilis, de regionibus a Vahali fluvio rigatis, deque toto unito Belgio veſtro plurimum meritus ſit.

Quadam ſiquidem fatali temporum conſtitutione, & ſuperiorum phaſium recurſu, iidem morbi invaleſcunt, & redeunt. Ideo facta majorum, exactorumque Medicorum tranſeunt apud Recentiores in legem. Idcirco Belgicus etiam Degnerus, cum vidiſſet dyſentericum morbum noxias eundo vires acquirentem, illico cogitavit & animadvertit, quid Celeberrimus olim Vir Iſbrandus Diemerbroekius in Geldria executioni mandaverit, & in Ultrajectina Academia docuerit; quidque factum in Ducatu Clivenſi, quando anno 1702 dyſenteria caſtrenſis graſſabatur, ut hinc antenatorum Belgarum periculis præſentes diſcerent, & felicius convaleſcerent.

Illius verba hæc ſunt: *Certe ſi Medici obſervationes, & annales hiſtoricos diligentius conſcriberent, & de iis caſibus, qui annuatim ipſis offeruntur, & præſertim quemlibet morborum epidemicorum, & contagioſorum ſtatum ſcriptis accuratius notarent, non poſſet fieri, quin idcirco morboſarum cauſarum cognitio, & firmior medendi methodus inde emergeret.*

De hæſitatione Medicorum Neomagenſium, num morbus vere eſſet diarrhæa, vel dyſenteria, quodque æſtivo tempore invaleſceret, & brevi ultra urbem dominam, ultraque Vahalim remotos etiam vicos afflaverit, non admiror, multoque minus ſi exteri occaſione nundinarum, aut alia de cauſa Neomagum accedentes ad Moſellam, Graviam, Arenacum, noxium contagioſum virus exportaverint; quandoquidem illorum miaſma exedens malignum, arſenicale, &, ut cum Degnero loquar, admodum volatile eſt, & principiis ſubtiliſſimis, penetrantiſſimis conflatum, quæ facillime corpora ſana ſubeunt, & inquinant; ut confirmat etiam minus periculum, quod expertæ ſunt plateæ, & domus ab aquilone perflatæ, & a Vahali fluvio lotæ, ubi expatians, difflanſque aer malignos vapores, & dyſentericum ſeminium diſſipavit.

Bilis exitus morbi ſolutio

Laus danda eſt veteribus, in omni morbo nihil magis, quam bilem crepantibus. Velimus nolimus, mi Rieger, poſt tot inventa, poſtque tot etiam tuorum Hollandorum in Medico curſu promerita, eandem dictionem nos quoque paſſim in bene multis morbis recanere debemus, illique tantum aut corrigendæ, aut evacuandæ noſtras indicationes dirigere. Vidiſti jam ante me, quæ ſedulus tuus Belga obſervator Degnerus dixit. Ab exeunte, vel ſponte, vel arte, bilioſo ichore ægri convaleſcebant.

Galli, et Judæi præſervati

Potius quod me rapit, illud eſt, in tota *Gallica natione* promiſcue inhabitantes ſolos duos ſenes ægrotaſſe, & Judæorum neminem periiſſe; quod in diverſo aere eſſet facillimum, in eodem rarum; quodque ſuppoſitam contagii ideam infirmare videtur, ſi ſoli exteri, ut (ab ipſo Degnero (1) diximus) hoſpites in longinquas regiones morbum exportarunt. In eodem quippe ſitu vivendi norma eſſe non poteſt adeo diſſimilis, ut ratione commercii, annonæ, vinorum, fructuum, aeris, aquarum, & quidquid in humanam eſcam ſanguinemque vertitur, pari lege humores inſiti non fermenteſcant, & corrumpantur. Tantamque ſanguinis, & reliquorum humorum ſimilitudinem in millenis diverſarum, & a ſe invicem remotarum regionum, diſſimilibus hominibus ipſe vidi, ut difficillimum probare ſit, quomodo pares cauſæ pariter in quaſi ſimili ſubjecto non agant. Sed epiſtola dirimendis quæſtionibus apta non eſt, contraque factum, a Clariſſimo Auctore expoſitum, piaculum eſt loqui, multo magis ire.

(1) Pag. 8. & 9.

Dyſenteriam contagioſam Belgicus curandi modus

De adhibenda pro curatione dyſenteriæ ipecachuanna, multis non inſtamus; de hac enim alibi in hoc opere diximus. Ad rhabarbarum quod ſpectat, multa eſſent dicenda, & bilem morbi in cauſa eſſe; & humores acerrimos, tumultuantes, erodentes, irritantes eſſe exturbandos, nemo eſt qui non intelligat, quique in omni ſchola non clamet. Sed audeo animadvertere, Rheon eſſe vellicans, & ſtimulantis naturæ, frequens dolorum productivum; ſique in onerata doſi exhibitum, ipſis ſanguinis venulis non eſſe parciturum. Quare ad augenda inteſtinalis tubi irritamenta, & paſſiones aptum natum eſt; ideo res plena periculi. Demptiſque circumſtantiis principii morbi, humorumque plenitudinis, nos in Italico-Brixiano ſolo potius ab illo abſtinemus; totumque curationis cardinem in ſolvendis humoribus, in invaginandis ſalibus, pacandoque ſpiritu ponendum eſſe contendimus; & quia ſtudiorum noſtrorum præfixa meta eſt, ut, quid de alienis in medendo uſibus excerpendum, in medium ponatur, per conſequens parcere debebunt Neomagenſes Germaniæ inferioris Medici, interque ipſos Clariſſimus Archiater Degnerus, ſi illorum uſus Brixiæ procliviter non accipitur, & pro ſuſpecto relinquitur.

Simaruba, ſalab, caſcarilla

Cortex arboris Cayennæ, ſimaruba dictus, & ſalab, ideſt orchis perſica, pro curatione dyſenteriæ, aut alterius morbi a Brixianis Medicis non adhibetur. Quando tamen primus Antiquorum Maceri (1) ſubſtituatur, & de illius exiſtentia legitima dubitandum ſit, non minus ob pharmacopolarum artem, quam diverſam illius formam, ſi Amſtelodamenſis a Pariſienſi differebat, neſcio quomodo tutæ utilitates, & miracula expectari poſſint. Videantur ergo Commentarii Academiæ Regiæ Scientiarum, illiſque hac in re præſtetur illa fides, quam quiſque velit.

Idem dicendum de orchide Perſica *Salab*, quæ ſi ſatyrionis ſpecies eſt, quiſque videt quantum ſtimuli in ſe contineat.

Caſcarilla denique etiam apud nos in uſu eſt, & chinæchinæ ſubſtituitur pro fugandis febrium paroxyſmis, non vero pro extinguenda dyſenteria, ſed pro primo ſcopo ipſe a Peruviano cortice non diſcedo.

Aliud remedium pro curatione Dyſenteriæ

Inſignis exacti ſæculi Medicus Belgicus Zirizæus Levinus Lemnius ait: *Oſſa humana dyſentericis ex vino rubro exhibita fluxum ſanguinolentum cohibere adſtrictoria ratione.*

Stercoratio agrorum inſalubris

Quoniam de Zelando Scriptore veſtro ſermo eſt, ſine, quæſo, doctiſſime Rieger, ut aliquid ſubdam de ſuo cogitato, Heſiodi tamen documentis innixo; ſuſpectum prædicandi aerem, & moram, ubi agri multo fimo colantur. Quam rem & ego alias cogitavi; videns, ut ipſe tangis, vina, ſegetes, fructus, multoſque alios terræ proventus, & animalia ipſa minus durabilia. Quæ omnia cum aere nutriantur, homini quodammodo aſſimilentur, & in illius uſum cedant, non poteſt quin illum reddant ſuæ naturæ brevi perituræ participem. Hoc meretur, ut in ſua regione doctæ mentes adlaborent, & populorum præſervationibus conſulant. Difficillimum quippe eſt, in arte noſtra vincere morbos ab aere, & ab omni eduliorum genere productos, ob morboſas cauſas intus cum ſanguine compenetratas, adhucque, dum curare intendimus, perſeverantes. Nihilo tamen minus quamvis argumentum hoc ponderet ſuper animum noſtrum, ſperarem poſſe utiliter dividi, & circumſcribi, & autumarem quidem in apricis locis, & collibus, meridionalibus radiis exporrectis, ut orientalis & occidentalis, proindeque fœlix pars eſt Brixiani agri noſtri, jugi montium catena aquilonem impediente, perflare facilius aerem illum ſubtilem, æthereum, elaſticum, particulis plerumque ſiccis refertum, de quo loquitur immortalis famæ Vir Medicus Romanus Lanciſius, quique humanam juvat incolumitatem. Sed neque excluderem a ſalubritate loca ſtercorationibus ſollicitata, dummodo fimeta in viis, & pone domus jugi præſentia inſpirationem non inquinent, omnes agri nimis ſint in humili, corruptæ accedant aquæ, & lacunæ, proximæque interſint oryzarum ſationes, vel lini macerationes, poſituſque loci, ob proceres arbores, aut alia de cauſa a ſalubribus provincialibus non perfletur, aut tanta denique ſit vivendi mollities, lac abundans, vinorum penuria, aut ſuilla, ſit verbo venia, vivendi quies, ideo humores in corpore ſtagnare, quieſcere, ſolida extendere, & laxare, uno denique verbo corrumpi debeant. Quibus omnibus cauſis aliiſque bene multis conſpirantibus, cum Belgico tuo Scriptore eſſem, & timerem ſtercoratum cœnoſum eſſe pertimeſcendum.

Sed quando ſupradicta non aderunt, cultique & boni agri a perfecto aere, a fluentibus aquis, a favorabili ſolis facie luſtrabuntur, gaudiales etiam cum incolumitate evadent.

LUGDUNUM BATAVORUM

Mihi carum erit ſcire, num Botanicum opus Auctore

(1) Macer neque vix adhibetur in dyſenteriis, quia calidus, & ſecundum Galenum, acerbus. Videantur, quæ de ipſo ſcripſit Plinius Lib. 12. c. 8. lib. 7. Simpli. & inter recentiores Clariſſimus Venetus Vir Joannes Baptiſta Capello in Lexico Farmacevtico-Chymico, pag. 413.

ctore Carolo Linnæo ad umbilicum perductum ſit; numque in eodem proſtent ære inciſi ichones plantarum, deque illis editionibus Artem Medicam ditantibus ſit, quæ mereantur in longinquas regiones traduci.

Dices: Roncalle mi, hæc omnia tumultuarie a te conſarcinata, quæ pro familiari epiſtola tam longa ſunt, ne hilum quidem tangunt gloriam, merita, utilitates Hollando-Belgicæ Medicinæ. Reſpondeo, & ut ſcholaſtici ajunt, concedo totum. Tu aliquid aptius reſcribe. Sic mea minus claudicabunt, erigenturque. Vale.

Brixiæ 10 Septembris 1744.

PARAGRAPHUS

EXCERPTUS AB EPISTOLA, HAGÆ COMITUM DATA, CELEBERRIMI RIEGER, ET AUCTORI MISSA, CIRCA MEDICINAM HOLLANDICAM

AD Hollandos quod attinet, inter quos jam dego, non autem exerceo artem; notum eſt, quod unus fere eos præ aliis nationibus exerceat morbus endemius ſcorbutus dictus, ab inquinato putidis ſtagnantium aquarum vaporibus aere. Applicatus corporibus hic aer ut ſolida laxat, ita minus reſiſtentia efficit eadem ingreſſui humidi machinæ noſtræ noxam inferentis, humores ejus imbuendo inquilinos, qua illi continentia vaſa, maxime minima, rodunt, &, pedetentim creſcente malo, factis paſſim obſtructionibus, corruptionem creant in humoribus illam, a qua pendent ſymptomata varia a Boerhaavio in aphor. deſcripta. Quia admiſſa eſt tantum non omnibus, ut opinor, Batavorum morbis labes ſcorbutica, bono cum ſucceſſu ægrotorum, Medici hujus regionis frequenti in uſu habent, medicamenta balſamica, gummoſa, quibus ſolvunt obſtructa, pugnant adverſus corruptionem putrefactivam, & ſimul roborant ſolida, quò ita promoveatur perſpiratio, & liberetur corpus ab inquinamentis peregrinis. Hinc Pilulæ ex dictis cum addito cortice Peruiano, & mixtura ex aquis & ſpiritibus plantarum aromaticarum cochleatim ſumenda, familiares ſunt clinicis juxta methodum Boerhaavii curantibus. Noto, quod multorum mos, quotidie juſto largius infuſa Thee & Cafe bibentium & vitam ſedentariam agentium, carnibus fumo duratis ſuillis veſcentium, ſuadeat inprimis balſamica, roborantia. In aliis morbis, chronicis & acutis, præcepta ſequuntur medici, qua a Boerhaavio hauſerant fere omnes. In extrahendo per venæ ſectiones ſanguine haud pauci, more fere Gallorum, ſunt liberales; ut rariſſimos hic reperiret αἱμοβόρας *ſi nunc viveret Guido Patinus. Quin ſunt, qui haud verentur infantulis ſecare venam, etiam erumpentibus jam variolis, felicemque ſortiuntur effectum. Morbi, qui viſuntur inflammationi, debentur ſæpiſſime ſuſcepto frigori in calefacto corpore, temperie aeris æquabili vix integrum diem durante.*

HARLEMUM

AB Harlemo urbe Batavorum maxima, ad amnem Sparam ſita, quæ ſub Archiepiſcopo Trajectenſi floret, & ubi, ſi aliquibus fides adhibenda eſſet, Typographica ars primum excogitata fuit, illud unum ad rem noſtram excerpere poſſumus, quod utiliſſimum & expertum docuit Joannes Woenſel circa curandam Podagram, ope admoti vivi canis, qui guttariam abſorbeat, & ejulatibus plenus hominem liberet. Veneror Annemanni, Paulini (1) Levini Lemnii (2) Camerarii (3) Choeffelii (4) erudita, proque probando hoc aſſerto aptiſſima, teſtimonia, neque contra relatam a Clariſſimo Harlemenſi Profeſſore Woenſel Hiſtoriam ſurgerem. Factis aſſuetum ſum acquieſcere. Sed una hirundo non facit ver, & facta frequentiora, non raro ſuadent. Utinam hominum morbi in animalia poſſent tranſplantari. Quæ circumferuntur de curis ſympatheticis, unguento armario, pulvere ſympathetico Dygmæi, magnetica vulneris curatione Helmontii, atramento Jacobi le Mortii, vel ſunt diabolicæ & illicitę vanitates, vel nugæ, & res frivolæ. Quamvis non negarem, aliquando etiam poſſe furentem proximum catellum tranſpirationem in proximo decumbente homine promovere, & exeuntia noxia efluvia corporis abſorbere, ne iterum noceant. Id tamen mechanice admittimus, & raro.

MORBUS IN HOLLANDIA FREQUENS

NUllibi viſuntur lumbrici lati, miramque in longitudinem producti, ut in Hollandia, rationemque reddit Baglivus. Nimirum multiplex & fræquens lacticiniorum proventus, & uſus, ob quem in inteſtinis optimum pabulum paratur. Sed hoc non ſufficit: verum potius de ovulo diſquirendum eſt. Obiter hic pateant, & repetantur, quæ doctus Italus ſcriptum reliquit (5) nempe: *Præſtantius pharmacum contra lumbricos ſobrietate non datur.*

PLANTÆ IN HOLLANDIA VEGETANTES

DEſcribuntur fere omnes ab Herbariæ rei peritiſſimo F. Commellino Senatore Amſtelodamenſi ampliſſimo, & præcipue illæ, quæ utiliter adhiberi conſueverunt. Libellus quippe mole exiguus, ſed utilitate maximus etiam Lugduni Batavorum anno 1709. recuſus eſt.

FLAN-

(1) In Cynographia Sect. III. Cap. 1.
(2) De occultis Naturæ Miraculis lib. II. Cap. XIII.
(3) In ſylloge memorabilium Medicinæ Cent. XVI.
(4) In Miſcellaneis Naturæ Curios.
(5) In Epiſtola ad Nicolaum Andry pag. 457.

FLANDRIA

ALEARUM LUDUS

AB Ecoloniano Flandrio (1) Viro, Paſchaſio Juſto aleatores diſcant, quomodo ſe gerere debeant, ut exulet ludendi vitium, ſeque liberent a morbo, qui vitam lædit, & patrimonia abire facit. Utque facilius Patres familias bono filiorum ſuorum intenti utiliſſimum adeo libellum ſibi ſollicitare poſſint, hic additur frons ejus, quæ ſic eſt.

Alea, ſive, de curanda ludendi in pecuniam cupiditate Libri duo. Priore planaque methodo omnis graviſſimæ, & ignotæ uſque ad hoc tempus affectionis natura, cauſæ, & effectus, tanquam immanis, & ſævi alicujus morbi explicantur. Altero, qua potiſſimum curatione adhibita inſatiabilis flagitioſaque cupiditas evelli ex graviter ægrotantium animis poſſit, explanatur, tum ſi contumax erit, qua ratione ſe domari, & comprimi queat, edocetur. Baſileæ apud Johannem Oporinum.

BELGARUM

NONNULLA REMEDIA

AD MOTUS FEBRILES COMPESCENDOS

ESSENTIA gentianæ rubræ, caſcarillæ, lapides cancrorum, antimonium diaphoreticum.

AD SPASMOS ABDOMINIS

Emplaſtrum ſaponis cum camphora, theriaca, cruſtra panis, vino rubro, nuce moſchata.

PACATIVA

Pilulæ de cynogloſſa, ſyrupum papaveris albi, ellectuarium, diſcardeon Fracaſtorei.

BOHEMIA

Illuſtri Magnifico Viro

CO: FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

S. P. D.

JOANNES IGNATIUS DE MAYERSBACH

S. Regiæ *Majeſtatis Conſiliarius, & Perſonæ Medicus in Univerſitate Carolo-Ferdinandea Aphor: Hipocr: Prim. Profeſſor* Regius *Publicus, ac Ordinarius ejuſd. Excell: Facultatis Medicæ Senior & Decanus.*

MAgni tui Operis intentionem tanti, quanti ingenium, admirari cogor, exoptans, omnis Populi, imo Europæ Medicinam comprehendere ſatagis? in minimo fere angulo Scriptor. Metuo illud: Chi più abbraccia, meno ſtringe, *vel magis, dum ipſe Hippocrates in ſuo Territorio Medicinam exercens, & defectum agnoſcens imo Aphoriſmo difficultatem pro memoria reliquit. Quid igitur optes, adhuc ignoro. Non alia hic nobis Praxis eſt, ac vobis, ita nuper elegantiſſimum Roſetti Viennæ obtinui, Virum celeberrimum, utinam, & plures Italiæ editiones nobis advenirent. Nos in Cathedra inſtitutiſtica Boerhavv, & Mechanicam experimentalem, Botanicam Tournefortii, Pontedere, in Anatom: Winslovii & Heiſterum, in Praxi Weinharti modum per paragraphos moderna methodo tradimus, publice explicando, non dictando, examinando, repetendo Auditores per quadriennium ſolide urgemus, ex Anatomicis ſigna morbi, & fomitem partis affectæ quærimus; ſolidas deſuper formantes indicationes, & illi conveniens indicatum, ſelectum, pro tempore morbi applicamus, & materiam Medicam ex univerſo creatoris fundo deſumimus nullis differentibus morbis hic laboramus non viſis mihi ante 34 annos in Italia: an Theſes cupis an Themata Actorum publicorum, ignoro, impera, & pari conari ſervitio amplectere, & vale.*

Raptim dabam 17 Martii 1745 Pragæ Metropolis Regiæ.

ILLUSTRI ET CLARISSIMO VIRO

JOANNI IGNATIO DE MAYERSBACH

Regiæ Majeſtatis Conſiliario, & Perſonæ Medico in Univerſitate Carolo-Ferdinandea Aphoris: Hippocr. Primario Profeſſori Regio Publico, ac Ordinario ejuſdem Excellentiſſimæ Facultatis Medicæ Seniori, & Decano

COMES FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

Bononienſis Academiæ Inſtituti Scientiarum Socius, & in Patria Brixiæ urbe Collegii Nobilium Medicorum Prior.

S. P. D.

EPISTOLAM tuam, decima ſeptima Martii Pragæ datam, atque ab egregio Viro Placido Gialdi amico noſtro tranſmiſſam, promptiſſime accepi. Gratias ago ob mihi breviter in eadem prænunciatam, Bohemi hujus tui cœli Practicam Medicinam Boherravii, Tournefortii, Pontederæ, Winslovii, Heiſteri, & Weinharti documentis innixam, in quo hallucinari erit difficillimum, ſi illis ducibus, facemque præferentibus, te vero interpretante, res ibit, quod felix fauſtumque cedat in Marcomannæ, nunc Bohemæ juventutis emolumentum.

Majores inſuper gratias, quas faxint ſuperi, ut ſolve-

(1) Ideoque hac in parte poſito.

ſolvere poſſim, tibi debeo, de paterna admonitione, quam mihi dirigis, quamque rationabiliter deſumis ab argumenti amplitudine, & a levidenſibus viribus meis, illud Italicum adagium mihi obtrudendo: *chi più abbraccia, meno ſtringe*. Sique veritatem ſcire vis, ampliſſime Mayersbach, ab inchoato opere illud idem ſemper fuit, & eſt ante oculos. Jam ſcis, quomodo mens hominum evolet in ſuſcipiendis rebus, & quomodo ad magna inclinet; hinc ſummo cum ardore elucubratus ſum, ut ſaltem minus diſplicerem, & ad poſtrema detegenda celeberrimorum hominum inventa, & enucleandas aliarum Provinciarum doctrinas, animum calamumque converti, ratus, molimen noſtrum gratum acceptumque futurum, ſaltem illis hominibus, qui lecturi ſunt animo illo, quo nos & alia, & præſentia producimus. Quia tamen in moroſa hujus noſtri ſæculi felicitate, & in tam exquiſito præſentium literarum apparatu, nonniſi optima queque, atque elaborata placent, provide cogitavi, num futurum opus, quia meum, mutilum, & mancum, in aliqua certitudine omnibus placendi poneretur, ſi aliunde a regionibus præcipuis ornamenta adſciſcerentur, multorumque Europæ in Medicis doctrinis Sapientum ſcriptis, & auctoritate firmatum adauctumque, invidiam maledicarum linguarum amplius formidare non poſſet: cui nunc inſudo, quodque in dies ſemper magis promoveo. Hinc mihi videor partim auctor, partim collector. Timorem de meis diſſipant aliena, quæ animum noſtrum erigunt, & in tacito quodam fiduciæ, & oblectamenti ſenſu confirmant.

Illud unum in tua epiſtola ægre fero, nempe quod ego ſim *in minimo fere angulo Scriptor*. Heu Profeſſor venerande, quid unquam ais? Ergone Italia, Venetus Status, atque adeo urbs Brixia in eodem florens, dicenda erunt terræ angulus? An neſcis, Brixiam Cenomanorum fuiſſe caput, & Romanorum Coloniam? An neſcis, Brixiam dediſſe cœlo laureata Martyrum agmina, Romæ purpuratos Antiſtites, veſtris Germaniæ Imperatoribus ſtrenuos exercituum duces, totique terrarum orbi Scriptores celeberrimos (1). An neſcis, Brixiam, & non adeo diſſitum Patavium eſſe ſorores, primamque ſecundæ ad inſtituendam in bonis artibus juventutem tradere, ſecundam primæ doctam remittere adeo, ut dein multoties, ſummis Venetæ Reipublicæ viris Principibus auſpicibus, & mandantibus, in illuſtris Archilycæi primariis ſubſeliis ſedentem, & docentem orbis veneraverit? Patavino inquam illo in Archilycæo, ad quod bene multi Bohemi veſtri accedunt, ut medica rudimenta diſcant, & virtutis meſſem in patriam ſuam exportent. Interroga illos, qua de cauſa aliquid ſciant, & quis nam fuerit illorum Magiſter? Sique id ignorant, dic illis, dic tibi fuiſſe Lealem Leali, Joannem Baptiſtam Mazinum, & Nobilem Jacobum Scopulum, Brixianos omnes, noſtro hic in angulo natos, qui illos docuerunt.

Interroga epulas magnificentiſſimas, & ſolemnes Germaniæ totius, cuinam debeant limonia rara ſuccoſaque, quorum adeo amans eſt natio illa, & reſpondebunt rei familiaris curatores, meliora non aliunde provenire, quam a Salodienſi Benaci lacus riperia, ubi abunde progerminant, & ab hoc tantum proventu, multis Regnis atque Provinciis denegato, arguere potes hujus climatis temperiem.

Tibi non recino noſtram hanc terram perpetua montium catena a borealibus afflatibus defenſam, a perennibus rigatam aquis, a Solis facie lætificatam, omniumque vegetabilium, animantium, & reddituum divitem, & cujuſvis mercimonii, plenam. Adeo ut ſerica, lina, grana, vina in exceſſu ſuperabundent, quæ proximis, & remotis jejunis provinciis ſuppeditantur. Tibi non refero abundanti vena divites mineras, immenſam quotannis bellicorum tormentorum pro exteris Principibus fabrefactam ſtruem, ſalientes undique in urbe fontanas aquas, publica & privata magnifica ædificia, Bibliothecas bene multas, variis voluminibus, & codicibus integratas, ad quas indeſinenter Acta omnia literaria Regiarum in Europa urbium, puta Angliæ, Franciæ, Daniæ, Pruſſiæ, Hollandiæ, Italiæ, tuæque Germaniæ adferuntur, populorum frequentiam in pacis otio, ubi muſæ nidulantur, quieſcentem, & quidquid aliud urbem beare poteſt; quandoquidem hęc omnia ab aliis Scriptoribus conſtabunt, & tibi ſuadebunt in non adeo ſtricti anguli cancellis regionem noſtram poſitam eſſe.

Ad literatos, & bonarum artium amatores, recentes, & Brixianos viventes quod ſpectat, vidiſtine opera Pauli Canonici Galeardi, Nobilis Comitis Joannis Mariæ Mazzuchelli, admodum Reverendi Patris Fortunati a Brixia Ord. Min. Reform., & in Brixiana Academia publ. Matheſeos, & naturalis Philoſophiæ Profeſſoris, Caſti Innocentis Anſaldi Ordinis Prædicatorum, Joannis Baptiſtæ Mazini Medici præſtantiſſimi? ſed quid adhuc? ſola ſuſpice Opera ſummi Viri Cardinalis Angeli Mariæ Quirini, & in illorum molem, varietatem, & omnigenam literaturam, tanquam in ſpeculum, te intueri non pigeat. Illa illa, inquam, omnia, a quibus totus diſcit Orbis, hoc in angulo elucubrata ſunt, & poſtquam præſtantiam, doctrinam, & univerſam denique encyclopediam in Eminentiſſimo Auctore Principe eris admiratus, poſtque fixos oculos in *Specimine variæ literaturæ illuſtrium Brixiæ Virorum*, excipe quæſo *Sanctorum Brixianorum Patrum* volumen anno 1738 editum typis Rizzardianis; fac mihi, licet immerenti, hunc favorem, & honorem, excipe *Diſſertationes Quatuor* meas anno 1740. typis Vendramenis cuſas, adde demum *Hiſtorias* (in cujus Præfatione multos videbis memoratos Brixianos Scriptores, Brixianaſque Antiquas Academias (2)) *Morborum*

excelſis

(1) Vide Acta nova Eruditorum Lipſiæ Menſis Novembris 1744. pag. 648.

(2) De quibus etiam Hollandus celleberrimus Scriptor Joannes Chriſtophorus Rieger in introductione ad notitiam Rerum naturalium, & artefactarum locutus eſt. In Præfatione.

excelſis Polonis, Saxoniſque Monarchis a nobis ſacratas, publico, cudente Joanne Baptiſta Boſino 1741 in folio maximo, donatas. Et proinde, quæſo iterum, conferas hos tres libros, a diverſis, ut vides, impreſſoribus Brixiæ productos, cum illis qui Pragæ, ab Orbe condito, aut, ut melius loquar, a prælo invento uſque in præſens, publici juris facti ſunt; percupio quippe ſcire num noſtri ad elegantiam, & pulchritudinem librorum Bohemorum perveniant.

Nimis anguſti ſunt epiſtolæ limites, nimis juſtum amplumque argumentum, ut hinc duobus hiſce contrariis ſatisfieri poſſit. Tamen duo adhuc puncta mittere nolo, & quidem unum Medicum, aliud Geographicum.

Primum, ſupremo favente Numine ita conſtituta eſt regio noſtra, ut a celeberrimis Academiis nec adeo diſſitis undequaque circundemur. Vides Florentinam, Bononienſem, cui me cooptatum voluere, cuique in gratiarum actionem Diſſertationes meæ dicatæ ſunt; Ticinenſem (mihi credas, Academiis Germanis non invident, nec totus Orbis Pragæ eſt), Taurinenſem, Piſanam, Mantuanam, Mediolanenſem, Romanam, Senenſem, Ferrarienſem, multaſque alias in Italia conſpicuas (1). Non omnes Brixiani ad Patavinam, quæ in primario apud nos flore eſt, tendunt, ſed hic unam alter alteram ex ſupradictis ſeligit. Hinc quoties in urbe noſtra celebrantur Academici congreſſus, vel conſultationes ægrotorum ergo, præconcepta a variis, & illuſtribus Academiis dogmata ventilantur, ita ut uno in cubiculo, præcipue quando ego abſum, Apollinea ars ſuam ſedem habere videatur.

Secundum, optarem ut legeres opus non ita pridem productum a Marco Antonio Cazzaiti, qui pagina 93 ſic loquitur: *Siccome l'Europa in riguardo alli altri Paeſi vien ſtimata il giardino del mondo, così l'Italia viene creduta il giardin dell'Europa, e la ſua parte ſuperiore, e la Lombardia il giardin dell' Italia*. Ergo non pulchræ regioni Brixianæ noſtræ, quæ in Europæ Meridionalis medio ſita eſt, illud verbum *angulo* aptare debes, & neque etiam Regiæ tuæ Provinciæ, licet ad noſtrum ſeptentrionem ſitæ; ſed illud amandare ad Antipodas, aut ad illos qui in petroſa Lydia, aut inter Polares, vel ſub Arctico vivunt. Sed jam animadverto, te illudendo, & ridendo id ſcripſiſſe, atque etiam ut experimentum de me faceres, an emunctæ naris ſim. Omnia itaque tranſeant, cum licitum imo debitum unicuique ſit pugnare pro patria ſua. Sed ſemper inter veritatis limites, a qua ſi aberravi, & te & alios admonitores patientiſſime tolerabo.

Aliquam inſuper admirationem nobis intulit effatum illud tuum: *Non alia hic nobis Praxis eſt ac vobis*. Quod accommodari nequit climatis diverſitati; latitudo quippe ſeptentrionalis Bohema a gradibus 45 ad 55 extenditur; noſtra vero a 37 ad 46. Quare vos videtis in frigidiori climate conſtitutos: hinc diverſa temperies, diverſum cibi genus, conſtellationum vires, phaſium influxus, & mutata omnia, ex quo oritur, & remedia non eſſe nec in eadem quantitate, nec in qualitate adminiſtranda.

De cetero Bohemam Brixianamque Medicinam nunc cogitans, ſupernam Providentiam veneratus ſum, quæ utrique, adeo diſſitæ regioni paria, aut parum diſſimilia remedia clementiſſime conceſſit. Sic v. gr. quando ſedes promovendæ, infartus tollendi, & viſcera expianda ſunt, ſi vos adhibetis Egranas (2) aut Sedlicenſes minerales (3) aquas ſale amaro pollentes, nos utimur Bogiarianis Darfienſibus, de quibus multa jam commentati ſumus. (4) Bohemicis Kukuſſentibus (5) ſimiles ſunt noſtræ Hirmenſes (6) pro obſtructionibus reſerandis, & juvandis veſicæ, & renum affectibus aptiſſimæ. Cognatæ ſunt Teplicenſes veſtræ Thermæ Comitibus de Clari ſubjectæ, de quibus tam docte ſcripſit Chriſtianus Henricus Erndtelius (7), & noſtræ Milzanelli *della Bagata*: in ambabus quippe *ſulphur*, & *bitumen*, ut idem Auctor Archiater olim Regis Poloniæ, & nos in relato de Aquis Brixianis opere diximus. Hinc optimæ in exſiccata fibra, macie, morbis pectoris, & ad tabem properantibus. Differunt tamen in hoc, quod noſtræ calentes non ſunt, ſed quantumvis pares ſint, tamen aut ante, aut in illarum curriculo, & æſtiva potatione, ob diverſum clima, in eodem, ut dicebamus, morbo diverſimode erit procedendum.

At humanitas tua longiori incommodo laceſſenda non eſt, neque ab utilibus ſtudiis amovenda. Calamum igitur ſiſto, Deumque Optimum Maximum precor, ut ad Regiæ tuæ Metropolis incolumitatem, & ad Medicæ diſciplinæ incrementum te diutiſſime ſervet,

Brixiæ 15 Aprilis 1745.

Pragæ

(1) Maceratenſem quippe a Paulo III. Papa erectam; Meſſanenſem a Carolo V. Imperatore. Neapolitanam, Salernitanam a Federico II. Imperatore. Peruſinam a Clemente V. Papa.

(2) Dimidio milliari ab urbe Egra.

(3) In Circulo Litomiricenſi.

(4) De Aquis Brixianis, pag. 119.

(5) Prope Albira, & Orbizam fluvios, & Jaromitiam oppidum, ſcaturientibus.

(6) In Valle Triumplina.

(7) De Teplicenſium in Bohemia Thermis, earumque origine, ac viribus.

Pragæ 26 Aprilis 1745

Illuſtriſſimo, ac ampliſſimo Viro

Co: FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Academiæ Bononienſis Inſtitut. Scienti. Socio, & in urbe Brixia Collegii Nobilium Medicorum Priori celeberrimo

S. P. D.

JOANNES IGNATIUS DE MAYERSBACH

Conſil: Reg: & Archiater, Aul: Mil: Eq: S: R: Pal: Comes, Coll: Commen: Med: Norimberg: Socius, Univ: Carolo-Ferd: Prag: Prim: Prof: Fac: Med: Sen: & Decanus.

INtra 12 dies adeo grate quam fauſte tuum excepi reſponſum, pro quo tuo humano favore tantum mihi aggratulor, quantum compatior, quod huic folio adeo deſudaveris, cum Davide deprecor, ab occultis parce ſervo tuo. Si Europæ angulum Brixiam dixi, ex Geographica Italiæ facie judicavi, qui ſitum vidi ad pedes Helvetiæ; adeo reſponſum urgenti Domino Gialdi, nec abire volenti, quid extradam, vel ſcribam, aut reſpondeam adeo laboribus obrutus, neſcivi, quid tanto argumento Phaetontico dicam neſcio, dixi, ut voluntati tuæ ſatisfaciam de Re Medica, incolis, terræ, & Regni Theſauris Medicis, vel morborum indigenorum cathedra Volumen ſcribendum in abjecto apparuit, mihi nec in vita poſſibile elaborandum; idcirco Bohemus Bohemum inſecutus ſum adagium: Prabdu Sabic mlurme, dobre Spolu Budme. *Sincere inſimul nobis veritatem dicamus, & pari ſinceritate agamus. Niſi præcipiti calamo te in angulo Europæ dixi, ex ſitu geographico, & terræ figura. Sed quantum admiror? vix angulum ſcriptum legiſti, mox reliquum Scripturæ baculum in angulo elevaſti:* Elegantiſſime pro Domo Cicero, *non omnis fert omnia tellus. Vos gaudete de maroni, maramotti, limonini. Nos gaudemus de gran pavi, cervi, & faſiani. Quo quem Deus voluit, ibi ſuo fruatur Paradiſo. Regni noſtri figuram conſpice, cor videbitur debite figuratum, in vertice vaſa magna gerens: de ceteris præſcindo, tantis occupatus ſtudiis, ægris, correſpondentiis, quibus nuſpiam adeo, quam te offendi. Iraſcimini, & nolite peccare. Pax nobis, pacem nobis Deus tradere incipit, quod nobis hodie ab Aula venit, recuperata rurſum Bavaria, cæſo, & expulſo hoſte. Devius Auguſtam Elector armiſtitium cum Regina petiit, pacem appromittit. Inimici tanti, Amici redacti ſunt, tuam & mihi fido compacificationem. Si quod cœpiſti, proſequi conare; & quod in id de nobis optas ſincere dic. Si de Univerſitate dicere vis, mittam Tomum:* Prodromus Gloriæ Pragenſis. *Duobus conſtat aureis. Item:* Gloriæ Pragenſis Univerſitatis *tomulus?* Marci Marci Opera Medica *an non habes, quis neget ipſi leges motuum primum ſcripſiſſe? quem tamen nec VVoef, nec ceteri de litera deſcribentes, verba ullibi citarunt. Si praxim, & morbos ſcire cupis Patriæ noſtræ nucleos praxeos. D. D. loco habes, ubi, quid formula differant, leges. Si theſes petis, congregabo, & coemam pro poſſibili, non filiræ binæ, vel trinæ, plerumque opuſcula majora ſunt. Contra veſtras expeto editiones, eas mihi cum pretio notifica, quia vix in decennio nobis quid de Italia viſui obviam venit. Viennæ nuper aliqua inveni, & comparavi. Idem credo, vobis contingit, quod de noſtris actis raro videatis, quod contingit per Norimbergenſes Bibliopolas, qui malevoli tantum ſuas chartas, & compilationes diſtrahere ſtudent, & noſtra ipſis toties oblata venum recipere nolunt, ſuo tantum lucro, & typo vendendo ſtudioſi. De reliquo impreſſum tibi habeas me univerſos Bononienſes, Viros & acta ſumma in reverentia, & veneratione cordetenus gerere, ex iiſdem grato delibatu hauſi multa, & haurire toties opto, quoties occaſionem nanciſcar aliquid de ea videre. Te vero quanti reverear, ſcribere vix valeo; id vero quod totus tuus, & tuis mandatis obſequioſus maneam, te certiorem opto.*

Scripſi in Regno Panigero, in gradu 50 ſito, Deo maximo laus ſit, adeo fructigero, quod aliquot centena millia faucium advenarum ſufficienter nutrierit. Provorantibus autem locum pacis, & requiei effecerit. Voracitate Galli, & cuncti hoſtes demortui plurimi ſunt,

Illuſtriſſimo, & Magnifico Viro

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Fautori Colendiſſimo

S. P. D.

JOANNES IGNATIUS DE MAYERSBACH

Ph: Med: Doct: Prof: Prim: Suæ Majeſt: Reg: Conſiliarius, & Perſonæ Medicus, Fac: Senicr, & Decanus, Univerſ: Carolo-Ferd. Pragenſis.

INaudivi, *quod mei nihilominus memor ſis, & tuis ſcriptis librarium meum condecorare intendas, pro viribus, pari foliorum numero de noſtris retribuam. Utinam tuo palato gratis defectum chartæ, vel loci replebo. Scio te forte, adhuc dum optare rem petitam, ſed ut vere fatear, quæ mente, &*

te & tuo petito retinuiſti, explicite magis voveo. Regnum tibi deſcribere, vel clima, quam vaſtum foret, Charta Geographica montium, ſylvarum, & fluviorum ſitum exhibet. Altiſſimos montes, valles, & ſylvas, ut theſauros naturæ, conſpicimus, quorum quilibet ſuas uberrime gerit, & cuſtodit in ſe mineras divites auro, argento, ſtanno, cupro, mercurio ſulphure; inde commercium ſulphuris, aluminis, boli, litargyrii viget in longinquas orbis oras. Silvæ inacceſſibiles ne putreſcant a lignis, venundantur, ut inde ſal alkali, vel vitra, & cryſtalli, alibi cobaltum, alibi in horribili quanto ferra parentur, & ſilicum quantum in vitra, & montium abditorum ſtrata in ferrum fundantur. Hæc inter nemora, nullus Regni ſitus eſt, ubi non aquæ minerales ſalubres ſint, vel ad uſum externum, vel internum, frigidiſſimæ, tepidæ, calentes, ferventes, quæ ſtupendos in curandis dant effectus, & quibuſdam balneis ædemata, & aſcitides viſibiliter ſolvuntur (1), ex aliis fateri, & nigri ſolo extra uſu (2) funditus tolluntur; internæ quædam ſumptæ hecticos, & febricitantes curant (3), aliæ cachecticos, & hypochondriacos (4). Paralyticos admodum roborant Teplicenſes thermæ fervidæ, non ſuſtenibiles, niſi tepore incipiant. Carolinæ adeo fervent, quod plumas, & porcos depilent, & quantos hæ animi, & corporis morbos ſolvant. Id certum eſt, nullas adhuc nobis fuiſſe notificatas, vel ſcriptas Europæ aquas ſalubres, quæ hoc in Regno etiam non eſſent reperibiles, draſticas, emeticas, diaphoreticas, analepticas, diureticas, roborantes, temperantes, ſolventes, vel tonicas, vel aliæ indicationi imaginabiles (N.B. ſalubres) quæras, reperies. Sed contra, venenatas, vel deleterias, aut nocivas, aut partim nocivas ego ignoro, vel nullus alius notavit, inde eſt indubie, quod Regnum tam populoſum, tam terra fertile, quod tot millibus armatorum panem dedit, vix 24 Medicis opus habeat, pauciores numeret. Morbis uti ſcripſi iiſdem, ac aliæ Germanicæ terræ, afficitur, ſed ratio Medici ad vires ſubjecti medicamenta præſcribit, quod clima ſeptentrionale tranſpirationem minuit, hoc labor μᾶλλον neceſſarius in ſudore vultus ſupplet, ob montium, & vallium, imo ipſarum ædium ſituationem aſcenſu neceſſario, vel vaſta diſtantia greſſus, curſus, & ambulationes, hyeme ſtufarum calor ſupplent, & movent vel ad hanc, vel alias vias, ſecundum Hippocr. pororum tenſio alvi laxitas. Gens vorax eſt, carnes amans; cereris potus, & vini, quæ ingeſta ſuppreſſam tranſpirationem in alias excretiones, & ſecretiones cogunt, motu corporis cooperante, ubi vero hic in ſegnioribus minor, ſcorbuti alcalici effectus vel acuti, vel chroniei oriuntur, unde quibuſdam oris, ſi vel pluviæ, aut æſtus extraordinarii contingant ſporadice inquilini afficiuntur, febribus acutis; & ſolo decubitu retro fornacem, ſomno quaſi perpetuo, & potu aquæ milleni ruri curantur, præmature exeuntes, phlogiſticum ſupprimunt in excretione, & ex hoc morbum patiuntur dictum nalka; ideſt exoſtoſes abeuntes in ſarcoma cum carie oſſis; hi vel unctione Mercurii, vel potu & fotu mentæ aquaticæ curantur, alibi diarrhæa, petechiæ, puſtulæ miliares evenire ſolent, quæ ſi acidis vegetabilibus, vel ipſo aceti uſu & alkalino corriguntur feliciter. Alkali hic potius cauſa morborum eſt ob potus pingues, & eſus carnium ſylvaticarum, quadrupedum, & altilium. Cæterum omnia vegetabilia hic abundant vel natura, vel arte. Si horum plura dilucidata petis, non abero, quin tibi ſatisfaciam, quia cordetenus veneror.

Dabam Raptim Pragæ die 22 Junii 1745.

Addo, & Pragæ in Bohemia ſcribo

I.

MORBUS Gallicus hic rarus eſt. In urbis, & Regni inquilinis timorati Dei, & pii plurimi ſunt, & ſexus connubia indecentia fugiunt; labuntur tamen, ſed raro, niſi hominem inter milites fuiſſe, & cum illis iter egiſſe neſcium, ſiphylidem non quæro. Si? quæro in induſio guttulas mucoſas, in glande cicatrices, affectus, vel ſymptomata ſi aptis remediis non cedant, & noctu durent magis pro die, labem gallicam ſubeſſe judico. Sed hujus cura hic felicius per mercurium interne, quam unctioni cedit, quia ob frigidum aerem raro exacte membra, & artus deſerit: dico inter mille homines non unum reperies.

II.

MULIEREM infectam ex perpetua mucoſa humiditate fluente etiam ſub menſtruis agnoſco cum ceteris, ut ſupra.

III.

INFANTUM morbos ſola infuſione remediis morbo convenientibus tracto feliciſſime ipſis inſciis, ſed talibus, quæ in potu citra nauſeam ſolubilia ſunt, tum externis neceſſariis. Infantum enim affectus ſolo tactu produntur; ubi dolor, ibi morbus.

IV.

ARTHRITIDEM vagam velut pleuritidem in & externis ſi curo, feliciſſime cedit, qui illis talis, ut pleuriticis hic ſanguis eſt.

V.

(1) Locus. Kuchel. Podol.
(2) Sanc. Joann. Aeten Puch.
(3) Modletin S. Nicola.
(4) Egra. milbad. teple. Puchlavv.

V.

PODAGRICOS examine urinæ per inſtillationem variorum liquidorum agnoſco, quæ inſtillata urinam quoquo modo præcipitant, & plerumque illorum cauſam tollunt, vel minuunt.

VI.

HYDROPICOS præ aliis libenter curo, & rari ſunt non curabiles, ſed in his ubi latex lateat, quærendum, an intus, an extra; ſi extra, laconicum ſiccum; ſi intra, catarthica, vel paracentheſis; ubi pulſus durus, venæ ſectiones; ubi mollis, evacuationes; excreta cauſam docent, ſed an hydrops in initio, ſtatu, vel declinatione, examen dabit; egregie enim tempora ducit, & in his cardo curæ.

VII.

SCORBUTUS, calidus vel frigidus plures hic latens affligit, ſed hic ex gingivarum rubore calidus, & pallore, & earum contractione frigidus agnoſcitur; ille acidiuſculis ex berberi, flore acetoſellæ, beccabungæ decocto in ſero lactis cedit, adjunctis remediis morbo convenientibus; hic nimirum frigidus, raphanis, armoraciæ, cochleariæ, naſturtio aquatico, & piperis muraris, ſeu ſedi minoris in lacte decoctis cedit.

VIII.

MULIERUM errores menſtruos brevi reſtituo ordini, ſi pingues, cum martiatis, macilentas cum hellebori nigri infuſis, vel præparatis, ac teneris emmenagogis tracto.

IX.

AFFECTUS UTERINOS impoſitione globuli moſchati elleborati, vel fulmine diſſipo; provocant enim fervidam, & acrem uteri excretionem.

X.

HYPPOCHONDRIACOS ſolis clyſteribus ex aqua fluviatili tepida, omni trihorio per menſes datis: multa prodire videbis, & in aquam hanc ſine moleſtia confluere ſtupebis cum cura ſequenti.

XI.

CATHARROS maſticatione enulæ conditæ, & caricis, tam ſolvi qui periculoſi, quam qui moleſti erant; hæc enim amigdala ſolvunt, & emolliunt, & ad excretionem irritant, & quorum ſola obſtructione totum lymphaticorum morborum procedere ſolet, & his vetito, ſelix evenit morborum ſolutio.

XII.

PLEURITICOS acutiſſimos aliquot guttæ axungiæ ceti cum oleo ſach. cand. in calido ſumptæ ad ſtuporem a morte liberarunt.

(1) Credo, veneream.

XIII.

CANCER hic nullus curabilis: ſi aquas mittit, ſine quibus non eſt.

EPISTOLA D. VIGNET PRAGÆ DATA, ET AUCTORI MISSA

HIc locorum maximæ & quaſi epidemicæ graſſantur febres petechiales & purpuræ, cujus hic obſervamus ſpecies tres, nimirum purpuram rubram, albam, & perlatam, quarum ultima ſpecies peſſima eſt. Invadunt ordinarie cum ſumma craſſitudine totius corporis, dolore capitis, appetitus dejectione, adde quibus in his regionibus optime ſcripſit Sthalius Profeſſor celeberrimus Hallenſis, cum affectis ſuis Hentero, Junckero, & aliis; nos hic incipimus curam per vomitivum, & huic quandoque in ſubjectis valde pletoricis ſubjungimus V. S. tandem curam per lenia diaphoretica, cum aquis diapnoicis abſolvimus. Scribo hic, ubi ſemper maxima ratio ad primas vias habenda, ob maximos in dieta exceſſus. Hi Auctores, quos citavi, conſtant hic florenos viginti. Si mandare digneris, ſumma mihi inſerviendi gratia erit, qui ut ignoſcas permaneo.

Illuſtriſſimæ Dominationis

Servus obſequioſiſſimus
JOSEPHUS DE VIGNET
Regis Poloniarum, & Electoris Saxoniæ Aulæ Medicus.

MORAVIA

MEdici uſus Moraviæ, quam Bohæmici Regni partem Geographi dicunt, admodum conſtabunt ab operibus patrii inibi in Bruna Marcomannorum Profeſſoris Thomæ Jordani a Clauſoburgo, qui novam luem (1) in Moravia exortam deſcripſit; atque inſuper de Aquis Medicatis ſuæ regionis commentariolum edidit.

BRUNOPOLIS

CLARISSIMO VIRO

ARTHURO CONRADO ERNSTINGIO

In Ducatus Brunſuicenſis Metropoli Medico optimo Practico

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

PHELLANDROLOGIÆ tuæ, literis Keitelianis anno 1740 cuſæ, ſpecimen in Actis Venetis vidi. Illico, ut mei moris eſt, Scriptores evolvi,

cumque Collegas allocutus ſum, ſcire cupiens num noſtro etiam ſub cœlo res a te propoſitæ feliciter votis reſpondere potuiſſent. Excitabat, ut id experirer, debita, & a me præſtita tuis aſſertionibus fides, animumque addebat obſervatio, antiquis etiam temporibus pro juvando in febribus ægroto, externe adhibitum Phellandryon fuiſſe (1). Sed, quod heri Hagæ Comitum celeberrimo Joanni Chriſtophoro Rieger ſcribebam de Caſcarilla, adeo pro fugandis intermittentibus febribus ab uſu Chinæchinæ niſi utilis, ſaltem non damnoſæ præoccupatus ſum, ut piaculum mihi videatur, relicta ampla, tutaque tot millenis itinerantibus via, per indicatum a te callem divertere.

Difficultatem adauget exhibitionis modus, ſi ex deſtillatis ſeminibus oleum eliciendum eſt, ſuapte natura accendibile; ideoque non ad refrigerandum, ſed calefaciendum aptum; Auctorum placita diverſas in opiniones abeuntia circa Phellandrii identitatem ſpecificam, apium ſylveſter dodonæi, mirrhidem, angelicam (quæ in Miſniæ, & veſtræ Germaniæ agris ſativa eſt) adaucum montanum nominantia: ſi Nicolaum Lemery demas, qui duplicem ſatis graphice Phellandrii ſpeciem proponit: cicutariam nempe aquaticam paluſtrem, & meum alpinum umbella purpuraſcente. Difficultatem, inquam, adauget adhuc non viſus, licet conquiſitus liber tuus, ubi, ut referunt, ære inciſa plantæ totius icon, & reliqua optimo conſilio meditata, tuæque praxeos fundamentis fulta hæſitationes noſtras fortaſſe removerent.

In hiſce circumſtantiis ad vivum fontem confugere opportunum duxi, ratus tibi non diſplicitura officia, & petitiones noſtras, eo collimantes, ut veritas, ideſt illa (oh nos miſeros!) quæ in Medicina datur, te comiter docente, in aperto ſit; utque conſtet mea in neceſſitudinem tuam propenſio. De qua, pro nunc, tenue do ſignum in incluſa fronte Operis mei, quod dedicationis ergo ſummum habuit honorem ſe ſiſtendi ante pedes Saxonum, & Polonorum Monarcharum; prope diem tibi dono miſſurus opus ipſum, ſi viam reperiam, aut tu, ut oro, indicabis. Vale

Brixiæ 12 Septembris 1744

(1) In Hiſtoria Plantarum Lugduni apud Gulielmum Bovillium edita pag. 726. hæc proſtant: *Supra Febricitantis caput impoſita fertur ad ſe fervorem elicere*. Sed & ipſe fateor timendum eſſe, ne falſo cum Angelica ſylveſtri Pdellandryon confundatur.

CLARISSIMO VIRO

JOANNI CONRADO TRUMPHIO

In Goslaria, libera, & Imperiali urbe Ducatus Brunſuvicenſis, Medicinæ Profeſſori, necnon Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ naturæ Curioſorum Socio.

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

QUÆ in Actis Germanicis memorata a te video ad utilitatem Goſlarienſium populorum, Vir optime, illa eadem ſunt, quę ipſe delibavi anno 1740, quando Diſſertationem de uſu Purgantium in aere Brixiano, fortaſſe a te viſam, produxi, quæque nunc fuſius, repetens, explico. Verum quia poſt Brixianam, crevit ardor, & genium ſcribendi etiam de aliarum gentium Medicina; per conſequens duo noſcis eſſe hujus epiſtolæ argumenta, & quidem primum, ut internam meam oblectationem ſignificem, eo quia paria cum te pro patria ſim meditatus. Deinde ut excitem humanitatem tuam ad mihi ſavendum aliquod lumen circa præſentem tuis in regionibus Medicinæ Practicæ ſtatum. Si Bronchoceles in Goslarienſibus terris frequens eſt, profecto neque noſtræ montanæ valles Sabbia, Triumplina, & Cammunorum immunes ſunt. De quo ſi tu cauſas enumeraſti, ipſe & remedia bene multa addidi, ut videre erit in epiſtola Clariſſimo Antonio Roſſi Taurinum miſſa, quæ futuro in Opere cudetur, habebiſque campum videndi, num in cogitando, & medendo Brixiani cum Saxono-Brunſuvico-Goslarienſibus concordes, aut diſſoni eant. Vale & me tui nominis cultorem puta.

Brixiæ 1 Octobris 1744.

Illuſtriſſimo, atque Clariſſimo Viro

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Academiæ Bononienſis Socio, & Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Priori

S. P. D.

JOHANNES CONRADUS TRUMPHIUS

L*Egens humaniſſimas tuas ſub finem Octobris traditas, miratus ſum, levidenſes meos labores etiam ad Italos pertingere, gaviſus ſimul maximopere, eos & inſigni inter eruditcs Italos Viro, tibi nempe, probari. Equidem ea felicitas* mihi

mihi non contigit, tua edita opera videndi; nam, ut ut hiſce in terris medicus labor non deficiat, reditus tamen ex illo ſolent eſſe macriores, ut ad emendos exterorum libros ſumtus non ſuppetant, quippe qui maximi veneunt; non ignota nihilo minus fuerunt, quæ in publicum produxiſti, ex Novis quippe Lipſienſibus ſatis perſpecta. In finem hinc lætatus ſum, Medicum ex Italis inſigniorem de meis qualibuſcumque laboribus approbationem ultro teſtari, quapropter & de honore, quem in mittendo ad me literas exhibuiſti, dignas merito exhibeo gratias.

Quæ autem ex me quæris, ad eas fuſius reſponderem, ſi occaſio adeſſet, commode nec nimis caro pretio per curſores publicas epiſtolas transmittendi, qualis nobis in Germania ſuppetit, dum cuquæ Erfordiam ad Præſidcm Academiæ Naturæ Curioſorum, & Norimbergam ad editores Commercii literarii mittenda ſunt, occaſione Nundinarum Brunſuicenſium, & Lipſienſium commode, abſque ſumptibus transferuntur. Quod ſi talis modi via literas conferendi tibi, Illuſtriſſime Comes, eſſet nota, per hanc ulterius cum te, ſi ita jubes, aliqua præſcribere non detrectarem, quippe eximio mihi honori ducens, tanto Viro placuiſſe, eique inſervire atque gratum facere poſſe. Vale, meque favori tuo commendatum habe.

Goslariæ 1 *Decembris* 1744.

Methodum medendi noſtris in terris experientia comprobatam deſcribere, quamvis moleſtia hoc cum labore conjuncta facile ſuperetur ab animi ardore aliis, vel tibi, Vir Illuſtriſſime, inſerviendi; ſupervacaneum tamen exiſtimo, cum hac opera ſuperſedere jubeat liber, quem Illuſtriſſimus Heiſterus edidit de praxi Medica Germanice conſcriptus. Heiſteri nomen ita eſt illuſtre, ut, quod ſcio, & in Italia jam dudum præfulxerit. Fuit, uti & dicto in libro queritur, aliquibus tantum Chirurgus, & Anatomicus exiſtimatus. Amplam autem hujus viri in toto Medicinæ ambitu, in Matheſi quoque, ſcientiam jam viginti ab hinc annis perſpectam habeo, cum coram ſermones conferendo occaſio daretur. Hicce liber, quem tamen nondum cum cura perlegi, quantum ex præcipuis locis perſpexi, illa cum doctrina, qua abs VVedeliis imbutus ſum, illa cum experientia, quam praxis aliquot viginti annorum Medica mihi ſuppeditavit, in omnibus fere convenit. In nonnullis tantum dubius, experientiæ defectu, nondum cum illo ſentio. Hæcce ſunt: dyſenteriam ſolo rhabarbaro reprimi. Sæpe hoc fere ſolum in hoc morbo debellando ſatis fuit, aſt non ſemper, uti anno 1743 *in dyſenteria fere hic epidemica ſuum, non ut olim, officium faciebat. Quæ de hæmoptoes in phthiſi per corticem (hoc nomine quaſi* κατ' ἐξοχὴν *corticem china de china, vel peruvianum nonnullis venire, & Italis nunc notum erit) ſiſtendo ex conſilio Cl. VVagneri Lubecenſis practici celeb. habet, mihi nondum ſunt experientia confirmata. De hoc cortice certo remedio in febribus intermittentibus quando poſt quartum, aut quintum paroxyſmum apoplexia plerumque lethalis accedit, immediate tamen poſt tertium paroxyſmum exhibendo, nihil poſſum aſſeverare; tantum tamen abeſt, ut in dubium vocem hæc remedia, nam non facile iſtiuſmodi caſus de febre intermittente epidemica cum apoplexia conjuncta, & hemopthoe habituali mihi ſunt oblati, neque ſunt narrati.*

Quod ſi quis igitur cupit Saxoniæ inferioris morbos, eoſque curandi methodum noſtratibus Medicis conſuetam cognoſcere, legat Heiſteri librum. Perhibet Ill. Auctor, eſſe hanc verſionem germanicam libri latine conſcripti de praxi Medica. Sed de hoc nihil mihi conſtat, niſi quod legerim, in Batavis lucem vidiſſe. Omnia, uti puto, quæ noſſe exteri cupiunt, in illo poſſunt inveniri.

De Bronchocele, cum in Diſſertatione inaugurali ejus quoque mentionem facerem, nihil addidi, qua ratione medela illi adferenda, tum ne nimium excreſceret moles diſſertationis, tum quod nihil aliud remedium innotuerit, niſi quæ in libris practicis inveniuntur. De curatione Chirurgica nihil dicere valeo. Virgines raro ita illa defœdantur, ut ſectione opus habeant, ſed plerumque in illis, ſi in tempore Medicina paratur, medelam admittit malum. Maritatæ vix adigi poſſunt, ut operationi ſæpe periculoſæ ſe ſubjiciant. Neque etiam adeo multæ nunc dantur, quibus colli tumor fœditatem attulit, niſi forte quibus puerperium fuit laborioſius. Diæta fortaſſe, quæ hodie non ita ruſtica eſt, ac olim fuit, dum infuſis calidis jam frequentius utuntur, multum hic confert. Ceterum medela olim ſtrumarum ſimplex fuit. Nempe ſumpſerunt cum ſpiritu frumenti ſpongiam marinam mane tribus diebus ante novilunium. Quidam lapidem ſpongiæ adjungunt. Multis hic pulvis fuit adjumento, nonnullis autem alvi obſtructionem cauſavit. Quando igitur ex conſilio Medici vivebat, pulveri hujuſmodi jungebantur ſalina; a meridie autem elyxir proprietatis præbebatur. His qui non infimę ſortis ſunt, ordinavi pulverem ad ſtrumas Auguſtanorum, cum arcano duplicato, addita interdum reſina jalappæ. Interponebatur purgans ex pilulis gummoſis, cum mercurio dulci, aut alio purgante, ſi pilulæ nauſeabantur. Fumus ex ſpongia combuſta prodiens collo excipiebatur, inde huic imponebatur emplaſtrum de ran. c. merc. dia. comp. interdum roboratum empl. de bacc. lauri. Itaque hoc modo, & hactenus in cura ſtrumarum proceſſi. Quando adeſt hernia colli ventoſa, tunc emplaſtra carminativa maximam debent implere curę externę partem. Interdum & hæc potius nocumento fuere, quo caſu ſpirituoſa magis ſalutari plerumque cum effectu dantur: tamen homines, quibus collum ab infantia præter ſolitum craſſius datum eſt, ubi nonnumquam alia porro præalia majori nutrimenti copia gaudet. In his medelam non tentavi, quippequam non dubiam, ſed impoſſibilem exiſtimavi.

Hæc habui, de methodo medendi, & cura broncho-

choceles noſtris in terris circa ſcire hercisſoriæ horrida nemora. Æſtatis autem tempore umbroſa, nec inamœna ambulacra ſatis memoranda. Quando meliori cum cura perlegero Heiſteri librum, notabo quæ inter ipſus, atque noſtram curandi rationem detur differentia, quam referre non negligam. Memini adhuc Heiſterum, niſi fallor, ſuadere in pleuritide venæ ſectionis frequentem repetitionem, atque in febribus malignis exanthematicis inflammatoriis internis camphoram majori copiam exhibere. (In his mihi cum ipſo non in totum convenit). Camphoram minori in quantitate exhibere convenientius reperio. Venæ ſectionem in pleuritide non facile repeto. In maligna plane omitto. In exquiſita poſt primam venæ ſectionem inſtitutam pulſum durum, & frequentem remittere deprehendo. Repetitionem quæ interdum indicatione præſente inſtituta fuit, minime ſalutarem inveni. Hæc adhuc addenda fuerunt. Plura forte in poſterum.

JOHANNES CONRADUS TRUMPHIUS

Goslariæ menſe Novembri.

PLANTÆ BRUNSUICENSES

DEſcriptæ proſtant a Joanne Chemnitio, illæ præſertim, quæ trium milliarium circuitu ab urbe diſtant.

MEDENDI MODUS

IN contagioſis febribus quærendus eſt in obſervationibus Medicis de Peſte Brunſuicenſi, deſcripta a Laurentio Giſelero, illius Reipublicæ Phyſico ordinario, qui pariter loquitur de cancro, & vermibus in cancro ulcerato.

CARNIOLA

LABACUM URBS METROPOLIS

NE Lubianam mittamus, utpote regionem inter Alpes Julias, mari Adriatico proximas, poſitam, a qua Carinthiæ, Stiriæ, Foro-Julii, Iſtriæ, & Croatiæ, quodammodo medendi uſus ſubolere poteſt, illud unum documentum ſumamus, quod initio hujus ſæculi proponebat celeberrimus Gerbezius (1), illis in regionibus Medicus magni nominis, Clariſſimo Werloſchingio, remedium pro filiolo cruſta lactea laborante, ſciſcitanti. Illud autem fuit, ut *nihil prorſus* adhiberet. Idque ſuadet ob timorem ne, expulſa lactea cruſta, *ophthalmia*, *ſcrophulæ*, aut *epilepſia* lethalis ſuperveniat.

ANIMADVERSIO

ID ipſum & nos in Italico hoc noſtro ſolo obſervamus, & in infantibus ejuſmodi cruſtas vulgo apud nos *ſagra*, tangi non debere, Chirurgis, nutricibus, & quibuſcumque jatraleptis jubemus. Timore præſertim ne oculi dein laborent.

MORBOSÆ CONSTITUTIONES IN CARNIOLA

A Supradicto Marco Gerbezio endemicæ conſtitutiones apprime deſcribuntur, ſcilicet annorum 1715, 1716, 1717, & aliorum. Imo ille medendi modus in Stiriæ urbem Græcenſem diffuſus etiam eſt. Franciſco Sigiſmundo Cantharinio Practico illius provinciæ famigeratiſſimo optante, & ab ipſo Gerbezio peculiaribus literis petente.

FEBRES PETECHIALES CARNIOLÆ GRASSANTES 1714

ET alibi eventum video, quod notat Labacenſis vir, nimirum homines plethoricos, & fortioris temperamenti numeroſiores occubuiſſe. Ad modum medendi quod attinet, video pertentata multa, quæ juvare poſſunt, quæque frequentius Medici faciunt, quæ repetere tædioſum eſſet.

CASSELLA

AD Fuldam fluvium adeſt urbs cum arce, ubi ſedes, & Metropolis Principis Landgravii Haſſo-Caſſellani, in qua olim inſudarunt aulici Archiatri, ut detegerentur aquarum Medicatarum vires, illa in provincia emanantium, quibuſque multas laudes tribuerunt pro inſtauranda Cattorum, & Stereuntium Caſtelli illius populorum valetudine.

COLONIA

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO

DOMINO STEINHAUSSEN

Sereniſſimi Electoris Colonienſis Archiatro

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

ELAPSO Februario ex Veneta Metropoli Brixianam patriamque urbem redux, & ſuper Medoacum navigans in bucentauro allocutus ſum Nobi-

(1) In ejuſdem VVerloſchingi Operibus. Epiſtola nempe III. de curatione Verno-Autumnali, pag. 15.

Nobilem Veronenſem Virum, & Colonienſium militum tribunum Comitem di Verità, qui mihi retulit res multas, oppido dignas, ſuis in peregrinationibus viſas; ſed inter alia non brevis fuit ſermo de Te, & de tuis virtutibus, animique dotibus, quibus dives coruſcas, & ob quas tui Regnantis Monarchæ protectione frueris. Quia vero Clariſſimis hominibus ipſe nunc indigeo, in mentem venit Tibi exhibere obſequia mea, & orare, ut aliquo ſpecimine, quantumvis brevi, ad Medicinam tui cœli ſpectante editionem meam dites. Addo etiam monitum, ut argumenti ordinem protinus aſſequaris, citiuſque favere poſſis. Vale

Brixiæ Venetorum 20 Maii 1746.

P. S.

Mihi dixit inſuper Comes di Verità, tibi neceſſaria eſſe nonnulla vitra, fortaſſe ad Philoſophiam experimentalem ſpectantia, quæ Venetiis, proſtant. Si id mihi jubebis libere, oh me beatum, iterumque. Vale.

SETACEUM IN OPHTHALMIA

Celeberrimus olim vir in Colonienſi Academia (1) Profeſſor D. Manlius ſetaceum proponebat pro curatione ophthalmiæ, etiam ex non ſatis expurgatis variolis pendentis.

UTERI MOLA IN VIRGINIBUS

Optime inquirit Johannes Baptiſta Lampzvveerde Medicus Colonienſis, & in Ubiorum Univerſitate P. Profeſſor, num molæ in Virginibus fieri poſſint, quod ſane nemo negare audebit, ſciens, Anatomiciſque experimentis videns polypeas, pſeudo-carneas, ſteatomatoſas, ſcirrhoſas concretiones undique adhærere, & ſolidari, quæ vero idem Profeſſor promittit circa curationem paralyſis, epilepſiæ, cancri, ſurditatis, ipſe non vidi.

REMEDIA

In Colonienſibus regionibus uſitata deſcribuntur in diſpenſatorio Colonienſi ab Joanne Echtio (2) una cum ſuis Collegis ſcripto.

(1) 1388 publice renovata, ornataque privilegiis fuit, ab Urbano VI.

DRESDA

CONSTITUTIONES DRESDANÆ PRO ORNANDA EDITIONE DESCRIPTÆ, BRIXIAMQUE TRANSMISSÆ A PRÆSTANTISSIMO VIRO PHILIPPO DE VIOLANTE ARCHIATRO REGIS POLONIÆ

CONSTITUTIO ANNORUM 1740, 1741, & 1742 DRESDÆ EXPERTA

I. Anno 1740 *brumali tempore per totam Germaniam ad Italiam uſque, acerrimum frigus diffuſum fuit, quod in intenſiori gradu, quam in aliis præcedentibus annis omnes ſenſu percepimus. Sequenti vernali, & æſtivo tempore ejuſdem anni ſic climatis conſtitutionem mutatam obſervavimus, ut in æſtate modo Borea flante, ſeu NORD, præ gelu, & nive omnes incolæ algebant; modo vero Auſtro, ſeu SUD, ſeu Noto pluviis accerſitis, tempeſtas nubiloſa, humida, & nebuloſa invecta, laſſitudine fere omnes torpebant: ſi quandoque hemiſphærium radiis Solis illuſtratum ſplendere viſum fuit, tanta ſemper humiditas in aere, præ nebulis, reperiebatur, ut corruptivum potius, quam refectivum caloris ſenſum hujus regionis habitatores periclitati ſint. At animadvertendum, me de iis hominibus ſermonem facere, qui proprii individui conſervationi ſtudent, non de iis, qui, vel præ negotiis agendis, vel ætate juvenili diſtracti, vel tuendæ valetudinis ignari, neſciunt quid ipſis conducat, vel non.*

II. Cum igitur anni conſtitutio talis fuerit, non ſolum hominibus, & brutis, verum etiam fructibus, atque ſegetibus infeſta evaſit; ipſæ etenim, quæ in montibus ſatæ, ac æſtivo tempore maturæ factæ erant, ab intempeſtiva copia nivium inopinato decidentium ita obductæ fuere, ut agricolæ in ipſis falcem haud mittere potuerint.

III. Sequenti vero anno 1741 *eaſdem aeris mutationes, alterationeſque experti ſumus, quas in tranſacto deſcripſimus; excepto tempore hyemali, quod mitius, quam in præcedenti anno fuit; aer autem magis nebuloſus evaſit, ac imbres frequenter decidebant.*

IV. In ultima demum die Septembris (ſi recte meminero), vel ſaltem prima die Octobris ejuſdem anni 1741 *per binas horas ante mediam noctem hemiſphærium, ab Aurora Boreali illuſtratum, clareſcere vidimus, tantaque eo tempore claritas aderat, quanta in plenilunio, cœlo ſereno exiſtente, adeſſe ſolet.*

V. Po-

(2) In Belgio nato.

V. Poſtero die Sereniſſimus Poloniarum Rex Lipſiam verſus diſceſſit, quem ego proſecutus ſum; ibi, eadem nocte, per binas horas ante mediam noctem, etiam totum cœli hemiſphærium tot, tantiſque terræ exhalationibus obrutum vidimus, ut fere ignitum videretur. exhalationes equidem a quacumque circumcirca terræ regione advenientes, in aerem (ut dicere ſolemus) accenſæ, inſtar ignis, lucidæ videbantur; ideoque phænomenon aſpectui valde curioſum per plures horas repræſentarunt. Exhalationum vero accenſiones in aere factæ baculum ignitum longitudinis unius ulnæ exhibebant, quæ temporis momento evaneſcentes, aliæ ſubnectebantur. At quia (ut dixi) ex quacumque regione terræ circumcirca erumpebant, ideo baculorum in aere ignitorum directio tam confuſa, & inter ſe mixta apparuit, ut militum gladii pugnæ tempore confuſe agitari, ac concuti ſolent, videbantur. In parte vero Boreali, videlicet NORD zu WESTEN, hoc eſt Meſocircio Thracico, tres columnæ valde latæ, & inſignis longitudinis, colore rubro pallido, ad formam flammæ ignis candentis accenſæ videbantur: columnarum ſummitas ita extenuebatur, ut pyramidis formam repræſentaret, quæ NORD OST verſus (ideſt intra ſeptentrionem, & occidentem, ſeu Borro Lybicum) terminum habebant.

VI. Ad bene hoc phœnomenon aſpiciendum omnes incolæ Lipſienſes, atque exteri, qui nundinarum cauſa ibi aderant, partim in plateis, partim extra civitatem in campeſtri planitie maxima cum admiratione congregati erant.

VII. Tranſacta media nocte nubes, & ventorum afflatus a regione SUD SUD WEST, ideſt Libonot i, ſpirantes, & ad regionem uſque SUD WEST zu WEST congregatæ erant (ſcilicet ubi Meſafrici ſpirant), totumque hoc hemiſphærium ita nubibus undequaque obrutum, compreſſumque viſum fuit, ut ſequenti die copioſi imbres per viginti quatuor ſolidarum horarum ſpatio continuo deciderint; ſequentibus vero diebus nunc ab auſtro, nunc a borea aer afflatus, continuas ipſorum viciſſitudines, temporiſque varietates experti ſumus, haud tunc terræ vapores, exhalationeſque deficiendo, ut nebulæ, quæ conſpiciebantur, aerem vaporibus terræ plenum demonſtrarunt: atque mercurium per quatuordecim lineas in Barometris depreſſum indicavit.

VIII. Ab iſtis viſibilibus cauſis incolarum corpora per totam fere Saxoniam pedetentim alterata fuere; attamen lympha ſpeciatim majorem, quam cetera fluida, alterationem, atque mutationem hac de cauſa ſuſtinuit; quæ tam craſſa, denſaque evaſit, ut fere inepta ad ſuum fluxum, refluxumque in ſanguine peragendum comperta, ac inventa fuit.

IX. In menſe Februarii anni 1742 catarrhorum epidemia apparuit, qui cum febre, aliiſque ſymptomatibus ab eademmet provenientibus conjuncti, fatalem, ut plurimum finem habuerunt.

X. In menſe Martii ejuſdem anni 1742, cum adhuc tum ventus Auſtrinus, ſeu Notus, cum etiam quandoque borealis flabant, nunc nebulæ, nunc pluviæ, nunc nives, nunc gelu nos vexarunt, quo tempore telluris exhalationes, vaporeſque continuo aeri miſcebantur. Ob tales frequentes, irregulareſque temporis varietates in majori tunc numero incolæ tam propter catarrhum, & febrem, quam etiam ob peripneumoniam, vel pleuritidem, vel anginam ultimum oppetebant diem: alii vero, qui bonæ conſtitutionis erant, duas, treſve tantum intermittentis febris periodos cum catarrho ſuſtinebant, quo tempore elapſo omnes ſani evaſere.

XI. In hac epidemia, ſi tempore opportuno ſanguinis miſſio in febri acuta, vel peracuta bis, vel ter (juxta morbi exigentiam, & ægrotantis conſtitutionem) celebrabatur, licet iſti acuto, vel peracuto morbo tentabantur, ſani tamen, ut plurimum evadebant: ubi vero damnum a climatis conſtitutione, & a materia morbifica illatum altas fixit radices, non ſolum ſanguinis miſſiones, verum etiam omnia optima, ac ſpecifica medicamenta incaſſum tentabantur, nullam utilitatem, nullumque levamen ægrotis afferendo; ſicuti etiam in omnibus morbis, abſque epidemia, evenire ab omnibus medicinam facientibus compertum, exploratumque eſt.

XII. In menſibus Aprilis, & Maii dicti anni 1742 plurimi, præſervationis gratia, ſanguinem miſerunt; in omnibus rheumaticus, ac inflammatorius ſanguis extractus fuit: & in ſanguine, ſub die ad congelandum expoſito, cruſta gelatinoſa, vel alba, vel flava, vel virideſcens, vel alterius luridi coloris in ipſius ſuperficie conſpiciebatur.

XIII. Circa finem prædicti menſis Maii, vel in menſe Junii epidemia totaliter evanuit; qua finita, variolæ ſupradictæ apparuere; quæ fere omnes malignæ, hoc eſt, confluentes, cohærentes, vel anomalæ evadebant, & quæ contagio diſpergebantur: ſed nunc (videlicet in menſe Decembri Anni 1742) raro apparent, cum potius morbilloſi in majori numero dentur, qui benigni ſunt, & nullus æger morbillis affectus moritur. Et hæc fuit conſtitutio anni 1742.

ÆGROTUS I.

XIV. Dominus Stephanus Pallavicino Sereniſſimi Poloniarum Regis Legationis Conſiliarius, ætatis ſuæ annorum 66, circiter, Romæ anno 1739 rheumatica affectione cum gravibus totius corporis doloribus, tum per artus, tum etiam per totas dorſi vertebras, cum febre acuta, inappetentia, & alvi conſtipatione, laboravit. In ſecunda febris die alia prava acceſſerunt ſymptomata, nempe delirium, linguæ ariditas, faucium ſiccitas, cordis oppreſſiones, & animi deliquia; urina vero pellucida erat, aquea, ac tenuis. In hac ſecunda febris die in pulſibus maximam celerita-

ritatem, ac arteriæ duritiem obſervavi, & qui valde inæquales erant, ſæpiuſque per unum ictum intermittentes obſervavi. Hæc omnia a ſelectorum, craſſiorumque ciborum ingeſtione, & a ſpirituoſis potibus (prævia fluidorum corporis diſpoſitione) originem duxere, ut ipſemet mihi retulit.

XV. Ut tali, tantoque morbo obviam ire potuiſſem, a clyſteribus curationis exordium ducere convenientiſſimum eſſe autumavi; & alvo exonerata, venam in brachio ſecare juſſi: ſanguis extractus, ac congelatus cruſtam ita gelatinoſam flavo-virideſcentem exhibuit, ut cultro ipſam minime incidere, ſed tantum vi lacerare potuerim; denſitas quidem gelatinoſæ cruſtæ corii vervecini ſpiſſitudinem æquabat. Præſcripſi tunc temporis diluentium, ac diſſolventium largiorem uſum: ſymptomata, quæ ad majorem partem, poſt ſanguinis miſſionem, adhuc vigebant, exceptis inæqualitate, ac intermittentia pulſuum, & animi deliquiis, quæ ſtatim poſt ſanguinis miſſionem evanuerunt.

XVI. Poſt biduum a prima hac ſanguinis miſſione, antequam quarta febris dies tranſiret, ſanguis iterum a poplite miſſus fuit, qui ejuſdem characteris, & conditionis, ſicut primus extractus, apparuit, præcedente etiam clyſtere, & diluentibus, ac diſſolventibus medicamentis.

XVII. Die quinta febrem valde imminutam deprehendi, & rheumatici dolores mites evaſerunt, tum a ſanguinis miſſione, tum etiam a continuo corporis madore. In ſeptima die febris evanuit; dolores vero rheumatici tunc vix ſentiebantur, qui poſtea cum uſu ſeri lactis caprini, atque aliis ſimilibus diluentibus abiverunt.

XVIII. Dum nos reduces Dreſdam, trans Viennam Auſtriæ profecti ſumus anno 1740, menſe Julio, iterum de levibus rheumaticis doloribus conqueſtus eſt, licet parum moleſti erant; attamen medicamenta aliqua diluentia, ac diſſolventia, & ſanguinis miſſionem (rogatus) præſcripſi, a quibus tunc liber evaſit. Dreſdæ vero conſilium, atque operam alterius Medici adhibebat.

XIX. Demum anno 1742, dum catarrhorum epidemia hic viguit, etiam ipſe catarrho affectus fuit: accerſivit ſuum ordinarium Medicum, qui ipſum curavit; morbus tamen ita invaluit, ut poſt biduum, vel triduum ſuæ ægritudinis coactus fuerit e lecto de nocte ſurgere, ob maximam pectoris oppreſſionem; difficillima quippe reſpiratione hac de cauſa angebatur. Ordinarius Medicus ad reſpirationis difficultatem amovendam, in quinta ægritudinis die medicamentum purgans (neſcio qua ratione, & indicatione) propinavit: tunc temporis ſputum valde cruentum cum tuſſi rejicere incepit. Me accerſivit, & maximam in pulſibus febrem inveni; excreatio ſanguinolenta cum tuſſi valde copioſa erat; & ſanguis recens, ac vividus catarrhali materiæ mixtus notabilem vaſorum pulmonis lacerationem demonſtrabat; & qui a principio hujus morbi inflammationem ſuſtinebant. Peripneumonia profecto laborabat: nullum igitur opportunius medicamentum ad febrem cohibendam, & pulmonum inflammationem temperandam præter ſanguinis miſſionem conſultiorem eſſe duxi, & quæ a morbi initio inſtituenda fuiſſet, non vero circa finem quintæ diei, & eo tempore, quo pulmones non ita vulerati, vel lacerati inveniebantur; attamen cum hac proteſtatione, ne æger tanto deſtitueretur auxilio, juſſi ſanguinem primo a brachio, ſequenti vero mane a poplite mittendum fore; ac etiam medicamenta pectoralia, temperantia, & diſcoagulantia præſcripſi. In ſanguine extracto cruſta inflammatoria gelatinoſa flavi coloris apparuit. Omnia medicamenta inutilia evaſerunt, elapſo jam opportuno medendi tempore, qua de re in ſeptima a decubitu die Vir tam egregius, ac eruditus e vivis diſceſſit.

ÆGROTUS II.

XX. Dominus le Gros ſexageſimum nonum ætatis ſuæ annum agebat; Vir ceteroqui fortis, ac robuſtus, in menſe Martio hujus anni 1742 catarrho epidemico laboravit, cum febre, inæqualitate pulſuum, difficultate reſpirationis, pectoris oppreſſione, tuſſi, & pauca in quantitate materiæ catarrhalis ſubcruentæ excretione. In prima ægrotationis die, proprio marte, nullo Medicorum conſilio adhibito, venam in brachio ſecare permiſit; optimam diætam, & juſcula tenuia in uſum revocavit; potus vero ex pectoralibus herbis ad formam thee paratus erat; febris tamen, pectoris oppreſſio, & reſpirationis difficultas continuabant; ſputum ſemper parcum, & ſubcruentum perſiſtebat; alvus laxa erat, & ter, vel quater, vel plus de die ſe expurgabat. Nono ægrotationis die ego accerſitus, in eodem ſtatu ipſum inveni, ſicut deſcripſi, & ipſemet mihi retulit; pulſus vero valde celer, durus, & inæqualis ad tactum obſervabatur; & tum ex pulſu, tum etiam ex ſputo ſubcruento, atque aliis ſymptomatibus phlogoſim in pulmonibus adhuc perſiſtentem cognovi. Juſſi iterum venam brachii ſecare; ſanguis extractus poſtquam concrevit, gelatinoſam flavam cruſtam exhibuit. Ex hac ſanguinis miſſione ſputum copioſum factum, potationes pectorales, ac alia medicamenta temperantia, & diſſolventia adjunxi, quæ omnia quotidie ſumpſit: febrem interim temperatam agnovimus; & pulſuum inæqualitas amplius non apparuit. Decima tertia ægrotationis die ſanguis a poplite, meo juſſu, miſſus ejuſdem qualitatis fuit, ſicut antecedenter deſcriptus. Decima quarta febris die ſudores apparuerunt; ventris laxitas diſceſſit; ſputum incruentum, & in abundanti quantitate ab ægrotante excreatum fuit. Decima ſeptima die, poſt copioſum ſudorem febris judicata receſſit. Die vigeſima pectus a catarrho totaliter repurgatum, convaluit.

ÆGROTUS III.

XXI. *Juvenis viginti duorum circiter annorum ætatis, in hoc menſe Martii 1742 catarrho epidemico correptus febricitabat. Tertia morbi die accerſitus, ægrotantem magna febre urentem, cum intermittentia per unum ictum in pulſibus inveni; ſputo catarrhoſo, pauco, ſemicruento, cum maxima reſpirandi difficultate a pectoris oppreſſione producta. Juſſi ſanguinem mittere; & ſequenti die iterum altera phlebotomia repetita fuit: in ambabus ſanguinis miſſionibus cruſta aderat valde gelatinoſa, flavo-virideſcens; medicamenta pectoralia, & quæ febrem, & pulmonum inflammationem temperarent, præſcripſi. Quinta ægrotationis die ſputum non amplius cruentum, ſed copioſe excreatum inveni: pulſuum intermittentia poſt primam ſanguinis miſſionem momento temporis evanuit; reſpiratio facilior, & febris mitior obſervabantur: die ſeptima poſt copioſum ſudorem febris judicata receſſit: die decima quarta pectore repurgato, ad priſtinam redactus fuit ſanitatem.*

ÆGROTUS IV.

XXII. *Quidam Civis in hac epidemica conſtitutione catarrhoſus factus, cum tuſſi ferina, abſque ulla excreatione, niſi tantum aliquid de catarrhali materia cruda: tertia morbi die veſpertino tempore horrore correptus, frigore algebat. Poſt ſolidum bihorium a frigore, febri magna captus, de lateris dolore infra coſtas ſpurias conqueſtus fuit. Mane mihi accerſito hanc, quam recenſui, hiſtoriam narravit; & ſe detegens, digito partem in latere dextro dolentem ſub coſtas ſpurias oſtendit. Dixi venam a brachio ſecandam eſſe; & ſanguis extractus, poſt congelationem, cruſta gelatinoſa flava obductus videbatur. Veſpere de nullo amplius dolore in illa parte, ſed de coſtarum regione ejuſdem lateris, circa tertiam, & quartam coſtam, ad claviculam uſque aſcendentem, ac poſticæ dorſi parti correſpondentem conqueſtus eſt. Iterum ſanguinem mittere juſſi, qui eoſdem characteres oſtendit, ſicut alius antecedenter extractus: adhibui interim medicamenta diluentia, & antipleuritica: abſceſſus in pleura jacens, ante ſeptimum morbi diem diſruptus eſt; æger cum tuſſi, & ſputo materiam purulentam in ſufficienti quantitate, ſtriis ſanguinis refertam, excreavit: quotidie parvam quantitatem ejuſdem materiæ ſanguineæ cum tuſſi excreabat; ſudores leves poſt ſecundam ſanguis miſſionem apparuerunt. Die ægrotationis decima febrem valde temperatam obſervavi: nox valde inquieta ſubſecuta eſt; copioſe tamen ſudavit. Die undecima febris evanuit: die decima quarta, pectore repurgato, convaluit.*

ÆGROTUS V.

XXIII. *Quidam mercator in hoc menſe Martii 1742 catarrho epidemico affectus febricitabat; tuſſis licet frequens, excreatio tamen nulla. Secunda febris die, illi pleuritico dolore correpto febris increbuit; magno, ac diuturno præcedente frigore, & horrore. Hac eadem die ſanguinem mittere juſſi, qui poſt congeſtionem, cruſtam gelatinoſam flavam præbebat; antipleuritica, diſſolventia, ac pectoralia præſcripſi. Sequenti die denuo ſanguis miſſus fuit, qui congelatus ejuſdem tenoris ſe oſtendit: ægrotus noctem valde inquietam, anxiam, cum maxima reſpirandi difficultate tranſegit: ſequenti matutino tempore quiete degere viſus fuit: tunc ego accedens (quarta ſcilicet ægrotationis dies erat) nullam febrem, nullam reſpirandi difficultatem, nullum pleuriticum dolorem, nullamque expectorationem inveni, præter copioſum ſudorem tempore matutino eruptum: ſedem paulo poſt naturalem habuit, & ſupra fœces ſolidas excretas, quantitas purulentæ materiæ ſanguini mixtæ aderat. Morbus per ſudorem, & per excretionem purulentæ materiæ per alvum cum fœcibus judicatus evanuit.*

ÆGROTUS VI.

XXIV. *Vir ætatis triginta circiter annorum, catarrho graviter hoc epidemico tempore laborabat, cum tuſſi, & nulla excreatione, præter viſcoſam ſalivam, & febrem, quæ mitis tunc apparuit, cui tertia morbi die fauces inflammatæ dolebant, & febris tunc aucta. Sanguinem a brachio mittere non dubitavi; qui poſt congelationem cruſta gelatinoſa viridi-flaveſcente obductus viſus fuit: præſcripta fuere diſſolventia cum nitro, & gargariſmata blanda ex lacte, hordeo, & floribus ſambuci: febris eodem modo aucta in quarta ægritudinis die continuat; fauces inflammatæ ſemper dolebant; deglutitio impedita, & reſpiratio difficilis perſeverabant: iterum ſanguinem a poplite mittere ſuaſi, qui ejuſdem qualitatis cruſtam exhibuit: in quinta ægritudinis die inflammatio, quæ per totam faucium regionem diffuſa erat, in latere tantum dextero, in ima faucium parte, hoc eſt in pharynge, ſe collegit, ibique abſceſſum produxit. Cum gargariſmatum emollientium continuatione ex ſe met abſceſſus diſruptus, febris, ac omnia ſymptomata ſocia evanuerunt, & æger ſanus evaſit.*

XXV. *Epidemia hæc a mutata aeris conſtitutione originem ſuam habuit; etenim cum meteora in aere apparent, credendum firmiter eſt, tunc aerem ab exhalationibus ſulphureis, nitroſis, bituminoſiſque infarctum hæc phœnomena rapræſentare; quæ cum e terra exhalent, neceſſario humana corpora prima erunt, quæ hujuſmodi exhalationibus, media inſpiratione, imbuta, damnum aliquod ſuſtinere debebunt, & quæ poſtea ad aerem, vel ad æthera aſſurgendo, ſeu volitando phœnomena inibi producunt. Porro auroras boreales ab iſtis exhalationibus, & a frigore aeris productas eſſe judico; frequentius enim in ſeptentrionali regione hac ratione apparent; quæ ob accenſibilem materiam a qua elevantur, in aere frigido condenſatæ, facillime incendi poterunt, atque tamdiu durare, quamdiu novæ exhalationes e terræ cryptis, vel meatibus erumpentes igni accenſo pabulum ſuffecerint, & quæ humano corpori indubie noxia eſſe ſolent.*

XXVI. *Ubique profecto locorum ab omnibus obſervatur, vel obſervari poterit, quomodo vapores a terra eleventur, & nebulas conſtituant; ac etiam intra urbes quandoque tam atrox e terræ meatibus vaporum, exhalationumque vis aſſurgit, ut ſolidum, obſtruentemque ſilicum rimas in Civitatis pavimentum pulverem ſcindat, craſſiorque exhalationum pars pluribus, arctiſque foraminibus ubique reſeratis, in jacentium ſilicum latera humiditate quadam deturpet; quæ omnia noctis tempore, haud gradientium compreſſa veſtigiis, mane intuentium oculis clare ſe exhibent; levior vero ad aerem inficiendum evolans, ſæpe caliginem undique offundunt: quandoque etiam copia exuberans, vel in rorem ſtillet, vel in pluvias defluat, vel meteora, atque phœnomena in cœlo apparentia producat, præcipue ubi terræ viſcera bitumine, ſulphure, atque nitroſis, accenſibilibuſque ſalibus ſit imbuta, e quibus plurimæ, copioſiſſimæque exhalationes elevantur, & quæ jam elevatæ, a perenni deinceps exhalationum copia, quæ continuo e terra elevantur, foventur, quibus homo, ceteraque animalia etiam, participes fieri debere neceſſe eſt.*

XXVII. *Quid enim ſunt arcus, columnæ, trabes, pyramides, & ſimilia ab aurora boreali repræſentata, niſi copioſa exhalationum effluvia, quæ affluenter e terræ viſceribus prorumpentes, in aerem intromiſſa, & tum a ventorum afflatu, tum etiam a frigore compreſſa, columnarum, pyramidum, trabiumque figuram intuentium oculis exhibentia, quæ a Wagnero, Jeconio, Lemanno, Gottſchling, Fiſcero, Romero, Wolfio, Roſtio, & ceteris Scriptoribus adnotata fuerunt? Quid eſt illa lucis undulatio, niſi continuata exhalationum appulſio? At quia in Borealibus Regionibus ſulphur, bitumen, ſalia, & ſimilia in majori copia, quam in ceteris Regionibus abundant, necnon ſemper frigidus inibi aer reperitur, ideo in ſeptentrionali plaga frequentes meteoræ, auroræ boreales, ceteraque cœli phœnomena magis, quam in aliis terræ regionibus, apparere ſolent.*

XXVIII. *In Iſlandia maximus, altiſſimuſque mons ignivomus adeſt,* Hekla *dictus, cui propinquæ plurimæ ſulphuris fodinæ jacent, e quibus ſulphur in tanta copia colligitur, ut per totam fere Europam diſtribuatur: imo duo montes in eadem Regione reperiuntur,* Hekla *videlicet, &* Crucis *nuncupati, qui etiam ob ſulphuris, ac bituminis in ipſorum viſceribus contentis accenſionem, ignem vomunt, non ſecus ac in monte Veſuvio Civitatis Neapolitanæ, & in monte Ætna in Inſula Siciliæ habitatores conſpiciunt. Inſuper hiſtoriæ referunt, quod in ſeptentrionali Iſlandiæ Provincia, prope Haſevvigum mons ſulphureus ita accenſus fuerit, ut totum pagum Myhaſen, atque plurima alia ædificia circumcirca ſita, momento temporis combuſta fuerint; ſicut olim etiam Inſulæ Ænariæ, vulgo Iſchia dictæ in Regno Neapolitano eveniſſe ſcimus, & incendii veſtigia in hac Inſula relicta, adhuc hodie conſpicua omnibus ſunt.*

XXIX. *Inſuper in Inſulis Iſlandiæ, & Groenlandiæ plurimæ calidiſſimæ Thermæ ſulphureæ adſunt; atque inibi frequentiſſime terræmotus ſentiuntur, licet Groenlandia per novem tantum gradus a polo diſtet; porro prope polum articum hæc inſula jacet, cujus confinium, polum verſus, ſeu polo proximius ad Spitsbergen uſque extenditur, quæ omnia in ſeptentrionali plaga ſita ſunt. Mirum igitur non eſt; ſi frequenter inibi auroræ boreales, meteora, & cetera cœli phœnomena appareant.*

XXX. *Quod ab iſtis ſulphureis, bituminoſiſque exhalationibus in debita, ſeu proportionata diſtantia a terra elevatis lumen ſeptentrionale producatur, indubium eſt; ſæpius enim, tum in ſummitate montis Veſuvii, tum etiam montis Ætnæ, ſilente igne, & nulla apparente flamma, caligo quædam debilis, & rara conſpicitur, a continua partium bituminoſarum, ſulphurearumque exhalatione producta, quæ pallidum, & debile lumen ſpectatorum oculis diffundit: etenim tunc temporis haud copioſiſſimæ adſunt exhalationes, quæ majus lumen diffundere poſſent; ſufficit ergo, ut lumen, licet pallidum, ac debile a talibus exhalationibus emergat, ut conjectura aſſequi valeamus, quod quando copioſæ dentur, & ab aere frigido in proportionata aeris regione condenſentur, lumen copioſum in cœlo repræſentare facile poterunt.*

XXXI. *Etiam a ſulphureis, bituminoſiſque terræ exhalationibus phenomenon illud nuper in menſe Februarii præſentis anni 1743 in Regno Neapolitano horis veſpertinis in aere viſum, productum fuit; etenim tot, tantæque bituminoſo-ſulphureæ, atque nitroſæ exhalationes ab igne ſubterraneo in terræ viſceribus latente productæ, ac extra telluris ſuperficiem eruptæ, & a frigido tunc temporis aere in cœlo condenſatæ, ut ſupra Civitatem Tarenti, circa horam ſecundam veſpertinam, continuo bihorii ſpatio (ut plurimæ retulerunt epiſtolæ) ignitam navem velis expanſis repræſentaverint: at poſtquam hoc phœnomenon evanuit, aer valde obſcurus, tetrus, quietus, ac caliginoſus ab exhalationum copia evaſit. Secutus eſt demum tunc temporis ille horribilis terræmotus, qui pluribus Civitatibus, Tarento ſcilicet, Brunduſio, Hydrunto, Callipoli, atque aliis, damnum maximum intulit; terra quidem alicubi ita dehiſcere viſa fuit, hiatumque ita aperuit, ut integrum Monacorum Cœnobium in ſinu ſuo exceperit; vapores enim, exhalationeſque, dum per terræ cryptas, ac meatus extra telluris ſuperficiem emergunt, terra caligine aerem offundunt; dum vero ab igne ſubterraneo in majori copia productæ, exitum ſibi querentes, vias, vel anguſtas, vel qualibet alia ratione obſtructas invenerint, neceſſario terram concutiunt, motumque ipſi tribuunt, ut vias ad exhalandum paratas invenire valeant; quæ ſi non aderunt, tunc clauſtra ſua effringendo, rimas, hiatuſque in terram aperiendo (cum damno) exitum, ac difflationem ſibi parant.*

XXXII. Cum igitur vapores, exhalationeſque terræ tot ſpectacula in cœlo, totque damna hominibus in terra inferant, quare non quandoque ab ipſiſmet epidemica aliqua conſtitutio produci poterit? Exhalationes enim dum aliis terræ impuritatibus vel narcoticis, vel arſenicalibus, vel ſimilibus mixtæ, vel imbutæ, extra telluris faciem egrediuntur (ut in crypta canum prope urbem Neapolitanam narcoticum, venenatumque terræ vaporem erumpere cernimus) mephitis inſtar, tot, tantaſque in humana machina mutationes, alterationeſque inducere poſſunt, ut ex mutata liquidorum conſtitutione, neceſſario epidemici morbi, vel etiam peſtiferi quandoque ſubſequantur.

Dreſdæ calendis Maii 1743.

FRANCOFURTUM

AD MOENUM

VIRO CLARISSIMO

JOANNI PHILIPPO BURGGRAVIO

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

DUM Anglica, & Gallica experimenta undique obſtrepunt circa ſaponis activitatem in ſolvendis lapidibus, qui in renibus, & veſica concreſcunt, vitamque hominum lædunt, en meas in manus veniunt obſervationes, & tentamina tua, quibus eodem remedio, a gummi ammoniaco, & extracto centaureæ minoris ad ulteriorem potentiam perducto, moleſtam pulſationem in epigaſtrio feliciter curaſti, & ſexagenario majorem jam diu, ſcilicet per triginta quatuor annos laborantem, perfectæ valetudini reſtituiſti. Hæc dum acre ratiocinium tuum Medicam Praxim locupletans oſtendunt, excitant etiam conjecturas meas ad cogitandum num palpitatio, & ſubſultus, qui continuati veſtro in ægroto exacerbabantur, fortaſſe penderent ab obſtaculo, & infartu, quæ in imis viſceribus laterent, & deſcendentem aliquam arteriam comprimendo, ſanguinis commeatum, & tranſitum interciperent, qui ad cor redux, reſtitans, aut ſtagnans violentos, & inordinatos illius motus efficeret. Obtenta quippe ſanitas, cum aneuriſmatis metum, & ſolidorum quodvis vitium excluderet, nec convulſivæ diatheſis, quæ accidentaliter, narcoticis pacanda, ſæviiſſet, ulla interceſſerint fundamenta, reliquum eſt, ut a ſolo obſtruente impedimento rebellis morbi fomes penderet; ideoque ea ipſa, quæ in petroſis ſaburris attenuandis, & ſolvendis ſapone obtinemus, etiam in obſtructionibus ſperanda ſint.

Francofurtenſis idcirco modus tuus, quo unum curaſti morbum, lumen ceteris Clinicis dat, ut in diverſis morbis, ſed ab eadem cauſa pendentibus, idem remedium aliis ſubſtituant. De facto ſi calcis, ſi olei, ſi cinerum etiam ſejunctas energias perpendamus, illico noſtris mentibus eluceſſet vis in promovenda fibrarum, corporumque oſcillantium vigoratione, mollities in deliniendis durioribus ipſis impedimentis, potentia denique ad quævis ſubeunda corpora, & dividendas maſſulas, in quo totum opus aperitivorum, & deobſtruentium remediorum conſiſtit.

Et ſic eſt facere Medicinam cum ratione, doctiſſime Burggravie, ipſamque ad majorem utilitatem promovere. Ad me quod attinet, in poſterum non pertimeſcam. Ubicumque videro rebelles obſtructiones rhabarbarinis, & chalybi, ipſoque fortaſſe mercurio reluctantes, ad ſaponacea tranſire non ambigam. Quod licet etiam alii docuerint, tamen nunc ſtrata magis via eſt, teque optime merito facta.

Si in libera urbe tua
qua primos Cæſar honores
Accipit
aliquot alias obſervationes ad Praxim illuſtrandam utiliſſimas feciſti, quæ typis nondum traditæ ſint, mihi in epiſtola tranſmittes, rem facies gratiſſimam. Una quippe cudentur cum ſcriptis noſtris, in quibus aliarum Provinciarum medendi uſus ad lancem revocatur. Optarem idcirco, ut Francofurtenſis ad Moenum Medicina Practica paucas in paginas conſtracta, te auſpice & Scriptore, toti conſtaret Orbi, meumque ornaret opus, quod ulterioribus literis magis notum faciam, illico ac videbo tibi non diſplicuiſſe prima officia noſtra, ſi comiter annues, ſupremo favente Numine, in æuum duratura.

Brixiæ 7 Februarii 1745.

VIRO CLARISSIMO

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

S. P. D.

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS JUNIOR

PRobari tibi Vir Clariſſime, meam exhibendi interne ſaponem methodum, ex æſtimatiſſimis tuis literis, quæ ſub finem Februarii a. c. itinere Brixia per Tridentum primum retrogrado ad me pervenere, lætus intellexi. Tardius juſto reſpondeo; neutiquam vero ex negligentia, ſed quod concatenati labores mei, mihimetipſi me continuo fere ſurripiant. Nunquam tamen concedam, ut & officio, quod tuæ, Vir Nobiliſſime, humanitati debeo, per eos deſim. Sed ad ſingula literarum tuarum momenta obſervanter nunc tandem reponam.

Quod

Quod itaque ad experimenta Anglicana, & Gallica de ſaponis virtute calculos veſicæ diſſolvendi attinet, a me nondum impetrare potui, ut huic laudi ſimpliciter fidam, quin quamplurimis limitationibus, tam quoad ægrorum ætatem, quam quoad varias corporum conſtitutiones illam circumſcribendam exiſtimem. Expoſui jam hac de re mentem meam, cum anno 1740 in novellis literariis, quæ hic Francofurti ad Moenum vernacula lingua prodeunt, no: XVI. p. 85 & ſeqq. Clariſſimi Joannis Henrici Schulzii Profeſſoris Medicinæ nuper Halenſis doctiſſimum Schediaſma, quo problema, an dentur medicamenta, quæ calculum in veſica comminuant, in partem affirmativam reſolverat, recenſueram, brevi hac digreſſione: quod neque experimenta Horatii Augenii, Wilhelmi Laurembergii, Joannis Conradi Dippelii, qui acido vitriolico calculos in veſica diſſolviſſe dicuntur; neque experimenta Anglorum & Gallorum, cum ſapone in eundem finem largiſſime etiam & diu, neque inutiliter ſæpe, devorato, ſufficiant; ut quis alterutram harum methodorum, per acida nempe, vel per alcalica, in omnibus promiſcue corporibus calculoſorum cum fiducia tentet, vel ſequatur. Cum enim experimentis conſtet, calculos extra corpus humanum neque per ſpiritum vitrioli, neque per ſaponem, utut diu ſatis digeſta, ſolvi: cum non minus per experimenta jam pridem innotuerit, quod tam alimenta, quam medicamenta acida vel alcalica diu, & largiter etiam aſſumpta, viribus vitæ ita ſubigi ſoleant, ut inde in ſanis lotium nunquam vel acidum, vel alcalicum in veſicam derivetur: per alterutram vero harum methodorum effici debeat, ut acidum, vel alcali eo exceſſu aſſumatur, ut a viribus vitæ ſuperari nequeat, ſed in humorum corporis mixtione ita prævaleat, ut non mutatum in veſicam cum lotio derivetur: acidum vero, vel alcali in mixtione humorum corporis humani ſemel ita prævalens, ſanitati valde damnoſum, ægre corrigibile, & alcali imprimis, utpote arroſiones, inflammationes, gangrænam, putredinemque inducens, ſumme periculoſum ſit; liquido patere puto, univerſum corpus ingenti periculo per alterutram harum methodorum, maxime per alcalinam exponi, dum particulari morbo, calculo nempe veſicæ, dubio adhuc ſucceſſu, mederi animus eſt.

Ceterum ſapone frequente admodum in praxi mea, & certo ut plurimum cum ſucceſſu, in affectibus a coagulis per acidum, aut a glutinoſis amurcoſisve humoribus viſcera hinc inde obſtruentibus, aut functiones eorundem impedientibus natis, utor: ſolicite vero in omnibus malis tabificis putridisve, aut ubi a latentibus vomicis metus eſt, a ſaponis uſu abſtineo. Per priores illas rationes adductus, ſeni illi cui arteria quædam in epigaſtrio ita vehementer, & moleſte per 34 annos ſaliebat, ut externe per veſtimenta conſpici potuerit, qui adhuc in vivis eſt, & jam ſeptuagenario major commode valet, vel ideo mihi charus, quod tuam, Vir Illuſtriſſime, amicitiam mihi conciliaverit, ſaponem aliis adhuc adjutum pharmacis exhibui. Sed ingenue fateor, me ob rationes jam alibi dictas non aſſequi, quale obſtruens illud fuerit. Ubi illud in abdomine hæſerit, quod per 34 annos abſque, ut per nativum corporis calorem irreſolubile, durum redditum fuerit, hærere, dein adeo facile ſolvi, & excuti potuerit, abſque ut tam ante, quam poſt ſolutionem excuſſionemve quicquam in functionibus viſcerum abdominalium mutatum obſervare potuerim. Utiliſſimum erit, quod moliris opus Vir Doctiſſime, quo variarum Provinciarum medendi uſus ad lancem revocas. Vehementer opto, ut in lucem mox prodeat, quod ex illo diſcere liceat, quid variarum Provinciarum conditio naturalis ad gignendos non ſolum endemios, & interdum epidemicos morbos faciat, ſed & quomodo Medici inquilini illis mederi ſatagant; quouſque conatus ipſis ſuccedant, & quomodo invicem perſui, & ad uſus per alias Provincias transferri queant. Jam tibi, Vir nobiliſſime, aera, aquas & locum noſtræ urbis, & quantum hæc ad incolarum valetudinem conferant, ac quomodo illas mederi ſtudeamur, paucis exponere animus quidem erat, ſed in aliud tempus differre id cogor. Vale, Vir Clariſſime, & tuo favore me porro complecti perge.

Dab. Francofurti ad Moenum d. 6 Julii 1745.

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMOQUE

DOMINO

JOANNI PHILIPPO BURGGRAVIO

JUNIORI

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

DUo ſunt, quæ me urgent, & prope vim faciunt, ut noſtris his te interpellem, Clariſſime Burggravie. Primo, ut fidem, quaſi dixero, tua in epiſtola 6 Julii mihi datam, ſolvas, circa aliquam mentionem *aeris*, *aquarum*, & loci *urbis* Francofurti, & *quomodo mederi* ſtudeatis. Ob quem finem, ut favendo agas, & in aliqua re Italico-Brixianam Medicinam cum Germanica comparare poſſis, addo in exiguum, ſed perenne obſervantiæ monumentum, unum exemplar Hiſtoriarum noſtrarum Morborum, ut in inferiori loculo Bibliothecæ tuæ collocetur.

Secundo ſuplex venio, ut alterum volumen (ambo ab itineris expenſis libera) quod una cum tuo accipies, aut tradas, aut meo ære dirigas in manus Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Joannis Georgii Joſephi Comitis de Koenigsfeld. Quippe cum in Germanicis Actis vidiſſem illum nunc venerari, ut Protectorem Academiæ Curioſorum Leopoldinæ; cumque Nobilis Elias Buch-

Buchnerus Præſes me quoque in eadem aggregatum eſſe monuerit, æquum mihi viſum eſt, ut toto Orbe celeberrimæ adeo Academiæ Auſpici, ut factus cliens, mea quoque obſequia, & poſtremo editum Opus ſiſterem, rogans ut tanti Patrocinii particeps evadam.

Vides ergo, quanti te faciam ſi pro futura editione peto decus, hoc eſt epiſtolam ad Medicinam tui cœli ſpectantem; quanti fidam, ſi ob rem magni momenti accedo, hoc eſt, ut per te ſummæ Perſonæ demiſſi animi mei officia profundantur. Reliquum eſt, ut pari benevolentiæ lege mihi jubeas, & valeas, quod animitus precor.

Brixiæ 8 Decembris 1745.

P. S.

Quatuor Librorum in folio maximo faſciculus, cum ſigno I. B. tranſibit per regiones Tridentinas miſſus Francofurtum ab Hæredibus Caroli Zugliani ex Torbole, mercium expeditoribus, ad Benaci lacus ripam ſeptentrionalem. Ab iiſdemque, aut a me ulteriores de eodem brevi habebis notitias.

Alia duo volumina abſque nomine, cui dirigenda ſint, oro, ut apud te detineas uſque ad nova monita noſtra.

Scirem libenter, quiſnam ſit, & ubi moretur Ephemeridum Academiæ Leopoldinæ Director.

Illuſtriſſimo Doctiſſimoque Domino

FRANCISCO CO: RONCALLI PAROLINO

Salutem & officia

JOANNES PHILIPPUS BURGGRAVIUS JUNIOR

Parum verecundus commercii epiſtolici tanta humanitate, tantaque benevolentia a te, Vir celeberrime, mihi oblati cultor, in reſpondendo tarditate cenſeri poſſem. Recte accepi cultiſſimas tuas octavo Decembris nuperi exaratas: cum vero libros, quorum tum mentionem feceras te miſſurum, & in ultimis tuis d. 25 Febr. a. c. datis te jam pridem miſiſſe nunciaſti, de die in diem præſtolarer, labebantur ſeptimanæ & menſes, & nondum advenere, nec ubi lateant ſcio.

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo S. R. I. Comiti a Koenigsfeld Magno Muſarum Patrono acceptiſſimum fore donum tuum literarium ſpondeo; inprimis cum Medicinæ adeo gnarus ſit, ut ſubinde illam animi gratia adeo ſcite exerceat, ut ſi per natalium, & munerum ſplendorem liceret, & illo gloriari poſſet. Sæpius id vidi, cum per illos annos, quibus heic una cum aula Cæſarea commoraretur, me ſuum, & Illuſtriſſimæ Familiæ Medicum eſſe juſſerat. Hac occaſione Patronum Academiæ Naturæ Curioſorum illum exoravi, & Præſidi digniſſimo ſignificavi. Omni cura opus tuum, quo magna nominis tui celebritate artem promoves, quamprimum obtinuero, ad Illuſtriſſimum illum Dominum mitti ſtudebo. Ego ſane aveo illud attentius perluſtrare, & pro tanto munere etiam accipiendo, me obſtrictiſſimum debitorem profiteor. Ephemeridum Academiæ noſtræ Director eſt Chriſtoph: Jacob Trevv, Medicus Norimbergenſis, Vir Clariſſimus. Propediem ſpero commentariolum meum de Urbis Francofurtanæ ad Moenum aere, aquis, & locis, horumque habitu ad incolarum morbos, hiſque medendi ratione me abſoluturum, tumque obſervanter tranſmittam.

Vale Vir celeberrime, & ut liberaliter facis, mihi favere perge. Scribeb. Francofurti ad Moenum d. 12 Martii 1746.

HALA
MAGDEBURGICA

Illuſtriſſimo Comiti

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Academiæ Bononienſis Socio, & Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Priori

S. P. D.

JOANNES JUNCKERUS

Laudari a viro laudato, Illuſtr: Comes, & ipſe cum Cicerone mallem, tuaque laudum encomia, quibus me per litteras dignum judicaſti, mea putarem, niſi conſcius eſſem, ea in me ornamenta vix inveniri poſſe, quæ ad vos de me ſunt perlata. Interim tamen, ne ingrati hominis notam incurrere, Tuumque fallere viderer judicium, omni humanitate, & ea, qua decet, gratiarum actione tuas, licet ſatis ſero, accepi literas. Quod præter ea tuæ induſtriæ, tui laboris, tuæque laudis ſpecimen elegantiſſimum ſimul mihi tranſmittere benevole volueris, totumque opus adhuc tranſmittendum curare velis, grata mente agnoſco. Commode illud per hæredes Lotteri, bibliopolas Auguſtæ Vindelicorum, qui nundinas Bolzanenſes frequentant, accipere poſſem, ſi quidem ita tibi volupe fuerit. Inſcriptio Germanica fieri poteſt his verbis: An Hernn Lotters Erben vornehme Buchhandlung in Augſpurg. *Jam niſi gravitatem, & animi tui magnitudinem offenderem, iiſdem, quibus ipſe Illuſtr: Comes in me laudando uſus es, laudum cumulis te ornarem, tibique honorem, & applauſum omnium Eruditorum congratularer. Verum quum facile magni Viri continentiæ, & integritati per cumulatas laudes inſignis injuria fieri poſſit, ſuperflua omnia, pace tua, miſſa faciam.*

ciam. Ut tamen referre quoque gratias annitar: de meis Scriptis, v. g. 1. Conſpectum therapiæ generalis, 2. Medicinam theoretico-practicam, 3. Phyſiologiam, 4. Pathologiam, 5. Chirurgiam medicam, & inſtrumentalem, & 6. Chemiam, ut mutuo accipere poſſis, ſi quidem judicio tuo inter bibliothecæ tuæ reliquos libros reponi mereantur, iiſdem Lotteri hęredibus in mandatum dedi. Neque, quod noſtro tempore notatu dignum eſt, a te neſciri volo, eſſe ſcil. apud nos non infimæ ſortis Matronam quandam, cui nunc quotidie, olim a Lipſienſibus Medicis ſenſim ad hanc conſuetudinem adductæ, ℥ .s. opii ad ſedandos cephalalgiæ motus vix ac ne vix quidem ſufficit. Qua ratione per unumquemque menſem ſedecim uncias opii edendo conſumit. Quo ſi jam prohiberetur, laxa, ægra foret, & miſera. Dignum itaque ego putavi hunc plane ſingularem caſum, quem in diſſertatione quadam inaugurali medica nuperrime tractavi. Ceterum, quod ad me attinet, id perficiam, ut intelligas, multos a te peritiores eligi atque ad litterarum commercium invitari potuiſſe: at qui colendi nominis tui ſit ſtudioſior, te habiturum fuiſſe neminem. Vale.

Dabam Halæ Saxonum d. 24. Julii 1744.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO VIRO DOMINO

JOANNI JUNCKERO

Publico Medicinæ Profeſſori

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

REPERIRE ingenuos proboſque homines, qui comiter exhibitæ neceſſitudinis fœdus ſuſcipiant, res eſt, quæ alias mihi contigit; ſed adeo generoſos, ut pro levidenſi Operis munuſculo dimidiam dono dent Bibliothecam, quæ ſatis ſit, non ſolum pro inſtituendo in rebus Medicis, & Chirurgicis Philiatro, ſed perficiendo Clinico, non ita. Viſa epiſtola tua, exclamare debui cum amicis: en quomodo ſe gerant Germani in officiis rependendis. A binis ſolum hiſce meis ſenſibus recte intelligere potes, celeberrime Junckere, quanta fuerit oblectatio mea, in legendis tui grati animi ſignificationibus, & arguere, quales conatus mihi in poſterum obeundi ſint, ut tuta tibi reddam meæ obſervantiæ teſtimonia.

Tuis interim illico parendo juſſibus, per hujus hebdomadæ tabellarium moneo Hæredes Lotterianos bibliopolas Auguſtæ Vindelicorum, de proxima expeditione Operis mei, *Hiſtoriæ Morborum*, tibi inſcripti, ut quantocyus fieri poſſit, illud ad Halam Saxoniæ dirigant, eodemque tempore, quoniam ſic vis, mutua tua ſex volumina ad inſigne meæ bibliothecæ ornamentum, per manus ſi fieri poteſt D. Guſtavi Adolfi Amman Auguſtani, qui in poſterum aget res noſtras, mihi reddant.

Adhuc obſtupeſco de expoſito doctiſſima tua in epiſtola caſu honeſtæ Matronæ tantam opii quantitatem devorantis pro ſedandis cephalalgiæ motibus. De quo quiſnam aptatas rationes reddere unquam poterit? Nuperis hiſce diebus Mediolanum accitus, ut Medicinam facerem, & opinionem meam pro curatione difficilis morbi in nobili Ægroto aperirem, dum civilis viſitationis ergo Excellentiſſimę Principi, Inſubrumque Heroinæ Comitiſſæ Cleliæ Grillo Borromeæ (cui adhuc adoleſcens Tractatum de aquis mineralibus Mediolanenſibus Coldoni dicavi) mea voveo obſequia, ipſam video opii fruſtula manducantem, & repetentem, noſtraſque ſuper hoc admirationes riſu quodam excipientem, teſtibus benemultis Equitibus, & prænobilibus Matronis, ipſoque magni nominis Viro, & Medico Domino Palazzi, qui magnæ Mulieri ſtudiorum fautrici coronam faciebant. Viſaque ſubinde capſula, ubi fruſtula aſſervabantur, credita ſingula fuere prope pondus unius ſcrupuli, aut ſemidrachmæ, cujus ſumptio ad plures vices iterabatur. Sique tunc admiratus ſum de drachmis, argue, quæſo, quid nunc faciam de tuis unciis.

Nobilis Vir Collega noſter Suardus de Suardis, Vir doctus, & optimus Practicus, qui in primario urbis Xenodochio Medicinam moderatur, viſa epiſtola tua, illius eſt ſententiæ, ut paralyſis, vel apoplexiæ ictus (Deus egregiam mulierem diu ſoſpitem ſervet) pertimeſcendus ſit.

Quoniam vero fauſta ſors te patronum, fautoremque ſtudiorum meorum dedit, æquum non eſt, ut ſileam præſentia noſtra tentamina incumbentia examini domeſticæ Medicinæ, quæ pluribus in Europæ provinciis uſu venit. Ideo ſi aliqua tuis literis delibare, Brixiamque dirigere placuerit circa Magdeburgenſis Archiepiſcopatus Jatreuſim, brevi quantumvis epilogo adumbrata, rem nobis gratam, Medicæ Reipublicæ utilem, & futuræ editioni decoram facies. In hunc ſiquidem ſcopum & celeberrimus Vir, Philippus de Violante, Regis Poloniarum, Electoriſque Saxonici Archiater, amicus noſter, Conſtitutiones Dreſdanas elapſorum aliquot annorum, nobis manuſcriptas tranſmiſit.

Videant Saxones tui, ſciat Italia noſtra, Orbiſque totus amicum, literariumque inter nos initum fœdus: & quoniam remoto cœli tractu diſtamus, literarum frequentia inevitabile hoc fatum compenſemus. Vale.

Brixiæ 2 Auguſti 1744.

Illu-

Illuſtriſſimo, & celeberrimo Viro Domino

Francisco Co: Roncalli Parolino

S. P. D.

D. I. JUNCKERUS M. P. P. O.

Erubui ſane, Comes Illuſtriſſime, quum alteras humaniſſime ad me ſcriptas perlegiſſem litteras tuas, & indignatione fere commotus ſum de ſiniſtra voluntatis meæ interpretatione, ut qui non vendere tibi, ſed gratis dare opera mea bibliopolæ mandaverim. Quocirca ne inhumanitatis nomine ſuſpectus tibi videar, deprecor errorem, doleoque Lotteri hæredum negligentiam; quæ tamen etiam excuſari debet, quoniam, cui hoc commiſſum erat, morte occubuiſſe refertur. Ut tamen tibi reſtitutio pretii in integrum fieret, jam jam curavi, & quidem per amicum meum Dom. Doct. de Bavier, Curiæ Rhætorum Practicum, qui decem Taleros Imperiales tibi cum hiſce litteris meis tranſmittet. Ad priores vero litteras, quod non, ut debuiſſem, citius reſponderim, & negotiis publicis, & officiis medicis impeditus, ipſe ego ægrius atque moleſtius tuli; quod ut tu, Comes Ill: fronte & vultu bellis feras, etiam atque etiam obſecro. Jam autem deſiderio tuo de opere novo edendo his ego ſimul ſatisfacerem, niſi anceps de inſtituti ratione, atque interpretatione hærerem, quam ut explicatius mihi una cum ſchemate quodam exponas, eſt quod velim. Quicquid enim fuerit, implendæ voluntatis tuæ gratia, omni, qua fieri poterit, ingenii dexteritate ſuſcipere annitar. Variæ mens tua ſuccumbit interpretationi; vel enim diſpenſatoria in quavis regione obvia, vel caſus, vel aliud quidvis colligere conſtituiſti. Si prius, commode poterit, ſin poſterius, commodius fieri potuiſſet, niſi mutuationis fraude deceptus, duo ſingularium caſuum perdidiſſem volumina, quibus colligendis, quam Halæ hac uſque exercui, praxis ſuffecit. Ex orphanotrophæi pharmacopolio enim, cujus ego moderamen quoque obtineo, quotannis duo, & quod excurrit, imperialium ſolidorum millia pauperibus gratis medicamenta diſtribuuntur, quo fit, ut undique catervatim ægrotantes eorumque nuncii confluant ad collegium pathologico-practicum, in quo ſub meo præſidio provectiores artis Medicæ candidati, ægros vel eorum nuncios examinando, illiſque medicamenta præſcribendo, exercentur. Inde commoda eſt ſingularium caſuum colligendorum occaſio, qua tamen ego uti, propter multitudinem, ingraveſcente præſertim ætate, non amplius curo. Tu contra, Illuſtriſſime Comes, cui me ſemper de meliori commendatum volo, firmius inſiſte cœptis, edendoque operi novo; quod ſi quid juvare quacumque ratione potuero, iterum iterumque me facturum eſſe polliceor. Ceterum ſignifico, me librum benigne a te promiſſum nondum accepiſſe. Vale.

Dabam Halæ Saxonum d. 12 Martii 1745.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO DOMINO

JOANNI JUNCKERO

Publico Ordinario Medicinæ Profeſſori

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

S. P. D.

Legere epiſtolam tuam duodecima Martii Halæ Saxonum datam, iraſci, admirabundum ſtupere, pœnitere ob tibi prænunciatam Hæredum Lotteri exactionem, erubeſcere, denique me tibi devinctum noſcere, quantum homo homini poteſt, unus fuit actus. Adeo ut, licet octo integri dies ab eadem accepta tranſierint, adhuc irrequietus, non bene video, quæ mihi agenda ſint, præcipue circa Imperiales tranſmiſſos acceptoſque prompte Taleros, quos veluti tibi iterum remittendos poſcere videtur honos, decuſque meum. Hinc apud amicos ſilere non potui, & pro ſermone generoſitatem ſæpius tuam propoſui, aures inde præbens, num citra neceſſitudinis noſtræ noxam, & meæ decentiæ periculum, tuo auro redimere Opera tua licuiſſet. Quamvis propterea affirmative omnes ſe geſſerint, quia res nova non eſt, ſed tantummodo primum donum confirmans, tamen de me ipſo plurimum dubitare debui; & tanto magis, quia non videbam merita, in quæ tot beneficia collocare debuiſſes. Quomodocumque res ſit, jam acquieſco, poſitiſque ſuper muſæam noſtram menſulam colligatis operibus tuis, obſtupeſco, erudior, & tua documenta viciſſim in ſanguinem uſque converto. In iiſdem arridet ſummopere ordo, & præcipuarum rerum tractatio, quæ Philiatros non ſolum, ſed Clinicos inſtituere poteſt, & perfectos reddere. Multoties Tomum primum ad Chemiam ſpectantem adaperui, & monſtravi, gaudens, & quaſi deoſculans effigiem tuam, gratulatus ſummopere te tantum in viridi ſenectute poſitum, claræ tuæ urbis, & univerſæ Saxonicæ gentis gloriam, quod faxint ſuperi, eſſe adhuc diu perennaturum.

Nunc præ manibus habeo Conſpectum Therapejæ Generalis, & ingenue fateor in praxi mea ad ipſum confugere, & pro remediorum adminiſtratione multa ab eodem ſeligere; quia agentium in corpore humano vires, & ſpecificæ energiæ indicantur, ut hinc illa, vel altera furens morbi cauſa domita ſit.

Ad inſtituti vero mei rationem quod attinet, quodque, tua eſt humanitas, ſcire cupis, circa futurum voluminoſum Opus, ut paucis abſolvam, illud eſt: Apis inſtar, ipſe vellem ab unaquaque regione Medicos floſculos excerpendo delibare, ita ut, præſertim circas res Practicas, & in arte præcipuas, peculiaris aliquis modus, ſingulare aliquod inventum, aliis aut incognitum, aut non uſita-

uſitatum viciſſim innoteſceret. Duæ quippe inter alias ſunt cauſæ, ob quas ars ſalutaris claudicat. Quia multa ignoramus, quæ alibi utilia ſunt; quia cœco uſu aliqua adhibemus, non animadverſa climatum diverſitate. Opportunis idcirco animadverſionibus, interdum etiam criticis, in eadem verſans, nonnulla in apricum magis ponere ſtudui, & aliis doctioribus januam aperire, ut horum examinum continuitate, artem illuſtrarent, adderentque in poſterum ea, quæ ipſe omiſi.

Non igitur diſpenſatoria, non caſuum multorum relationem, non illa, quæ undique proſtant, abs te peto, ſed aliquid rarius, idque ſuccinto calamo adumbratum, aliquid utilius, ibique uſitatius, quod ad reſtaurandam in tuo cœlo hominum vitam cedit.

Peto inſuper frequentiam literarum tuarum, peto mandata, in quibus exequendis, te magis certum ſemper facere poſſim de mea voluntate. Vale.

Brixiæ 15 Maii 1745.

P. S.

Aureum numulum (vulgo *mezzo zechino*) undecim ſcilicet libras Venetas includo hac in epiſtola, & tibi remitto, eo quia ab emptione tuorum operum ſuperabundarunt, ne poſt tot receptos favores conſcientia etiam remordeat.

Recens epiſtola Guſtavi Adolphi Amman Auguſtani, qui anno elapſo in Nundinis Bolzanenſibus accepit Hiſtorias noſtras tibi dono tradendas, clare explicat eaſdem perLoteros, ſubinde per urbem Lipſiam, Halam Saxonum miſſas fuiſſe. Si adhuc non pervenerunt, oro ut literis excites Loteros, urgeas Ammannum, iterumque me moneas. Oh lamentabilem diſtantiam!

Nunc nihil ex meo habens mitto aliena, & addo Opuſculum Reverendiſſimi Patris Calogera literati Veneti, & publici edendorum librorum Reviſoris.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO

VIRO

ANDREÆ ELIÆ BUCHNERO

Sac: Cæſa: Majeſt: Archiatro, Comiti Palatino, S. R. I. Nobili, Chymiæ in Academ. Erfordienſi Prof: Pub:, Facultatis Medicæ Adſeſſori Ord. & Imperialis Acad: Naturæ Curioſorum Præſidi

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

QUI in altiori gradu nobilium ordinum conſtituti ſunt, & togati publice in illuſtribus Academiis docent, aſſolent in ſinu ſuo fovere humanitatem illam, quam in magno primo ſalienti puncto infudit originarius paterni generis ſplendor, & ſubinde confirmavit bonarum diſciplinarum cultus. Hoc poſito, nullus mihi remanet dubitandi locus, quin tibi arriſurus ſit primus hic meorum officiorum conſpectus, potiſſimum quando ſcies, me nil aliud hiſce noſtris ſumere, aut velle, niſi ut bonam in partem accipias munuſculum Operis mei, jam diu tibi dono parati, quod aut accepiſti, aut ab Illuſtriſſimo Philippo de Violante Archiatro Regis Poloniæ, tibi Erfordiam tranſmiſſum, brevi accipies. Cum enim Regium Electoralem excelſum Mecenatem liber ille de Mediciis doctrinis agens feliciſſimo ſydere ſortitus ſit, æquum mihi viſum eſt, ut poſt in ulnas Germanicæ etiam perſonæ, Medicam encyclopediam illis in regionibus moderantis, provolveretnr.

Videbis in eodem pag. 24, quod me plurimum recreat, & prope ſuperbum facit, per eandem viam iviſſe, quam tu indicas in Obſervatione 49 Voluminis 6 Naturæ Curioſorum. Quod vellem apud Philiatros maneret alta mente repoſitum. Chinachina enim eſt primarium febrium ſedativum. Sed quando turget lentor in venis, & viſcera primi uſus infarta ſunt, digeſtivis ſalibus Anglicanoque, ſi lubet, a te propoſito, nec non aperitivis medicaminibus oculti meatus ante illius adminiſtrationem expiandi ſunt.

Aurea mihi pariter videntur verba illa: *Ego vero perſuaſus adhuc neceſſariam eſſe febrem ut &c.* Hercle bene multi ſunt caſus in quibus febris eſt utiliſſima, ut novit Clariſſimus Hoffmannus, & tamen videmus domeſticos, & vulgares Medicos in illa fuganda unice intentos; quando in toto rerum omnium chaos nullum aliud opportunius remedium dari poteſt pro ſolvendis, attenuandis, adigendis morboſis ſaburris, quam ipſa febris. Hoc argumentum adeo me vellicabat, ut integram Diſſertationem elucubrare meditaverim. Sed viſitandorum ægrotantium labor, & inceptum magnum, Medicumque practicum opus me totum tenent.

Quod vero iſchiadici dolores poſt, neque adhibitis cortice *caſcarilla*, & pilulis *cynogloſſa* ceſſerint, mirandum non eſt; quandoquidem remedium hoc noxiæ primæ chinæchinæ aſſibilabatur. Caſcarilla antipyreticam, cynogloſſa narcoticam habent indolem, qua utebantur Priſci ad ſedandam febrim, ante notitiam Peruviani corticis; quare ſecundum rationem ea evenerunt, & dolor intendi debuerat.

Cetera remedia *emulſiones*, *gelatinæ*, *juſcula*, *ſaccharum lactis*, *diapnoica*, *anodina*, *ſacculi*, *cataplaſmata*, quæ pro moderando dolore Thuringi Medici adhibuerunt, illa eadem ſunt, quæ Itali interdum in uſum ponere aſſueſcunt; & in hoc Brixiana Medicina cum Hercinophordienſi pari paſſu ambulat, ſed caſus diſtinguendi, & cauſæ prius averruncandæ.

In pectoris hydrope, & ſeroſo apparatu abdomen, & crura infarciente, & nos utimur vino medicato purganti, in quod ſquillæ radix fuerit

infuſa, & noſtrates utuntur præſcriptione Clariſſimi Riverii. Plurimi boni effectus viſi ſunt. Sed tota difficultas ſtat, reſpectu ægri, quod ſolida tacta non ſint: reſpectu pharmacopolæ, quod ſquilla bene præparetur, alioquin tormina, & ventriculationes ægrum ponunt in ancipiti.

Adhuc tecum alloquendo perſeverarem in epiſtola; & tui Bicurgi Medicinam cum Italica in aliis etiam multis rebus compararem, ſed in mentem venit tibi arriſuram eſſe brevitatem. Ob id calamum ſiſto, & opto momenta, quibus te ſemper magis poſſim reddere certiorem de mea voluntate. Vale.

Brixiæ 18 Martii 1745.

Viro Illuſtriſſimo, atque Doctiſſimo Domino

FRANCISCO CO: RONCALLI PAROLINO BRIXIANO

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BUCHNERUS

Maxima utique cum lætitia obtinui honoratiſſimas tuas litteras, itemque egregium, & Cedro omnino dignum Opus Hiſtoriarum Morborum, ab Illuſtri D. Philippo de Violante tranſmiſſum, pro quo inprimis devotiſſimas tibi perſolvo grates, ſimulque ſanctiſſime teſtor, tantopere mihi illud ipſum, poſt accuratiorem perluſtrationem, placuiſſe, ut ſtatim in publicam Academiæ noſtræ Imperialis Naturæ Curioſorum Bibliothecam illud transferendum eſſe judicaverim, locumque ipſi in eadem adſignaverim, ut plurium ibidem uſui inſerviret, quam ſi in privata ſaltem Bibliotheca aſſervaretur, inſuperque ſic publicum eximiæ tuæ eruditionis, & experientiæ teſtimonium ibidem omnibus, & ſingulis præberet. Summa enim cum animi voluptate deprehendi, te, Illuſtriſſime Vir, non ſolum in iis, quę de febrium inprimis intermittentium ſalubritate, & hinc minime maturanda earum ſuppreſſione, olim in Actis Nat. Cur. propoſui, ſed & in aliis ad rationalem, & judicioſam Praxin ſpectantibus mecum ſentire, adeoque etiam merito tanto magis mihi gratulor de exoptatiſſima illa occaſione, a te ipſo mihi ſuppeditata, innoteſcendi nempe tibi exactius; multumque ex ſuaviſſimo tuo commercio litterario impoſterum proficiendi. Hunc ergo in finem, & ut arctiori quodam te mihi devinciam vinculo, locum inter Collegas Academiæ noſtræ Imperialis Nat. Cur. tibi, Illuſtr. Vir, offero, quoniam eximio te illi ornameuto futurum eſſe certiſſime prævideo. Quoniam autem Leges Academiæ noſtræ poſtulant, ut cujuslibet D. Collegæ vitæ curriculum ante receptionem prius Matriculæ ordinariæ inſeratur, ideo etiam, ut quamprimum tibi placuerit, aliquam vitæ tuæ ſeriem haud gravatim mecum communices, enixe rogito, hacque obtenta, illico conſuetum Diploma receptionis tranſmiſſurum me eſſe, ſanctiſſime ſpondeo. Quod ſi etiam tandem aliquando egregia, & eruditiſſima tua Opera, de Aquis Brixianis, & de mineralibus Coldonienſibus, itemque Diſſertationes reliquas phyſico-mechanicas, quibus Rempublicam Medicam exornaſti, quorumque tituli ſaltem mihi noti ſunt ex Diariis eruditis, pro ſupra dicta Bibliotheca Academiæ noſtræ obtinere poſſem, pergratum omnino imo gratiſſimum id mihi foret, cum in nullo noſtrorum Bibliopoliorum hactenus ea offendere potuerim. Ceterum ægre te haud laturum eſſe confido, Vir Illuſtriſſime, quod paulo ſerius ad ſuaviſſimas tuas reſpondeam literas: eo enim tempore, quo eaſdem obtinui, quam maxime occupatus variiſque negotiis diſtractus eram, dum Patria hactenus dulciſſima cum Halenſi Academia permutanda erat, ad quam Sereniſſ. ac Potentiſſ. Boruſſorum Rex, in locum pie defuncti Hoffmanni, cum honorifico Conſiliarii intimi titulo, me evocaverat. In hac ergo celeberrima Muſarum Sede nunc conſtitutus, tuas inpoſterum avidiſſime expectabo reſponſorias, utque interim valeas, mihique favere pergas, cordicitus precor, & voveo.

Dab. Halæ Magdeburgicæ d. 12 Julii 1745.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO DOMINO

ANDREÆ ELIÆ BUCHNERO

Comiti Palatino, Nobili Sacri Romani Imperii Potentiſſimi Boruſſiæ Regis Conſiliario intimo, & Academiæ Imperialis Naturæ Curioſorum Præſidi

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

FUIT actus debitus obſequii mei tibi coram ſiſtere munuſculum Hiſtoriarum Morborum; fuit comitas, & humanitas tua, nobili Viro digna, illico privari velle; & in Imperiali Bibliotheca illud ponendum curare. Poſt hæc, poſtque bonam in partem accepta amicitiam ſtudiaque noſtra, ulterius exhibitum mihi locum video inter Germanicos Sapientes; cujus ſummi decoris cum immerentem prorſus me ſentiam, tanto magis mirum in modum augentur obligationes, debitaque mea in Collegas omnes, ſed præſertim in perſonam tuam, qua auſpice, & protectrice tanti corporis membrum effectus ſum. De tot ergo in me collatis beneficiis ſolvo grates illas quas poſſum, & ſancte promitto, quamdiu ſpiritus hos reget artus, tibi, & omnibus ſociis, qui nunc florentes Academiæ decus, & incrementum in dies additis, quod ex animo, & voluntate pendeat, me nunquam in nihilo defuturum.

Opera mea antehac edita itineri jam paro, & conſilia, mandataque tua quam libenter ſequens, agam provide, ut in Magdeburgicas regiones, ubi nunc glorioſe, ſummo Boruſſorum Monarcha

Patro-

Patrono, ſedes, & immortalem famam acquiris, citius quam fieri poterit perveniant; tutus, & in ſpem erectus, fore, ut poſita in Imperiali Bibliotheca obtineant decus, & pretium, quod Auctor dare non potuit.

Ad ſeriem vero vitæ meæ tibi mittendam, ut jubes, quod attinet, quid quæſo vis faciam? Ita ipſe ſentio de parvitate mea, ut nihil prorſus referendum videam, & ignorem quid dicere poſſim. Ut paream tamen, habeas, me Brixiæ natum anno 1692 ab Ulderica Mozzi Parolina Nobili Vicentina, & a Coſtantino Roncalli cive Brixiano, qui de Germanicis veſtris rebus, & excelſis Viris, quoniam de illis ſermonem habemus, plurimum delectatus, & meritus eſt. Millena ſiquidem, non modico ad vires noſtras ſumptu, collegit Imperatorum antiqua numiſmata, aurea, argentea, ærea, maximi, & infimi moduli; quibus adjunctis Conſularibus, Pontificum, Hominumque Illuſtrium benemultis, Muſæum integrum, fere dixero completum inſtruxit. At ejuſdem commentarii, & notæ ab optimo Parente incæptæ, & a nobis animo evulgandi in aliquem ordinem digeſtæ, valde vereor, ne cum blattis, & tineis ſaltem diu pugnaturæ ſint. Atque naſcente hoc ſæculo, in eodem ſtadio, ut nos decurrens, plurimum inquam meritus eſt, dum belli tumultibus Italia noſtra obſtrepebat: quandoquidem & Eugenium a Sabaudia Theutonicorum exercituum primarium ſtrenuiſſimum Ducem, & Principes Anhaltinum, & Witterbergenſem, & multos alios inclitos, & nobiles Generalitiam pugnæ Præfecturam gerentes, ſaucios, & ægrotantes præ manibus habuit, regimenque curationum felici eventu moderatus eſt.

Cetera, ut paucis ſolvam, in mentem mihi venit hiſce noſtris addere epiſtolam nuncupatoriam Viri celeberrimi Caſti Innocentis Anſaldi, nuperrime e prælo egreſſam, & a jam facto ligamine revulſam; prope diem miſſuro cum aliis librum ipſum, ut videas etiam, quæ circa Forenſem Judæorum Buccinam Vir Clariſſimus commentatus ſit. Itaque habebis non ſolum curriculum ſtudiorum meorum, in Actis Academiæ, ut leges poſtulant, inſerendum; ſed etiam conſtabunt meditationes, & tentamina noſtra, quibus nunc, ſi fas eſt dicere, Europam totam excutimus. Vale interea publico Patriæ tuæ, & Scientiarum omnium ornamento, & me tot de cauſis tibi devinctiſſimum puta.

Brixiæ 7 Septembris 1745.

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO VIRO DOMINO

ANDREÆ ELIÆ BUCHNERO

Comiti Palatino, Nobili Sacri Romani Imperii, Boruſſiæ Regis Conſiliario, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Præſidi

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

OCTO jam excurrunt menſes, ex quo reſponſoriam tibi miſi epiſtolam, illique, tuis parendo juſſibus, addidi ſeriem operum ſtudiorumque meorum ex quadam nuncupatoria excerpendam. Gratias inſuper tibi dixi, eo quia immerentem ad Imperialis Academiæ Societatem promovebas. At, adhuc expectanti in dies mihi nullæ literæ?

Interim tamen refero, per eandem viam Saxonico-Dreſdenſem, ideſt Archiatrum Violante, tibi elapſis diebus miſiſſe Diſſertationes noſtras, Tractatumque de Aquis Brixianis, in Imperiali Bibliotheca te protectore reponendum.

Includo ſpecimen editionis, quæ ſub prælo eſt, quod viſum vellem traderes alteræ Magdeburgenſium Scientiarum columnæ, nimirum Præſtantiſſimo Joanni Junckero meas addendo ſalutationes. Ac vale, Germanici cœli decus, & Medicæ Artis perfugium.

HANNOVERA

SUASI illas eaſdem medendi methodos in Hanzeatica Electoratus Brunſuico-Luneburgici urbe nobiliſſima, & primaria Hannovera vigere, quæ in aliis Germanicis Provinciis uſuveniunt, quaſque nos tangimus, & ceteri hoc in Operæ exponunt. Tria tantummodo notabimus. Et quidem primo: Aſſervari, præter cetera ornamenta, illa in Metropoli divitem Bibliothecam a celeberrimo Leibnizio undequaque, & ſtudioſe conquiſitam (1). Secundo Lapides figuratos a D. de Hugo Conſiliario Aulico, & Archiatro Anglicano Regio collectos. Tertio denique, ſubditos populos inventores fuiſſe cujuſdam potus, *Breyhan* dicti, gratiſſimæ ſapiditatis.

Q 2 HEL-

(1) Adſunt & duæ aliæ, ſcilicet B. Molani Abbatis Loccumenſis, & Magni Profeſſoris de Bulovv.

HELVETIA

HElvetia inter Sabaudiam, Mediolanum, Venetas ditiones, Francum Comitatum, Sveviam, & Auſtriam ſita eſt; habet in ſinu ſuo decem lacus; interluiturque a fluminibus Rheno, Rhodano, & Arola. A quadraginta quinque uſque ad 47 gradus latitudinis ſeptentrionalis extenditur: ibique adeſt hominum, montium, & minerarum frequentia. Tota præter Socios, & Fœderatos, in 13 conventus juridicos diſtribuitur; & populi etiam Suitii dicti ſunt, a pago in quo primum pro libertate pugnatum eſt (1). Non omnibus una lex, ſed pretio ducti conveniunt, & ſtrenui milites aliis Principibus inſerviunt. Duas habent præcipuas Academias, Baſileenſem (2) anno 1459 erectam, & Genevenſem anno 1365 a Carolo VI. Imperatore. In Bada ſuos Comitiales dies faciunt, & Medicinam coluerunt ſemper adeo, ut ab illis gentibus, atque a ſuis laboribus multa bona in eandem propagata ſint; quæ adamuſſim memorare, ſi homines, ſi inventa, ſi poſtremas præſertim editiones ſpectes, nimis longum eſſet. Ideo inſtitutum ſequendo aliquarum urbium, aliquem medendi modum ſummis tantum labiis delibabimus.

BADA

DE THERMIS, ET BALNEIS

CElebres, tempore uſque Cornelii Taciti, fuerunt Thermæ Helvetiorum, præcipue Badenſes, quatuor ſtadiis ab oppido diſtantes, & prout, communis fert priſcorum, necnon recentium Scriptorum opinio, ſulphure, & alumine (aliqui addunt nitrum) fœcundæ: ideoque in *obſtructionibus*, *cholica iliaca*, ventriculi debilitate, tuſſi, phtyſi, aſthmate, uteri affectibus, ſcabie, melancholia, epilepſia, chiragra, podagra, iſchiade ex cauſa frigida adhibitæ, & adhibendæ. Videndus in hac re celeberrimus Jo. Jac. Scheuchzerus (3) qui infuſiones fecit, & ſpecificum earundem pondus quæſivit. A quo inſuper ducendum lumen eſt, num chalybs in ipſis lateat, ob martis venas, quæ in utraque *Limagi* fluminis ripa reperiuntur; qui quidem earundem activitatem non imminueret, ſed protinus vivicaret.

BASILEA

URbs Baſilea poſtremus Helvetiorum conventus perampla, munita, & ceteris pulchior eſt; ibique Rhenus excipit fluvios Birſam ex monte Jura profluentem, & Wieſam e Sylva nigra. Suam habet Medicinam contubernalem in platea vulgo, *Gerbergaſſe*, ubi emergit aqua mineralis, coloris cœruleſcentis, aliquantum turbida, quam ære, antimonio, & bitumine fæcundam dicunt. Ex his quid valeat in humano corpore, quaſque ægritudines domandi vim habeat, quiſque poteſt arguere, ſi Baſileenſes præcipue Medicos conſulet. Quoad internum uſum ratione æris ſuſpecta mihi eſſet, & etiam antimonium ſumma cum circumſpectione adhibendum eſt. Balneum tamen in pſcra, herpete, tinea, ceteriſque cutaneis affectibus utile eſſe poteſt.

De puteis vero medicatis in eadem urbe exiſtentibus plura non addo, innuens ſolum, aquas putei *Randulphi* credi camphoratas, aptas pro curandis hydropicis; putei vero *Brunnen* ſulphure, nitro, & auro ditatas: ideoque tanquam ſalubres pro uſuali potu uſurpari.

MOLES AMPLA ABDOMINIS

AB experimento in cadavere Baſileenſis virginis Barbaræ Mullerin (4) celebrato coram Scaphuſienſibus viris Pejern, Ottio, & Meyero, necnon Hanemanno San-Gallenſi, aliiſque celeberrimis Helvetiæ Profeſſoribus, diſcere debemus, magnas moles, quæ in abdomine præcipue colliguntur, & hydropem repræſentant, quin imo efficiunt, eſſe interdum ſuis involucris, & cyſtidibus contentas, ſuiſque cellulis imbricatas, in quibus *mucilagines*, *coagula caſeoſa*, necnon *pultes farinaceæ* concreſcunt, & ſibi invicem cohærentes ſolidantur ita, & a ſanguinis, & vaſorum commercio adeo ſeparatæ ſunt, ut purgantium, neque menalogorum vim perſentire poſſint. Ex quo fit, ut remedia ceterum corpus ſolum, non partem affectam, liquidis orbantia, ſummo ſint damno, & ægrum diſponant ad interitum. Caute idcirco adminiſtranda ſunt. Et quoniam hoc prænoſcere difficile admodum eſt; ſaltem, oh nos miſeros! a lædentibus tandem aliquando diſcamus.

GLANDULA NOVA LACRYMALIS

IN cervis, & damis celeberrimus Baſileenſis Profeſſor Jacobus Harderus vidit glandulam novam lacrymalem (5) ex quo colligere debemus, Helvetios viros in experimentis Anatomicis eſſe diligentiſſimos.

EX

(1) Multa de illis videri poſſunt in recenti Opere Baſileæ 1736 edito, in quo & Egidius Tſchudius, & Joannes Rodulphus Iſelius optime meriti ſunt.

(2) Publica Bibliotheca dives eſt multis ſingularibus manuſcriptis codicibus, qui inibi tempore Conſilii, per 17 annos nunquam interrupti, a Patribus conſcriptis relicti fuere.

(3) Otia æſtivalia circa thermas Badenſes Helvetiorum in Actis Curi oſ. Germaniæ pag. 41. in Appendice T. 2.

(4) Acta Academiæ Curioſ. Germaniæ T. 1. p. 161.

(5) In Excerptis Actorum Lipſienſium pag. 1. T. 3.

EX VISU PROLES PUSTULOSA, ET UTERUS EXTRA RESECTUS

Quæ in Actis Curioſorum Germaniæ refert Rodolphus Zuingerus, ſcilicet ex viſis variolis matrem Baſileenſem prolem puſtulis, exanthematibus, & ulcuſculis, præcipue in artubus circundatam edidiſſe, non ſatis tutum mihi videtur, nempe quod a viſione hæc evenerint, non vero ab internis diſpoſitionibus, atque a Parentum ſemine.

Ita dubitandum eſt utrum pendula extra vaginam concretio revera uterus fuerit, necne; fortibus ſiquidem ligamentis ſuo loco ille firmiter detinetur, ut deſcendere non poſſit: potius humectata, relaxataque vaginæ latera poterunt morboſam molem repræſentare, quæ ſubinde ſphacelata, & ſeparata, utpote pars non tam nobilis, tanti damni non eſſet. Sed factis, & aſſerto graviſſimorum Scriptorum quieſcendum eſt.

ASCITES

Quod in Xenodochio Baſileenſi vidit olim Platerus (1) non debet Chirurgos audaces reddere, ut hinc in hydropicis ſectionem inſtituant, & ſalutem promittant. Si puella tunc aſcitica 10 annorum curata fuit medio ictu, & aquarum exitu, id evenit, quia viſcera primarii uſus erant immunia, & totum aquarum fluentum ſub ſola cute collectum erat. De cetero paracenteſes in hydropicis ſemper formidandæ, vitandæ, aut ſaltem pertimeſcendæ, quia in plagæ ſitu gangræna ſupervenit.

CULTRIVORUS

De Cultrivoro Baſileenſi ſcripſit Jacobus Rothius. Credat quiſque quod poteſt, & velit.

BERNA

Joannes Egger in Academia Bernenſi Profeſſor ordinarius expendit, & refutat propoſitiones Petri Danielis Huetii Epiſcopi Abricenſis, qui ſcripſit de debilitate mentis humanæ. Inibi volupe eſt videre, quomodo cerebrum ſpecies, & modificationes recipiat; numque noſtrum ſenſorium in objecta agat. Sed hæc ſunt res dicendæ Philiatris, ut ingenium acuatur. Ideoque ad res practicas transeamus.

Florent in Helveticis regionibus literæ etiam, opera, & ſtudio alterius Bernenſis Philoſophiæ Profeſſoris Joannis Georgii Altmanni, qui in Opere Tiguri (2) cuſo addit etiam Obſervationes a Clariſſimo Medico D. Haller factas circa partum *di due Nature*.

(1) Lib. 3. pag. 651.
(2) Ex Officina Heydeggeriana 1736.

MERCURII USUS IN CUTIS RARO MORBO

Bernensis raro morbo ope Mercurii medendi modus ſubolet ex epiſtola docti Helvetici Viri Sigiſmundi Konig ad Robertum Hoock Regiæ Societatis Anglicæ a Secretis, ubi erumpentes ad palmæ latitudinem in cute veſicas, tollere, & quidem feliciter niſus eſt, uſu ptyaliſmi Mercurialis.

De eodem, aut ſimili morbo Pemphimx dicto, nonnulla delibavimus, ubi egimus de morbis Poſonii in Hungaria graſſatis, quare non eſt, ut plura addamus. Non ſilendum tamen, idem ſupradictum experimentum paucos poſt dies, aut annos claudicaſſe, eandemque ægram Margaretam Lavvera, quæ in Noſocomio Magiſtratus Bernenſis, Inſula dicto, fuerat curata, iterum recidiviſſe, eamque morborum iliadem, & ſcenam contigiſſe, quam nos paſſim videmus in mulieribus hyſtericis, & convulſivo afflatu ſubjectis, ubi novo die novus morbus.

Quod vero immenſam tartari, & lapidoſæ materiæ excretam quantitatem (3) veſicas in cute emergentes, & reducentes, viridem, & cæruleum urinarum colorem, urinoſumque laticem per fauces regurgitatum, Helvetico-Bernenſis doctiſſimus Konig miraretur, non obſtupeſco. Illud me rapit, tam mellei fuiſſe cordis, ut crediderit ad tot menſes ſine cibo, & potu fœminam illam victitaſſe. Non raro, ſed frequenter etiam apud nos reperiuntur creduli homines, qui has nugas pro miraculo abſorbent; ſed factis opportunis inquiſitionibus ſemper reperta eſt familiaris amica, vel ancilla, quæ non tantum unius diei, ſed annonam ipſam in abſcondito vafris hiſce hyſtericis porrigebat.

ANIMADVERSIO

De cetero adhibiti in Helvetica urbe illa pro curandis tumentibus ſero veſicis Mercurii, ſalivationem producentis uſus reprobari non poteſt, potiſſimum ſi potibus corpus totum humectantibus conjunctus ſit. Quod ſane primarius debet eſſe Philiatrorum ſcopus. Tanto magis ſi conſtabat de tartari præſentia. Cum jam hujus etiam ævi primarii auctores ſenſerint, pro ſolvendo renum lapide Mercurium adhibendum eſſe.

Solus obſtabat motus ille cutim verſus, cui natura tunc dedita erat. At cum conſtat de motu ſymptomatico, non vero critico, qui principio morbi non tam facile evenit, per conſequens in difficili coactaque curatione, extrema remedia pertentanda ſunt.

HER-

(3) Quinque libræ excretæ referuntur.

HERNIA

Bernenſem olim hernia laborantem curatum video ab alio morbo, propter quem cum per ſex menſes lecto affixum ſtare indeſinenter debuiſſet, ab aſſiduo in dorſum decubitu conſedit inguinalis tumor, & lapſantes ſolidæ partes a ſola quiete, & ſtaſi ſuo in centro collocatæ ſunt. Ex quo lumen certum, nihil magis in herniis eſſe utile, quam planum horizontale.

INEDIA

Videnda, quæ Paulus Lentulus Bernenſis ſcripſit de prodigioſa cujuſdam virginis inedia. Sed mulieribns hyſtericis omnia credenda non ſunt.

LUCERNA

Lucernensis regio anno 1709 paſſa eſt epidemicam diri morbi conſtitutionem, quam Doctus Carolus Nicolaus Langriæ Medicus olim apud Lucernates celeberrimus, qui ſcripſit de Lapidibus figuratis Helvetiæ (1) productam exiſtimat a pane ſecalino *clavis venenoſis* referto. Rem pulchram, aut melius dixero lacrymabilem mihi anno nuper elapſo oſtendit Vir Egregius Jacobus Targhetta Religionis Somaſchæ Præpoſitus, ejuſdemque Collegii ſupremus director, qui lente vitrea perfectiſſime a Romano artifice elaborata detexit, mihique demonſtravit infinitam inſectorum congeriem in frumenti ſpicis nidulantem vulgus *velum* appellat, a quibus fortaſſe grani optima pars exſugitur, noxior derelinquitur, venenoſæque particulæ inſeruntur. Dicta cum ſupradictis comparentur.

SANGALLUS

Si aqua cujuſdam Fontanæ in ædibus Parochialibus vici *Schonolzeriſchvveil* in ditione Abbatis S. Gallenſis facit ſedimentum *terreum*, *calcarium*, *aluminoſum*, ut ſtatuit Scheuchzerus, non tam facilem video utilitatem ab eodemmet propoſitam *in affectibus ex obſtructione tubulorum minimorum ortis*; tam ſi intus ſumatur, quam ſi pro balneo aptetur.

Alteri vero propoſitioni, *virtutis tonicæ*, me ſubſcribo. Aluminis ſiquidem præcipua vis eſt pelliceas, & membranoſas partes corrugando corroborare. Quæ, ſi bene rem aſſequor, doctiſſimi Auctoris mens eſt, cujus fautores bonam in partem acciperent, vellem, ſi libere loquor.

Illuſtriſſimo, ac Generoſiſſimo Domino

Comiti Francisco Roncalli Parolino

Medicinæ Doctori experientiſſimo, Academiæ Bononienſis Scientiarum Collegæ digniſſimo, Patrono, atque fautori colendiſſimo

S. P. D.

PETRUS GILLER MED. D.

Sangallenſium Archiater

Cur hiſce te interpellare audeam, anſam dedit Clariſt. Dom. D. Balth. Walthier *Curia Rhætus, qui haud ita pridem tuo nomine tranſmiſit eruditum opus tuum, ſ. quatuor Diſſertationes Medico-Phyſicas, raris & elegantibus refertum obſervationibus, quas primo feſtinante oculo percurrere allaboravi, & hinc inde perutilia, alibi curioſa, undequaque erudita tua cogitata obvia venere; hinc debitas tibi gratias perſolvo, meque tibi obſtrictiſſimum profiteor, necnon qualiacunque mea officia ad tuum nutum paratiſſima devoveo. Liceat tamen, Vir celeberrime, paucis de Diſſertationis tertiæ contentis te compellare, quomodo tot acus ſub cute Sacræ Virginis collocari potuerant, absque ulteriori læſione, & quid inde concludendum? Certe ex rebus admirandis, caſus hic inter primas locum habet, ſed, rite perpenſis omnibus, quæ Diſſertationem exornant ratiociniis, illuc pervenire cogor, veſtalem hanc Religionis cauſa, & mortificandæ carnis ergo ſibi ipſi, paulatim intruſiſſe haſce acus, & pertinaciter, quos perpeſſa eſt cruciatus, ſiluiſſe, ne quis diſſuaderet; ſed nihilominus mira reſtant determinanda, quæ, an tangere conſultum ſit, neſcio; ſed ſi Medicis cum Medico res eſt, ex artis principiis petenda multa eſſe, mecum ſcis, Virorum Clariſſime, utut innumera apud obſervatores proſtent exempla, quorum certas cauſas eruere non omnibus datum eſt. Certe ejuſmodi obſervationes colligere, & publici juris facere eſt rem Medicam curæ cordique habere, & Eruditorum cohortem, & penetralia naturæ ulterius inveſtigare non defatigentur, admonere.*

Occurrit mihi nuper, in perlegendis Diariis Lipſienſibus, elogium obſervationum tuarum ſ. Hiſtoriæ Morborum, 1741 in fol. cujus Operis utilitatem non ſolum ſnpralaudatus Dom. D. Walthier, *qui titulum Operis mihi tranſmiſit, ſed & Domini eruditi Lipſienſes publice commendarunt, nondum vidi, ſed videre animus ardet, pro adjuncto 20 librarum Venetarum pretio.*

Antequam literis hiſce colophonem imponam, mentio facienda eſt prodituri ex eruditiſſimo tuo calamo

(1) Otia æſtivalia circa thermas Badenſes Helvetiorum in Actis Curios. Germaniæ pag. 41. in Appendice T. 2.

calamo Operis, cujus mentionem fecit Cl. Dom. D. Walthier de Medicina variarum regionum, quod an jam incrementa ſumpſerit? an exterorum Medicorum obſervationes inſerere ſit animus, & qua brevitate illæ ſint concinnandæ? ex te ipſo edocebor.

Si qua ſunt in noſtris regionibus tuæ attentionis digna, nunquam deero, ea qua tibi, Vir Illuſtriſſime, obſtringor obſervantia, id profiteri, & ex debito, qua potero animi gratitudine offerre. Vale Generoſiſſime Comes, & favore tuo dignare cultorem tui nominis devotiſſimum.

Dabam Sangalli Helvetiorum d. 21 Mart. 1744.

ILLUSTRISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO

PETRO GILLER

Helvetiorum Sangallenſium Archiatro

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

QUANTA lætitia eruditiſſimam epiſtolam tuam 21 Martii Sangalli Helvetiorum datam heri acceperim, & quanta cum aviditate eandem legerim, facili negotio judicare poteris, Vir optime, ſi tibi ſuadebis, tui nominis famam jam diu noſtris in oris obſtrepuiſſe, meque credes ab ipſa natura comparatum ita, ut mutuam ſummorum hominum benevolentiam flagrantiſſime percupiam, illorumque monitis doceri amem. Jam jam Egregius Curienſis Profeſſor Balthaſſar Walthier, utriuſque noſtrum amicus, me admonuerat de ſuo cogitato tibi tranſmittendi Diſſertationes meas, nilque aliud ipſe expectabam, niſi ut de certo id mihi conſtaret, ut proinde illico peculiaribus literis voluptatem in hoc meam tibi patefacere poſſem. Tu vero indita humanitate permotus me præoccupare voluiſti, & devincientibus modis uno eodemque actu, & Diſſertationes tibi arriſiſſe, & quæ fuerit quodammodo circa tertiam opinio tua, mihi aperire dignatus es.

Augentur inſuper obligationes meæ ob inſertum in epiſtola tua nuncium, Lipſienſes in Actis ſuis noſtrarum Hiſtoriarum Morborum mentionem cum laude feciſſe, quod potius Eruditorum Dominorum Lipſienſium characteri, & humanitati, quam Auctoris merito tribuendum eſt. Imo ſcias exemplar unum illius Operis in folio maximo, quod adhuc, ut aſſeris, non vidiſti, involutum & tibi dono paratum eſſe, diem, & occaſionem expectando, qua tibi tuto traſmittatur.

Ad futuram vero editionem quod ſpectat, paulatim crevit adeo audacia mea, ut non ſolum de aliquarum Regionum, ſed totius Europæ Medicina diſſerere animus ſit. Ob id nondum manus prælo admotæ fuerunt. Vaſtum ſiquidem, ut vides, argumentum, nonniſi multis vigiliis perficiendum. Quod cum aperte noſcamus, ad rem meliori in lumine collocandam, celeberrimos elonginquo viros excitavimus, ut ſuis epiſtolis de peculiari ſui cœli Medicina, præcipue Practica, diſſerentibus opus noſtrum illuſtrarent. Quod cum factum a multis ſit, & ab aliquibus aliis deſideratur, illud interea tibi coram loquens, remanere opto, ut Helveticum aliquem in medendo uſum, & quale medicamen in uno, vel altero morbo ferat Svitiorum ſanguis nobis indices. Cum enim ſemper in regionibus veſtris floruerint liberales diſciplinæ, & Medicina precipue, tuque ſignanter inſignis, & jure meritoque Archiater nunc ſplendeas, facile conjicies, quantum lucis elucubrationibus noſtris affundere poterunt literæ tuæ, una cuſæ, & inſertæ, ubi a nobis de Helvetia, deque Sangallenſi urbe ſermo fuerit.

Ut autem de certo nobis faveas, & novellam amicitiam noſtram gratiſſimo hoc teſtimonio confirmes, feram, ut brevibus te abſolvas, imo etiam, ſi tibi lubet, editas obſervationes noſtras præcipue veſtro aeri non quadrantes, corrigas dummodo futurum opus, nec me uno, vel altero tuarum plurimi faciendarum cogitationum ſpecimine derelinquas. Quod dum tuta fide a te ſpero, ſpero etiam, ut aliquo juſſu ſigna mihi tradas bonam in partem acceptorum officiorum meorum, & interim vale meque tibi addictiſſimum crede.

Brixiæ 8 Aprilis 1744.

P. S.

Opus *Hiſtoriæ Morborum* curabo, ut citius quam fieri poterit, perveniat in Vallem-Tellinam, & in manus Illuſtriſſimi Petri Canonici Angeli Lavizari, quod D. Walthier Curienſis, a te etiam admonitus, poterit procurare, & tibi mittere.

Perilluſtri, atque Generoſiſſimo Domino Comiti Domino

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Doctori Medico excellentiſſimo, Priori Collegii Medici Brixienſis digniſſimo, Fautori, & Patrono Venerando ſal.

PETRUS GILLER

R*Eſponſorias tuas, Illuſtriſſime Domine Comes, humanitate ultra merita noſtra refertas 8 Aprilis hujus anni conſcriptas, retardato, ut mihi apparebat, itinere trans Mediolanum accepi, indeque ſummum tui in me favorem intellexi, cum ulteriori promiſſo, te Hiſtoriam tuam Morborum beneficiis jam præſtitis adhuc ſuperadditurum, quod opus magnificum, mediantibus Domino Præpoſito*

Mein-

Meingotti, & D. D. Walthier ante octiduum a generoſitate tua accepi, pro quo pretioſo munere me tibi, Perilluſtris. Dom. Comes, quam obſtrictiſſimum qua potero animi devotione profiteor. Vix hinc inde opus ſuum ſubacti judicii, & multiplicis experientiæ teſtem percurrere inter negotia licuit, ſtatimque rara multa, nec ſæpe obvia, item curioſa utiliſſimis obſervationibus mixta deprehendi, ita ut ſtatim, ac a Bibliopego accepero, illud ſingulari animi voluptate perlegere ſit mihi animus, ſpe certiſſima fretus, me illinc multa perutilia hauſurum, & te digna admiraturum.

Supereſt, ut quæ nuper de exarandis obſervationibus tibi placuit communicare verbulum addam, quærendo an illa brevibus comprehenſa, an vero amplius deducta magis arrideant, mihi aperias, ut quæ in penu noſtro, non trivialia forſan, erunt obvia, pro viribus meis tibi, Vir Illuſtr., tranſcribere tuo juſſu poſſim. Ex obſervationibus practicis permultos annos varia collegi, ſcriniis meis abſcondita, quæ an lucem videre digna ſint, tu ipſe judicabis, ea tibi debeo, & quæcumque exiges lubens, & devotus offero. Ea hiſce meis reſponſoriis inſerere haud conſultum duxi, melius ea paulatim, quantum tempus permittet, exarare, &, te jubente, partitis vicibus conſummatiſſimo tuo judicio ſubjicere credidi. Hiſce hac vice veniam peto, & poſtquam Divinæ Clementiæ, Illuſtriſſimam tuam dignitatem, meque tibi decenti ſubmiſſione, & veneratione commendavero, pedem ſiſto. Vale ſumme Virorum, atque te toti orbi Medico, tibi tuiſque, & denique mihi incolumen ſerva.

Dabam Sangalli Helvetiorum die 20 Novembris 1744.

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO VIRO

PETRO GILLER

Helvetiorum Sangallenſium Archiatro.

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

EPISTOLÆ tuæ 20 Novembris Sangalli Helvetiorum datæ, citiſſime mihi pervenerunt, ex quo documentum ſumo per Germaniam potius, ut tu feciſti, quam per Mediolanum eſſe tranſmittendas. Gratulor tibi perveniſſe Hiſtorias Morborum noſtras. Quandoquidem hiſce ſignanter diebus nil mihi magis cordi eſt, quam commercium literarium cum doctis hominibus tibi, ſi fieri poteſt, ſimilibus, in illum, jam ſcis, finem, ut Europa noſtra exteris viciſſim, & pulchri-coloribus plumis conveſtiatur. Ob id quantum ipſe angar præ difficultate mittendi in longinquas regiones libros, & epiſtolas, vix dicere poſſum, præſertim, quia ex aliorum veluti reſtitantium tarditate magis augetur. Oh ſi tuam humanitatem, & promptitudinem in ceteris etiam Provinciis reperiſſem. Jam typi ſudarent.

Interim tuis parebo juſſibus, & aperiam quodnam ſit deſiderium meum. Mihi ſummopere arridebis, ſi media incedes via. Hoc eſt nec nimis longe, ne opus meum ab aliis compoſitum videatur; nec tam breviter, ut ſileas, quæ profutura ſunt, quæque experimentum tuum tuo in cœlo utiliſſima detexit. Mens mea eſt, ut ex parte tua conſtet Medicina Sangallenſis, ſummarie reſtricta, & prope ægrorum lectulos factitata. Miſſis in exilium hypotheſibus, quæſtionibus, & pulchris verbis, in medium vero latis peculiaribus medendi modis, quos acre ingenium tuum, a morbidæ naturæ viciſſitudinibus hauſit, quibuſqne fere conclamatos ad vitam revocavit. Sex, vel octo paginis multa dici poſſunt. Sique habes in altera Helvetiæ parte, aut alio longinquo loco amicum, aut diſcipulum tuum, qui de ſua regione aliquid, tantillum licet, mihi ſcribere poſſit, aut velit, age, & illum excita. Video enim & diſtincte noſco, te eſſe, & futurum eximium Patronum fautoremque noſtrum, cui multum debet, & debebit facultas Medica, multum Patria tua, multum denique Orbis totus; qui te comiter ſupplicationibus noſtis annuente, deque domeſtica tua Medicina ſcribente illuminatus, minus in manu vulgarium Medicorum periclitabitur.

Illud tandem unum ſilere non poſſum, me lectione literarum tuarum ſummopere recreari; non quia præconiis ipſe delecter, quod alioquin nonnulli a laudatis Viris optant; ſed quia in ipſis video ſalem doctrinæ, video acutam, perſpicacem, Medicam, divitemque venam. Video, uno verbo, unguem, & divino leonem. Faxint ſuperi, ut mihi faveas. Faxint inſuper, ut frequenter ſcribas, atque mihi jubeas, & habebis redamantem obſequentiſſimum. Vale.

Brixiæ 12 Decembris 1744.

Perilluſtri atque Generoſiſſimo Domino Comiti Domino

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Doctori Medico excellentiſſimo, Academiæ Bononienſis Socio ſplendidiſſimo, Nobilis Collegii Medicorum Brixiani Præpoſito digniſſimo Patrono, Fautori ſummo honoris cultu devenerando, ſal. pl.

PETRUS GILLER

NEC *oblivione, nec negligentia hactenus reſponſum ad ſuaviſſimas tuas jam ſub finem anni præteriti ad me exaratas diſtuli, ſed varii generis negotiis diſtractiſſimus id, me ipſo nolente, facere*

facere fui coactus, nihilominus me in tanti Viri benevolentiam dilatione mea injurium fuiſſe vereor, utpote Patronum, qui tot humanitatis teſtimoniis me ſibi jam dudum obſtrinxit, hinc omnia inimitabili tuæ benignitati commendo.

Interim hinc inde perluſtravi opus tuum magnificum, & inter legendum quædam cogitata, prout tunc præſto erant, notavi, quorum particulam tuæ dijudicationi hiſce literis ſubjungo. Si breves ejuſmodi annotatiunculæ non diſplicent, plura, quæ lectio uberrimæ tuæ eruditionis ſuppeditat, notabo, forte non injucunda, nec omni uſu deſtituta, aut propria experientia, aut aliunde hauſta, quæ ſemper addam.

Inſcius interim, qua norma Hiſtorias Morborum elaborare optimum ſit, ſpeciminis loco illam tertianæ ſubjunxi, ut inde quæ ſupplere, aut quæ reſcindere placeat, ediſcam, nec tam triviale argumentum ſelegiſſem, niſi methodi explorandi gratia id factum fuiſſet. Si tamen, Vir Excellentiſſime, normam communicare non dedignaberis, melius in poſterum palato tuo, quæ componere animus eſt, forſan placebunt.

Ceterum Res Medicæ Helvetiorum abunde ſatis traditæ ſunt hinc inde in ſcriptis magnorum Virorum e. g. Geſneri, Wepferi, Scheuchzeri, Muraeti, Derebecque, & aliorum, ut quæ iis ſuperaddere poſſim vix reſtet, niſi percurrendo eorum ingentia volumina, ea quæ ipſe obſervavi, apponere conſuetum foret. Bini Profeſſores Hallerus, & Geſnerus hodie in eo ſunt, ut quæ forſan huc quadrant Phyſica, Botanica, ea erudito Orbi communicent. Nota eſt prioris enumeratio ſtirpium Helvetiæ in fol. item iter ejus Helveticum aliaque. Mea quæ potero ſuppeditare, ſunt practica, quæ ipſe obſervavi. Te ergo jubente ſub ſpecie obſervatiuncularum lubentiſſime tradam: tuum erit, Comes Generoſiſſime, illa in qualemcunque uſum transformare. Vale & pretioſiſſimo tuo patrocinio ſervum tuum ulterius honora.

Dab. Sangalli Helvetiorum d. 10 Maii 1745.

Generoſiſſime Domine Comes

De noſtratum Medicina paucula eaque breviſſimis comprehenſa tecum communicaturus, non quæ extra Patriam, & hinc inde in Helvetia occurrunt ex Doctorum Virorum ſcriptis compilare animus eſt, nec quæ in ipſa Patria ab aliis tantum ſunt obſervata, ſed potiſſimum quæ propria experientia, arctis utut limitibus circumſcripta, didici; miſſis hypotheſibus, ut poſtulas, qua potero ſuccincta brevitate, tradere eſt animus. Quæ ſi aliter elaborata velis, jube; præſentia ſpeciminis loco tradens mitto, plura, ſi jubeas, ſubjuncturus. Scopum tuum, Venerande Patrone, eo præſertim abire autumo, ut non tam res phyſicas ſub noſtro cœlo obvias, ſed quæ praxim Medicam ad lectum ægri concernunt, & certis obſervationibus fulciuntur, tecum communicare velim. Eaſque abſque prolixa methodo ſcholis academicis uſitata, & prout memoria noſtra materiam ſuggerit. Hinc miſſis præambulis tentaminis loco, hæc habe generalia ſpecialioribus quibuſdam intermixta, & prius loco quædam de febribus morborum frequentiſſimis, & quidem intermittentibus. Quod attinet tertianam veram ſimplicem, ordinariis ſtipatam ſymptomatibus, eam ſic aggredior; ſuperato uno, vel altero paroxyſmo, inquiro an præſentanea cauſa, uti plerumque fieri ſolet, hæreat in primis viis, ventriculo, & inteſtinis; tunc, nullo contraindicante ſymptomate vomitorium propino robuſtioribus ex tartaro emetico; minus robuſtis ex ſyrupo Angeli Salæ, debilioribus ex radice ipecacuanhæ, quandoque ex ſulphure aurato antimonii correcto, circa quæ hæc obſervanda, me ſæpiſſime unico tali emetico morbi vires ita fregiſſe, ut ulterioribus paroxyſmis janua penitus fuerit præcluſa, & morbus brevibus feliciter ſanatus. Si vero materia peccans ulteriori evacuationi mihi ſuggerit indicationem, poſt prægreſſos duos vel tres paroxyſmos, ſecunda vice ægrum ἄνω movere tento, & ſi opus eſt tertia vice id reiterare non erubeſco, ſi vires ægri non obſtant. Idque plerumque diebus inter duos paroxyſmos mediis, niſi quandoque hora acceſſus ſit pomeridiana, tunc non raro matutinum tempus emeſi peragendæ deſtino. Interim tamen febri obviam ire ſtudeo pro rerum circumſtantiis remediis abſorbentibus, ſitim reſtinguentibus, diapnoen promoventibus, in quacunque forma exhibitis, dietam ſemper exactiſſimam præſcribens præſertim diebus intercalaribus, nec pro appetitu cibos aſſumi permitto, ſæpius enim obſervavi ejuſmodi ægros diebus vacuis nimiam ciborum copiam ingurgitare, & ſic morbi durationem certiſſime ſibi, proprio damno, contraxiſſe; hinc nonniſi, quæ pro minima nutritione opus habent, haurire jubeo, & pro potu ordinario ptiſanam leviorem & tenuem propino. Et hac methodo plerumque intra menſis ſpatium ejuſmodi tertianas, felici ſucceſſu, quam plurimas curavi. Si vero conraindicantur reiterata vomitoria, tunc ad decocta amara per epicraſin laxantia refugio. Sed hoc modo protrahitur morbus, ut quandoque ad ſiſtentia fuerit confugiendum, inter quæ, elapſis 3 vel 4 hebdomadis, evacuata materia febrili, etſi metus adſit, morbum in febrem continuam degeneraturum, palmam præripit uſus decantatiſſimi corticis Peruviani, parva quidem ſed bis per diem reiterata doſi, & ſic quandoque rebellibus alias tertianis, nullo inſequente alio morbo, obveni. Raro ſanguinem mittere conducit, niſi ſpeciali urgente neceſſitate, nec aliquid ad febris curam, niſi per accidens, per venæſectiones conferri certo ſum perſuaſus. Criſin ex urina, & ſudoribus ediſco methodo ſatis nota; id quandoque obſervavi urinam a nimia florum ſalis ammoniaci exhibitione extincta fieri admodum limpidam abſque ægri levamine; alia vice, illam nonniſi poſt ceſſationem paroxyſmorum copioſo ſedimento ſuperbire; ſi per aliquot dies craſſa, demum fit naturali ſimilis, res ægri plerumque eſt in ſalvo. Si paroxyſmi cum aliquali ſudoris excretione finiuntur, morbus brevioris etiam durationis.

EJUSDEM GILLER COMMENTARII IN NONNULLAS PROPOSITIONES AB AUCTORE IN HISTORIIS MORBORUM EXPOSITAS

Ad pag. 189.

ALlegatur remedium antinephriticum Dominæ Stephens, qua occaſione citanda venit celeb. Schreideri epiſtola ad Clariſſ. Hallerum Profeſſorem hodie magni nominis Petropoli, & Gottingæ, in qua ille experientia edoctus, vires nocivas hujus medicamenti declarat, atque demonſtrat, ita ut fama illius mirum quantum debilitata fuerit. Si placet, epiſtolam communicabo.

Ad pag. 31.

De uſu aquarum mineralium cum lacte ad methodum Hoffmanni. Eſt hoc remedii genus uſitatiſſimum, & frequentatiſſimum apud noſtrates in variis admodum morbis, variis ætatibus, vario anni tempore, ubi nec ſolæ acidulæ, nec ſolum lac quadrant, & judicata pro utroque adſunt.

Ad pag. 42.

Sermo eſt de noli me tangere. Quibus paucis adjungo, haud ita pridem Medicum Germanum in Miſcell: Francoſ: tanquam ſpecificum commendaſſe carduum illum, quem Botanici vocant onopordon. Et recentiſſima eſt Diſſert: D. Gerlac Practici Hamburg: ubi ſuadet, cancrum apertum in ſcirrhum convertere, idque plus una vice factum fuiſſe teſtatur.

Ad pag. 97.

Citatur Platneri Diſſ. de Thoracibus, & facilitas abortus ab iis nimis ſtrictis, in quo non quoad abortum, ſed in genere me conſentientem habet. Vidi enim exempla plurima obſtructionis, & retardationis menſium, cachexiæ, ardoris ventriculi, & multorum morborum a ſola hac cauſa ortorum, unde domicellis noſtris nimiam Thoracum conſtrictionem omnibus viribus diſſuadere conor.

Ad pag. 162.

Mentio fit in notis de urticatione in iſchiade. Non ſine multiplici experientia hoc probatur. Citantur pulcherrimi caſus in hoc & aliis morbis, ubi urticatio, & flagellatio magni uſus fuit in libello iſto Bartholini de uſu flagellorum in re medica, & apud Paulinum in flagello ſalutis.

Ad pag. 34.

Ubi de eryſipelate non ſemper tangendo, eruditiſſime diſſeris, quibus paucula hæc ſubjungo: me haud ita pridem vocatum fuiſſe ad Virum apoplexiam minitantem cum reſpiratione forti, voce inintelligibili, pulſu pleno, viribus jacentibus, ut brevi inſuetam, aut ſuffocativam, aut ejuſmodi metuerem; ſciebam illum ſæpius eryſipelate obnoxium, inquiro ſtatum, reſpondent adſtantes, illud eſſe in fieri, & Chirurgum emplaſtra impoſuiſſe: juſſi omnia auferre, propinavi mixt: diapnoicam, mane eryſipelas adfuit, caput, & pectus liberum, æger viribus multo melior, locutus ut ſemper, ſic e periculoſiſſimo morbo, qui ante fores erat, Deo favente, eripui. Alias vix ſemel eryſipelas per externa tracto.

Ad pag. 69.

Nota eſt Hiſtoria mulieris, dicam, aut meretricis, quod corporis elegantia præſtans ſibi aliiſque impoſuit, & ob contractam ſæpius luem Gallicam aliquoties ſalivationem perpeſſa, tandem cephalæa incurabili defuncta; cujus cadaver in diploe cranii multum adeo Mercurii vivi ſpectantibus exhibuit, manifeſto indicio, veriſſima eſſe, quæ ſcribis.

Ad pag. 115.

Ubi notula Baglivi de hauriendis in aſthmate halitibus terræ mihi in memoriam reduxit caſum Lutetiæ Pariſ. contingentem: Vir nempe dives aſthmaticus diu Medicinam fecit abſque ſucceſſu, donec ruſticus ei promiſit ſe brevi illum curaturum, ſed ſchedulam ab ægro petiit aliquot mille librarum argentearum poſt exactam curam: æger contentus promiſit, quem Ruſticus ſecum domum ſumſit: quotidie juſſit per nebulas matutinas ambulare, haſque audacter haurire, quo facto abſque ullo alio remediorum genere, ſpatio aliquot hebdomadarum funditus curavit, ipſo ægro id aſſerente: Ruſticus poſtulat Soſtrum, exhibita ſchedula, renuit nobilis, ſe nihil medicamentorum hauſiſſe, & victum ſe largiter ſoluturum; quo facto Ruſticus judicem implorat, & pretium ſchedula denominatum, ſententia ita jubente, reportat.

Ad pag. 75.

Tractas de cura luis Gallicæ abſque Mercurio. Si lubet hac de re legere Clariſs: Brunneri Diſſ. de cura luis Gallicæ abſque ſalivatione, illam, ſi juſſeris, tranſmittam.

Ad pag. 123.

Loqueris de machinis Venetis, qua occaſione in mentem veniunt machinæ illæ d. q. Tranſactiones Anglicanæ, pro mutando aere in cubiculis ægrorum. Certe multum confert hæc mutatio, unde & Sydenham in variolis quandoque refrigerationem aeris bene ſuaſit.

Ad pag. 189.

Euporiſton ad demulcendos dolores & promovendos calculos renum, referente nuper Medico inſigni, eſt, ſi ſingulis mane portio ſufficiens micæ panis bene & diu manducatæ deglutitur; continet enim aliquid acidi calculo ſolvendo, qui eſt naturæ alcalicæ, admodum appropriati, nec deſunt exempla ſi non curatæ, tamen multum ſublevatæ nephritidis.

Speravit magnus Boerhaave, fore, ut aliquando verum lithontripticum inveniatur, & ſpiritum nitri dulcem talis naturæ eſſe, ut multum appropinquet ſua natura ad naturam ejuſmodi medicamenti tantopere deſiderati; ſaltem hunc ſpiritum calculum humanum extra corpus ſolvere.

Si principia Authoris, qui auream catenam Hoceri ſcripſit, & hic quadrant, neceſſe erit quærere medicamentum, quod ad calculorum naturam quamproxime accedat; nam ſolvens debet eſſe homogeneum in ſolvendo.

SCA-

SCAPHUSIA

IN EADEMQUE MODUS CURANDI APOPLEXIAM

OH felix Europa, feliciſſima inſuper Ars Medica! ſi quod factum in Scaphuſiana urbe video a celeberrimo, & nunquam ſatis laudato Johanne Jacobo Wepfero, diverſorum S.R.I. Electorum, & Principum Archiatro, in ceteris etiam tot Regnorum urbibus, ceteriſque morbis a Clinicis exequeretur, neque in inutiles tricas, & diſceptationes diverterent, a quibus ſummopere humanæ phantaſiæ læduntur, & mille præjudiciis deturpantur; ſed per repetitas obſervationes prope lectulos factas perpenderent naturæ luſus, criſes, methaſtaſes, &, ut de ſumpto argumento loquamur, non omnes apoplexias una methodo curarent; ſed, inquam, ab antecedentibus, a concomitantibus viderent diligenter, num in ſanguine, lympha, vel nerveo ſucco cauſa morbi quærenda ſit.

Viderent inſuper, præcipue Philiatri Minervæ conſecraturi, modum, ordinem, quo magnus præcitatus Auctor apoplecticos tractavit, deque iiſdem ſcripſit; additis ſcholiis, & cadaverum ſectionibus, a quibus quæſtiones tolluntur, & res in bono lumine collocantur.

Viderent (1) hiſtoriam cujuſdam ſeptuagenariæ, in qua ſuffuſio oculorum, & lingua titubans apoplexiam minata eſt. Quæ inde Januario, 10 a plenilunio die, evenit, & cum colore vultus rubicundo, ægram ſuffocavit. Media ſubinde anatome, repertis in dextera cerebri parte ſanguinis grumis nigerrimis, præcipue verſus corpus falciforme, & ſinum tertium.

ANIMADVERSIO

AB hoc facto, & antecedentibus, & anatome demonſtrato, & a docto Helvetio-Scaphuſiano in lucem poſito diſcere debent Practici Juvenes; & quando in ſenibus præcipue detegunt inceptam ſuffuſionem, aut guttæ ſerenæ initium (2), quando labes in ſpiritibus animalibus præextitit, quando vitæ functiones aliquatenus læſæ ſunt, quando conſanguinei majores ex apoplexia perierunt, quando vires, ſenſus, motuſque poteſtates attonitæ fiunt, quando inſignis aliqua evacuatio (3) (4) ſuppreſſa eſt; ſed ante omnia, quando hebetans, & obtuſo ligamine læſa lingua de moventis & irradiantis animæ impedimento admonet; quando vagantes formicæ in brachiis, & aliis partibus ſentiuntur, non manibus (5) inter cingulum, & abdomen poſitis otiari debent, ſed prænunciare, prævidere, & agere, quæ agenda ſunt. Enim, ut fuſius diximus in Hiſtoriis Morborum, Ars Medica circa apoplexiam, ejuſdemque inſultus, verſare debet præſertim in præſervatione ab iiſdem; quandoquidem ubi morbus jam productus eſt, primaque viſcera fatali, comitialique ſyderatione occupata, occaſio calva perſæpe eſſe ſolet.

In hunc finem ſi a dictis, aliiſque ab Hippocrate, ejuſdemque ſectatoribus propoſitis ſignis, de ſanguine intra cerebri anfractus, & glandularum corticalium difficultates ſtagnante indicia coruſcant, illico ſecundum vires, & temperamenti tolerantiam de illo removendo cogitandum eſt, inferioribus præſertim eductionibus (6), & emiſſariis, necnon toto capiti aptatis emplaſtris diſcutientibus, & penetrantibus; quorum formulæ proſtant penes pharmacopæas. Hæc ſuadere volui, videns in cadaverum ſectionibus a Scaphuſiano Profeſſore expoſitis, numero fortaſſe majores, a ſanguine in ſupremo ventre ſtagnante occubuiſſe. Videantur Platerus, Bauhinus, Spigelius, Nymannus, Riolanus &c.

USUS RURICOLARUM SCAPHUSIANORUM SÆPISSIME EXTRAHENDI SANGUINEM

S*Olent enim noſtrates ruricolæ in primis ter quaterve in anno venæ ſectiones uſurpare, & qualibet die duas, quandoque tres, non raro quatuor venas pertundendas curant*, nulla cura temperamenti, ſexus, vel ætatis (7). Sic loquitur egregius Vir de regionibus ſuis. Cumque ille ipſe eoſdem damnet, ſic ejuſdem damnabilis uſus prejudicia non carpo. Cum non adeo deliras credam ceteras regiones, ut illum ſequi velint.

LOCUS AFFECTUS IN APOPLEXIA

E*T a ſpirituum animalium effluxu ad ſenſus, & motus voluntarii inſtrumenta prohibito*, a ſero aut intra *arterias ſanguini confuſo, aut intra cerebri poros* adacto, itemque *fermentato*, & bulliente, a ſanguine *ad interiora cranii effuſo*, ab *eroſione, & ruptura* vaſorum, a *pororum laxitate*, a *narcoticorum* abuſu (8), ab *otioſa victitatione*, a *ſomno*, *ſenili ætate*, atque a bene multis aliis cauſis (9) doctus Helveticus originem apople-

(1) Hiſtoriæ Apoplecticorum, pag. 5.
(2) Vide eundem Auctorem, pag. 15.
(3) Gul. Fabricius Hildanus Ca. III. obſ. II.
(4) Platerus Pract. Tractat. I. lib. I.
(5) Maſſaria P. Med. lib. I. c. 13.
(6) Quamvis Auctores in varias abeant opiniones, ut videre eſt in Dodoneo, Tulpio, Salio, Capivacio, & aliis. Tamen rebus etiam dubiis, non adhuc perfecte cognitis, venæ ſectio in Apoplexia videtur licitiſſima, & ſæpeſæpius utiliſſima, utpote quæ ſola, poteſt obſtacula, qualiacunque fuerint, removere, & humorum motum producere.
(7) In Hiſtoriis Apoplecticorum n. III. p. II.
(8) Fortaſſe ut ipſe ait ob male factas ejuſdem præparationes.
(9) Hoc eſt vinum, ira, venus, exercitia immodica, aeris mutationes, melancholia, ut voluit Cardanus, compreſſiones, tumores, calculi, oſſicula, contuſiones, onerum graviorum geſtatio in capite, hydatides, ſcabies retropulſa, immorderatus acidularum uſus, polypus cordis, ſcorbutus, vigliæ, mœrores, ſtudia.

poplexiæ deſumit, & medulloſam cerebri, & cerebelli ſubſtantiam pro loco affecto concludit, Quod quidem & alii Scriptores optime docent, ſed quoniam vir iſte ſententias aliorum examinavit, cribroque diſcuſſit, & in unum collectas legentium obtutui expoſuit, ſic & artis Medicæ, & urbis Scaphuſiæ, necnon Philiatrorum decori, ornamento, utilitati, de iiſdem brevem ſermonem facere voluimus.

LUNA APOPLEXIAM PRODUCIT

LUMINE ducto a Macrobio, & Alexandro Benedicto, doctus Scaphuſianus exhibet experimentum Clariſſimi Stephani Spleiſſii inſignis Mathematici, qui *generationem glaciei tempore æſtivo molitus eſt ope patinæ ſtanneæ, in qua infuſo prius hydrargyro, aqua ſuperfuſa, lunæque radiis expoſita*, congelata dureſcit. Cumque a lunæ (1) radiis, *inſigni frigefaciendi facultate* præditis, morborum phœnomenon producatur, per conſequens apoplexiam etiam poſſe gigni auctor eſt.

APOPLEXIA FREQUENS IN MONTIBUS NIVOSIS

HABITATORES montis S. Gotthardi in Helvetia, *denſatis intra cranium vaporibus*, nivis noxiam vim experiuntur; ideoque & dormiendi neceſſitate, & ſopore opprimuntur, quæ comitialis morbi vigiliæ ſunt (2): ipſiſque ſuccurritur mediis fotibus, & ſpirituum ſanguiniſque motum adigentibus.

IN CASU AB ALTO, CRANIO, ET ARTUBUS CONQUASSATIS, QUOMODO HELVETII MEDICI SUCCURRANT

B*IS venæ ſectionem adhibuit: totum dorſum oleo diſcutiente inunxit: truncum pelle arietina adhuc a recenti detractione calente involvit. Capiti ſacculos cephalicos in vino coctos applicavit: crebro dedit tincturam traumaticam: vinum denegavit, propinavit decoctum cornucervi. Alvum ſubduxit: Brodio prunorum laxat:, & ſuppoſitorii, vires ſubinde refecit aqua cordiali temperata &c.*

TABACI FUMUS APOPLEXIAM PRODUCIT

IN Maſſilia Galliarum Provincia duo itinerantes Hollandi homines ſe invicem incitarunt, quiſnam *plures tabaci fiſtulas exſugeret*. Poſt XVII. experimentum ludus in apoplexiam terminavit, & ambo apoplectici deciderunt. Non eſt ut verba adjungam.

REMEDIA AB HELVETIIS, ALIISQUE FINITIMIS MEDICIS ADHIBITA, PRO CURATIONE APOPLEXIÆ

TINCTURA, quam Helvetii traumaticam dicunt, ex herbis chærefol., petroſell., plantagine, utroque naſturtio aquat., anagallide, beccabunga, ſolano, meliſſa, virga aurea, pentaphil., veronica, biſtorta, nicotiana, ſalvia, floribus hyperici, in loco tepido digeſtis, uſque dum aceſcerint: coctiſque, col. indantur lumbrici terreſtres, aqua plantaginis, & aceto rubi idæi loti, & minutim conciſi, & ad conſumptionem cocti, addito melle. Quæ tinctura adhibenda præcipue in ſuſpicione ſanguinis grumoſi, & congelati: utilis etiam in pleuritide.

Vomitoria pariter ex ſale vitrioli emetico laudantur. Quorum uſui nos quoque in Italicis noſtris hiſce regionibus aſſentimur. Vomendi ſiquidem conatus, ſtimuli vis, & in convulſivos motus percitæ proximæ gulæ, colli, & medullaris principii regiones, fatalia intus implantata impedimenta facilius excutere poterunt. Obſtant quidem Stertor, & ſuffocationis periculum, ſed in cura coacta Medici judicium de medio eſt, ut ſeligat meliora, & profutura.

Laudantur inſuper tanquam ſpecifica primaria conſ. roſmarini, ſpecif. cepha: Mihael:, ſyrupus betonicæ, aqua ſalviæ, lavendulæ, eſſentia lilior convall., ſpiritus ammoniaci, ſyrupus de ſtecade.

Electuarium ex radice pyrethri, ireos Florent. ana ʒ i, ſinapis, zinzib. macis ana ℈ i cariophil ʒ .s. pulveris add. mellis anthoſati, & f. electuarium.

Item fel tauri inſpiſſatum, & ſal ruthæ.

Quod vero addit Gabriel Clauderus (3) ſanguinem, ſcilicet apoplecticorum, actu extractionis, eſſe actualiter frigidum, non tam facile obſecundo, aut aſſentior; ille enim materialem calorem habebit, quo fruitur reliquum corpus. In ſuppoſita vero cauſa apoplexiæ frigida laudo, Auctorque proponit, nempe eſſentiam caſtorei volatilem, necnon ex ſale fuliginis, liquorem cornu c. ſuccinatum, cinnabarim nativam, theriacalia, eſſentiam mumiæ aloeticam. Fonticulos &c.

Particulæ cranii hominis, violento morbo perempti, multas dant laudes pro curatione paralyſis, ſi patiens eandem particulam appenſam collo gerat. De facto in quibuſcumque Pharmacopæis, & diſpenſatoriis cranii hnmani particulæ pro quibuſcnmque capitis affectibus, & nervoſi ſucci diathe-

(1) *Præcipue ſi luna plena, terriſque proxima in extremo ſuo ſeptentrionis termino conſtituta fuerit.*

(2) Hipprrates in Coacis.
(3) Obſervatione X. pag. 458.

theſibus adhibentur, ut jam de Anglicana Medicina loquebamur.

Verbera etiam, flagella, & cutaneæ cruentationes pro apoplexiæ remedio proponuntur, de quorum uſu in arte ſaluberrimo ſcripſit etiam Thomas Bartholinus.

Pulvis ex radice ari, & caryophilis.

Vinum album; quandoquidem apoplexia frequens in locis, ubi vina rubra bibuntur (1).

Tria grana maſticis cum agarico in quantitate ciceris, ſummo mane maſticentur per unam horam, & materia expuatur.

Ventoſæ magnæ ſupra commiſſuram ſagittalem, atque etiam ſuper atlantem, collique vertebras.

Sternutatoria ex pulvere euphorbii, hellebori albi, & tabaci facta, naribus inflentur (2). Mitiora ſunt ſem: nigellæ, & pulvis roſarum rubearum.

Oxymel ſcilliticum cum ſale cardui benedicti.

In apoplexia pituitoſa linimentum nuchæ apponendum ex ol. chamæmil. de lateribus, caſtoreo, & cera.

Stupet celeberrimus Rieger (3) Wepfferum in apoplecticis non adhibuiſſe radicem Doronici, utpote magnum ſpecificum, & in Helvetia frequens.

Ceterum Scaphuſiana Medicina illuſtrata etiam fuit a Joanne Jacobo Mejero, de quo videnda *Meditatio de memoria læſa, ſeu oblivione*.

TIGURUM

VIRO CLARISSIMO

ENRICO RAHN

In Tigurina Helvetiorum urbe Medicinæ Profeſſori celeberrimo

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

S. P. D.

Vir famigeratiſſimus Andreas Paſta me certiorem fecit, te excitaſſe, ut aliquibus ſcriptis patrii hujus tui cœli Medicam Praxim in uno, vel altero morbo explicantibus, futuram noſtram editionem, ad plures Provincias pertinentem, locupletares. Cumque te comiter annuiſſe, & fere dixero, promiſiſſe intellexerim, poſcit ratio, ut grates tibi prænunciem, & lætitiam in hoc geſtientis animi mei tacitus adhuc non prætereram. Quoniam vero nunc nihil recens ex meo habeo, ſine, ut tecum libere dividam donum Patris Anſaldi hodie ſignanter e prælo exiens, quod a Domino Joanne Georgio Burcle accipies. Interim vale, & mihi favere perge.

Brixiæ 10 Auguſti 1745.

Illuſtriſſimo Comiti

Francisco Roncalli Parolino

S. P. D.

JOH. HENRICUS RAHN M. D.

Literas tuas mihi merito gratiſſimas, una cum elegantiſſimo Reverendi P. Anſaldi Tractatu de Forenſi Judæorum Buccina, ſpectatiſſimus Ducentum Vir Burculinus exacte tradidit. Cum non habeo quid referam, ſufficiat tantiſper gratiarum actio, quam animitus fundo, dum propenſionis animi indicium edere liceat evidentius. Grates debeo Excell. Paſtæ, quod tantum mihi comparaverit Patronum. Miror autem, illum contra tuam opinionem de propoſito tuo ne verbum quidem ad me ſcripſiſſe; hinc eſt, quod petitioni tuæ ſatisfacere meamque inſerviendi promptitudinem demonſtrare non poſſim. Intellexi quidem tum ex tuis humaniſſimis literis, tum ex dedicatione Rev. P. Anſaldi, editurum te Opus Medicum ad plures regiones ſpectans. Qualis autem futurus ſit inſignis hujus Operis ordo, qualiaque debeant eſſe a me communicanda ſubſidia, exactius reſcire cupio, quorum ut me certiorem faciat optimus Paſta, per literas ante XIV. dies rogavi; cum autem reſponſorias nondum acceperim, te Illuſtriſſimum Comitem, & laudati Operis doctiſſimum Autorem oratum venio, ut evidentius moneas, quid tibi a me præſtitum velis, quo facto, ſi vires voluntati reſpondeant, habebis ſine mora quod petis, ſpe fretus indubia, quod mea imbecillitas non valet, a tua ſolidiſſima eruditione facile ſuppletum iri. Hiſce ut mihi, ſi qua in re poſſum, tibi inſerviendi, & cupidiſſimo, & paratiſſimo favere pergas, etiam atque etiam contendo. Vale.

Dabam Tigurii 4 Septembris 1745.

ILLU-

(1) Conradus.

(2) Sed animadvertendum ne apoplexia ſanguinea ſit, quo caſu abſtinendum.

(3) Antapoplectica, pag. 604.

ILLUSTRISSIMO ET CLARISSIMO VIRO

JOH. HENRICO RAHN

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

OPus typis tradendum in eo ſtat, ut multarum regionum Medica Praxis præcipua, ad reſtaurandamque humani corporis fabricam, utiliori aliqua in re, viciſſim comparata magis conſtet. Parum de mediocritate mea mihi ſpondens adlaboro, ut remoti docti homines partes illius evadant. Tu igitur, quem fama ſapientem deprædicat, quem humaniſſimum demonſtrant literæ IV hujus menſis datæ, ſi ditare editionem vis, ſuppone per hypotheſes, proba per experimenta, refer per epilogum, quodnam remedium in Tigurina, aliiſque, ſi tibi lubet, Juridicorum Conventuum urbibus magis uſuveniat. Tange aliquid de cœlo, deque climate tuo ita, ut Helvetica Medicina, aut aliquid rarius, & docens in ea quatuor, vel quinque in pagellas redacta veluti videatur. Celebratiſſimo inter Bergomates Literatos Viro Andreæ Paſta neceſſitudinem noſtram, te comiter annuente, firmatam, prænunciabo, & in illis rebus, quæ tua cauſa facere potero, me nunquam defuturum promitto. Vale.

Brixiæ 19 Septembris 1745.

Illuſtriſſimo Domino

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Medicinæ Doctori celeberrimo

S. P. D.

JOH. HENRICUS RAHN M. D.

TUm ex tuis, tum ex celeberrimi Paſtæ literis clarius perſpexi, quales de Medicinæ Helveticæ ſtatu a me petas annotationes, meditanti reſponſionem latus ſcribendi ſeſe aperuit campus. Theoretica enim, & Practica occurrerunt plura, quam quæ paucis includi potuerint pagellis; Hinc quæ Theoriam ſpectant, abſque metu indignationis omittere me poſſe cenſui, eo minus, quod Beatus Scheuchzerus in IV., quas heic tranſmitto, Diſſertationibus, ea ſolide pertractavit, quæ ſi tibi nondum ſatisfaciunt, plura ſpecialiora, ab eodem Auctore Actis Uratiſlavienſibus paſſim inſerta, invenies. Quod Practica attinet, methodum medendi Helveticam tradere poſſem, ſi juvenes Helveti, qui ſtudiis Medicis incumbunt, a Præceptoribus conterraneis eruditis, ac fidelibus Theoria & Praxi Medica imbuerentur climati, victui & moribus Gentis noſtræ reſpondente; cum autem plurimi illorum aliquando nullis, aliquando-paucis jactis fundamentis exteras adeant regiones, principiis Profeſſorum ſuorum innutriti in Patriam redeunt, alii Boerhavianorum, alii Hoffmannianorum, alii Stahlianorum, alii aliorum neſcio quorum Sectæ ſe adſcribentes, quo qui tunc doctior, prudentior, ac diligentior eſt, eo felicior etiam ſua Praxis. Sunt in Helvetia Practici plures omni laude digniſſimi, verum ego non novi binos, qui in medendo iiſdem principiis inhærentes, eadem utantur methodo. Nimium etiam meæ tenuitati, cujus, ſi quis conſcius eſt, ego ſum, tribuerem, ſi meum in tractandis ægris modum tanti haberem, ut Collegis meis illum commendare, vel pro univerſali Helvetica Praxi celebrare contenderem; forte tamen non nimis arroganter dicerem, pluribus ſi non omnibus Helvetiæ Civitatibus illam quoad majorem partem convenire. Hinc, cum in te, Illuſtriſs. Roncalli, habeam Judicem æquum ac benevolum, Helvetica, ideſt, ſincera mente perſcribere non erubeſco, quid, præmiſſis paucis generalibus, ſentiam de morbis apud nos endemice graſſantibus; ideſt, qua ratione contra unum, vel alterum morbum militare conſueverim, patebit tum ex generali cura pleuritidis, & peripneumoniæ, tum ex ſpecialibus obſervationibus, quibus euporiſta quædam immiſcebo, alia ſuperadditurus, quæ omnia ſpecimen dabunt Praxeos Helveticæ, ſi non celebris, ſaltem per Dei gratiam non infelicis. Ad generalia pertinere videntur medicamenta ſimplicia ac blanda, qualia ſunt infuſa, & decocta ex plantis benigniſſimis, quibus abundant montes, prata, & ſylvæ, juſcula medicata ex herbis domeſticis, potus avenaceus, ſerum lactis, ſimiliaque, excellentiſſimi apud nos eſſe uſus, atque effectus; contra caute mercandum eſſe cum ſpirituoſis, ac volatilibus, dein incolas urbium lautæ, ac vinoſæ diætæ plurimum addictos facile incurrere morbos a plethora originem ducentes, unde venæ ſectiones, ſcarificationeſque in frequenti apud nos ſunt uſu, in iiſdem corporibus ſi primæ viæ ſaburra vitioſa ſunt inquinatæ, facile expurgantur evacuantibus lenioribus, Κάτω ♃. manna, fol. ſennæ, rhabarbaro, ſale cathartico amaro, & ſimilibus, ἄνω rad. Ipecacuanhæ, omnibus ſub forma debita propinatis, cum contra Ruſtici craſſæ diætæ, duriſque laboribus addicti, utique validiora cuivis nota expoſcant. Contra morbos chronicos cum fructu utuntur noſtrates aquis medicatis variis, e. g. Fabarienſibus, Badenſibus, Leucenſibus, Schinznachenſibus, Selteranis, Sedlicenſibus &c. quarum quævis pro uſu vel interno, vel externo, vel utroque a Medicis rationalibus ſuadetur, habita ratione tum ad contenta illarum a probatis Auctoribus detecta, tum ad circumſtantias ægri, & morbi eum affligentis. Tranſeundum nunc erit ad ſpecialiora, & quidem I. *ad*

morbos

morbos endemicos, vel Helvetiis præ aliarum Regionum incolis proprios, quorum primum locum teneat Νοςαλγία, ubi enim Helvetii Patrios lares dederunt, & ad diſſitas regiones proficiſcuntur, in Patriam redeundi cupidine miſere vexantur, & in morbum periculoſiſſimum projiciuntur, qui provenit, ex mutato aere levi, puro, ventis undique perflato cum gravi craſſiſque vaporibus inquinato, ex mutato vitæ genere, & victu inprimis inter ruſticanos peculiari, ſæpius etiam ex mutata libertate cum ſtatu militari, vel ſervili: medetur huic morbo, ſi imaginatio læſa præſidiis moralibus corrigitur, conſortio grato mens exhilaratur, & Patria ſemper obverſans idea eliminatur; his autem, & medicamentis ad ſymptomata directis nil valentibus, ſignum morbi pathognomonicum, ſive deſiderium in Patriam revertendi, (quod tribui poteſt impulſui automatico, quo morbi præſentia cogit corpus ad applicationem auxilii probatiſſimi) manu quaſi medentem ducit ad ſuadendum, & parandum hunc reditum eo magis, quod obſervationes doceant, ægros alios ſola hac ſpe nutritos, alios in itinere conſtitutos, omnes in Patriam redeuntes cum ſanitate in gratiam rediiſſe. Plura de hoc morbo ſi deſiderantur, evolvi poterit Scheuchzeri tranſmiſſa Ἀερογραφία, & Zuvingeri Diſſertatio de ποθοπατριδαλγία, quæ Lectori curioſo abunde ſatisfacient. Hanc ægritudinem excipiant Herniæ inprimis inteſtinales, quibus anſam dat victus conſtans ex lacticiniis, & aliis cibis flatulentis, ut & labores duri vix non Herculei. Ruſtici enim inprimis, & varii Opifices in agris colendis, aſcendendis collibus, ac montibus onere magno onerati, & elevandis notabilibus ponderibus peritonæum expandunt, & inteſtinorum prolapſum facilitant, his afflicti divites, & vitam ſedentariam agentes bracheriis ſublevantur; cum autem hæc laboribus iiſque duris victum quærentibus a ſudore prolicito madefacta continuo attritu ardorem, & vulnuſcula urentia excitent, hi Κηλοτομία curantur, & quidem ob inevitabilem alias recidivam ex jamjam memoratis cauſis fluentem cum caſtratione, ſeu extirpatione teſticuli. Dein recenſendæ veniunt ſtrumæ, ac ſcrophulæ, quarum cauſam tribuimus cibis ex lacticiniis, multo caſeo, & aliis δυσπέπτοις conſtantibus, ut & in variis locis potui aquæ gravis, terra calcaria multa refertæ, quæ omnia lympham viſcidam, tenacem, in glandulis facile ſtagnantem generare apta ſunt. Cura ſtrumarum, ſi tempeſtive inſtituitur, repetitis laxantibus mercurialibus, ſequenti pulvere ſtrumali facile abſolvitur: ♃. pulv. contra ſtrumas Auguſtan. ℥.s. arcan. dupl. ʒ II ſpong. combuſt. ſalis polychr. pulv. rad. vincetox. ana ʒ I m. f. pulv. detur Luna decreſcente, mane, & veſperi, quantum capit cuſpis cultri. Scrophularum cura requirit eadem laxantia, pulveri autem dicto ſubſtituatur ſequens. ♃. oc. canc. ppt. tart. vitriol. ſtib. diaphor. Æthiop. miner. ana ʒ I m. f. pulv. cui jungantur externa, e quibus optatum mihi effectum præſtiterunt ſequens linimentum, & ſacculus: ♃. ol. lilior. alb. ℥ II ſpiritus opt. ℥ .s. m. f. linimentum, quo ter, vel qaater de die inungantur ſcrophulæ, poſt imponatur ſacculus his herbis, & floribus repletus: ♃. herbar. beton. ſalv. thym. ana m. .s. fl. ſamb. chamom. Rom. ana p. II inc. m. (prima occaſione ἐυπύζιςυ Gherlii in elegantiſſimis Tuis obſervationibus, quas ſumma cum voluptate perlego, deſcripti vires experiri ſtudebo). Denique dantur apud nos multi podagrici, & nephritici, ni fallor iterum, a potu aquæ multa terra tophacea inquinatæ, & vini multo tartaro referti. De horum cruciatuum tractatione, & mitigatione potius; quam certa medela, Auctores Practici ad nauſeam uſque agunt. Sufficiat ergo in his anguſtis pagellis breviter monuiſſe, ampliſſimum in hac urbe degentem Virum, qui olim diris doloribus podagricis ſæpius affligebatur, nec tanta frequentia, nec tanta ſævitie ab iis affici, ex quo ab eſu carnium quarumcunque abſtinet, & ſolis juſculis, oleribus, & paſtis farinaceis nutritur, quam diætam fuſius deſcribit, & ſolidis experimentis ſuffulcit Loob in tractatu de diſſolventibus calculos, ac curatione calculi, & podagræ, ope alimentorum. Contra Tribunus plebis calculo demortuus medicamenta a famigeratiſſima Stephens inventa, & multis laudibus celebrata, ex Anglia tranſmitti curavit, & ſine optatu eventu in uſum traxit. Ceterum, & podagricis, & calculoſis multum levaminis afferunt thermæ Badenſes, & plus adhuc inprimis poſterioribus Piperinæ. Ab endemiis morbis tranſitum faciens ad alium, quem cum aliis Gentibus communem habemus, brevibus exponam, quænam ſit mea medendi methodus in pleuritide, & peripneumonia. Veniam dabis, celeberrime Roncalli, ſi taceam de definitione, cauſis, diagnoſi, ac prognoſi, cum has fuſe deſcribant Autores, & hic tantum quæſtio ſit, qua ratione hos morbos Tigurinos infeſtantes, non infelici ſucceſſu profligare conſueverim: cum non incongruum erit, in hac narratione ſequi indicationes curativas, I. eſto inflammationis incrementum, ſeu ulteriorem ſanguinis ſtaſin præcavere, in quem finem venæ ſectionem ſtatim in brachio lateris affecti inſtituo, magis aut minus largam, prout æger magis, aut minus plethoricus eſt, ubi ſerum glutinoſum ſanguini emiſſo innatat, & δυσπνόιαι cum dolore lateris punctorio non remittit, ac vires conſtant, eandem repeto, tertia vero, aut quarta vice ex mente Sydenhamii, & Trilleri in exquiſitiſſima commentatione de pleuritide ſanguinem emittere, vel non opus habui, vel renitentibus aut ægris, aut eorum adſtantibus, aut in conſilium ductis aliis Medicis non auſus ſum. Gravidam hoc morbo laborantem nunquam tractavi; hinc experientia deſtitutus dubius adhuc ſum, an iis venæſectio adeo funeſta ſit, ac aſſerit Cohauſen. Secundæ indicationi, quæ jubet, ſanguinem, & humores ſpiſſos reſolvere, diluere, & blandam diaphoreſim promovere, ſatisfacio NR. vel emulſione, & pulv. ſeq. ♃. aq. card. ben. ſcabioſ. fl. ſamb. ana ℥ II theriacal. ℥.s. lap. cacr. ppt. mand. luc. piſc. ſtib. diaphor. ana ℈ I ſyr. papav. err. ℥ I m. vel ♃. ſem. card. ben. papav. alb. ana ʒ.s. aq. chæ-

refol.

reſol. card. ben. Veron. ana ℥ II f. l. a. emulſio, colat. add. oc. cancr. ppt. dent. apr. ppt. ana ʒ.s. ſacch. perlat. q. ſ. ad gratiam. Sign. una, vel altera: dentur cochl. III omni biborio alternatim cum hoc pulvere ℞. fl. ſulph. dent. apr. ppt. mand. luc. piſc. ppt. ſem. card. mar. ana ʒ I fl. papav. err. ℈ II m. f. pulv. det. ℈ I pro doſi cum aq. diapnoicis, vel aq. fl. chamom. & papav. err. ſi hiſce morbus per ſudorem ſolvitur, eumque ſymptomatum mitigatio ſubſequitur, diaphoreticis, ac diluentibus ulterius, ſed non tam crebris doſibus inſiſto. Tertia indicatio monet, ut ſtrictura fibrarum non ſolum parte affecta, ſed & in inteſtinis, ſi adeſt, laxetur, quod fit unguento & clyſtere: ℞. Ung. d. Alth. potab. r. ana ℥ I olei chamom. expr. ℥ .s. deſt. aneth. ℈ I m. f. unguentum calide loco dolenti inungendum, eoque facto panni calidi applicandi, ut calor eo dilatius duret. Pro clyſtere ℞. ſeri lact. ℔. I mel. puri cochl. II nitri dep. ʒ II. Juxta quartam indicationem excretio materiæ viſcidæ ſtagnantis per ſcreatum facilitanda, ubi hæc cocta, & ad excretionem apta, expectorationem promoveo decocto, vel eclegmate ſequentis compoſitionis: ℞. rad. bardan. gramin. an. ℥.s. liquirit. ʒ II herb. ſcabioſ. Veron. ana m. II Bellid. papav. err. ana ʒ II ſem. aniſ. ſtell. ʒ I inc. & cont. coq. in ſ. q. aq. font. colat. add. ſyr. capill. Ven. d. eryſim. ana ℥ II m. det. ſæpius hauſtus. Vel ℞. ſperm. cet. rec. ſacch. cand. alb. ana ʒ II. ol. amygd. d. ℥.s. ſyr. violar. ℥ II m. d. ſubinde coch. I. Veſicatoria nunquam applicavi, applicari tamen poſſe, ubi repetitis venæ ſectionibus vel reſtat, vel augetur ſpirandi difficultas, derivationis nempe ſcopo, Baglivio facile largior. Morbo ſuperato, alvum leni laxante ſubduco ſecundum monitum Lentilii, qui annotavit hoc omiſſo ægros poſt annum factos eſſe phthiſicos. In tota cura vito diaphoretica fixiora, ſalia volatilia, elixyria pectoralia, vomitoria, opiata, crocata. Circa rerum naturalium uſum hæc commendo: aer ambiens ſit moderatus, cibus ſit εὔπεπτος, potum conſtituat decoctum avenæ, vel hordei addita pauca quantitate mellis & nitri. Vel infuſum ſequens in collectan. Uratiſlavienſibus maximopere laudatum: ℞. decoct. aven. ℔. II in eo infund. fl. papav. rh. m. I rad. bardan. ʒ I colat. det. pro uſu. Ne autem putes, Doctiſſime Roncalli, me empiricorum inſtar omnibus omnino pleuriticis hæc præciſe ordinare medicamenta, paucis innuo, me non ignorare, pro varietate ſubjectorum, & differentia ſymptomatum etiam mutanda eſſe medicamina. Hæc de morbo acuto: tranſeo nunc ad chronicum, nempe hydropem, qua ratione hanc plus una vice feliciter curaverim, recenſebo ſequenti caſu: Ampliſſimus Reipublicæ noſtræ Proconſul ætatis 62 annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici ab initio anni 1742 laborabat tuſſi pectorali, æſtate proxime inſequente ſenſim, ac ſenſim incidit in hydropem, contra quam Medicus ordinarius, Practicus hujus urbis ut Dexterrimus, ita & Famigeratiſſimus varia ſine dubio ſelectiſſima adhibuit remedia, quibus irritis, in conſilium vocatur alius Medicus ob diffuſam Praxin, & hinc nactam experientiam felix, ac celebris: conſilia dederunt bini hi Medici, quæ potuerunt optima, medicamenta propinarunt ſecundum eorum opinionem ſaluberrima, ſpecifica, univerſalia, ſed quid fit? Malum plus arte ſua quantumvis magna valuit, ita ut omnium fere ore letho concreditus fuerit æger. Hinc quæſitum fuit ubique, an & quo curata fuerit hydrops. Dum hoc fit, rumor fertur, me Ruſticam hoc morbo laborantem contra omnium ſpem curaſſe, de quo certiores facti, quibus curæ cordique erat reconvaleſcentia optimi hujus Viri, mihi lachrymantes narrant, Ampliſſimum Proconſulem abdomen, & pedes habere admodum tumentes, cum antea fuerit obeſus, nunc prorſus eſſe emaciatum, faciem ejus olim floridiſſimam nunc fere eſſe Hippocraticam, excretionem urinæ in quantitate non reſpondere liquidis aſſumtis, alvum vix ſolvi ſine adhibito ſyrupo laxante, quem jam ultra 160 vices aſſumſerit, cum ſtatim ab intercepto ejus uſu tumor oedematoſus incrementum capiat. His auditis reſpondi, morbum hunc adhuc fore curabilem, ſi viſcera primaria ſint illæſa, ſi viſcidi ſtagnantes humores vaſis ſuis adhuc ſint incluſi, & reſolubiles, horum autem evacuationem meo judicio non debere intendi medicamentis laxantibus, ſed potenter reſolventibus, diureticis, qualia ſint ſupra memoratæ ægræ felici cum ſucceſſu propinata. Hæc referuntur Illuſtri Ægro, placet mea ſententia, expetitur deſcriptio horum Medicamentorum, ut poſſit monſtrari Medico Primario, cujus exiſtimatio erat tanta, ut abſque ejus aſſenſu ea non potuerint adhiberi, nec ego in conſilium admitti, ne male ferat Practicus Veteranus, ſi Novus Medicus meliora dare velit conſilia. Hinc ego proximi ſalutem omni laudi, ac lucro præferens dolo pio ipſum circumveniendum eſſe duxi: fingebam itaque literas per Mercatorem Lipſienſem a Beato Halenſium Profeſſore Schulzio tranſmiſſas, in quibus præmiſſis paucis ratiociniis præſcribebantur ſequens pulvis, & decoctum: ℞. Rad. vincetox. ʒ II ſquill. ppt. gr. XXXVI nitri depur. ʒ I. m. f. pulv. divid. in XII part. æq. ſ. mane, & veſperi ſumatur pulviſculus in juſculo calido, vel thea. ℞. rad. cichor. bardan. gramin. ana ℥.s. herb. hyſſop. ſcabioſ. veron. ana m. I baccar. junip. m. .s. ſem. aniſ. ſtellat. ʒ III inc. & cont. d. adho. ſ. dimidia pars coquatur in ℔. V aq. font. ad remanentiam ℔. IV de colatura bibantur mane, & veſperi poſt aſſumtum pulv. ℥ VI. Hæc medicamenta, utpote a Viro ſat celebri qualis erat fictus Schulzius, propoſita aſſenſum impetrabant, ſub titulo ſi non ſalutarium, tamen innoxiorum. Dum æger a ſeptimo die Septembris ad duodecimum Octobris illa aſſumſit, urina ſtatim majori copia fluxit, imo ſæpius ſpatio 24 horarum ad menſ. II .s. excreta fuit, unde de die in diem tumor abdominis crurumque minuebatur, præterea ſub uſu illorum alvus libera, & appetitus melior erat, itaut quaſi de cœlo delapſa laudarentur: poſt tonum roborandi cauſa exhibebatur elixir viſcerale Hoffmanni, & ad recidivam præcavendam pulv. ſupra dictus cum Rob ſambuci, & juniperi in electuarium

reda-

redactus, medio Decembre. Ipſe Illuſtris æger mihi retulit, ſe bene ingerere, digerere, egerere, placide dormire, viribus conſtare, uno verbo, ſat bene valere, tamen in publicum non prodiit uſque in menſem Junii anni 1743, ubi in horto Domui vicino ambulabat frequenter, quo tempore in platea mihi occurrenti nobiliſſimo ejus Genero dixi, mirari me, quod Medici ordinarii Socerum ſuum colendiſſimum non ad Thermas Badenſes ablegent, quarum uſui ego ad prorſus reſtaurandam, & confirmandam ejus ſanitatem multum tribuerem: reſpondit ille, Æſculapios illos Thermas fore nocivas, aſſerere duplici ratione, quarum prima, quia aqua partes ſolidas jam laxatas plus debilitet; ſecunda vero, ſi mali quid in viſcere nobiliori latitaret, id cum ſanitatis, & vitæ periculo in motum cieretur. Ego cum hæc mihi referebantur, miratus tantorum Virorum ratiocinium regerebam, aliam eſſe rationem aquar. dulcium, fluviatilium, & aliam thermarum alumine, vitriolo, ære imbutarum; illas ubique laxare, & debilitare, has vero adſtringere ac roborare, dein hoſtem in corpore latentem non eſſe reformidandum, ſed aggrediendum, ne diuturna mora corpori jam debilitato inſidias ſtruat prorſus lethales; ne autem temere quid ageretur, ſuaſi, ut experimentum fiat domi cum balneo medicato, quid ferre vel valeat, vel recuſet prudentiſſimi Proconſulis corpus; & hujus uſu boni plus quam mali ſentiens ille, menſe Julii aquas Badenſes ſoterias in uſum trahere conſtituit, verum diarrhæa ſuborta itineri remoram fecit, quod autem differebatur non auferebatur; menſe enim Septembri Badam ſe contulit, & per V. ſeptimanas balneavit exoptato cum ſucceſſu, ex eo tamen per annum 1744 varias adhuc ſentit valetudinis ſuæ viciſſitudines, ſed leves, & neutiquam periculoſas; ſub æſtatem autem anni 1745 optime valens muneribus ſuis Magiſtratibus, & Mercantilibus uſque in hunc diem ſine moleſtia defunctus eſt. Coronidis loco deſcribam adhuc bina euporiſta, quorum uſum ſalutarem hac præterita hyeme laudarunt varii, qui ex eo ſolamen acceperunt: in aſthmate humido, & tuſſi catarrhali, ubi pectoralia alias uſitata nullam movebant expectorationem, mucum viſcidum pectus, & bronchia obruentem incidit, & ad exſcreationem diſpoſuit potiuncula ant: aſthmatica Brunneri, cujus compoſitio hæc eſt. ♃. aqua hyſſop. ℥ VI gum. ammoniaci in aceto ſquillit. ſoluti ʒ II ſpir. ammon. aniſat. gt. XII ſyr. de hyſſop. ℥ I m. doſis: tertia pars ſumatur tribus mane ſubſequentibus, ſuperbibantur ℥ VI juſculi carnei calidi. Alterum conſtituit ſuccus raparum ſylveſtrium recenter expreſſus, & loco potus ordinarii datus infantibus teneris cachecticis, & cum ſcorbuto oris ac gingivarum difficulter dentientibus, quo quoſdam miſerrime ſe habentes ſine ullo alio remedio ad miraculum reſtitutos novi. Hic habes, fautor colendiſſime, nugas meas deſiderio tuo vix ſatisfacientes. Si quæ continent, quæ tanto Viro, qui eruditis ſcriptis nomen ſuum per Orbem literarium celeberrimum reddidit, placent, habeo cur mihi gratuler, ſin minus, plenam tibi relinquo libertatem rejiciendi, addendi, mutandi, ac limitandi quidcunque placuerit. Antequam autem finio, duo adhuc momenta mihi occurrunt, circa quæ abs te erudiri velim. Primum conſtituit ſaccharum lactis, cujus virtutem ant-arthriticam, & antipodagricam multis laudibus extollit Lud. Teſti in Tractatu, qui Venetiis prodiit anno 1700: miror, an tu, vel alius celebris Medicus Italus de ſimili efficacia aliquid certi expertus ſit, ego Arthritide inveterata laboranti lib. III ſenſim ac ſenſim, ſingulo nempe mane ac veſperi ʒ II in potu thee aſſumere feci, ſed ſine ullo effectu. Secundum quod attinet, præterita æſtate ex Italia ad nos pervenit rumor, Illuſtrem Comitem Veronenſem Turco acerbiſſimis doloribus arthriticis ex longo tempore afflictum ope pilularum ex Decocto pulegii cum terebinthina conſtantium ex voto fuiſſe ſanatum. Si de ejus Medico, qui Religioſus Ordinis S. Brigittæ ex Cœnobio de noſtra Donna della Corona prope Veronam ſito fuiſſe fertur, vel adhibitis pilulis tibi aliquid innoteſcat, me ejus certiorem facias rogo. His vale, Vir Illuſtriſs:, & Reipublicæ Literariæ ſcriptis tuis doctiſſimis prodeſſe, meque tuo favore ac commercio literario dignari perge.

Dabam Tiguri 4 Cal. Februarii 1746.

VALESIA

VALESII Medici curant tinnientes aures, ſurdoſque, necnon tremori, catarrho, ſcabioſis, ulceroſis, ſterilibuſque fœminis ſuccurrunt menſe Aprili, Majo, Septembri, & Octobri, mediis Thermis Brigenſibus, quæ ex petræ ſciſſura ad altiſſimis montis radices ſitæ, promanant, habentque teporem naturalem humano corpori aptatiſſimum. Ex quo, necnon ab experimentis, atque effectibus arguunt chymici illius regionis, ineſſe ſulphur. Quare poſſumus etiam nos addere fore utiliſſimas in morbis pectoris, præcipue ubi farcimen in acinis pulmonicis hæret, atque ſolvendum eſt.

Apud Valeſios pariter, quorum populorum Helvetiis confœderatorum urbs dominans Sedunum eſt, Germanis *Sytten*, adſunt Thermæ Leucenſes, adeo, ut ferunt, calidæ, ut *ova poſſint elixari*. Ipſarum vena abundans eſt, ut ſuo impetu rotam molarem circummovere poſſint. Medentur dolori ſplenis, atque hepatis, & curant ulceroſa crura, læpramque ipſam, præcipue ſi verſus montem orientalem ad altiorem ſcaturiginem ægri aſcendant.

Cavendum tamen ab illis in Rhætia aquis, quæ ſcaturiunt prope *Zicers vis Trimmis & Sonders*, a quibus monſtruoſæ ſtrumæ in collo efformantur. Vid. Munſterus in Coſmographia lib. 3. & Vagnerus in Hiſt. Helvet.

MEDICINA HELVETICA

Desumi ulterius poteſt ab Operibus Conradi Geſneri Tigurini in ſuis Plantarum Hiſtoriis, & Catalogo Latine, Græce, Germanice, & Gallice deſcripto, necnon excerptis de Thermis Helveticis, deque remediis ſecretis (1).

Primarium denique Helveticæ Medicinæ lumen ac fundamentum, naſcente hoc ſæculo, fuit immortalis famæ Vir, jamque citatus Scheuchzerus, ut videre eſt in Operibus ſuis oppido dignis, inque alpinis itineribus, & ſpecimine de Helvetiæ aeribus, aquis, & locis, cui ſcopo ſi Medici in aliis etiam regionibus collimarent, nonque in chymericis theſibus, & portentiferis inventis tempus tererent, tutius in poſterum humanæ ſaluti conſuleretur.

FONTES MEDICATI

Legenda pariter Scheuchzeri Opera (2) ſi notitiam habere quærunt de Balneis Urnenſibus, de Aquis ſulphureo-Bituminoſis montis *Wallemberg*, de Thermis Favarienſibus.

BRONCHOCELE

Inter regiones colli tumoribus, infartiſque glaudulis ſubjectas Clariſſimus Hoffmannus Helvetiam connumerat, cauſamque deſumit ab aquarum nivalium uſu (3) quibus ob montium immenſurabilem frequentiam loci illi abundant. De hoc argumento jam ſatis locuti ſumus in epiſtola, Taurinum (4) doctiſſimo Profeſſori Antonio Roſſi transmiſſa, ubi & cauſæ enucleantur, & remediorum apparatus Philiatris exhibetur. Helvetii tamen ſunt homines lacertoſis muſculis inſtructi, & vegetioribus fibris coagmentati, ut aperte demonſtrat ſumma in militaribus, aliiſque laboribus promptitudo, & alacritas. Quare vellem etiam opinari, non tam facili negotio crudiores, & frigidiſſimas actu & potentia illorum montium aquas poſſe in microcoſmo, actu circuitus, in hanc vel illam partem deponi, & in glandulas implantari, ut hinc vel ędemata, vel ſqualidi colores, effœtave ſolida, & glandularum, præſertim gutturalium tumores in promptu ſint. Cui præ ceteris ſolum conjurare poteſt præjudicium alicujus præſertim ſitus, ubi ſolares radii raro perveniant, & currentes aquæ non poſſint ab iiſdem vivificari, & ut ita dicam, concoqui, adhoc, ut viſceribus montanorum, & longe a populatis urbibus, illorum habitatorum magis acceptæ, atque amicæ ſint.

ALIQUOT REMEDIA

Helvetiis Populis familiaria aut frequentiora

Multa in uſum ponunt Medici Helvetii a Scriptoribus clari nominis deſumpta; nempe aquas, bezoarticam, carminativam, diureticam, ex Schroedero (5) vomitivam, & aperientem ex Hartmanno, cardiacam, & coſmeticam ex Sennerto, vulnerariam, antifebrilem, & hydragogam ex Quercetano.

Aqua hyrundinum ophthalmica

Plures hyrundines contundantur integræ cum ſuis pennis in mortario, illarum cuilibet libræ add: ℥ IIII medullæ panis, deinde ♃. vini albi lib. IIII inf. omnia per ſex dies, & deſtilla per balneum uſque ad ſiccitatem. Deinde expone illam aquam in vaſe vitreo infuſam ad ſolem per dies 20, & inſtilla intra oculos mane, & ſero.

Spiritus

Utuntur inſuper Medici Helvetii ſpiritu ſalis, & nitri ad febres continuas, tartari ad hydropes, obſtructiones, lepram, & anginam (6) cardui benedicti tanquam cordiali alexipharmaco, & ſudorifico, liliorum convallium tanquam cephalico; meliſſæ cardiaco, roſarum cordiali, ſalviæ cęphalico, florum ſambuci ſudorifico, tiliæ demum, tamquam in epilepſia, vertigine, & apoplexia utiliſſimo.

Spiritus fuliginis

In lypothimiis, caduco, ſyncope, & *agonizantibus exſuſcitandis* Suitii ſpiritum fuliginis adhibent. Nos addimus, Brixiæ ſummam in eo poſitam eſſe fidem, quando in pectoris amurca expectorationes promovendæ ſunt; ea ſpe freti quod incidat, & viſcida fluida reddat.

Olea destillata

Utuntur inſuper oleis abſynthii, ut ſtomachici, Buxi (7) in epilepſia, & odontalgia, carvi in colicha, coryli in epilepſia, fęniculi in morbis ſtomachi, juniperi demum, pinaſtri, roſarum, ſalviæ, ſabinæ &c. de quibus ſpecificæ vires jam notæ ſunt.

Liquores

Utuntur inſuper Svitiæ Gentes elyxiribus, acetis anthoratis, bezoarticis, extractis, ſucciſque liquidis, & rob herbarum, cydoniorum, pomorum, & multorum florum, & fructuum, ut videre eſt in bene multis Pharmacopęis, præcipue Germanicis;

(1) Apud Chriſtophorum Froſcoverum Tiguri editis.
(2) In Itinerario III.
(3) Sed præſertim ab illis, quæ *per calcarios montes eunt*, *atque rudes ſunt*.
(4) Vide Mediolanum.
(5) Cujus auctoris etiam utuntur panacea frigida.

(6) Auctor eſſe nolo, ut ab Helvetiis regionibus in Italicum Brixianumque ſolum ſpiritus tartari, pro curatione anginæ transferatur. Sapientes decernant.
(7) Oleum Buxi *narcoticum* dicunt, ſed neſcio an hoc poſſit de certo probari.

cis; ſyrupis denique ex multiplici vegetebilium caterva compoſitis.

Syrupus Regius

♃. Aquæ roſarum odoratiſſimæ lib. III, mellis lib. II m., coque igne lento, ut fiat ſyrupus liquidior. cardiacus, bechicus, ſtomachicus, hepaticus.

Syrupus Bysantinus

♃. Succi apii, & intybi ſativi ana lib. II ſucci Lupi ſalictarii, & bugloſſi ana lib. I, coquendo purgentur, dum inclareſcant, & cum mellis lib. III f. ſyrupus.

Lohoc de caulibus

♃. Succi caulium lib. I bull. parum, & deſpumetur, dein: adde croci ʒ III, mellis lib. I. coq. ad conſiſtentiam: confert aſthmati, antiquæ tuſſi, ſputo coquendo, excludendo.

Electuarium hystericum pro mulieribus utero strangulatis

♃. Ovi vitellum i. torrefiat in ſartagine, quo uſque in fuliginis formam evadat, plura ovi lutea ita uſta repone ſimul in vaſe aliquo ſtanneo, proceſſu temporis, multoque liquido addito, fiet maſſa hæc inſtar opiatæ, mire mulieres utero ſtrangulatas, & fere mortuas reſuſcitans, ſi ex vino, aut liquore aliquo hyſterico propinetur (1).

Proſtant inſuper peculiaria electuaria chologoga, phlegmagoga, menalogoga, panchymagoga, catholica, ſecundum diverſam circumſtantiarum neceſſitatem.

Vomitorium

♃. Rad. aſari ʒ II flor. juglandium ʒ.s. agarici crudi ʒ I rad. angelicæ ʒ .s. f. pulvis. Quod activius reddunt, addito helleboro alb. gentiana, & corticibus radicis ebuli.

Pulvis hepaticus

♃. Rad. graminis ſiperoidis, rhabarbari monachorum, enulæ campanæ ana ʒ .s. fol. abſynthii pontici, agrimoniæ, chamedryos, marrubi albi, flor. anthos, cent. m., ſalviæ ana ʒ III ros rubr. ʒ .s. m. f. pulvis.

Salia, Magisteria, Olea, Balsama

Habent inſuper Svitii ſuos ſales ex urina pro pellendis e corpore lapillis, ex ſanguine ad confortandum cor. magiſteria denique c.c., cranii humani, & dentis apri in pleuritide adhibenda.

Habent oleum papaveris hypnoticum, raporum pernionibus utilem, ricininum tympanitidi curandæ paratum, ſinapii in paralyſi, & tremore trifolii ad vulnera glutinanda, formicarum ad partes calefaciendas, bufonum in cutis affectibus.

Utuntur Balſamo Samaritani pro glutinandis vulneribus, necnon ſarcoticum, æſuloticum, vulnerarium; atque etiam, ut mos eſt, ſuis ceratis, ſacculis &c. Sed omnia nimis longum eſſet recenſere. Quæ ſi quis ſcire cupit, videat Jac. Conſtantii Derebecque Medicinæ Helvetiorum Prodromum, a quo nos etiam ſupradictam remediorum nomenclaturam delibavimus, ut Helveticæ Medicinæ veluti ſpecimen proſtaret.

Lac Lunæ pro augendo in nutricibus lacte

Lapis galactitis, qui abunde in Helveticis montibus reperitur, in pollinem redactus, & lactantibus mulieribus, in quantitate ʒ I exhibitus, cum jure, ſaccharo, aut aqua feniculi, lac in mammis adauget, ſi vera ſunt, quæ refert Anſelmus Boetius (2).

Helvetiorum reliqua remedia

Non pauca proſtant in Opere Jacobi Conſtantii Derebecque, cui titulus: *Medicinæ Helvetiorum prodromus*, *Pharmacopeæ Helvetiorum ſpecimen*.

HILDESIA

Hildeshemiensis (3) Medicina tota pendet, aut pendere deberet a documentis Johannis Petri Albrecti Phyſici inibi olim celeberrimi, qui & practicis laboribus, & ore, & ſcriptis plurimum de Saxonicis illis gentibus meritus eſt, ut oſtendunt etiam obſervationes ſuæ in Miſcellaneis Naturæ Curioſorum inſertæ, inter quas rariores oppido ſunt 12. *de ſternutatione exitiali*, 13. *de Fetu nigro a matre pulvere pyrio aduſta excluſo*, 14. *de imaginatione Gravidarum*, 15. *de homine pro demoniaco habito*, *ſapa vomitoria* (4) *Sylvii curato &c.*

HOLSATIA

In ſeptentrionalibus Imperii Germanici confiniis inter Albim, & Egidoram (5) fluvios, Holſatiæ Ducatus poſitus eſt, paretque partim Regi Daniæ, partim proprio Sleſvicenſi Duci: & Germanicum, & Balticum mare ab occaſu, & ab ortu ipſam luit. Hinc morbi illi qui ab aere frigido, & marino pendere poſſunt, expectandi, pertimeſcendi.

Ut referente Gotilieb: Henrico Kannegieſſero in frigore anni 1740 regiones illæ expertæ ſunt a morbis acutis epidemice graſſantibus, *Phthiſi*, *tuſſi*

(1) Habent alias pilulas hyſtericas tenoris ſequentis. Rec. Extractorum petaſitidis, angelicæ, cotulæ fetidæ, meliſſæ ana dr. I fæculæ bryoniæ dr. .s. f. maſſa pilularum.

(2) De Lapidibus cap. 229.

(3) In Saxonia inferiori Regio Ducatui Brunſuicenſi finitima ſub Dominio proprii Epiſcopi.

(4) Nil aliud eſt quam vinum infuſum in calice antimonii.

(5) Quem Eideram alii dicunt.

tuſſi ferina, febribus pleuriticis gravibus, narium, & in ſequiori ſexu uteri hemorrhagiis, & præſertim variolis, quas data opera memorare voluimus, quia nil magis declarat alicujus regionis peculiarem Medicinam, quam ille morbus, qui epidemice graſſatur; cum ille vere pendeat a peculiari, & adventitia illius poſitionis conſtitutione, & Medici adſtantes attentiorem operam navent, quia tunc totus populus laborat, & periclitatur.

VERMES IN VARIOLIS

Sub cruſtis latentem, & in ipſa variolarum ſuppuratoria eruptione immenſam vermiculorum congeriem fuiſſe viſam, traditum chartis a pluribus Scriptoribus eſt, & ubique obvium. Verum num ſemper illi a ſanguine per venas circumeunte ad cutim ipſam per carnea interſtitia, & per capillaria vaſcula exportentur, ſummopere dubitandum; ſed potius ab externis additamentis id evenire, ut ubi inſederint, mirifice progerminare, & ad millena ſuccreſcere, præcipue ab ovulorum adhæſione, & incubatione. Ideo non mirandum, id in urbe Kilonio a ſupradicto Auctore fuiſſe viſum.

CAMPHORÆ INTERNUS USUS IN VARIOLIS

Aut ab errore, aut ab accidenti multa in artem Medicam invaluerunt, eaque præſtantiſſima remedia, quæ ſi rationi conſona ſunt, methodica dicuntur, ſin vero a ſolo facto, ſpargyrica audiunt. Quomodocumque tamen res ſe habeat, quod millenis experimentis ſalutem dat, iterum adhibendum, cum & ſine ratione, ut de Chinachina certiſſimum eſt. Holſaticus tamen in varioloſo curriculo ægrotis ſpiritum vini camphoratum, in quantitate quinquaginta guttarum, bis etiam in die, exhibendi modus, qui ab ancillantibus mulieribus errando, unamque phialam pro altera ſeligendo, inſtitutus fuit, num imitandus ſit, noſtriſque in oris, Andabatarum more, in uſum ponendus, ſtatuere non audeo; multoque minus obviam ire Clariſſimo Auctori, qui mirabile alexiterium illud credit; quodque non ſolum in quinquagenaria majori, ſed in *aliis* expertus eſt.

ANIMADVERSIO I.

Sed dicerem, multa concedenda eſſe peculiari illius regionis conſtitutioni, quæ ex ſeptentrionali latere, Jutiæ meridionali, olim Cimbrica Cherſoneſo dicta, ab ortu vero Ducatui Lavemburgenſi finitima eſt; hinc penetrans, & longum per totam Holſatiam frigus; præcipue anno 1740, ut idem Kannegieſſerus (1) affirmat. *Pari vero indulgemus dolori, quod elapſo hoc hyemis tempore non minor frigoris fuerit ſævitia recurrente ætatis principio adeo haud miteſcens.* Hoc poſito, tamquam primaria morbidorum hominum cauſa, pronum eſt aſſerere lymphas, alba craſſamenta, ipſumque cruorem, eſſe torpida, lenteſcentia, craſſefacta, & in ſuo motu retardata; fibras vero eſſe rigidas, correptas, reſtrictas, totamque ſolidorum compagem eſſe atonam, & orbatam ſiſtaltica vi. Hocque præcipue evenire circa corporis integumenta, quæ frigido, &, ob luens, flanſque proximum Balticum, muriatico ambienti expoſita ſunt: hinc ſtipata cute, & obſignatis ex criſpatura poris, variolarum ſuppuratio, præcipue in adultis, magis præpedita, hinc centralibus partibus claſſicum morbus retrogradus minitatur, cum ægri periculo.

ANIMADVERSIO II.

Supradictis ſi accedit textura corporis obeſa, & nimis aucta humorum plenitudine laborans, craſſique infartus, & ſuperſtans pinguedo cutaneum naturæ molimen impediant, tunc ſane verificatis ſupradictis omnibus, in cura coacta, aliiſque remediis non juvantibus, uſus camphoræ licere poſſet, & etiam cum ſpiritu vini (2) utpote qui camphoræ vim totam abſorbet, & conducit in venas.

ANIMADVERSIO III.

At in macro corpore, in æſtiva temporis conſtitutione, ſulphureiſque in ſuo vigore ſanguinis, principiis cum bile mixtis, dominantibus, inque regionibus, ubi pollent ſirii ardores, non tam proclives eſſe debere Medicos in exhibendo ſpiritu vini camphorato cenſerem; & quidem ratione utriuſque, utpote inflammabilium proque producendis, excitandis in toto ſanguine, jamjam fermentante, efferveſcentiis apte natorum (3).

ANIMADVERSIO IV.

Ratio etiam patrocinatur camphoræ uſum in febri varioloſa. Quandoquidem illam ſtatuunt Chymici ſale oleoſo volatili turgidam, illam credunt bene multi Practici, & melioris notæ, diaphoreticam (4). Quapropter, cum fortaſſe tarditas ſuppurationis in variolis pendeat ab interna centralium viſcerum debilitate, atque inſuper a partium ſuppurandarum lentore, inter cutanea repagula ceſpitantium; in aperto eſt, poſſe Holſatico-Kilonicoque hoc remedii genere ſolidorum internam compagem inſtaurari, & expulſionem ad ambitum promovere.

Quod maximum ſuadere videtur inſita illa in camphora qualitas evolandi, & evaporandi, quæ facit, ut in penetralibus partibus ſubſiſtere, neque quieſcere poſſit, ſed citra violentam vim, exitus ſuapte

(1) In Actis Germaniæ Curioſorum T. 7. pag. 37.
(2) Quo etiam Hollandi utuntur in prima camphoræ depuratione.
(3) Et præſertim camphoræ quæ in ipſis liquidis ardet.
(4) Ipſe Bezoarticus VVedelii pulvis, ſolo conſtat nitro, & camphora.

ſuapte natura quærat, quod per diaphoreſim evenire poteſt, potiſſimum ſi verum eſt, quod referunt, in determinato, licet modico, caloris gradu ipſam totam evaneſcere in auras. De camphoræ medicatricibus viribus videantur Auctores, nempe Follinus, Tachenius, du Verney, Hartmannus, Hoffmannus, & centeni alii. Ac proinde non hæſitabilibus, ſed illius amici evademus.

CARCINOMA IN HOLSATIA SECTUM, ET EXTIRPATUM CRITICIS ANIMADVERSIONIBUS REFELLITUR

Assuetus ſum venerari propoſitiones illorum hominum, qui in provinciis ſuis ceteris prælucent: togati Publicis in Archilycæis loquuntur, & non per hypotheſes, neque per ſectarum litigia procedunt, ſed factis, & experimentis fulciunt res ſuas. His de cauſis, lumine ducto ab Obſervationibus Clariſſimi Kannegieſſeri inſertis in volumine ſeptimo Actorum Germaniæ (1) in eam venio ſententiam, plurimi facienda eſſe celeberrimi ejuſdem Kilonienſis Publici Profeſſoris documenta; quandoquidem nunquam a methodica ſemita divertit, ut videre eſt in relatione Hiſtorica cujuſdam morbi convulſivi epidemice per Holſatiam graſſantis, ubi per ſymptomatum gradus, & per concomitantium cauſarum ſyndromen morbidorum ſtatus exponitur ita, ut mens Medici faciliter ad indicationes deſcendere poſſit, quod in medendo primaria eſt columna.

Veruntamen, ut inſtitutum noſtrum ſequamur, mihi liceat nonnullas exponere rationes, quæ me ſuadent ad dubitandum, num ab eodemmet propoſita, & facta carcinomatis extirpatio, vere poſſit dici talis, & num ab eadem tutum imitandumque utiliter exemplum in Philiatros, artiſque Chirurgicæ amatores propagari poſſit.

Pendulus & cadens, per luſtrum, ſuper genam, quaſi ad os uſque, exibat ſubtus dexteram palpebram tumor rotundus, cylindricus (2), qui cum *putrido ſœtore* oculum operiens viſum impediebat, & patienti deformitatem afferens, ſui amputationem Kilonienſibus Profeſſoribus indicavit. Executa feliciter eſt; *totaque palpebra cum adnato carcinomate feliciter, abſque omni viſus perturbatione, eſt abſciſſa, & ad conſolidationem, intra breve temporis ſpatium perducta*. Ablatus morbus, reſtituta viſio, Omnia laudanda ſunt. Ipſe ægroto, & doctiſſimo Profeſſori curationem dirigenti gratulor. Quid ergo?

Meæ hæſitationes ſtant in eo, num vere carcinoma (idem audit ac cancer) dici potuerit.

ANIMADVERSIO I.

Carcinomatis ſigna ſunt, fuſcus, & lividus color ex nigriore ſanguine, durities, inæquales protuberantiæ, adhæſio, radices ſparſæ, & diramatæ, cum venulis varicoſis, tumoris præcipue fundum circumdantibus, & atram, corroſivam, & depaſcentem bilem ad affectam partem ferentibus, cum acutis doloribus per intervalla recurrentibus; quod ſi ſecetur, & ferro aut igne abſcindatur (hoc eſt notandum) non tamen bonam carnem, & bellam cutim in extima ſui ſuperficie admittit, ſed heu? in amputationis ſitu, malignum, ſanguineæ loturæ carnium inſtar, ſeroſum ichorem fundit, caroque iterum luxurians, ſpongioſa, ulceroſa progerminat, & phagedænicam plagam conſtituit, & redivivum carcinoma patiens iterum lugere debet.

ANIMADVERSIO II.

Supradictis ſtantibus, animadverto, dari inter morbos, quibus humanus læditur microcoſmus, natas (aliquibus Naſdas) nomine *atheromatum*, *ſteatomatum*, *& meliceridum* ab Auctoribus indigitatas, & *naturæ errores* ab aliquibus dictas, quæ *veluti ex pedunculo ficus* videntur, & propendent. Earum ſubſiſtentia eſt carnea, polypea, magnamque in molem protuberans, adeo ut anno antea elapſo, raram illarum magnitudinem viderim in ægroto ruſtico ad nos miſſo ab egregio doctoque hac in urbe Medico Jo: Baptiſta Finoni, noſtrum ut votum producerem, num enormis moles illa extranea eſſet Chirurgicis auxiliis amovenda. Patiens probabiliter erat quinquaginta annorum, parvi corporis, texturæ calidæ. Subtus claviculam parti ſuperiori dexteræ mamillæ radicatus adhærebat natoſus tumor, per tenue collum adnexus, qui pedetentim in carneam machinam ampliabatur oblongæ cucurbitæ inſtar, quam vulgus noſter dicit *Zucche Marine*, adeout in pondere, & magnitudine infanti recenter nato aſſimilari potuiſſet. Longitudo ſua, & colli tenuitas, quo pendula machina connectebatur, me ſuaſerunt ad permittendam ablationem, & auctor fui, ut ligamine in dies arctato, a Chirurgis exequeretur. Quæ evenerint mihi ignota ſunt. Sed credo facta cum exitu felici. Hocque probat, etiam apud nos extirpationes tumorum præter naturam eſſe promovendas; ſed quando de genere benigno ſunt, carnoſo, nempe polypeo, aut tunicato, & peculiari cyſti, tota collectio conſiſtit. Qua, vel quibus amotis nihil remanet in radice, & ſanguis infectus non eſt.

DICTORUM CONCLUSIO

Attente igitur obſervata tabula in Actis expoſita, & perpenſis omnibus, dubium in mente mea enatum eſt, num Holſatiæ extirpatum eſſet nec ne verum carcinoma; ſed potius atheroma, aut ſteatomatoſus, ex natarum genere tumor dici mereretur. Curationis quippe facilitas enata

(1) A pagina 36 ad 45, & a pag. 108. ad 126.

(2) Ut Tabula 1. Figura 2. in iiſdemmet actis demonſtrat.

enata caro, & perfecta cutis, necnon antecedentia omnia, & conjuncta, atrabilarem exiſtentiam potius excludunt, & curatum ſectione tumorem verum non fuiſſe carcinoma oſtendunt.

Duabus de cauſis hæc dicere volui. Primum, quia per altercationes, & propoſita interdum dubia, mens ſapientum excitatur, ideoque ad veritatem magis ſtrata via eſt. Secundum, ne ab Holſatico hoc modo allecta juventus, ſtatim ad ſecanda carcinomata deſcenderet. Sed primum in conſultationem accitis ſua in regione gravibus viris, de identitate curandi morbi ſtatuant: ut hinc remedia utilia magis ſint, nec pœnitendo effectu corrigenda.

ANTISCORBUTICA

Mihi ſummopere arridet idem Kilonienſis Auctor, dum loquitur de antiſcorbuticis, ſic loquendo: *Ob particulas acres ſanguinis inducunt orgaſmum*. Oh aurea verba, & nobis admodum accepta! Diſcant illi, qui illico ac vident aliquam in gingivis abraſionem, naſturtium aquaticum, & cochleariam clamant. Sed de hoc jam ſatis alibi. Gaudeo tamen in mentis moliminibus habere ſocios, etiam remotos, Daniæ proximos, & quaſi maritimos, ubi quomodo ſæviat ſcorbutus, quibuſque remediis curandus, notum magis deberet eſſe, quam alibi.

MEDICINA HOLSATORUM

Constat etiam ab Operibus Clariſſimi olim Viri Langelotti Sereniſſimi Ducis Holſatiæ Archiatri, quæ partim Hamburgi apud Schultzium, partim Lipſiæ, & Francofurti apud Hæredes Schuneri edita ſunt: illis exceptis, quæ videntur inſerta in Miſcell. Med. Phyſ. Curioſ. Germaniæ.

In Holſatia pariter Practicus celeberrimus fuit, & in Kilienſi Academia Profeſſor Cæſo Grammius, Græcæ etiam linguæ peritus.

LUBECA

CURATIO HÆMOPTOES

In Wagriæ tractu, ad Travam fluvium, extructum olim ab Adolpho Holſatiæ Comite oppidulum tempore Conradi Imperatoris, tandem anno 1209 expulſis Danorum Præfectis, & Militibus Lubeca ampliata factaque eſt libera Imperii civitas, regnante Federico II., & Emporium Maximum, ſub Archiepiſcopo Brumenſi, ubi optimi Medici ſucceſſive floruere; inter quos celeberrimus Joannes Gerardus Wagner Imperialis Academiæ Curioſorum Collega, nuperis hiſce annis, dum ſcribimus, plurimum meritus eſt, ſi non in docenda (quandoquidem propoſita ab illo methodus a gravibus viris indicata, & acceptata proſtabat) ſaltem in amplianda, & illuſtranda Medicina, ſignanter in illo ſcopo, quo curatio hæmoptoes inſtituitur, & pertractatur.

Duabus præcipue columnis innititur Lubecenſis remedii vis, pulveribus nempe abſorbentibus Wedelii (1), & cortici Peruviano. Ambo a me quam maxime laudantur. Primum quippe habet abſorbentem, ſtypticam, & narcoticam vim. Secundum ſumme ſpecificum, ubi liquidorum tumultus, & enatæ aut futuræ febris fermenta pacanda ſunt. Laudoque reliqua interdum adjuncta, nempe ſemina papaveris, pilulas de ſtyrace, decoctum pectorale, pulveres antiſpaſmodicos Stahlii, confectionem alkermes, aquam ſcabioſæ, millefolii, peoniæ, florum tiliæ, & alia antibechica.

ANIMADVERSIO CRITICA

Duo in Lubecenſi methodo admittere non poſſum, & ægre fero, uſum nempe pulveris *cornacchini*, *& oxymellitis ſcillitici* in hæmoptoes habitualis curatione. Parcat Clariſſimus Wagner, parcant propinqui in Lavemburgenſi ditione (ſi illam methodum mordicus tenent), & Ducatu Megapolitano Medicæ Artis Profeſſores, ſi expoſitæ propoſitioni non aſſentior, pecudumque more ipſam non ſequor. Sumptum onus, opuſque poſtulat, ut clare pandam, quæ ſentio. Ideoque aut vos incertam claudicantemque, & periculo plenam methodum derelinquatis, aut mihi lumen affundere non recuſetis.

Cornacchini pulveris pars, nec modica, & diagrydium ſulphuratum (2) agit vi ſtimuli, & in ſenſiles membranas, & fibellas doloroſe, & activius fertur; hinc promotæ ventriculationes, & ſubſultus, interdum convulſivi per totum inteſtinalem tubum oborti motus contentum cruorem exprimunt cum motu. Mel, ſcilla præcipuum ſunt in therapia adminiſtranda diſſolutivum, quaquaverſum fundens, & diſgregans, quod offendit. Hinc in lentore, in amurcis etiam pectoris utiliſſimum. Ergo in caſu noſtro vitandum. Sanguis jam in hæmopthoicis habitualibus ſubtilis eſt, ſolutus, tenuis, gliſcens, exitum queritans; quare currenti calcaria addenda non ſunt.

HOLSATORUM REMEDIA

Corroſivum

Adhibent Chirurgi ſuper carnes ſpongioſas abſumendas Emplaſtrum diaſulphuris Rulandi.

Ner-

(1) Conſtat vitriolo Martis, conchis p. ocul. c antim. diaph. cinnabari nativo, & laudano opiato. Diverſimode ſecundum exigentiam adauctis, vel imminutis.

(2) *Purga valoroſamente*. Ait Joannes Baptiſta Capello Venetus Vir celeberrimus in ſuo *Leſſico Farmaceutico*, pag. 233.

Nervorum affectibus

In Holſatia medentur tinctura antimonii tartarizata, bis vel ter de die ad 40 guttas exhibita. Atque etiam cryſtallo montana p.

In melancholica, febribus, calculo, et scorbuto

Adhibent Medici in Holſatia arcanum duplicatum, ab aliquibus ſal ſapientiæ, ſal catholicum, aut ſal de duobus dictum, utpote conſtans ex acido vitrioli, & alkali nitri. Referunt Holſatiæ Ducem Fridericum quingentis imperialibus arcanum illud emiſſe. Hinc de illius utilitate fama magis increbuit, quando in aula Gottorpienſi felicitus, & bene multis experimentis illius uſus comprobatus fuit.

JEVERA
FRISIORUM

VIRO CLARISSIMO

PAULO GERARDO HENRICO MOEHRINGIO

In Jevera Friſiorum Medico præſtantiſſimo, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

S. P. D.

HÆsitatio a te propoſita, dum uno tantum lapide ab Embda, Friſiæ metropoli, Cotulam, foliis lanceolato-linearibus pinnatifidis amplexicaulibus, reperiebas, illa eadem eſt, quæ elapſa æſtate mente meæ inſedit; dum menſe Aprili in monte, *Magdalena* dicto, prope Brixianam urbem, Botanicus quidam vulgaris, ſed tamen practicus, varias ſtirpes Spicæ nardi collexit. Illicoque anceps fui, ut tuis loquar verbis, num Europæas, aut Aſiaticas dicerem. Quanquam ut mei moris eſt, veritatem quærens, in hanc ſignanter rem, utque de illarum identitate tutiora conſtarent fundamenta, Patavinum etiam oraculum conſulere ſatius duxi, literiſque ad inſignem Pontederam datis ambiguitates tollere ſtudui.

Placuerunt inſuper ea, quæ tam docte, & ſcite ſcripſiſti de planta narthecio, foliorum faſciculos ſeorſim poſitos protrudente, de genere aſphodelorum hic deſiderata; tantummodo exiſtente in montibus Brixianis *Coſta longa* prope Fontanelle, pſeudo aſphodelo, cui dant virtutem diureticam. Pariterque etiam apud nos reperitur prope Conceſium Caucalis, & undique in urbe, præcipue extra portam *Torlonga* Eryſimum, de quibus tam docte mentionem facis. Quas herbas aliaſque bene multas, quibus Brixianum ſolum abundat in ordinem data opera digerere non inconcinnum duximus, celeberrimorum hominum imitantes exempla, qui Hiſtorias plantarum ſuæ regionis in propatulo poſuerunt.

Mecum itaque gaudeo, & præclare actum puto, qui inſcius, tua tamen veſtigia ſecutus ſum; utinam tam ſcite, tam graphice, ut tu. Sed de concreditis talentis diſputandum non eſt, tantummodoque agendum, ut ſuperlucremur. De cetero dicam libere, me in plantarum ſtudio lente feſtinaſſe; quia ægrotos vidi ſæpiſſime ab illarum, magno hiatu promiſſis viribus fraudatos. Quapropter in Medicina facienda ipſe colo tantum, quæroque quod utile eſt: optandum, ut novi florentiſſimo hoc noſtro ſæculo naſcantur Mathioli, Rovillii, Dodonæi, Linnæi, Cluſii, Lobellii, Bavhinii, Tournefortii, Bartholini, Lemery, ſimiliſque generis viri, qui retractent ſi non omnia, ſaltem bene multa, quæ circa medicamentoſas herbarum vires, pecudum more, & in venerationem magiſtrorum ſuorum produxerunt, totoque orbi (heu decepto) communicarunt. Meliuſque conſulti non laudent, & proponant, quæ laudata vident, ſed propriis periculis, improboque, ut ita dicam, labore, & criterio cogitent in Praxi ſua, num ſaxifragia calculos in humano corpore imminuat, num alyſſus hydrophobiam ſanet, euphragia oculis medeatur, parietaria urinam promoveat, aſperugo ſanguinem purificet, amaranthus humectet, & refrigeret, abſynthium ſtomachicum, & anthelminticum ſit, acarna ſudorem moveat, & centena alia. Et poſtquam repetita experientia conſtabit, hæc non evenire, cur his præſcriptis Pharmacopolas ditant, cur natura his inutilibus laceſſitur? Et tamen contra hanc veritatem ſole clariorem, ille herbulam, alter plantulam propinat.

At jam nimis extra epiſtolii cancellos divertiſſe animadverto; tibi, herbariæ rei peritiſſimo, quo ſpectent conſilia mea, amicabiliter patefaciam, in ſpem erectus fore, ut pari viciſſitudine, quænam ſit ſuper his rebus opinio tua, mihi notum facere ne graveris, atque etiam addere, quid novi emerſerit circa Praxim Medicam, circa curandum aliquem morbum in Comitatu Embdano, Aurico, ceteraque Weſtphalia, aut Jevera iſthic tua. Cupio quippe doceri, teque ad literarium commercium vocare, in cujus arrham tua mandata expectabo. Vale.

LIPSIA

VIRO CELEBERRIMO

FRIDERICO OTTONI MENCHENIO

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

ET quia præcipuus in ſcientiis vir es, te veneror, & quia humaniter de me prorſus immerente in Lipſienſibus Actis bona verba dixiſti, gratias ago. Diſſertationes vero quatuor meas Hiſtoriaſque Morborum, tibi dono jam diu traditas, per manus Joannis Baptiſtæ Albrizzi Bibliopolæ Veneti, quas cum aliis miſiſſe promiſit, libenter ſcirem an acceperis, non quod de adeo levidenſi re me pulchrum facere velim, ſed quia in itineris difficultatibus, & horum temporum bellorumque viciſſitudine, timere, ne interciderint, rationi conſonum eſt.

Incluſum monitum te certum faciet novi Operis noſtri prælo commiſſi, quod ſi dein porrigere dignaberis alicui Literato Lipſienſi, & optimo Practico, illumque urgere, ut reſpondeat, rem facies gratiſſimam.

Vale interim publico bonarum diſciplinarum incremento, & tuis juſſibus me certum fac de bonam in partem acceptis officiis meis.

Brixiæ Venetorum 25 Maii 1746.

LUSATIA

JOANNI CAROLO ACOLUTHO

Medicinæ Profeſſori celeberrimo

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

TECUM ſentio, doctiſſime Carole, adultam virginem, anno antea elapſo, ardenti bilioſaque febri laborantem, ab exaltata admodumque fermenteſcente, ob publicas illi illatas imprecationes, bile lethale fatum contraxiſſe; nec ullatenus criminari poſſe actam ab adſtantibus pridem Profeſſoribus ſanguinis miſſionem, quæ ab acuto morbo, ſemperque in dies adaucto, cum cephalalgiis, vigiliis, deliriiſque indicata erat. Tuis a te ſapienter meditatis ipſe adderem, quod frequentiſſimum eſt, nempe non prius notos in corpore apparatus, præexiſtentes cauſas, in quas conceptæ iræ ſcintilla flammam excitavit. Mihi credas. In Medicina prope lectulos adminiſtranda, oh quoties notas, apparenteſque tantum cauſas quærimus! Oh quoties aliqua latet, extremum diem productura! Hinc optimo conſilio in obſervatione tua, enata accidentia enucleaſti, & additis notis de eventu rationes reddiſti, ut hinc Medicinæ candidati concives tui, Superior Luſatia, & mediis typis, Orbis totus, in pari caſu magis videat, & non cœcutiat.

Si aliquid etiam aliud obſervatione dignum Germanico Saxonicoque tuo ſub hoc cœlo nuperis hiſce annis vidiſti, ſique peculiaris, & diligens Praxis tua aliquod remedium, aut medendi uſum detexit, non tam patenter ab Auctoribus promotum: ſi in ipſis Hiſtoriis noſtris Morborum, quarum ſpecimen in Actis novis Eruditorum Lipſiæ menſis Novembris 1744 (1) videbis, aliqua tibi occurrent aut notanda, aut circumſcribenda, ſi monebis libere, rem facies gratiſſimam. Interim jube, & vale. Novumque, ignotum, & mediocrem hominem, tibi hoc epiſtolio officia præſtantem admitte inter tuos.

Brixiæ Venetorum 1 Julii 1745.

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Philoſopho, & Medico Excellentiſſimo

JO: CAROLUS ACOLUTHUS

S. P. D.

LIteræ tuæ, celeberrime Roncalli, prima menſis Julii die ſuperioris anni, ad me ſcriptæ, vigeſima prima ejuſdem menſis die per curſorem publicum recte mihi fuerunt allatæ. Gaviſus ſum maximopere, quod per morbum in Actis Naturæ Curioſorum Tomo VII. a me deſcriptum tibi innotuerim, ſicque tibi ad me literas, ſingularis humanitatis tuæ teſtes, exarandi dederit occaſionem. Debuiſſem profecto citius ad eas reſpondere, feciſſemque illud certiſſime, niſi graviſſima obſtitiſſent impedimenta. Pharmacopolium in hac urbe unicum, Regio privilegio munitum, me Profeſſorem agnoſcit, in quod quotidie multas curas impendere cogor. Quales ægri ſibi a Medico expoſcant ſolicitudines, tibi Medico exponere non opus eſt. Calamitates publicas, inſultus ſcil. Pruſſorum hoſtiles, Europæ omni notiſſimos deſcribere ſuperſedeo. Morbum, quem ex mœrore potiſſimum animi, durantibus his turbis publicis contraxeram, reticere non poſſum, quo quidem divina adjuvante clementia ſuperato, ad hunc tamen uſque diem adhuc vertigine debilitatum caput vexare pergit. Tædium tibi moverem, ſi plures ſilentii mei cauſas in medium producerem. Unicam tamen prioribus non poſſum quin adhuc addam. Omnem ſcilicet hucuſque adhibui operam, ut Libri abs te editi,

(1) Pagina 648.

editi, in quo Hiſtorias Morborum deſcripſiſti, compar fierem, quo tuo deſiderio hac in parte ſatisfacere aliquo modo potuiſſem, ſed nondum licuit mihi eſſe tam beato. Quapropter rumpo jam ſilentium, imprimis cum his diebus inſperata mihi ad te præſentes literas tranſmittendi ſponte ſeſe obtulerit occaſio. Mercator ſcil. quidam hujus loci, cui nomen eſt Hering, linteamina Brixiam Venetorum devehenda curans, & has, quas vides, literas, ſuos ad amicos mercatores Brixienſes ſe incluſurum, & prolixiores in poſterum ipſi tradendas cum linteis ſe dimiſſurum ſanctiſſime promiſit. Scripſi igitur feſtinante calamo pauca hæc, quibus te de redditis mihi tuis literis, & quod adhuc per Dei gratiam vivam, certiorem facere volui. Quamprimum autem Mercator ille merces ſuas Brixiam dimittet, prolixiores ipſi ad te, una cum obſervatione quadam Medica, literas tradam. Interim vale, Vir celeberrime, & hoc certiſſime perſuadeas tibi velim, me te non ſolum amare, ſed & magni facere, & venerari. Iterum iterumque vale.

Dabantur Zittaviæ 16 Kalend. Maii A. 1746.

LUSATIA
SUPERIOR

GORLITII in Luſatia ſuperiori urbis primariæ, inter paludes, & juxta Niſſum fluvium, Medicina, & uſitatæ therapeuticæ præſcriptiones videri poterunt in *Catalogo Medicamentorum, tam ſimplicium, quam compoſitorum, eorundemque taxatione, & legibus* a Joanne Butnero productis. (1)

MEGALOPOLIS

AB inclyto Viro Georgio Dethardingio Archiatro Ducali Megalopolitano diſcamus modum curandi ſurditatem, qui talis eſt. ♃. *Saponis albi minutim concis.* ℥ I, *terebynt. Venet.* ℥ *.s. aq. niv.* ℥ VIII *m. ſ. & ſolutis adde tinram Benzoes* ʒ II. ſervetur ad uſum, & medio ſiphone adhibeatur.

(1) Typis Joannis Rhambam.

MOGUNTIA
ET
VESTPHALIA

VIRO CLARISSIMO

RUDIGERO FRIDERICO OVELGUN

Comiti Palatino Cæſareo, Medico Provinciali Moguntino, & Archiatro Waldeccenſi

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

NON ita facile enodabilis quæſtio eſt, num in ſpirituum morbis, quando hebetis animæ motus ſufflaminantur, ſi aliqua adſunt indicia, ab infernis artubus morborum cauſam in altum elevari, veſicatorium prope atlantem, collique vertebras in ipſo medullæ ſpinalis primordio, humili, an in aliquo alio loco inſculpendum ſit; de qua re tu doctiſſime diſſeruiſti; factamque vidiſti in epileptico adoleſcente Hammonam Weſtphalorum delato, cui ex pollice manus morboſum quid ad caput aſcendebat, & ex inepta cantharidum appoſitione, emiſſariique apertura, locutionis actio omnimode intercepta fuit.

De facto non ut tibi morem geram, ſed ut mentem meam aperiam, ego quoque illud exiſtimo, adaperto alicubi emiſſario, mechanica neceſſitate fluida omnia ad illum feſtinare exitum. Humores quippe corporis undique compreſſiones, & impulſus patiuntur, quare data via exeunt.

Hoc poſito, ſi inflictum prope caput eſt, illud bene, proximæ in glandulis corticalibus, ceteriſque cellulis ſtaſes, & obſtruentia corpora exire facili negotio poſſint. Illud male, ut a trunco toto, & artubus fluida, & lentores quique omnes ad altum deportentur, & fortaſſe ob accidentale aliquid impedimentum, aut vaſa non ſatis patula, perviaque, affectum caput occupare magis poterunt. Ergo cautius erit aperitionem, & fluxum ad inferiora promovere.

Unica tantum animadverſio addenda eſt, quæ deſumi debet a ſalis volatilis cantharidum energetica pollentia, apte utiliterque nata ad morbos lentores ſolvendos, attenuandos, amovendos, ad evitandum ſtagnantis obſtruentiſque amurcæ motum, in quo totus cardo ſuperandi epileptici, vel apoplectici, (ſi a capite) inſultus conſiſtit. Hinc ſi proxima actio remedii, facilior etiam obtinendorum executio, ſtaſiumque emotio.

Ut autem utrique indicationi ſatisfaciamus,

plurimorum Veterum documentis inſiſtendo, & Venetæ etiam urbis praxim imitando, turgente plethora, ceteriſque non juvantibus, plura eodem actu veſicantia apponi poſſent, cum hoc tamen diſcrimine inſtituta, ut altum primis diebus, quando activius agendi inſtat neceſſitas, infigatur; deinde veluti derelicto, operam navet Chirurgus, ut cruribus infixa protrahantur, magiſque purgent, adeo ut longe a parte affecta (per quam incomparabilis Chous, Princeps Artis noſtræ, purgamenta prohibet) humores fluere debeant.

Methodus pariter tua curandi gonorrhæas virulentas laudem meretur; nec multum diſſona eſt a noſtro medendi modo, quem proponimus, tuque videre poteris in Hiſtoriis Morborum, quarum ſpecimen proſtat in Actis veſtris Germanicis Lipſiæ menſis Novembris 1744 pag. *646*. Difficulter quippe ipſe aſſentior methodo Anglicanæ, & aliquot aliorum curandi gonorrhæas mediis magiſteriis jalappæ, mechuacannæ, colocynthide, & purgantibus validiſſimis, per quas ab excitatis, convulſis, & in exploſivam criſpaturam diſtentis infernis partibus exprimitur, quod eſt noxium, & non ſolum per rectum amurca exit, verum etiam a propinquis proſtatis, capſulis, & ſeminalibus veſiculis omne inibi latens fermentum, & vellicans exprimitur, perque urethram data porta fluit. Hoc ſi fiat in primo contagionis, morbique limine, nonque adhuc lympharum, undaque cruoris contaminata, valerent fortaſſe, in optatumque uſum feliciter cederent. At pertimeſcendum ſemper. A ſtimulo quippe non ſolum extra, ſed intus obſignari poteſt venenoſus character.

Hæc volui in res tuas animadvertere, eaque tibi nota facere, ut ſcires nomen tuum hic etiam celebrari; atque etiam ut, ſi a recta ſemita aberrabam, me commonefacere minime indigneris. Si in Moguntinis ditionibus, aut Fritzlarienſi climate aliquid obſervatu dignum vidiſti, quod Medicam Praxim locupletare poſſit, quæſo illud tange, & mihi dirige in epiſtola. Quandoquidem a remotis etiam diſcere cupio. Eoque magis id opto, quia in proximi Operis editione de Germanica Medicina loqui debeo, & jejunus ſum. Tu ergo me fac divitem, tuiſque juſſibus faveas, & ut valeas animitus precabor.

Viro Excellentiſſimo, atque Clariſſimo

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

S. P. D.

RUDIG. FRIDER. OVELGUN

Literas, quas ad me dare dignatus es, rite accepi. Majorem in modum mihi gratulor, de benevolo tuo in me affectu. Quod ad opus tuum de Medicina Germanica attinet, Vir Illuſtriſſime, non tantum ſpero, ſed prorſus confido, id ipſum ære perennius fore, & elegantem Proſperi Alpini, olim veſtri, librum de Medicina Ægyptiaca, longis paſſibus poſt ſe relicturum, nedum æquaturum. Facies Germanicæ Medicinæ in ipſa Germania mihi varia videtur. Ne multus ſim, in præſenti Praxin Veſtphalicam ſolam, eamque veram, quam per ſexaginta annos, mira felicitate exercuit Avus meus Maternus Rudigerus de Weſthoven, unico exemplo in medium producam. Redux ex Academiis adhuc calebam, quum Hammonam adduceretur ex Epiſcopatu Monaſterienſi muliercula paralytica, nomine Friedhovia, mediæ ætatis, quæ a me interrogata: corripiebar primum, inquiebat, laſſitudine ingenti, quæ tandem omnem motum pedum abſtulit, aliqualem vero in brachiis reliquit, tument pedes, ulceribus fœdi, digitos pedum non ſentio, habita ſum ab aliis pro phthyſica, ob marcorem ſuperiorum corporis partium, ab aliis pro hydropica, tumentium pedum ratione habita. Dictus quondam Regum, Electorum, ac diverſorum Principum Archiater, & Conſiliarius menſe Septembri ſequentia præſcripſit. ℞. ſal. oxylapath. ſcabioſ. liquir. ſcorzon. ana ʒ II. ſ. aron. ʒ II her. fumar. m. ſ. agrimon. m. i. fl. ſambuc. m. ſ. ſem. cochl. ʒ I aniſ. ℈ II fol. ſenn. mundat. ℥ I. ſ. inc. cont. coq. in aq. colet. clarif. His add. ſal. prunel. ʒ II m. f. decoctum, quo de, ſumat ægra mane ac veſperi cochlearia quatuor calide, & mane leviter ſudet. ℞. lapid. medicamentoſ. crol. ℥ I ſolv. len. coction. in aq. calc. viv. decant f. aqua externa pro ulceribus. Dein, menſe Octobri hæc parari juſſit. ℞. ſtib. diaphoret. edulcor ʒ II diagryd. ʒ I croc. orient. gr. III ſem. cochlear. ʒ I. m. f. pulv. div. in 7 part. æqual. d. ſ. de quibus propinetur doſis alternis diebus primo mane cum cereviſia calida, & leni ſudore per duas horas. ℞. aq. fumar. ℥ V cochlea. ℥ II 2 trifol. fibrin. ℥ I ſyrup. fumar. ℥ I. ſ. m. f. mixtura, qua de reliquis diebus mane ac veſperi cochlear unum detur, victu: aq. externa, ex lapide medicamentoſo, & aq. calc. viv. Denique eodem menſe ſequentia dedit. ℞. ſtib. crud. in ſubtiliſſ. pollin. redact. ſem. cochlear. cortic. viat: ana ʒ II ſac. albiſſ. ʒ VII m. f. rotu. ponder. ℈ II d. ſ. morſuli, de quibus mane unus comedatur. ℞. elect. hier. picr. Galen. ℥ I ſtib. crud. in ſubtiliſſ. pollin. red. ʒ II extr. rhabarb. ʒ I diagryd. ℈ III. ſ. ſyrup. de cichor. c. rhabarb. q. ſ. m. l. a d. f. electuarium, quo de, cubitum itura doſin nucis moſchatæ magnitudine deglutiat. Rediit Hammonam muliercula menſe Novembri ejuſdem anni, ſcabie cruſtoſa infeſtata, principio vitali ſic ſe per remedia liberante, bene incedens. Et curandi rationem, & mirum, eo quidem anni tempore, ſucceſſum demiratus, quo cœlum his in oris frigidum pariter, atque humidum, curationis in ver, & æſtatem dilationem ſuadere unanimi Medicorum conſenſu potuiſſet, tandem ab Avo, tribus his voculis: eſt paralyſis ſcor-

ſcorbutica, errans in viam deductus ſum. Ubi ad animum perpendo, cœli juxta ac victus veſtri genium, hujus morbi proventus apud veſtros, vel nullus, vel rariſſimus erit, cur & rarior in Saxonia ſuperiore, & nonnullis aliis regionibus Germaniæ eſt, quam quidem in Weſtphalia, & Saxonia inferiore, ubi complures morbos, cum ſcorbuto complicatos videas, quos, quod ſedula obſervatione conſtat, niſi ea remediis miſceantur, quæ ſingulari proprietate ſcorbuto reſiſtunt, nemo Medicorum curabit. In his morbis primas obtinent, quædam hydropis, & cachexiæ ſpecies, necnon vomitus, gingivarum putrefactiones, crurum dolores, reſpirationis difficultates, mendaces dyſenteriæ ſpecies, arthritides vagæ, pleuritides nothæ, varii convulſivi motus, multæ defluxiones, ſputa ex ore, lipothymiæ, paralyſes, aliæque paulatinæ nervoſi generis imbecillitates, cephalalgiæ colicæ odontalgiæ, atrophiæ, reliquis quibus ſane morbis, veterum cum Græcorum, tum Arabum ſcripta medelam adferre non poſſunt, ubi ex ſcorbuto ortum ducunt, & originem, vel cum eo complicati ſunt. At vero, multa ſubinde diligentia opus eſt, ut fons ſcorbuticus, & alias, & in morbis cum primis complicatis certo detegatur: quæ namque Baglivius, cujus opera admodum adoleſcens legi, & cujus genium Hippocraticum uſque multa veneratione proſequor, cap. 7. oper. p. m. 383. habet, neque ſemper, neque in omnibus videre eſt. Ita enim, gingivæ laxæ, eroſæ, tumidæ, luridæ, nimium rubicundæ, cum ingrato oris fœtore in iis quidem revera ſunt conſpicuæ, qui has ipſas ſibi relinquunt, non æque in iis, qui in dies, quod multis honoratioribus in more poſitum eſt, earum curam habent, per frictionem ſpiritus vini, in qua cochleariam, naſturtium, aliave ſpecifica macerarunt. Eam ob cauſam, ſummo genere natas inter alios, & alias, nihil horum ſignorum erat, ſed maculæ lividæ, & tantum non nigræ ſolæ ſine febre, quibus, poſt longam quæſtionem confeſſis, ſcorbutus mihi in apricum deductus viſus, & proinde cauſa inſequentis maximi morbi, ac felicior medela. Interim his in oris, non minus rarius multo, quam in Weſtphalia in conſpectum prodit ſcorbutus. Hic namque non æque carne infumata, ſalita, neque pane tam craſſo, atro, duro, quam in Weſtphalia vulgo pompernickel vocant, utimur. Hinc quamvis reſina jalappæ in ſpiritu ſoluta, multo quidem majoris ſit efficaciæ laxantis, quam quidem in pilulis, & forma ſicca, nihilominus tamen in adultis Weſtphalis, ea ratione ad grana decem, & ultra danda eſt ſcopo laxatorio, cum purgantia ſcorbutus non ferat, quæ doſis reſinæ jalappæ in ſpiritu ſpecifico, cum ſyrupo edulcorato, ut moris eſt, propinata, in plurimis heic locorum eſſet nimia. Inter illos, qui ſingulares de ſcorbuto tractatus cum orbe erudito communicarunt, aliis palmam præripere mihi quidem videntur Severinus Eugalenus Doccumanus, cujus liber Lipſiæ 1604 latino ſermone editus eſt, deinde Johannes Draſviſicus, cujus de ſcorbuto tractatus, at Germanice, non minus Lipſiæ 1704 ſecutus eſt, denique Thomas Williſius, cujus pathologia cerebri ſpecimen, in quo agitur de morbis convulſivis, & de ſcorbuto, cum alias, tum 1680 ſub prælo Amſtelodami ſudavit. Inter obſervatores, quod ad hunc morbum attinet, primas tenere mihi viſi ſunt, Timæus Guldenkle, Petrus Foreſtus, Gregorius Horſtius, & Johannes Wicerus; inter ſyſtematicos vero, Franciſcus Joel, Theodorus, Turingerus, Stahlius, Hoffmannus, Kolfincius, Sennertus, Waldſchmidius, Johan: Hartmannus, Ettmullerus, Boerhavius, alii, quos vide ſis. Deſino, ne dum de morbo Weſtphalis endemio loquor, longus videar.

Quod ad morbos chronicos generatim attinet, iis multo ſæpe adjumento ſunt, tum acidulæ, tum thermæ. Ad has aquas medicatas proinde complures ab illis Germaniæ Medicis mittuntur ægri, qui penitius cognitum exploratumque habent, quibus viribus, & principiis mineralibus fœtæ ſint. Ego, ea qua potui, opera anniſus olim ſum, ut acidulas Wildungenſes, in principatu Waldunenſi ſitas, poſt ſedulam aliquot annorum indagationem, & curationum obſervationem, juſto tractatu deſcriptas, publici juris facerem, id quod 1725 factum eſt. Has ipſas viſceribus non in ſubſtantia læſis, in hypochondriacis tenuioribus, ſabulo, melancholia, & menſibus impedite, vel inordinate fluentibus, præ ceteris remediis ſumme proficuas reperi. Diarrhœam vehementem torminoſam, ac cruentam, & obſtructis menſibus, triplici exemplo, per acidulas Wildungenſes curabam, non minus veternum cum malo hypochondriaco junctum, per has ipſas ſanatum fuiſſe, me interprete loquuntur acta Academiæ Naturæ Curioſorum volumine quinto. Wildengenſes ſic dictæ urbanæ aquæ, quod pauciſſimo ſale imbutæ ſint, contra largiore & teneriore marte in gonorrhœa ſimplice, & in fine gonorrhœæ virulentæ, id quod paucioribus volumin. ſext. actor. dictæ Cæſareæ Academiæ tetigi, roborando veſiculas ſeminales plurimum poſſunt, cum contra ſic dicti Salini fontes medicati ejuſdem loci, plurimo ſale alcalico gaudentes, ecce quod omnibus cum acidis effervescit, excretiones ſeminales promoveant, tantum abeſt, ut ſiſtant. Ubi idioma Germanicum, quo hic tractatus ex more conſcribendus erat, legi merebitur, & ſi mihi noſſe datur, ad quem locum mittendus ſit, lubentiſſime illum ipſum tibi mittam. Facies mihi contra tam gratum, quam quod gratiſſimum, ſi tua illa docta, nacta Francofurtum ad Mœnum occaſione, fortean per Mercatores celebres has nundinas adeuntes, mecum communicabis, D. Doctori Burgravio ibi loci tradenda. Ego namque per varia ad ægrotos in varias regiones itinera per continuas fere ad ægros exteros dandas epiſtolas, eorumque viſitationes in hac urbe, ita negotiorum Medico-Practicorum mole diſtringor, ut lectioni vacare minus mihi liceat, lectionis alias amantiſſimo. Doleo vel hoc nomine has vices magnum in modum, quod ſic impeditus, ut alias ita, quæ diſſeruiſti, de gonorrhœa virulenta, erudita, ad oculos meos haud pervenerint, neque ob ignorationem inſcriptionis, qua edita ſunt, pervenire poſſint: ubi me hac de re facies certiorem, & ſi in Germania comparari poſſint, vel quovis ære ea redi-

mem, nullus namque dubito, quin primores ſapiant ungues, haud aliter ac ea, quæ docte in literis tuis, de veſicatoriis, & gonorrhæa virulenta monere voluiſti, quæ mihi apprime arrident. Plura his addere vetat chartæ anguſtia: id unum proinde adhuc commemoro, quod Pertii voce ſciam, quam ſit mihi curta ſupellex, & quod verear ne ſus Minervam. Eam ob cauſam ſum neſcius, quibus rebus, tibi de Germanica Medicina ſcripturo, inſervire queam, id quod alias ſigillatim, & ſpeciatim jubenti, viſurus quid valeant humeri, quid ferre recuſent, quam libentiſſime peragam. Enimvero, ut Virgilii verba hic mea faciam: quid optes, explorare labor, mihi juſſa capeſſere fas eſt. Mihi in magnis & voluiſſe ſat eſt. Vale etiam atque etiam, & quod ſpero facies, te colentem amare perge.

Dabam Frideslariæ die 25 Maii 1746.

VIRO CLARISSIMO

RUDIGERO FRIDERICO OVULGUN

Comiti Palatino Cæſareo, Medico Provinciali Moguntino, & Archiatro Valdecenſi

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

NON ſolum accepi, ſed etiam deoſculatus ſum epiſtolam tuam graphice Weſtphalorum medendi uſus deſcribentem, pro qua nunc ego, dein, in literarum theatrum expoſita Europa noſtra, Orbis totus plurimum tibi debebit. Opera noſtra antehac typis commiſſa tibi dono dabo libentiſſime; ſed difficultas ſtat in itinere, & miſſionis modo. In hoc igitur tu vigilare poteris, ſique commodior tibi eſſet urbs Veneta, ob Germanici commercii facilitatem, agam provide, ut illich proſtent nutibus tuis. Iterum addo titulum Operis. Si alium habuiſti, quo tibi lubet mittere poteris. Totus tuus ſum, & ero quamdiu ſpiritus hos reget artus.

Brixiæ 10 Junii 1746.

NASSOVIA

CLARISSIMO VIRO

DANIELI WILHELMO TRILLERO

Archiatro Naſſovico

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

REM utilem Naſſovicis populis, totique Veteraviæ geſſiſti, Clariſſime Archiater, tunc cum ad examen revocatis Pleuritici morbi concauſis, & effectibus, erudito Opere, Francofurti ad Mœnum cuſo, tutiorem viam indigitaſti, qua ad recuperandæ ſalutis ſcopum iretur, minuſque inter difficultatum ambages cæſpitantia medentium capita a rationali methodica medendi idea in poſterum diverterent. Quodque magis laudo, ſunt rationes a factis, ab ægrorum lectulis, ab obſervato ſanguine deſumptæ, pluribuſque relatis Hiſtoriis comprobatæ; non vero per vanas hypotheſes, & mentis præjudicata inventa, ut nonnulli faciunt, cogitatæ.

Hic ſolus modus eſt, qui in difficillima arte minus errare facit; quemque cum & ipſe teneam, aut tenere ſatagam; per conſequens dum tibi, tuiſque gentibus gratulor, mihi adblandiri videor, & quodammodo tibi parem eſſe ſuperbio.

Quoniam vero putandi, ratiocinandi, & quaſi dixero, medendi aliqua apud nos intercedit ſimilitudo, tibi non diſpliceat addere neceſſitudinem. Quodque ſejunctim neſcientes faciebamus, promiſcuo literarum commercio cunctis, ſi opus fuerit, conſtet in poſterum. Admone quid ſingulare, quid rarum circa Jatreuſim contingat in terra tua. Ipſe æqualia, licet rudi calamo, perſolvam. Adde mandata, & glorioſum ducam parere. Vale.

Brixiæ 13 Septembris 1744.

NORIBERGA

VIRO CLARISSIMO

CHRISTOPHORO JACOBO TREVV

Seren: Marchionis Brandenburgico-Onoldini Conſiliario Aulico, & Archiatro, Reipublicæ Noribergenſis Phyſico Ordinario, & Academiæ Naturæ Curioſorum Socio.

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

DUM legerem ea, quæ circa antipathiam, picamque mulierum comentabaris, Vir doctiſſime, caſus obtulit, ut in ſcholio res natas opportunis animadverſionibus graphice illuſtranti, noſtro obtutui apparuerint illa verba; *ne quidem ſpecificis remediis, vel maxime decantatis, cœcam fidem habendam eſſe.* Id unum ſuffecit, ut magni te facerem, & exiſtimatio, quam de Germano-Noribergenſibus habebam, mirum in modum augeretur. Quid enim magis frivolum in Arte noſtra, quam cantio remediorum ſpecificorum. Quid pernicioſius, ſi activiora, vique ſtimuli agentia ſeligantur? Illa jam in ſcriptis noſtris, & etiam in Diſſertatione nobili Canonico Petro Angelo Lavizario directa, & Brixiæ a Marco Vendra-

dramino cuſa, exſibilare connisus ſum, vix permittens cortici Peruviano, hypechacuannæ, & mercurio aliquam determinatam potentiam. Verum ulterius quieſcere non poſſum; illicoque, ac audio de hac re propoſitionem, accendor; timens ne Philiatri a pulchro nomine capti, atque a facilitate cuilibet morbo medendi allecti, cadant in foveam, tanto magis formidandam, quia dum ſpecificum adhibetur, tempus amittitur, profutura non fiunt, & poſthæc occaſio calva.

Quoniam vero ab hoc tuo ſumme probando opinandi modo, aliiſque quam plurimis, publiciſque documentis conſtat, quantum floreant ditiſſimo hoc in tuo Norico Emporio bonæ artes, & nobiles diſciplinæ, quantiſque ſcientiarum, & librariæ ſupellectilis divitiis locuples fluat Regnitius amnis, ideo rudi hac epiſtola accedere non inconcinnum duximus, rati non adeo diſplicitura officia noſtra, quæ obſequia ferunt, ſolumque petunt favorem, & gratiam. Adde, hoc me ſignanter debere tibi, non tantum quia ſoleo Sapientes Viros ſuſpicere, & illorum patrocinium ſummopere concupire; verum etiam ob novum initum fœdus, mutuamque in Academia tua Societatem.

Tandem ut habeas tuta meæ propenſionis, & fidei in te teſtimonia, ecce jubentem.

Optarem, ut ſubciſivis horis in ſchedula, vel brevi epiſtolio notares aliquid, quod rarum, aut utile obſervando vidiſti, circa reſtaurandum hominem in regione tua, quodque frequentius apud Practicos clari nominis uſuvenit in Franconico cœlo, Sveviaque & Nortgoja, ſi tibi lubet, finitimis. Quo lumine Brixiam tranſmiſſo, opus noſtrum de Medicina plurimarum regionum agens, illustratum vellem. Si favebis, devinctus ero. Si & tu jubebis, lætabundus exclamabo: Treuu redamat. Vale.

Brixiæ 15 Decembris 1745.

SANGUIS PER MENSTRUUM SUDOREM EXIENS E PEDIBUS

Memorat Michael Albertus Phyſicus olim Ordinarius Noribergenſis, ancillam quandam pluries a pedibus ſanguinem per ſudorem dediſſe. Verum quia addit cauſam violentiſſimam pedum tactorum ſpiritibus ardentibus, non adeo mirandum eſt; conſumpta quippe cute, hiſcentibuſque arteriolis, & venulis, nil mirum, dato tempore per illud novum emiſſarium ſeparari debuiſſe, quod per uteri venas lapſare antea conſueverat.

RHAETIA

Illuſtriſſime, atque Excellentiſſime Domine

Per *Reverendiſſimi, atque Iluſtriſſimi Domini Meingotti, Cathedralis Eccleſiæ Curienſis Præpoſiti manus donabar præter omne meritum binis exemplaribus Diſſertationum, & uno Hiſtoriæ Morborum, ab Excellentia Veſtra publicæ utilitati editis.*

Indignum de tanto honore me profiteor, & non niſi ſeu ex uberrima generoſitate animi veſtri, munus accipio, ac profundiſſimas, quas valeo, grates perſolvo; gratulans Italiæ, mihi & omnibus, de tanti luminis Viro, novoque Medicinæ ſydere decoratiſſimo, quod ſupremus Sol, gratioſiſſimis radiis ſuis, magis magiſque illuciadet, ac pro univerſo ſplendore æviternum conſervet, animitus voveo.

Juſſit Reverendiſſimus Dominus Præpoſitus, ut circa endemicos morbos, iiſdem appoſita remedia, explanationem Excellentiæ Veſtræ inſcriberem; verum licet huic conamini inferior ſim, voluntas tamen neutiquam deeſt, ſed unicum me diſtrahit, nempe petitum, & valde urgens opuſculum de Thermis Fabarienſibus conſcribendum, quod necdum incœpi ob continuo continuata practica negotia, majorem me poſtulantia, attamen humeris meis oneroſe impoſita.

Si Deus vitam, & benedictionem concedat, proxima ſeptimana manus admovebo Opuſculo de aquis, & quando illud finiero, quædam pro vilitate ingenii mei, vobis offeram. Tranſeundo tantum interea indico: paucos in oris noſtris regnare morbos, quos non communes apud vos vidiſſe, fere recordor. Aſtutam miliarem febrem hic frequentiorem, imo, non inique frequentiſſimam dixero, de qua & aliis ſuo tempore plura.

Juſſit inſuper Illuſtriſſimus Dominus Meingotti, ut alterum Diſſertationum librum, cuidam Helvetorum Profeſſori præcellenti tranſmittam, quod fideliter obſervabo, at pace veſtra, non Profeſſori publice docenti, verum Medico doctiſſimo, & Primo urbis San-Gallenſium Phyſico, Domino Doctori Gillero, animus eſt amandandi, utpote juxta captum meum, majori Publicorum Profeſſorum.

Cur ſuperius de morbis apud vos communibus, momentulum dixerim, ratio eſt, quia anno 1726, & 1727 poſt Argentorati finita ſtudia, ulterius ediſcendæ Praxeos gratia, aliquantulum temporis Mediolani, magis Patavii, maxime Venetiis, docente Excellentiſſimo Domino Doctore Dominico Santorini, ſub cineribus colendiſſimo, commoratus ſim, & aliqualem notitiam mihi comparaverim. Hinc erga Venetos Viros præcipue Excellentiam

tiam veſtram ardet genuina cordis mei venerationis flamma, quæ non ſatiabitur, niſi re ipſa teſtimonium præſtare poſſim, uti perenno

Excellentiſſimi Nominis Veſtri

Curiæ d. 5 Febr. 1744

Cultor ac Servus perpetuus
BALT. WALTHIERI
Epiſcop. & Princ. Curienſis atque Fabarienſis Ordinarius.

SAPIENTI VIRO

BALTHASSARRO WALTHIERI

Epiſcopi, & Princ: Curienſis, atque Fabarienſis, Medico Ordinario

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

S. P. D.

TOtus in examine Medicinæ Practicæ, quæ multis in regionibus nunc floret, & extera documenta in futuræ editionis ornamentum comparaturus, oraveram amicum optimum, & mihi multis de cauſis enixo corde ſemper recolendum, Petrum Angelum Canonicum Lavizari, in tibi finitima Valletellina Literatum inſignem, ut tentamen noſtrum Rhaetis, Helvetiiſque celeberrimis Viris, & Medicæ Scientiæ Profeſſoribus notum faceret; eoſdemque excitaret, ut ſuis ſcriptis, bonam in fidem mihi concreditis, atque epiſtolaribus veluti diſſertatiunculis Brixiam tranſmiſſis, & una cudendis, de regnantibus nunc in ſuo climate morbis, deque præſentaneo aliquo remedio ſermonem facerent; ut hinc opus noſtrum junctis manibus, reſpectu remotarum Gentium a patriis viciſſim rogatis, productiſque Auctoribus meliori in lumine collocaretur.

Vix vero acceptis executarum precum mearum reſponſionibus, en nudius tertius mihi traduntur literæ tuæ, quinta Februarii datæ, a quibus te comiter accepiſſe opera mea, & neceſſitudinem tuam mihi exhibere, intelligo. Ob id quantum tibi, quantum dilecto Lavizario, qui amicitiam tuam mihi conciliavit, debeam, non eſt, ut exclamem, aut pluribus ediſſeram. Quamdiu *ſpiritus hos reget artus*, me redamantem habebis.

Gratulor ſummopere, veſtris in oris non adeo frequenter regnare morbos, quos epidemicos dicimus. At neque nos immunes ſumus a febribus miliaribus, quas aptato vocabulo aſtutas vocas, eo fortaſſe quia ægros, & medentes fallere ſciunt.

Sumptum vero a te onus, & argumentum ſcribendi de Thermis Fabarienſibus ſecundum Rheni deſcenſum, duobus milliaribus Germanicis a Curia veſtra remotis, a me quammaxime laudatur. Licet enim multi Auctores de illis ſcripſerunt, nempe Munſterus, Gundelſingerus, Hildanus (1), & alii, ſtatueruntque ineſſe aurum, cuprum, ſulphur, & nitrum, attamen notum eſt, aquarum medicatarum venas, ſecundum diverſas annorum ſeries, ſecundum mutatos minerarum, foſſilium, & ſalium incurſus, alterari, & diverſis viribus imbui. Quare facta jam experimenta pereunt, & alia, atque alia inſtituenda ſunt. Adde, plurimum etiam poſtremo hoc ſæculo Chymiam, & Mechanicen profeciſſe; ex quibus & qualitates, & pondus ad certiorem ſtateram reducuntur. Adde inſuper, quod primum erat, nempe doctrinam tuam, cum ſedula Praxi conjunctam, a quibus bibentium valetudo juvari quammaxime poteſt.

Tibi ſilere non debeo, etiam nos aliquando fuiſſe Troes; inque eiſdem caſtris, quibus nunc tu, diu multumque meruiſſe. Nempe in examine Chymico Medico aquarum Brixianarum, quarum ne quidem unum exemplar habeo, ut tibi tranſmittere poſſim. Si tamen iterum cudetur, ut quidam Bibliopola muſſitat, tui ſemper memor ero. Et interdum exhibeo, ſi illam non vidiſti, quod habeo, nempe Diſſertationem de Aquis Mineralibus Coldoni in agro Mediolanenſi antehac a nobis editam, & Inſubrum Heroinæ Comitiſſæ Cleliæ Grillo Borromeæ dicatam. Imo ſi tibi fortaſſe deeſt opuſculum, quod ſcis Pariſiis editum a Domino Moulin de Marguery circa Aquas Paſſynenſes, & illud colligatum tibi mittam. Vix enim dici poteſt, quantum libellus ille circa aquarum medicatarum analyſim, & cognitionem eruditorum votis ſatisfaciat. Lucem vidit anno 1723 dum ipſe de aquis ſcribebam. Ideo illum illico per tabellarium mihi ſollicitavi.

Neque vero velim crederes, hæc a me meditari, ut doceam, & pulchrum me faciam. Stabit ſiquidem ſemper alta mente repoſitum obſequium, & humilitas verſus doctrinam tuam; ſed cum nunc ipſe alios etiam magis remotos, & exteros promoveam, ut ſuſceptum argumentum meum adaugeant, atque illuſtrent; cumque inſuper ſummopere gaudeam, quoties optata longinqua perveniunt monita: ita familiariter hac epiſtola tecum loquens, pari paſſu metiebar perſonam tuam. Nec extra rem mihi videbatur, aliis non diſplicere, quæ mihi ſummopere arrident.

Hanc veſtram regionem, præter tot reliqua ſuperum beneficia, aquis Medicatis abundare olim penes Auctores vidi. Guillelmus ſiquidem Gratarolus memorat præcipua, & famoſiora Balnea prope Curiam juxta pagum *Feliſor*, quæ dicuntur *l'Aqua Marza*, nitro, & ſulphure ſaturata (2).

Alibi

(1) *Referens ex fragore Cataractarum in Fabarienſibus delirio non ſemel correptos fuiſſe balneantes ibi hoſpites.* Vide Acta Germaniæ Curioſ. T. 3. pag. 122. in Appendice.

(2) De Balneis omnia, quæ extant apud Græcos, Latinos, & Arabes. Venetiis apud Juntas.

Alibi vero memoratum legi Fiderium fontem in Valle Rhætorum Prætiogia, Rhetiogia olim dicta, a monte altiſſimo *Rhetico* inter Rhenum, & Oenum; qui, ſi bene rem aſſequor, a tua urbe parum diſtat. Alibi (1) Acidulæ Scollienſes in Rhætia ſuperiore, a propinquo vico *Scollen* nomen mutuantes, ad parvum pagum *Culpera*, ſalſulæ, ſpiritu pollentes, & inebriantes, in colicha, aſthmate, hydrope, catalepſi, & hyſtericis, inſultibus utiliſſimæ. Oratio epiſtolæ limites transgrederetur, ſi patrios, ſi tibi finitimos fontes, eorundemque medicatrices vires ad examen reducere vellem.

Duo ſolum mittere non poſſum: Primum, ſcilicet aſſervari noſtris in Adverſariis manuſcriptum celeberrimi olim Viri Jacobi Malacrida in Menatio, ad Larii lacus riperiam, Medici præſtantiſſimi, in quo aquarum Sancti Mauritii vires, qualitates, agendi modus fuſe diſquiruntur, & repetitis experimentis comprobantur. Alterum vero: noſtris non ſemel literis excitaſſe doctiſſimum, & practicum Medicæ Artis Profeſſorem Joannem Baptiſtam Simoni, quocum Rhetorices curriculum Brixiæ adoleſcentes fecimus, ut de Burmienſibus ſuis aquis, deque calidis balneis ſcribat, & moneat.

Ab his argumentis, quibus fortaſſe tuam patientiam laceſſivi, colligere potes, quantum ipſe probem tentamina tua; & quantum pergratæ erunt tuæ elucubrationes, mihi humaniter promiſſæ, illico ac publicam lucem aſpicient. Perge quo cœpiſti. Tuos juva cives; deque Rhetis, & cæteris bene merere. Poſt hæc; ſi inter viſitandorum Magnatum, reliquorumque ægrotantium laborem, aliqua ſuperſunt momenta, dirige quæſo tuæ mentis oculos in Brixianam uſque urbem, & vide quid ego valeam, quid poſſim. Profecto nihil erit, quod pro te intentatum relinquam. Igitur vale, & jube: ſique Clariſſimo S. Gallenſium Medicinæ Profeſſori Gillero meas Diſſertationes miſiſti, admone, & illi ſiquidem ſcribere in animo habeo. Et iterum vale.

Illuſtriſſimo Viro

Co: FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Bononienſis Academiæ Membro, ac Brixienſium Medicorum Præſidi graviſſimo

S. P. D.

BALTHASARUS WALTHIERI

Ph: Med: & Ch: D:

AD ſuaviſſimas veſtras ante triduum allatas, debite plures reſpondendi rationes forent, verum cum bis accuſata ægritudine, temporis penuria nimirum involutus ſim, in aliud tempus id differre poſſe quæſo concedat. Hinc pauca quædam circa febrem miliarem albam, quæ hic locorum, menſe Januarii anni currentis, præter omnem conſuetudinem epidemice graſſari initium ſumſit, & ad hodiernum uſque diem graſſatur, etiamſi maligni morbi, apud nos, reſpectu aliarum Regionum, jure rariores dici queant.

Ferme centum numerantur anni, ex quo morbus miliaris prima vice, & quidem in Germania in apricum prodiit. An novus ſit morbus, an olim non obſervatus, & ſcriptis notatus, decidere meum non eſt; ſuſpicor equidem, non novum, ſed ob inadvertentiam ſcriptis de ea nihil inſertum fuiſſe, ad quam conjecturam moveor, quod mihi contigit. Primis Praxeos meæ in Patria annis, interdum unum alterumve miliari febre exitiali decumbentem habui, & ut eo ſolidius in cura procedam, Practicos Medicos binos feliciſſimos, ætate reliquos ſuperantes, in conſilium vocavi, dumque in propoſitione morbi, exanthematicam febrem nominavi, obſtupeſcebant Medici de tali termino, genuine fatentes, ſe neque hunc morbum nominare audiviſſe, neque vidiſſe; deſolatus itaque ſolus in cura pergere debui, & ni prius Argentorati iſtum morbum conſcium mihi feciſſem, cum cœcis cœcus proceſſiſſem.

Superius innui, menſe Januarii anni currentis miliarem epidemice graſſari incœpiſſe: invaſit varie: plurimi frigore percuſſi per unam, duas, imo ſex uſque horas, quem calor magnus ſuſcepit; redeunte frigore cum æſtu alternante per unum, duos, treſve dies, dein continua cum æſtu ſicco permanſit febris (ſive dico æſtu ordinarie primis diebus) maximo capitis dolore, pectoris moderata anguſtia, pulſu mox ſtricto, mox pleno, virium exſolutione notabili, ſiti magna, ſomno abolito, nauſea, nonnullis vomituritione, urina plerumque per totum morbum ſanorum ſimili. Poſterioribus demum diebus, ſudor vel ſpontaneus, vel artificialis prodiit apud plurimos.

Apud pauciores acceſſit miliaris videlicet, febrem intermittentem, per plures dies, & ultra ſeptimanam mentiens. Ante aliquot annos, non nunc, quod tranſeundo ſolum dico, ſerpentinoſa arthritidis fraudolentia in duobus ſubjectis utebatur miliaris.

Apud plures, loquor de moderna epidemica miliari, ſub ſchemate pleuritidis aggreſſum ſumſit, cum tuſſi feroci, urina intenſe rubra. Numero pauciſſimi, uno quaſi ictu, horrore prævio, æſtu ſubſequente, pectoris anguſtia, ac ſingulariter ineffabili virum proſtratione irremediabili, intra tertium, vel ſaltem intra ſeptimum diem extincti ſunt.

In progreſſu morbi, capitis immanis dolor, & deliria tragœdiam ludebant, cum facie rubente turgida lingua, ſicca, ſiti maxima, tremore artuum

nunc

(1) Joannis Chriſtophori Rieger Introductio in Notitiam rerum Naturalium, & artefactarum. Hagæ Comitum, apud Petrum Goſſe.

nunc, & ab initio conſpicuo, ſubſultibus plus minuſve convulſivis.

Sub morbi progreſſu, in paucis maculæ petechiales pectoris &c. conſpiciebantur; in aliis non maculæ petechiales, ſed minuta valde puncta rubra ſe manifeſtabant, quibus ſecundo, vel tertio die circiter, diſparentibus, miliaria alba luci ſiſtebantur, miliaria denique alba, vel unius, vel duorum dierum ſpatio ſine deſquammatione exhalaverunt; quæ vero intra hoc tempus non evanuerunt, per plures dies perdurarunt, tandemque relictis ſquammis exſiccaverunt. In nullatenus paucis, miliaria exanthemata lentiſſime, nempe demum undecimo, decimo quinto, & decimo ſexto die apparuerunt.

Porro in progreſſu morbi, narium hæmorrhagia apud omnes vel molita fuit, vel revera ſubſecuta. Diarrhœa vix non omnibus familiaris valdeque rebellis fuit per tres, imo octo & plures dies continuata; remittente tandem fluxu alvi, miliaria erant pediſſequa, cum remiſſione tremidorum, & delirantium ægrotorum.

Subjecta hujus morbi duplo plus erant fœminina præ viris, & præſertim ea, quæ injuriis tempeſtatis atque frigoris cum victu crudo expoſita erant; non multos enim a dictis injuriis libere exiſtentibus vexavit morbus miliaris.

Ætas juvenilis maxime, infantilis, & media parcius, provecta parciſſime infeſtabatur diro iſto morbo.

Ad cauſas quod ſpectat, præter malignitatem vulgo dictam, lymphæ corruptio ſubtiliſſima, acris, fermenteſcens, contagioſa, nervis hoſtiliſſima, frigus diu paſſum, victus depravatus, crudus, aeriſque perquam ſubitanea mutatio, ſymbolum ſuum conferunt, ad extrema namque calidus, & frigidus aer velociter inter ſe commutarunt hac hyeme. Num Cometa ultra duos menſes nobis viſibilis, effluviis inſalubribus atmoſphæram conſpurcaverit, & ad hujus morbi geneſin aliquid adduxerit, ſagacioribus me dijudicandum relinquo.

Prognoſtica ſecura, morbi miliaris aſtuties, haud plura nobis conceſſit, exceptis ſequentibus.

I. Quo major corporis, & artuum tremor, eo exitus pejor.

II. Sanguineum narium ſtillicidium moderatum & reiteratum, omnium ſymptomatum mitigationem dedit. Uno impetu effrænis vero hæmorrhagia lethum prædixit.

III. Deliria ultra tertium, vel quartum diem, ſive præſentibus, ſive abſentibus exanthematibus, eodem tramite ſine leviſſima remiſſione durantia, mortem in ſinu fovebant.

IV. Ad ſpontaneum ſudorem continuatum diſpoſiti ægri reſtituti ſunt, abſens autem prorſus ad ſudorem diſpoſitio, funeſtum declaravit morbum.

V. Ubi minutæ veſiculæ miliares videri quidem poterant, ſed neque incrementum ſumſerunt, neque ſub illorum apparitione ſymptomatum furia declinavit, ibi deſperatum.

VI. Tuſſi concuſſi uſque ad ſeptimum diem feliciſſime morbum deponebant, in hiſce urina ab initio intenſe rubra, & ſaturata, circa diem quintum vel ſedimentum craſſum, vel flocculos ad fundum vitri reponere incoabat, naturaliter clara ſupernatante urina. E contra, quibus nulla tuſſis fuit, urina a naturali vix differebat.

VII. Urina cocta cum ſedimento, ſive criticæ ſimilis, primis morbi diebus, peſſimus erat nuncius.

VIII. Fluxus alvi nullatenus erat metuendus, etſi incongrue pertinax videbatur, modo caute fuerit tractatus, non ſuffocatus.

IX. Quorum ſanguis extractus, gelatinoſa cruſta erat obductus, eorum ſanitas infallibilior ſequebatur. Sanguis dilute ruber tenuis, minorem ſpem ſpondebat.

X. Auditu gravi decumbentes, fere omnes ſunt ſanati.

XI. Eryſipelas, tumeſcentiæ magnæ genarum, & circumcirca oculos, necnon infra aures, index erat criſis optimæ, proin ichorem largum fudit ipſum eryſipelas. Perpaucis quidem id fortunii genus obvium ivit.

XII. In genere, ſi dicendum quod res eſt, ratione multitudinis ægrotantium, pauci ſunt defuncti, atque poſtquam indolem morbi probe cognitam habui, ejus tractatio in deliciis mihi fuit.

Patet Theoriam Medico quidem neceſſariam, at Praxin certam ſumme neceſſariorem eſſe; idcirco quæ indubitatæ fidei, præ aliis pharmacis, ſalutifera obſervavi, hic candide apponam: in quibuſvis ſubjectis copioſiſſimam ſanguinis congeſtionem verſus ſuperiora, diſtincte tamen ad caput reperii, eatenus motus venæſectionem paſſim ordinavi, ſive primis diebus, ſive etiam demum ſeptimo, & octavo vocatus fuerim abſentibus adhuc exanthematibus, tute adminiſtrandam juſſi ſanguinis ventilationem, qua morbi ferocia, ut plurimum cicurata fuit, adeo ſucceſſive arriſit venæſectio, ut fluentibus menſtruis ipſis die quarto, eam mirando cum effectu ſuaſerim. Forſitan objicietur: me contra regulas ſanguinis extractionem ſitiiſſe, verum illa Theſis Inſtitutionum Medicarum: una vera experientia plus valet, quam centum rationes, *me immunem reddet.*

Ubi febrem intermittentem malignitas morbi ſimulabat, grana triginta radicis ipecacuanhæ porrexi, ante cujus aſſumtionem horulæ ſpatio præmiſi hauſtum largum ſeri lactis cum cryſtallis tartari parati, ſubjunxi venæſectionem poſt emeticum; atque ſi forſitan proin oris amarities, vel vomendi conamen, repetii ipecacuanham. Medicaſtri promiſcue tartaro emetico uſi ſunt, unde obſervavi, quod gravior totius morbi decurſus ſit procreatus.

Pleuritidis faciem cum tuſſi, & colorato ſputo comitante, ferentem miliarem, premiſſa venæſectione (etſi poſt ſextum diem petitus fuero, abſentibus nimirum deliriis) ſequentem mixturam lit: A.

A. 2j.

A. ♃. Aq. flor. til. ſambuc. ana ℥ III pulv. marchion. Lap. cancr. matr. perlar. ana ℈ I. ſtib. diaphor. nitr. tabulat. ana ℈ .s. extract. croci gr. IV ſach. perlat. ʒ II .s. miſce. In adultis obtuli, ſingulis trihoris, tria cochlearia deglutienda, una mixtura conſumata, alteram reiterandam curavi, uſque ad criſin morbi. Pro potu ordinario ſequentes ſpecies.

B. ♃. Flor. roſ. rubr. ſcabioſ. papav. rhead. ana m. .s. rad. irid. flor. pimpin. alb. liquiri ana ʒ II ſem. fœnic. aniſ. ana ʒ I .s. Ulterius de pleuritidis ſchemate: infantili ætate ſanguinis miſſionem prohibenti, mixturam ſupranominatam A. minori doſi, & ſepoſito extracto croci, ſumendam conceſſi, uti & potum de ſpeciebus B. extrinſece pectus oleo amygdalarum dulcium intrepide inungendum. Et hæc de pleuritidis facie.

Quamprimum febris continuæ, acutæ veſtigia præſto erant, continuatam ſudationem omnibus procuravi, ac præcipue poſt tuſam venam, ſudationem neutiquam violentam, ſed temperatis remediis, & diluentibus, rejectis quibuſque calefacientibus, æſtuoſis. Evenit nonnunquam, ut primis morbi diebus ſudor reſpective juſto major creditus ſponte inceſſerit, abſque ſymptomatum incremento, pulſu libero, viribus non collabentibus, junctis in urina aliquatenus prodromis coctionis, tunc infuſo Theiformi herbæ cardui benedicti ſudorem ſuffulcivi, in fœminis particulariter menſtruatis, victu crudo nutritis, itaque exanthemata ſine longæ moræ tardatione prorupere, & intra Nychtemerum deinceps aufugere cum ſumma euphoria.

Reliquis acuta febre miliari affixis, per totum morbi decurſum emulſiones diapnoicas, vel mixturas temperantes præſcripſi, quales unuſquiſque pro lubitu conſarcinare poteſt. Selectiſſimi, & pretioſiſſimi effectus, ſequentem pulverem C. & julapium D. inveni, ſi exanthemata prodiere, pectoris oppreſſio, deliriorum turba, ſitis inextinguibilis, aliave hujus farinæ ludia, cedere recuſaverint.

Pulvis C. ♃. Corn. cerv. phil. corall. rubr. ppt. ana gr. VII matr. perlar. ſtib. diaphor. nitri purif. cinnab. antim. ana gr. III ol. deſtil. lign. rhod. gutt. I extract. caſtorei gr. .s. m. fiat pulvis, & tales doſes plures.

Julapium D. ♃. Aq. flor. acac. acetoſ. ana ℥ III ſpirit. nitri dulcif. ʒ I .s. ſyrup. acetoſ. citr. & papav. rhead. ana ℥ .s. m. ſ. d. ad vitrum.

Dabatur, pro circumſtantiis, bis, aut ter, quaterve talis pulvis, unuſquiſque cum 4 cochlearibus julapii, vehiculi loco, olim pulveris bezoard. Sennerti frequentis uſus mihi erat, ſed hac hyeme non, nam & alioquin quantum poſſibile erat, parce mercatus ſum cum medicaminibus.

Pro potu ordinario inſervire debebat mitiſſima decoctio radicis ſchorzoneræ, raſur. corn. cerv. cum pauxillo ſeminis fœniculi, ſæpe interpolatis juſculis, e carnis vitulinæ partibus duabus, & una parte carnis bubulæ paratis, quibus per intervalla panem toſtum leviter concoquendum dixi. Panatellas non oblitus ſum quandoque ſubſtituere. Gelatinas non adhibui, niſi urgente diarrhæa.

Diarrhæa nullo heroico remedio ſiſtebatur, quin febris, ſitis, pectoris, & capitis gravitas augmentum ſumſerint. Comperiens hoc, juſcula ſolum amygdalina emulſionum modo conficienda mandavi, ac potui ordinario corticem chinæchinæ adcoquendum.

Poſteris diebus, alvi fluxum compeſcebam moderata doſi pulveris pannonici rubri cum grano uno maſſæ pilul. de cynogloſſa, vel hujus loco emulſione e ſeminibus quatuor frigidis, adjecto ſemine plantaginis, papaveriſque albi, immixtis cryſtall. mont. ppt. corall. rubr. & C.C. ana ℥ I emulſionis circiter ad gr. VIII vel X pulveris jam recitati. Externe ſacculi calidi abdomini, avena toſta ſemirepleti, diarrhæa labefactatis magnum ſolamen attulerunt, miliariumque expulſionem facilitaverunt.

Sanguini defœdato luis venereæ miaſmate lentior erat morbi decurſus, adeo ut per duas ſeptimanas miliaria apparerent, & tandem feliciter ad deſquammationem, quam meliori fundamento cutis excoriationem appellavero. Tali caſu mixturam ſolam lit. E. quotidie repetendam ordinavi, nulliſque aliis in uſum vocatis remediis, excepta ptiſana è ſcorzon. raſur. c. cerv. & ſ. fœniculi, cujus immenſa deglutiebatur quantitas, ſic continuus mador corporis, morbum ſuperavit.

Mixtura E. ♃. Aq. 4. fl. cordial. ℥ IV flor. til. acac, fl. ſambuc. ana ℥ I matr. perlar. ppt. pulv. marchion. ana ʒ .s. ebor. phi. corall. rub. ppt. ana ℈ I ſtib. diaph. ℈ .s. ſpir. nitri dulcif. gutt. XL. ſach. perlat. ʒ II m. ſ. ſingulis bihoris duo cochlearia.

Tædium magnum, in genere loquendo, aliquando concæpi, videns poſt veneſectionem, diarrhæam ſpontaneam diu continuatam, non negligendo temperatiorum remediorum applicationem, nec febrem remittere, nec deliria cum garrulatione perpetua (interdum ſoporem profundum): per triduum remittere nequaquam velle, neque miliaria eruptura, tranſii ad veſicatoria magna, utrique ſuræ imponenda. Videte nunc! Intra unius, vel duorum dierum ſpatium, miliaria ſunt proritata, deliria integre profligata. Dum veſicatoria in uſum ducebantur, interne ſequentem emulſionem F. devorandam dedi.

Emulſio F. ♃. Sem. 4. frigid. maj. ʒ V .s. ſem. card. mar. ʒ II .s. ſem. papav. alb. ℈ IV cum aq. fl. acac. ſambuc. malvæ ana ℥ III .s. fiat emulſio, cui adde lap. cancr. citrat. c. cerv. ph. coral. rub. ppt. ana ℈ I nitri purif. gr. XXIV julap. roſat. ℥ I m. ſ. ſingulis trihoriis quarta pars circiter.

Significatis principalioribus, non reſpuenda erunt aliqua hic inferius notata.

Spirituoſa, eſſentiæ, & tincturæ morbum miliarem exacerbaverunt ad fatalem exitum, nilque ſpirituoſi præſcripſi, niſi ſpir. nitri dulcem, vel liquorem anod. Frid. Hoffmanni, ſeu morbum domare adjuvantem. Diaphoretica nimis feſtinanter, vel larga manu data, uti & ſalium digeſtivorum uſus necabant.

Ad ſitim fallendam, acetum, & aquam frigidam anatice mixtim, pro frequenter eluendo ore, uſui inſerviebat. Inſuper ſerum lactis, non præſente alvi fluxu, ſæpiſſime offerebatur, ordinario prout in alpibus concinna, ea methodo, quibus vero vinum non erat aſſuetum, parabatur affuſione vini albi.

Capitis æſtum mitigandi cauſa, epithema ex aceto aqua roſarum, & album ovi in uſum trahebatur.

Alvi obſtructio primis quatuor diebus morbi, ubi pleuritidis ſchema abfuit, ſolvebatur enemate, & herba meliſſæ, florum chamom. roſar. & oleo amygd. dulcium. Poſteris diebus clyſma omnino omittebatur.

Alia notatu digna circa genium regnantis miliaris ignoro, ambages evitando; ſed audacter fari queo: Hactenus enarrata ſunt ſolida, non ficta, ſed facta. Supplico hæc ex intima cordis fidelitate promanantia, benigno recipiat animo Excellentia veſtra, ſuoque patrocinio nunquam me deſerat.

Dab. die 2 Aprilis Curiæ Rhetorum 1744.

P. S. Nedum manus opuſculo thermali admovere valui, & ex cauſis nuper accuſatis. Quum vero epiſtola veſtra de cognitione uberrima mineralium noſtratium teſtetur, unicum rariſſimum mihi viſum addo: pauciſſimis abhinc annis, quædam ſaluberrima aqua frigida fortuito detegebatur in juriſdictione Jenaz dicta, Vallis Rhetigorianæ, ex cujus uſu vir mediæ ætatis, & filia 6 circiter annorum, a ſpina ventoſa ad miraculum ſunt reſtituti. Ambo meis utebantur conſiliolis. Deo favente, de hac materia, & aliis cum tempore plura.

Venia ſit adhuc aliquot verbis: Epiſcopus Curienſis, uti & Abbas Fabarienſis, ambo ſunt S.R.I.Princ.

Appulit aliquoties ſermo, de maledicta aqua Neapolitana, homines clandeſtine interficiente. Gnara ſi ſit infelix hæc compoſitio, vel contra eam antidotum genuinum, humillime pro communicatione inſiſto, ut ſciatur deleteria vis annihilari.

Comes Illuſtriſſime

Siniſtre velim ne intelligas, quod ego, cui ne quidem nomine tibi notum eſſe hucuſque contigit, Diſſertationem inauguralem qualemcunque offerre non dubitem erubeſcamque. Verum enim qui fatear, haud vulgaris tua in ſtudia, ac eorumdem cultores propenſitas, & præcipue tuus erga Medicinam Medicoſque favor, ac amor hæc effecerunt, quibus, ſi licet, & me etiam, atque etiam commendatum velim.

Curiæ Rhaetorum A. 1745 d. 4 Aprilis

D. GABRIEL BAVIER

PERILLUSTRI, ET CLARISSIMO VIRO

GABRIELI BAVIER

Equiti Griſoni

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

OPus, donumque tuum, auro conveſtitum, typiſque Halæ-Magdeburgenſibus nitidiſſime cuſum, nudius tertius trans Mediolanum accepi. Volumine parvum, doctrina, & eruditione magnum, & quia in primævo ætatis tuæ flore conceptum, quo tempore alia ingenia vix eſſloreſcere incipiunt, maxima promittens. Gratulor toti Reipublicæ Trium Fœderum Rhætorum Inalpinorum, eo quod in ſinu ſuo foveat, alatque tantum virum. Gratulor mihi, quem ornatum a te video; & præter reliqua hoc etiam debebo in poſterum celeberrimo Junckero, quod nempe cauſa fuerit, ut tu in immerentem, & ignotum beneficia, officiaque tua collocaveris.

Diſſertatio inauguralis, qua ampliſſimum Halenſem Medicum ordinem de ingenii præſtantia ab optimis Parentum inſtitutionibus, rectiſque Præceptoris, ac Promotoris documentis in te derivata, certum feciſti, non ſolum uni laboranti oculo providet, ſed centenis profutura eſt. Exactam, limatamque quippe Hiſtoriam texiſti ægritudinum fere omnium, quibus admirabilis oculorum textura læditur. Hocque non tumultuarie, ut nonnulli faciunt, ſed diſtincte per claſſes, & capita, præmiſſa, anatomico criterio, partium contentarum, & continentium deſcriptione, delibatis circa viſivam vim nobilibus doctrinis, &, hodierno gravium Scriptorum more, auſpicibus clariſſimis Auctoribus tua aſſerta comprobantibus, gradatim per expoſitam ſeriem affectum lumen meliori in lumine poſuiſti, ut hinc ægroti, & Medici minus in poſterum cæcutire debeant, & quia remediorum etiam ſupellectilem addidiſti, te præeunte, preſcribenda ſciant.

Oh! ſi omnes Doctorali Laurea inſigniendi facerent, aut ad faciendum apti eſſent, quod tu, & prælo, & mihi tradidiſti credas, bonæ artes non ſqualerent, nec trepidarent; ſed ſemper magis florentes, populorum ſalutem, & fœlicitatem magis promoverent.

Igitur perge, quo cæpiſti, tuamque illuſtrem Patriam juvare non deſine. Idipſum age mecum, ſcilicet continuitate literarum tuarum. Sic quippe primo intuitu comitas tua me penetravit, ut tuum ſilentium ægre in poſterum eſſe laturum jam prævideam.

Alteræ Curienſium columnæ, nimirum Clariſſimo Balthaſſaro Walthieri mea porrige obſequia, adnexamque epiſtolam: & ambo, diu ſoſpites, Rhæticæ Medicinæ gloriam ſuſtinete.

Brixiæ 15 Maii 1745.

BUR-

BURMIENSIS
COMITATUS

EGREGIO DOCTOQUE VIRO

JOANNI BAFTISTÆ SIMONI

Medico Practico apud Burmienſes celeberrimo

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

VENIT tandem tempus vindictæ, amicorum optime; & diu, fruſtraque jam ad duos, & quod ſupereſt, annos expectatis literis, æquum eſt, ut delictorum tuorum proceſſus, & fortaſſe vadimonium inſtituatur. Siccine poſt promiſſam in adoleſcentia benevolentiam, & quaſi neceſſitudinem tuam, poſtque paucis ab hinc annis (in Tellina Valle quando in conſilium pro dirigenda curatione Sindici Omodei vocati fuimus) eandem novis vinculis confirmatam, mecum agis, ut raro tantum accipiam in epiſtolio teſtimonia ſalutis tuæ, & nunquam apparuerit, quantumvis curta, Diſſertatio domeſticæ peculiaris Medicinæ Burmienſis, qua editionem noſtram me eſſe ornaturum tibi calamo patefeceram? Quale quæſo tibi miſero remanet excuſationis refugium? Qualis inventi ratio te præſervare poterit ab ira mea juſtiſſima? Fortaſſe in medium adduces dirigendæ familiæ cogitationes, laborioſæ Praxis exercendæ frequentiam, aut urbanorum negotiorum, & publicæ quietis machinamenta. Oh cantilenas mihi centies etiam ab aliis refricatas, & doctis hominibus indignas! Valerent hæc omnia, eademque ipſe admitterem, niſi ſtuduiſſes, nec certo conſtaret tua ſcientia a tenuibus uſque annis mihi nota, & ab obſtrepente de tuis meritis fama, nec non ab utriuſque noſtrum amiciſſimi, deque tota Valle Tellina optime meriti nobilis Canonici Petri Angeli Lavizarii monitis mihi ſemper magis confirmata, quę facit, ut ſubciſivis intercalaribus horis, ne dicam momentis, ſatisfacere poſſes. Adde, me unum tantum, vel alterum documentum petiiſſe, quod endemiis morbis, aut remediis inibi peculiaribus, aut vegetantibus quadret, ſoliſque duabus pagellis contineatur. Et tardas?

A Petro Paulo Paravicino ſcriptum video de Thermis veſtris ad radices montis Addulæ ſcaturientibus *inter Abduam*, & *Burmii vicum*, relatumque adeo eſſe calentes, ut *ferveant*, *ova* excoquant, *pullumque galinaceum* deplument. Licet propterea ſulphur, & nitrum, quibus ditatas aſſerit, inflammabilia ſint, ipſumque pulverem pyrium integrantia, tamen in immenſo latice diſſoluta, & particulis aqueis enervata, certus non ſum, utrum tantum calorem concipere poſſint, enarratumque effectum producere: aſſuetus ſum, naturæ, & artis relata miracula ſuſpenſo pede audire, & Philoſophi nimis creduli characterem ſtudeo vitare; ideoque de veritate tu me magis docere poteris.

Tanto magis, quia vehendarum in longinquas regiones aquarum ſtudium in id potiſſimum incumbit, ut evaporatio interdicatur, & ingeniti ſpiritus recte cuſtodiantur. Quod in thermis activiſſimis, & energetica vena turgidis facillimum eſt, ob reſtitantes qualitates, ubi potatæ fuerint, ad agendum requiſitas. Videns inſuper in eodemmet Opere illa verba: *Longa tamen nos docuit experientia*, *quod Balnea* hæc, ſcilicet Burmienſia, *longe efficacius*, *quam illa Maſini calfaciunt*, *exſiccant*, *incidunt*, *diſcutiunt*, *conſumunt &c.* ſuſpicatus ſum, num melius eſſet in regiones has quoque noſtras tuarum Burmienſium adventum ſollicitare, præcipue in hominibus plethorici habitus, in vaſorum plenitudine, in euchymo cibo ſaginatis, obſtructis, ædematoſis, ubi infartus tollendi, & penitiora viſcera expianda ſunt, reſervatis, & in uſum poſitis Maſinenſibus; modus enim in remediis, quando cum minori violentia, ſeu potius cum ſuavitate, & mollitudine procedendum eſt.

Menſis inſuper Maii pro uſu propoſitus contra frequentiorem methodum Siriorum ardorum de illarum aquarum vi admodum ſuadet, & ratione latitantis mineræ, & ratione effectuum in corpore animato.

Hæc, & aliqua alia mihi utiliter explicare poſſes, ut tuæ regionis beneficia cœlitus delapſa innoteſcant, utque omnes quid lædat, quid proſit, te glorioſe, & utiliter præeunte, ſciant. Si hæc facies, de literaria republica optime meritus eris. Sin minus, te etiam invito, jejuna hæc epiſtola cudetur, & vidua ſine reſponſione futuro in opere videbitur. Quid reſpondebis Burmenſibus, Rhæticiſque Philiatris, tuum ſilentium improperantibus? quid morbidis Burmienſes fortaſſe aquas potaturis, ſi qualitates inſitæ, & novis hiſce temporibus reproductæ non laterent? quid denique Patriæ, amicis, poſteris, te unum de ſupernis beneficiis, de tuarum gentium bono, de tollendis præjudiciis, de promovenda valetudine, de juvando proximo, taciturnum, & quaſi dixero inimicum videntibus? Medicus ad alios natus eſt. Negabis fortaſſe, tibi ignotum eſſe pernicioſum morem aliquem a veteribus Medicis in pręſentes tui Comitatus propagatum? Negabis, tibi conſtare peculiarem modum quo ille febricitans, varioloſus, tabidus, tuſſienſque tractandi ſint? In montano illo Griſonum, aut Vallis Tellinæ vico Aquilonem nimis dominari, ideoque admonendos Paganos, ut lana pectus defendant, calidum bibant, & citius Medicum accerſant? Negabis pluries tecum ipſum condoluiſſe, videntem alibi in officina illa non omnimodam diligentiam in aſſervandis nartheciis, antiquorum unguinum, & medicaminum expurganda congerie ſemiplenis? Negabis te pigere, proximum illum vulgarem Medicum in implendis ſchedis nimis eſſe pauperibus oneroſum, teque noſcere plantam il-

lam illum morbum ſine aliis expenſis curaturum; tuiſque demum in pluteis, diligentiſſima obſervationum ſerie elucubratis, multa regeri, & deſcribi, quæ cum publico bono pulcherrimam tuam, & finitimas regiones illuſtrarent. Qui potens damnum non tollit, damni in cauſa eſt. Qui ſilet ea, quæ proximum juvare poſſunt, proximi ruina eſt. Contremiſce, & vale. Sique adhuc non reſcribes, non officia, non ceremonias, ſed vim, & indignationis effectus iterum expecta; iterumque vale.

Brixiæ Octobris 1744.

Illuſtriſſimo Viro

Co: FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

In Brixiæ Civitate doctiſſimo Philoſopho, & Medico

JOANNES BAPTISTA SIMONI

S. P. D.

Redditæ ſunt mihi tuæ literæ, Vir Illuſtriſſime, amoris non minus, quam humaniſſimæ indignationis plenæ, eo quod medicam diſputatiunculam ad te ſcribendi fidem jampridem datam liberare tamdiu diſtulerim. Si me reum moræ judicas, non ægre fero, dummodo invitum credas; plane enim aſſeverare poſſum, jam longo abhinc tempore variis occupationibus, & curis diſtractum, preſſumque fuiſſe, ut Phyſicas meditationes, quas exercendæ Praxis ratio non poſtulaverit, ſeponere coactus fuerim. Adde inſuper, hoc animo mihi inſediſſe, utpote ſapientiæ tuæ, non minus, quam imbecillitatis meæ conſcio, cunctantemque reddidiſſe, vires ſcilicet meas impares fore ad ſcribendum, quod expectationi tuæ, & deſiderio meo ſatisfacere valeret. Verum humaniſſimis tuis juſſis excitatus metum excutio, promiſſa perſolvo, non quia aliquid laude, & commendatione tua dignum præſumam exponere, ſed quia malo ruditate notatus erubeſcere, quam inofficioſus tibi morem non gerere.

De peculiaribus hujus regionis remediis vix aliquid poſſum diſſerere. Pauca in morborum curationibus ſemper cenſui eſſe uſurpanda, uſu & experientia comprobata, atque ab accuratioribus Practicis commendata, illis præſertim, qui neque laboribus, neque ſumptibus pepercerunt, non ſolum ad Artem Medicam a Galenicis præjudiciis vindicandam, necnon ab inepta, & incondita tot remediorum farragine expurgandam, verum etiam ad eamdem ſimplicioribus, tutioribus, & efficacioribus præſidiis inſtruendam. Equidem ſcio, plures arcana magno ſtudio, & labore parata, & infallibilia in deſperatis etiam morbis ſanandis remedia jactare, quorum tamen nunquam ſcrutator fui, neque ullam in illis fiduciam collocandam putavi. Sanabiles morbi, vel a natura optima morborum medicatrice, non neglecto recto ſex rerum nonnaturalium uſu, curantur, vel ab arte medicaminibus facile parabilibus repelluntur, dummodo in iis rite ſeligendis, juſta doſi, & opportuno tempore præſcribendis officii ſui partes Medicus impleat. Ceteros vero naturæ, & artis viribus ſuperiores, per arcanorum uſum deteriores, aut ſaltem non leviores reddi, experientia ſatis docet. Quapropter (ut ad aliquid particulare deſcendam) febrium continuarum, & acutarum curationem, habito ad ſymptomata aliaſque circumſtantias reſpectu, leniter evacuantibus, diluentibus, ſedativis, abſorbentibus, diaphoreticis temperatis inſtituo, hoc unum curans, ut ad debitum, & naturalem motum ſolida, & fluida componantur. Plerumque tamen inter efficaciora, & utiliora remedia, præcipuum locum meretur ſanguinis miſſio, qua non ſolum plethora tum ad vaſa, tum ad vires minuitur, verum etiam præternaturalis efferveſcentiæ, ſive fermentationis impetus reprimitur, & (quod maximi momenti eſt) humoralis maſſæ retardata circulatio promovetur.

Miror ſane plures ceteroquin præclariſſimos Viros, atque de Republica Medica optime meritos in febribus (excepto tantum paroxyſmi principio) auctum ſanguinis motum progreſſivum aſſerere, cum ſententiam hanc neque rationi, neque experientiæ conſonam philoſophica libertate affirmare non dubitem, compertum ex phyſiologicis habemus a recepti in ſuis cavitatibus ſanguinei laticis motu inteſtino, & expanſivo cor, & ſanguifera vaſa, utpote extenſibilibus fibris inſtructa diaſtolem pati; indeque vi, qua pollent, elaſtica ad contractionem niti, ſyſtolemque efficere, per quam idem latex ad progrediendum impellitur; atque adeo per continuas, & reciprocas diaſtoles, & ſyſtoles ſanguinis circulationem conterrari. Ex eo colligitur, quod, etſi ſyſtole quodammodo a diaſtole pendeat, & viciſſim, ut tamen rite, & juxta leges naturæ circulatio abſolvatur, juſta quædam requiritur proportio inter vim fluidi vaſa expandentis, & inter vim vaſorum fluidum impellentium, necnon inter utrorumque reſiſtentiam. Si enim in vaſis debita deficeret capacitas ad recipiendum, aut ſufficiens facultas ad fluidum urgendum; vel fluidum nimia influens quantitate, aut vehementiori motu expanſivo vim eorum contractilem debilitaret; vel contra parcius influens, aut remiſſiori, quam par eſt, motu inteſtino turgeſcens ipſam vim, ſeu potentiam ſatis ad actum non excitaret, vel nimis viſcoſum, & tenax impulſum eluderet; manca ſemper & tardior (ut opinor) atque ad debitas ſecretiones, & excretiones inepta fieret ſanguinis circulatio. His poſitis: quænam unquam datur febris (quæcunque illius tempora ſpectes) in qua laborantis corporis tubuli, vel per preſſionem, ſpaſmum, aut aliquod fluidorum vitium non auguſtentur, vel ob inopiam ſpirituum, & motricium fibrarum toni defectum non relaxentur, vel ab æſtuoſa efferveſcentia præternaturaliter non diſtendantur, vel per motus inæquales partim anguſtati,

aut

aut relaxati, partim nimis expanſi non perſpiciantur? Concludendum igitur erit, nullam dari febrim, in qua progreſſivus fluidorum motus præternaturaliter non diminuatur, cum omnes cauſæ ad injiciendam huic motui moram conſpirent, & effectus cauſis reſpondeant. Quid? ipſa pulſus frequentia in vehementioribus febribus hujus aſſerti veritatem arguit: ſi enim rem perpendimus, pulſus frequentiam, quæ nihil aliud eſt, quam nimis reiterata diaſtole, ex reluctante ſanguine motui arteriarum ſyſtaltico, necnon ex incompleta ipſarum ſyſtole deducere debemus; arteriæ quippe frequentius a ſanguine expanſæ, elatere inſtructæ frequentius quidem, ſed non ſatis, præ nimia ipſius ſanguinis reſiſtentia, contrahuntur, adeoque nec ſatis illum impellunt. Et ſane, dum animati corporis fluida vehementi effervescentia turgeſcunt, & impetum in continentia faciunt, ad complendam ſyſtolem longius certo temporis ſpatium fibris motricibus opus eſſet, quamquod a moleſta pulſus frequentia ipſis conceditur, quo, a juſto contractu diſtractæ, poſſet ſe ſatis ad contractionem colligere, orgaſmum compeſcere, & fluidorum contranitentium reſiſtentiæ momentum ſuperare. Porro ſicuti ſanorum animantium calor producitur a motu ſanguinis inteſtino, ſed placido, juxta leges naturæ determinato, quo principia ſanguinem componentia in juſtam mixtionem, poſitionem, & ſitum rediguntur, non vero a motu circulari, cum (ut bene advertit Clariſs. Cyrillus in annot. ad Ettmuler. T. I. pag. m. 174.) motus recta factus calorem producere minime aptus ſit; ita febrilis a præternaturali effervescentia infertur, qua ipſa ſanguinis principia commoventur, disjunguntur, atteruntur, & activa nimis exhalantur. Ab iſta ſanguinis perturbatione naturales quoque ſecretiones & excretiones in febribus ſufflaminantur, quæ tamen auctus motus progreſſivus potius promoveret; namque, quemadmodum ſanguinem, ita & particulas ſecernendas, & excernendas ad juſtam directionem determinaret. Experientia inſuper nos docet, quantam (quidquid ſtudio contradicendi dicant hæmophobi) utilitatem pleriſque in febribus a ſanguinis miſſione nanciſcamur: cum vero miſſione ſanguinis inſtituta, qui ſupereſt in vaſis liberiorem proculdubio curſum acquirat, & velocius progrediatur; ſi febris eſſentia etiam in acuto progreſſivo motu ſanguinis conſiſteret, quis non videt phlebotomiam non mediocre detrimentum ægrotis fore allaturam? Plura ſuper hoc argumento dicere ſuperſedeo; ſi per otium licebit, alio fortaſſis tempore aliquid de ſtatu ſanguinis in inflammationibus ad te ſcribam; has enim productas a ceſpitante, viſcido, tenaci, lenteſcente ſanguine (ut plerique putant) parumque ideo a tumore ſcyrrhoſo crudo, & indolente diſcrepantes vix crediderim.

Venio nunc breviter ad paucula quædam peculiariora. In morborum pectoris curatione, pro qua ſumenda ſit indicatio ſalia acria temperandi, ſpaſmodicas contractiones relaxandi, & effrænas fluidorum effervescentias compeſcendi, familiaris mihi eſt uſus florum violarum alpinarum magno ægrorum emolumento; oleo enim, & ſucco quo conſtant anodyno, & ſale volatili temperato junctis indicationibus perbelle ſatisfaciunt. Cum vero duobus annis proxime elapſis moleſtiſſima ad convulſiva tuſſis pueros in hac ragione indeſinenter vexaret; plura quidem artis præſidia fuerunt in uſum vocata, leniter laxantia nempe, pectoralia, anodyna, opiata, oleoſa, antiſpaſmodica, abſorbentia, denique ea omnia, quæ paſſim ad hunc, & huic analogos morbos debellandos ab auctoribus efficacia prædicantur: ſed ſpem, & expectationem curantium fruſtrabantur. Rebellis, & contumax perſeverabat tuſſis, atque, brevi interveniente intermiſſione, tyrannidem ſuam exercebat: Vehemens bronchiorum ſpaſmus imminentis ſuffocationis metum incutiebat, inappetentiæ, vigiliæ, languores, vomitus, febres lentæ, epilepicæ convulſiones ſuperveniebant, pluresque diuturno morbo conſumpti e vita decedebant. Demum tot remedia, ipſum muſcum pyxidatum a præclariſſimis viris magnis encomiis celebratum, ipſamque tincturam, conſervam, infuſionem violarum alpinarum fruſtranea expertus, harum in pulverem redactarum periculum facere decrevi. Hoc igitur cum abſorbentibus mixto interdiu, & noctu pluries ab ægris ſumpto, brevi temporis ſpatio morbum remitti, ægroſque integræ ſanitati reſtitui mirabar. Mirandum fortaſſe magis ſimpliciter ita præparatas profuiſſe, per ceteras vero præparationes optatum effectum nou præſtitiſſe. Ex hoc eruitur, aliquando remediorum vires, non in principiis de ſe invicem ſejunctis, ſed in naturali craſi, textura, & principiorum ipſa conſtituentium unione præcipue conſiſtere, quæ per præparationes, & aliarum rerum additiones poteſt interdum deſtrui, vel enervari. Non minorem pro præſervatione, & reſtitutione ab aliis dolorificis, & ſpaſmodicis affectionibus efficaciam deprehendi in millefolio Alpino, quod ab aliis Iva moſchata appellatur. Creſcit in altioribus, & aridioribus montibus, ſaporem habet amarum, temperate aromaticum ſubadſtringentem, ſuavem moſchi odorem ſpirat; principiis idcirco pollens, quibus acidos, & acros ſuccos in primis viis hoſpitantes temperet, & obtundat, ſalia morboſa fibris nervoſis intimius inſinuata demulcet, & ad tranſpirationem diſponat, non ſolum ſpaſmodicas contractiones relaxet, verum etiam nervoſum genus in juſta firmitudine, & tono conſervet. Experimento etiam didici, decoctionem paronichiæ folio rutaceo (quam mihi jampridem celebraverat nobilis, ac eruditus Vir Canonicus Petrus Angelus Lavizarius utriuſque noſtrum Amicus) quod longum tempus epotam epilepſiæ paroxiſmos retardare, breviores, & mitiores reddere, atque huic finitimas affectiones, prætetmiſſis univerſalibus, interdum quoque ſuperare. Placuit quorumdam tantum, & ſimplicium remediorum in curandis convulſivis, & ſpaſmodicis affectionibus uſum innuere, ut intelligas, quid ſentiam de remediis in ceterarum ægritudinum curatione adhibendis. Simplicia amo, quia ſimplicitatem amat natura; nec vilia æſtimanda, quia obvia; pretioſa ſatis, quæ reparandæ ægrorum ſaluti ſint accomodata: non

enim

enim natis ex ingenio ratiunculis nixa, non ſeſquipedalibus titulis inſignita, non magna artis induſtria elaborata; ſed ipſo facto uſuque comprobata in pretio habenda.

Jam vero, ut genio tuo obſequar, Thermarum Burmienſium hiſtoriam, & proprietates paucis indicabo. Quam abſurda, & falſa de his ſcripſerit Petrus Paulus Paravicinus, ſeu potius ſomniarit, jamdudum Vir doctus (quantum ſuorum temporum ferebat conditio) & conterraneus meus Gaſpar Sermundus in Præfatione ad ſuam de Thermis Burmienſibus diſſertationem dilucide ſatis oſtendit; imo ex mox dicendis, Paravicinum præconceptarum opinionum caligine occæcatum, aut fingendi libidine correptum ſcripſiſſe, facile poteris dijudicare. Scaturiunt duorum milliarium ſpatio procul ab oppido Burmii ad radices montis Bralii, non Addulæ (utpote montis in ſuperiore Engadina ſiti, per longos montium tractus a Bralio disjuncti) aquas vehunt ſatis copioſas, inſipidas, & prorſus inodoras bibentibus, ad tactum lenes, non unctuoſas, limpida, & cryſtallina pelluciditate inſignitas, quæ, in ipſis calidis hypocauſtis, vitreis vaſis probe obturatis exceptæ, ſatis diu a corruptione ſervantur immunes, pauca tamen materia ſubalbida ad formam nubeculæ laxe ſibi cohærentis fundum verſus labente. Perenni, ſenſibilique calore præditæ ſunt, jucundo potius, quam moleſto pueris ipſis, & iis, qui tenerioris, & exquiſitius ſentientis ſunt conſtitutionis. Major ægrotantium pars ad has Thermas æſtivis menſibus confluit, quibus noſtra regio ſalubri, & miti aeris calore perfruitur, non perpetuo Boreæ afflatu divellitur, ut Paravicinus fabulatur.

Ceterum mirum eſt, quam incongrua, & aliena principia, & ingredientia his thermalibus aquis ineſſe pro arbitrio finxerint Auctores, quotquot aliqua de iiſdem monumenta divulgarunt, nitrum nempe, alumen, vitriolum, & quædam metalla, quorum tamen ne veſtigium quidem in illis reperire quis poterit. Experimenta quippe, & tentamina quædam cum D. Andrea Sebregundio perito Chymiatro obvia, & ſimpliciora ſuſcepimus, quibus (ni fallor) vera, & genuina dictarum Thermarum elementa deprehendimus, atque falſas Scriptorum, & vulgi opiniones luculenter detegimus.

Immiſſum aquæ recenter e fonte extractæ inſtrumentum hydrometricum altius valde mergitur, quam perfrigeratæ, tunc enim paululum gravior deprehenditur frigida aqua fluviatili eodem inſtrumento explorata. Affuſo ſpiritu vitrioli nulla effervescentia exorta eſt. Admixto ſyrupo violarum, violaceus tantum emerſit color, inſtillatis inde aliquot guttis ſpiritus vitrioli, intenſe rubeus apparuit, qui, additis aliquot olei tartari per deliquium guttis, in viridiuſculum commutatus eſt. Inſperſus gallarum pulvis aquam tinxit ſuccineo colore, quem additus pulvis vitrioli in atrum convertit. Solutio mercurii ſublimati nullam in colore, & pelluciditate mutationem induxit. Affuſum oleum tartari per deliquium aquam ſtatim turbidam, & lactitantem reddidit, albamque materiam præcipitavit. Magnam hujus thermalis aquæ quantitatem igni commiſimus ad evaporationem inſtituendam, qua ad ſiccitatem peracta, ſubducto calculo, ſingula medica aquæ libra grana circiter tria cineritii magmatis ſalino-terreſtris cum quocunque acido, & ſubacido fermentantis ſuppeditavit. Poſt debitam encheireſim invenimus hoc magma compoſitum ex duabus circiter partibus terræ ſubtilis, mollis, inſipidæ, cineritiæ, & una ſalis craſſi ſubflavi in aere libero facile diſſolubilis; hocque ſal non minus, quam terram cum quocunque acido tam miti, quam forti effervescere, amarumque ſaporem acquirere comperimus. Ejuſdem ſalis iterum in aqua communi diſſoluti, & in vitro calidæ fornaci impoſiti duæ ex tribus partibus circiter ſalſo-amari ſaporis, translucida veluti cryſtalla vitri parietibus adhæſerunt, vix cum acidis effervescentiæ inditium præbentia; remanente aqua craſſa, & unctuoſa, majorem copiam ſalis e ſinu ſuo dimittere recuſante; quæ deinde ad ſiccitatem evaporata reliquam ferme tertiam partem ſalis præbuit, diverſæ tamen naturæ, ſpongioſi ſcilicet, levis, & ſubflavi, quod igne fundebatur, albeſcebat, atque ita inde indureſcebat, ut difficile poſſet diſſolvi: inſuper ſyrupum violarum viridi tingebat colore. Plura alia adornata tentamina longum nimis eſſet recenſere; ex relatis ſatis conſtare arbitror, in Thermis Burmienſibus neque nitrum (quod ſub terra probabilius non gignitur) neque alumen, neque vitriolum, neque ullam cujuſcumque metalli particulam hoſpitari, ſed ſubtilem terram calcariam, ſal quoddam medium ſali alcalino ſociatum deliteſcere.

Quamvis tamen argentum fuſco, aut nigro non inficiant colore, neque poſt omnimodam exhalationem ullum inflammabile concrementum relinquant, cujuſdam nihilominus ſulphuris particulis imbutas eſſe minime dubito. In balneis enim ſive thalamis, in quos corruentes aquæ thermales recipiuntur, magma grave (lutum vocant) pavimento adhærens invenitur, cineritii coloris, ingratique odoris, argentum nigro colore tingens: exſiccatum lapideam ferme duritiem contrahit, & igni admodum, denſo & ſulphureo fumo exhalans inflammatur: in pulverem redactum, ſuperaffuſa aqua forti, plures bullulas emittit, vehementerque effervescit: cum aceto nulla, cum ſpiritu vitrioli vix ſenſibilis, niſi per fetidi odoris exhalationem, effervescentia excitatur: ſi vero hic pulvis cum æquali nitri portione miſcetur, vivis carbonibus impoſitus levem ſtrepitum edit. Quemadmodum ergo ex allatis tentaminibus clare innoteſcit, lutum a thermalibus aquis depoſitum ſulphure eſſe refertum, ita eaſdem quoque ſulphur in ſinu ſuo fovere neceſſario erit concludendum; præſertim cum vapores continuo ab aquarum receptaculis erumpentes miti quodam ſulphureo, quem ſpirant, odore luculentum inditium præbeant. Hoc autem per indeſinentes fermentationes ita reſolutum, in minimas particulas diviſum, & quodammodo volatile in aquis hoſpitari crediderim, ut guſtui, & tactui inſenſibile reddatur, & per evaporationem ab ignis vi impulſum in auras evaneſcat.

Verum

Verum aliud quoque principium in ſenſus non cadens, ſed ceteris nobilius, & efficacius, ſpiritùoſum nempe, Thermas Burmienſes (ut ita dicam) vivificare non eſt dubitandum. Si enim aquæ recenter e fonte in vitrum receptæ copioſiſſimas bullulas glomeratim aſcendentes reſpicimus, ſi vim, a qua vitrea vaſa iiſdem aquis repleta, & arctius obturata perſæpe diſrumpuntur, perpendimus, ſi earumdem in vaſe aperto refrigeratarum deperditam prorſus efficaciam, & notabilem brevi temporis ſpatio factam in quantitate diminutionem intuemur, cuncta hæc phænomena non ab alia cauſa, quam a tenui, activo, & elaſticæ indolis in Thermis contento ſpiritu proficiſci, nemo non intelliget.

Ab hoc ſpiritu ceteris principiis interiore commixto, non parum levitate, tenuitate, & calore aquarum ſuffragante, mirabilibus propemodum virtutibus ita inſigniuntur Thermæ Burmienſes, ut contumaciſſimos etiam morbos, accuratiorem artis induſtriam fruſtratos, earum ope profligatos perſæpe mirati fuerimus. Externe adhibitæ cutaneam membranam blando fovent calore, ejus tubulos patulos reddunt, nerveas, & tendineas fibras leviter ad motum excitant, iis demum inſtructas eſſe principiis patet, quibus facultatem habent non ſolum ſolida nimium tenſa, & conſtricta roborandi, verum etiam relaxata, & debilia firmandi, & roborandi. Per cutis vero meatus ſanguini inſinuatæ ad intimiora corporis pervadentes aqueæ particulæ viſcidos lentoſque humores excutiunt, attenuant, ad motum impellunt, liberiorem in externas partes ſanguinis influxum promovent, perſpirationem intendunt, ſæpeque copioſos ſudores educunt.

Præſtant itaque Balnea in morbis ſpaſmodicis, doloribus iſchiadicis, articularibus, rheumaticis ligamentorum indurationibus, contracturis perſanandis, nec minus in paraplexia, hemiplexia, tremore, torpore, paralyſi artuum expugnandis. Duros & crudos tumores emolliunt, atque vel reſolvunt, vel ad ſuppurationem diſponunt, cutis defædationes extergunt, ipſamque ab acribus ſalibus exeſam & eroſam vi quadam, qua pollent, balſamica conſolidant. Longam mulierum ſterilitatem horum Balneorum uſu aliquoties vidi ſublatam: menſibus (ſicut & hæmorrhoidibus in viris) defectu vel copia, chloroſi, fluore albo laborantibus efficaciſſime opitulantur: demum tot mulierum morbos mederi has Thermas docuit experientia, ut antiquis temporibus mulierum Thermæ appellarentur. Potu autem in debita copia ſumptæ hæ aquæ thermales facile citoque alvo, & veſica redduntur, ſine torminibus, ſine noxa, nullaque virium diminutione, ventriculum, & inteſtina a crudis, acidis, & biliosis hæreſcentibus ſuccis, atque a verminoſa colluvie expurgant; æſtum & ſitim reſtinguunt, appetitum excitant, ac corpus univerſum grato quodam refrigerationis ſenſu profundunt. Quapropter hyſtericis, & hypocondriacis affectionibus, ventriculi, & inteſtinorum morbis, viſcerum obſtructionibus, renum, & veſicæ vitiis, aſthmati tum ſpaſmodico, tum humorali operam ferunt eximiam. De cautelis circa harum Thermarum internum, & externum uſum nihil addo, ne patientiæ tuæ moleſta, & ſapientiæ injuria prolixitate epiſtolæ limitem prætergrediar.

Habes, Vir Clariſſime, rudem, & inconcinnam elementorum, & virtutum Thermarum Burmienſium ſynopſim, quam quidem ſapientiſſimo Viro exhibere puderet, niſi ab humanitate tua imbecillitati meæ veniam me conſecuturum fore ſperarem. Hanc itaque, & alia, qualiacumque ſint, quæ ad te ſcribo, benevolo animo meæ erga te obſervantiæ in pignus excipias, meamque ſaltem tuis juſtis obtemperandi voluntatem approbare non indigneris. Deus te diu incolumem ſervet ad Patriæ, & Familiæ tuæ decus, & ornamentum, ad Amicorum tuorum gloriam, & voluptatem, ad Artis Medicæ ſubſidium, & incrementum. Vale.

Burmii

VALLISTELLINA

ET PER EANDEM AUCTORIS ITER

Anno 1735 menſe Septembris Brixiam pervenerunt literæ, per equitantem hominem tranſmiſſæ, hortantes, & quaſi vim facientes, ut iter verſus Vallem Tellinam ſuſciperem, ibique opinionem meam circa difficillimæ curationis morbum, quo torquebatur primarius, & ampliſſimus inibi Vir Joannes Antonius Omodei, in Patavina olim Univerſitate Sindicus meritiſſimus, aperirem. Ut vera fatear, hæſi aliquot horis incertus, a domeſticis, & medicis in Brixiana Patria urbe curis diſtractus, & quaſi dixero a centum milliaribus, quæ intercedunt, equitatione, & navi faciendis perterritus. Verum eundi conſilium vicit, non minus, ut Nobili Ægroto, id poſcenti, morem gererem, & pulcherrimam regionem viderem; quam ut dilectiſſimum inibi amicum amplecti poſſem, quod jam diu in votis erat, nempe clariſſimum virum Petrum Angelum Canonicum Lavizari, editis Operibus, Patriam præcipue ſuam illuſtrantibus, toto orbi celeberrimum.

Prima itaque die ad pagum Iſeum in Sebini lacus riperia poſitum me contuli, mediaque quadriremi totum lacum tranſnavigavi, & feliciter ad portum *Piſogne* appuli. Secunda vero die in Camunorum Vallem cum ad plateam Breni perveniſſem, occurrit mihi dilectus, & plurimis de cauſis, mihi perquam maxime colendus, Dominus Zaccaria Trinali Brixianam juriſdictionem Vicariatus inibi glorioſe ſuſtinentis, qui cum inter epulas tanto magis gratas, quanto minus in regione illa expectatas, prandere amicabili, & humaniſſima vi coactus fui. Sic tamen, nec adeo fœliciter, res ivit ſerotina ejuſdem diei hora, transfretata ſcilicet majore vallis parte; quandoquidem in Cedegoli vico abſentem reperi egregium, obque avita illis in regionibus latifundia plurimi habendum Virum

Ludo-

Ludovicum Panzarini, ideoque in caupona, ne dicam fumida tabernula noctem tranſigere debui. Quod anſam dedit, ut ſummo tertio mane itinere ſumpto, & ſuper Edolum vitata perdifficili ſiniſtra via (vulgo Zapelli di Briga) altiſſimum potius montis apicem, ad itineris frontem aſcendere opportunum duxerim, ad cujus initia facto prius jentaculo in vico *Mon* ex pane ſecalis furfuroſo, nucibuſque juglandibus, tandem hora vigeſima prima ad ſummitatem pervenimus, & Vallem Tellinam, prout refracta montium poſitio ſinebat, intueri potuimus. Hinc quieto magis animo deſcendentes, fruſtraque non ſine mœrore, ob abſentiam quæſito in vico Madii amico noſtro D. Petro Angelo Lavizario, tandem properante nocte, currentibus equis ad Sernium pervenimus, ubi nobilis ægrotus decumbebat, & nos expectabat.

Adſtabant, & viciſſim, prout neceſſitas urgebat, redibant duo in arte Medica illuſtres Viri, qui in primariis Italiæ Gymnaſiis Scientiarum inſtitutiones delibaverant, ſcilicet D. Antonius Quadrius Brandari ex Ponte, atque ex nobili Familia, nec non Dominus Joannes Baptiſta Simoni Burmienſis, quicum Rhetorices curriculum Brixiæ nos ipſi fecimus.

Ambo me graphice docuerunt de morbo, de ſymptomatibus, quibus ſeptuagenario major vir, calidæ, & fervidæ conſtitutionis vexabatur. Quod uno verbo dici poterat, eſſe febrem hecticam ſenilem, jam a tribus menſibus inchoatam, & indeſinenter ſævientem, cum aliquibus veſpertinis exacerbationibus, ſiti, languore, anorexia, carniumque conſumptione, adeo ut oſſibus vix hærere videretur.

Nec ſiluere, jam antea vix mille paſſibus remotos Tirani Medicos ſenſiſſe a latentibus obſtructionibus rebellem ægritudinem pendere, ſolo rhabarbari uſu averruncandam: quod tamen cum viſcerum tactui, & bene multis ſubinde natis accidentibus non quadraret, ſtetit Quadrii, & Simoni indubia opinio, a nobis etiam approbata, ab accerrimo ſalium dominantium genio, ab in dies adaucta totius maſſæ ſanguineæ diſſolutione, ab effœtis canalium valvulis, & viſcerum fermentis; ſed præcipue a ſulphureæ bilis æſtu, ob multa perpeſſa animi pathemata, liquidorum æquilibrium ſublatum fuiſſe; adeout totus cruor ab inſitis etherogeneis particulis perenni agitatione fermenteſceret: agitatio hinc continua, atque a biliofis per chylolymphicas venas additamentis, veſpertinus tumultus ſuſcitaretur, inde febris periodica.

Ab hoc circulo, natura, vel arte nondum ſublato, totus pendebat in nobili Viro agitationis labor, & juſtæ formidinis fundamenta. Ob quod noſtræ fuerunt meditationes, ut corrigendæ bili conſuleretur, ut ſalium dominium remedia hebetarent, ut inteſtinæ agitationes pacarentur, ut denique nutritio non deficeret. Quatuor propterea fundamentis, aut ſi mavis remediis meditata curatio innixa fuit.

Primum, deſtillato magiſtrali B. M. elaborato ex herbis, & floribus pectoralibus, dulcificantibus, radice chinæ, pullo, ranis, & lacte.

Secundum, lacti artificiali ex amygdalis, & ſeminibus frigidis.

Tertium, gelatinis ex raſura eboris.

Quartum, teſtaceis abſorbentibus, & pulveribus alkalicis in tenuiſſimum pollinem redactis.

Inſtavi inſuper, & ſuadendo Auctor fui, ut citius quem fieri poſset, ſolutis periodicis inſultibus, & moderata febri, illico ad viperinum reſtaurum fieret tranſitus. Urgebat ſiquidem indicatio reficiendi vires, erigendi fibram, ut hinc majori vigore oſcillans urgeret melius ſanguinis circuitum, & etherogeneitates ad ima emiſsaria felicitus deportarentur.

Abſoluta conſultatione, & ſtatutis, quæ circa curationem facienda erant, Nobilis amicus noſter Canonicus Petrus Angelus Lavizari favere voluit, ut una equitando iremus ad Templum Beatæ Virginis prope oppidum Tiranni, quod videns, exclamare debui: cur civitas non es? Ædium quippe magnifica conſtructio, viarum directio, & latitudo, rhedis, carruciſque pervia, populorum inhabitantium frequentia, & mercimonii abundans proventus, a Sancti Michaelis nundinis prope templum eo magis adauctus, cultioris veluti urbis faciem præſeferebant.

Ampla vero, & magnificentiſſima Beatæ Virginis Baſilica anno uſque 1504 incepta, nuncque feliciter ad perfectionem redacta, ſola meretur, ut a longinquis regionibus homines accedant. Ob ejus quandoquidem ſtructuram, materiam ars, artem & materiam, ratione ſitus, viciſſe ingenium videtur. Proportio, majeſtas, marmora, projecturæ, parietes, ſuo tempore pulchro peripetaſmate conveſtiti, picturæ, oſtia, lumen, margines, lucernæ argenteæ, aereæ, & candelabra mirum in modum elaborata, certatim concurrunt, & inſpicientium animos oculoſque adeo tenent, ut admirabundi, & ſtupentes, nec quid magis laudare ſciant, nec quid corrigere, minuſque diſcedere poſſint.

Internis hiſce architecturæ, & ſacrarum utenſilium ornamentis adjungitur, magnaque patet extra templum platea, profuſo ære, ob inæquale alias, & a flumine dirutum, impeditumque fundum, in horizontale nunc ſolum complanata, quam umbratilis deambulatio circumdat, ob longam ædificatarum poſtremis hiſce annis porticuum ſtruem, anniverſariis præſertim ſolemnitatis diebus utiliſſimam, ubi omne quod vehitur, tutum eſt, & populus a repentinis etiam imbribus tutus manet.

Noſtrum non eſt hiſce in rebus divertere, ſed libere fateor, me plurimum internæ lætitiæ perſenſiſſe, hoc in venerabili Sacrario videndo, & venerando.

Ad nos redeundo, & intra Medicæ Scientiæ confinia ſubſiſtendo, laudanda venit methodus, qua illis in regionibus Medici utuntur; quos cum viderim doctos, & practicos, nihil invenire poſſum,

quod

quod addendum ſit. Tanto magis, quia multis in locis diſtributæ adſunt aromatariæ Officinæ continuo commeatu a præcipuis urbibus Mediolano, Novocomo, Bergomo, Helvetia, Rhætia, ſi opus eſt, medicinales proviſiones & aromata recipientes: abundant ſimplicia cujuſcunque generis, quinimo ſummis activitatibus fœcunda: germinant ſapidiſſimi fructus: quæ omnia, & ſoli felicitatem probant, & hominum incolumitatem ſummopere juvant.

VINA, ACETUM

INter cetera, quæ noſtram admirationem meruerunt, fuit vitium frequentia, adeo ut in ſummis etiam, acceſſu difficillimis, montium apicibus eædem virides, & per ſeriem, humiliter quidem diſtributæ, paliſque adiutæ, & innixæ ſuperbirent. In apricis vero hortenſibus locis, ſuburbaniſque prædiis e directo in pergulas compoſitæ utilitati addunt oblectamentum, adeo ut vindemia unus ex primariis redditibus illius regionis ſit, Valliſque Tellinæ vina in proximas provincias exportentur.

In quibuſdam imo locis, & peculiari arte aromaticus ſapor in illis promovetur, qui inſuper in aceto dulcis, & exquiſitus ſit, palmamque ceteris omnibus præripit.

Num vero vina illa æſtum ſanguini conciliare poſſint, num de latenti aliquibus in locis ſulphure, & aluminis ſalibus dubitandum ſit, num ſola chalybeata effluvia, ab aliquibus fodinis, & mineralibus aquis indicata, eadem utiliter alterent, & tranſitionem coadiuvent; num nitroſa in terræ glebis, ſaxeiſque ſtratis abſcondatur ſpecificæ activitatis vis, quæ in uvas propagata magis ſpiritale reddat merum; num Solis directa facies alicubi magis polleat, num ſtraminum energia terram magis vivificet; num Vitiſatores talem diligentiam adhibeant, ut electiores tantum vites, & propagines plantent; num ſectos, collectoſque uvarum racemos, & botryones Soli exponant, vel in altis ligneiſque tabulatis aſſervent, ut, conſumpta aquea humiditate, ingeniti aromatici ſapores magis exaltentur; num aliqua muſti pars in ſapam coquatur, quæ vino, & fortaſſe etiam aceto, ſuperaddita ſaporis dulcedinem imprimat; num patrium, & arcanum, num exoticum, & perſonatum aliquod natura, vel arte paratum embamma intrudatur; num montana illius aeris qualitas conſpiret, non ſatis notum nobis eſt. Illud tantummodo unum non ignoro, peculiaria beneficia celitus eſſe delapſa, & alternis regionibus diſtributa, ut coacto commercio una urbs, delicias, bona, & bene multas felicitates ab altera mutuaret, & viciſſim reciproca neceſſitate rependeret.

LAC

SEcunda inter alias baſis, cui innituntur divitiæ, & ſuſtentamenta populorum Val-Tellinenſium eſt abundans lactis proventus ob aprica, montanaque prata, quæ inibi virideſcunt, ideoque fere undique proſtant mandræ bubiles, caprariæ, oviles, quibus lactaria omnia abundant, & in frequentiſſimo, ne dicam neceſſario uſu ſunt. Quod utique utiliſſimum erit, dum illo ſolum multoties vita hominis poteſt ſuſtineri, cum ob ſolum lac omnes viventes vivant.

MEDENDI METHODUS

NEceſſitate igitur quadam vinum, & lac primaria erunt in illis regionibus alimenta. Quæ regulari menſura, & ſine exceſſu in uſum poſita, dubium non eſt, ſummæ ad humanam œconomiam utilitatis, bonique alimenti eſſe futura. Verum gula, & neceſſitas delirare facit homines, ideoque binum hoc bonum veneni naturam interdum poteſt induere. Sique, ut jam memoravimus, in illo vino latet ſpiritalis aromatica vis; nemo non videt, populorum ſanguinem facile accendi poſſe. Ex quo morbi acuti, & inflammationes in promptu erunt. Hinc ad venæ ſectionem tanquam palmarium remedium Medici devenire debebunt. Cumque a vinoſo tumultu non ſolus cruor, ſed totum ſiſtema nervoſum vellicari poſſit, abſentibus fortaſſe in temperamento viribus illis, quæ longam remediorum adminiſtrationem ſuſtinere valeant; ideo primis præſertim diebus ſecanda vena erit. Sero alioquin occaſio calva. Intelligenti pauca.

Adagium, quod fertur, de jure parvæ pullæ refricari poteſt de lacte *omnes humores adæquante*; verum in illis, quæ vini abſtemii ſunt, non modicas lac poteſt offendere difficultates, & incurſus ob quos corruptum, & a perfecta ſua craſi abſcedens multigenos infartus in viſceribus efficere poteſt, ob quos ægrotatio in promptu ſit. Hiſce in caſibus curationes non ſemper lanceola ſuſcipiendæ ſunt; ſed diſtinctio per repetitas obſervationes facienda, primis num in viis materia tumultuet, ab iiſdemque periodicus furor in maſſam ſanguinis per chylifera vaſa elutrietur. Quod clare probat febris penitus, aut quaſi intermittens. Quo caſu amarent vellem Medici illius regionis, poſt catharticum, potiones dilutas calidas alicujus aquæ leviter mineralis, juris paſſulati, vel nitrati, & ſimilium, ad hoc, ut latentes in viſcerum, & inteſtinorum diverticulis, & latebris amurcæ, & a corrupto lacte concretæ viſciditates, ſolverentur, faciliuſque per inferius emiſſarium ſecederent, per epicraſim ſubinde, ammoniaco, rhabarbaro, & aloe, ſi opus eſt, repurgatis ipſius ſanguinis magis intimis penetralibus, non intermiſſo alkalium uſu, magni Baglivii documento, ut impreſſa a lacte aciditas amoveatur.

Sin vero a lacte, & a vino ſimul, aliiſque cauſis procatharticis, ſed præcipue a dominantis aeris qualitatibus, endemico, provincialique afflatu morbus aliquis ſurgat, clademque huic vel illi minitetur; tunc ſane in arena conſilium capiendum eſt; totaque Medicina ictu oculi percurrenda, ut

caute, & utiliter ad exequenda Medicus accedere poſſit. Diſtinguendo præſertim nobiles a pauperibus; ſicuti enim vivendi norma, temperamentorumque originaria indoles, ita quoque medendi modus toto, ut ajunt, cœlo diverſus eſſe debet.

Interea jam animadvertens, ſupervacanea eſſe commenta noſtra, ubi electa Medicorum manus populorum valetudini præeſt; jamque ſpatio trium dierum multoties viſo nobili Ægroto noſtro in Sernii vico, &, repetita coram iiſdem doctiſſimis Viris Simoni, & Quadrio (a quo documentum receperam, ne illa in regione unquam a clypeo abſtinerem) obſervationum ſerie, confirmatis, quæ ſuperius diximus, circa pathologicos, & therapeuticos ordines, de diſceſſu loqui neceſſarium duxi.

DISCESSUS A VALLETELLINA

LAborioſi tamen priſci itineris memor de alio reditu cogitatum eſt, ſuſcepta via per alterum ampliſſimum Vallis Tellinæ ramum, qui ad Larium lacum tendit, Abduamque nunc proxime, nunc parum remote obſecundat, in hunc primarium finem, ut illam etiam regionis partem videre poſſem. A Sernio igitur ad Pontem, Sondrium, & Morbonium pervenimus, & undique admirati ſumus, illo adhuc tempore videntes agrorum fertilitatem, felicioribus terris non ſecundam: quodque novum fuit, immenſam, plano ſolo, aliquibus in locis, vallis latitudinem, adeo ut in oppoſitas montium fere undique nemoroſorum radices oculus difficillime perveniret.

In vico tamen Morbonii deſilire equo debui, accitus jam antea, ut medicam viſitationem facerem prænobili Viro Abbati Pallavicino, affectione hypochondriaca tunc laboranti. Quo coram per ſolidam horam ſedens, poſtquam opinionem meam circa morbum ſuum aperuerim, perfectiſſimo ſuccolate potionatus refectuſque diſceſſi, & meridiana hora, *Forte Fuentes* ex dextera parte relicto, ad Larium lacum perveni.

Cum autem ibi amplam navim non reperiſſem, quæ equos, famuloſque contineret, duas naviculas ſeligere debui; & quidem optimo concilio, ne dicam fortuna. Quia vix relicto, per ictum ſclopeti, littore unus ex equis irrequietus, conductus, & calcitrans, & circumſtantis aquæ vortices, & tumultus reformidans, duobus retro pedibus extra ligneam ſpondam in aquam immerſis, de tota navicula equos ducente ſuffocata, & demerſa pertimui. Duobus ſcilicet naviculariis, periclitanti equo auxiliaturis, oneris cum majori periculo pondus in uno tantum latere efficientibus. Hinc brevi oratione ſolutis Deo precibus, quod in altera navigarem, ad ravim uſque, quia aliquot paſſibus diſtans, exclamare debui, & admonere, ut libere ſinerent equum perire, ſed homines in altero naviculæ latere majus æquilibrium promoverent. Hoc in anfractu, ſuperis annuentibus, mirabiliter equus uncis anterioribus pedibus navim magis nervoſe prenſavit, poſticamque corporis partem jam demerſam, jactu quodam recuperans, & reſultans, ſupra lignum inſilivit.

Facto ſubinde ad Bellani littora appulſu, iter Vallis Saxinæ Mediolanenſis tenuimus, & per duos dies in vico Barconi quievimus, prædia noſtra inviſendo, ſed multo magis amicos, & nobiles inibi viros, nempe Joannem Mariam, & Michaelem Angelum Manzoni, Cæſarem Fondra, Cæſaremque Baruffaldum, quos amoris cauſa nomino, ſemperque colam, dum ſpiritu fruar.

VALLIS SAXINA

INIBI etiam, utpote notum, me non otioſum habitatores illi reliquerunt. Cumque lac, caſtaneæ, nuces juglandes, miliique farina præcipua ſint ciborum fundamenta, per conſequens cum pallidulo vultu, & artuum debilitate, cutiſque ſquallore, ne dicam ædemate, facili negotio incidunt in cachexias, hydropes, gulæque lentos, penduloſque tumores; qui morbi cum paulatim fiant, & nonniſi ſero Medicus vocetur, per conſequens ſunt difficilis curationis. Multos inſuper inibi vidi, morbis pectoris laborantes, vel acutis, tempore hyemis, ſi duris, aerique expoſitis laboribus, ob neceſſitatem, incumbant; vel lentis, reliquo tempore, ſi reſpirationem agunt in fumidis, umbroſiſque locis, aut bibere debent aquas illas crudas, ex nivibus deciduas, atque a ſolis radiis non verberatas: ob quæ omnia morboſæ amurcæ in ſanguine producuntur, & fibra ſummopere enervatur.

Iiſdem de cauſis fiunt etiam multi morbi organici naſcentes, qui arte non expurgati, frequenter in fiſtulas abeunt, & ad noſocomia Mediolani amandandi ſunt, ut curentur.

Frequentiſſima hæc illius regionis præjudicia tollere difficillimum eſt, præcipue ob anguſtas inhabitantium res.

In affectionibus cachecticis, & ut dicebam, ad hydropem properantibus, laudavi rhabarbarum, chalybem, & vina medicata, ut fibra erigeretur.

In acutis pectoris morbis ſolam ſanguinis miſſionem primis diebus, proindeque ſollicitandam ſummopere expuitionem. Inibi enim vidi multos tuſſientes valetudinarios ad ſenectam etiam pervenientes.

Fiſtuloſis vero, quos pigebat relinquere ſine remedio, auctor fui, ut montanæ illius regionis Chirurgi medio ſiphone injicerent in fiſtuloſos cuniculos ægyptiacum in vino diſſolutum, ſpiritum vini euphorbio alteratum, aut denique aquam calcis, cum lapide medicamentoſo Crolii, aut ſublimato; balſamo deinde Arcei conſolidationem promovendo.

Nimis longum eſſet dicere quæ propoſui. Quare tertia ab adventu die, ſummo mane equitans ad Brixianam patriam me converti.

Ornatiſſime, ac doctiſſime Comes

QUOD *a me petis, Vir ſpectatiſſime, accenſerine debeat Italiæ Vallistellina, an vero Germaniæ? expoſui in Hiſtoria de eadem a me edita. Non jacemus quidem ultra montes, ſed Rhætiæ dominanti jungimur & a Geographis, & a Romana Sede, quæ nos committit Legato ſuo ad Helvetos, & Rhætos. Graphice eam tibi deſcribam Pontificiis verbis Gregorii XV, & Urbani VIII. ex Brevibus ſuis, uti vocant, datis.* Dilectis filiis ſuis Gubernatori, & Magiſtratibus, *cum anteacto ſæculo in Libertatem ſe vindicaſſent Vultureni. Die 9 Maii 1623 poſt Apoſtolicam benedictionem exponit primus:* Quanti fiat apud potentiſſimos Principatus Vallistellinæ populus, hæc hominum ætas cunctis nationibus teſtari luculenter poteſt. Nam tanti momenti in iſtis Alpium clauſtris eſt opportunitas locorum, & Incolarum virtus, ut unius Vallis poſſeſſio univerſæ fere Europæ arma committere poſſit, Italiæque pacem vel miſere dirimere, vel feliciter confirmare: *Secundus vero ſub die 22 Junii 1624 ſalutat Valtellinenſes tanquam* Aſſertores Libertatis, & Propugnatores Religionis, *exinde concinit.* Tanti enim Regionem iſtam, & Locorum opportunitate, & Incolarum virtute fieri videmus in Europa, ut unius Vallis poſſeſſio potentiſſimorum Regum concordiam dirimere, & ferociſſimarum nationum arma committere poſſit. *Non abs re, Clariſſime Comes, vocabis Vallemtellinam pro ſociabili nexu inter Italiam, ac Germaniam, unam atque alteram ſimul, ſeu mavis neutram, etiam quo ad mores. Climate tamen gaudet Italico. Et quod ſpectat ad tuam indaginem, tum morbi, cum remedia, & Medici ad normam circumſtantis Inſubriæ. Tu, cum adeſſes, & quidem feliciter, ad curationem nobil. illius infirmi Jo: Antonii Homodei, certe ſcrutatus es pro tua ſolertia in perſcrutanda rerum natura, quid Provincia noſtra diſtet a Brixienſi, non tam itineris ſpatio, quam Divinæ Providentiæ largitate. Hoc unum æquo animo non fero, nobis deeſſe Comitem Franciſcum Roncallium, qui unus Provinciam totam illuſtraret, luſtrando planitiem, colles, alpeſque, atque in iſtis præcipue analyſim inſtituendo Thermarum, & Fontium medicatorum, quibus ditatur Regio, ſicque utilius dignoſcerentur præclara illa Cœli munera, in quibus proſtat inempta ſalus. Quanta detegeres, quæ adhuc latent! Mihi certe, & oculi, & mentis hebetioris, incitatiſſimæ tamen voluptatis in contemplandis naturæ productis, ne ſaltem Dei opera, & dona ſine teſte ſint, dum hoc animo ductus excurrerem, pulcherrima ſæpe ſeſe obtulerant. Hoc unum proferam, quod vidiſſe contigit in monte non admodum diſſito. Reperiebam inibi Chryſtallos, imo naturam ipſam deprehendi in fragranti opere eas elaborandi. Riſum tene tantiſper, Amicorum ſuaviſſime, ſi ſuboritur; & cur ad hæc non ſuboriatur? Detegere placuit in circumſtanti arida terra, ſi quid ſalis, ut ita dicam, lapidifici irritaret linguam. Ea igitur prægustata, & reſpondente ſuſpicioni meæ ſalino quodam ſapido, in reditu meo mecum reportata terræ hujus Ciſtula, hanc commiſi ſolitæ Enchyreſi, per aquam educto ſi quid ineſſet ſalini, inde evaporato liquido, ecce ſalia in fundo catini referentia nitrum; at omnia cuſpidata in hexagonam chryſtallorum figuram. Quare in his ſalibus mihi videbar videre chryſtallorum matricem. Tu rectius vidiſſes. Marchaſſitas quadrilateras brevi diſtantia offendi. Imo Pecuarius demonſtrabat mihi adhuc ſtupens quædam foramina in illo ſolo, e quibus pluries ipſe vidiſſet erumpentes evaporationes quaſdam non fumantes modo, ſed & caleſcentes: cauſamque a me ſiſcitantem Ruſticum illum, imbuere conatus ſum in doctrina fermentationum mineralium, ex quibus etiam Thermæ actu calidæ in Burmienſi nobis contiguo ſolo exſurgunt celeberrimæ.*

Oh ſi licuiſſet tam jucundo ſocio, & experto Obſervatore, qualis es tu, magnæ naturæ Myſtes, inſtituere peregrinationes iſtas, ſimulque divagari, quam impiger inſtitiſſem, teque adjuvante, Hiſtoriam etiam naturalem forſan adjunxiſſem jam editæ de rebus Patriæ. At vero tenuitati meæ optaſſe ſufficiat; & ſolabor ſterileſcentia mea vota in fertilitate Operum, quæ tu edidiſti, eſque editurus. Age ſtrenue quod agis, & me tanquam ignavum fucum paſce melleis laboribus tuis, atque inter Clientes, & Amicos tuos ſerva, & vale bono publico, cui vivis

Clariſſimi nominis tui Cultor addictiſſimus

Dabam Matii Kal. Aprilis 1744.

PETRUS ANGELUS LAVIZARIUS.

AQUÆ THERMALES MASINI

PRODIIT elapſo anno, ſcilicet 1745, novus, & ſeptimus Scriptor de Aquis Sancti Martini, nimirum Joſeph Maria Quadrius, qui inſitas inque occultis montium ſtratis, & occurrentibus mineris conquiſitas qualitates detexit, earundemque vires, amotis Priſcorum præjudiciis, meliori in luce collocavit, neque dubitavit aſſerere: *Perloche, ſi fa chiaro eſſere lontana dal vero l' opinione di chi pretende, che la virtù dell' Acque Termali del Maſino naſca dall'oro, che ſeco traſportano.*

Nitrum, alterum conſtitutivum, potius deſumendum arguit a cauſis externis ad luta medicanda magis conſpirantibus.

Tandem tria notabiliora in illis aſſerit: 1. Aquam ſimplicem ceteris leviorem, & puriorem;

2. Sal alkali; 3. ſubtiliſſimum martiale ſulphur. Quibus ſuppoſitis, tranſit ad nomenclaturam morborum illorum, quos curare aptæ ſunt,

SALISBURGUM

Lapis in veſica plurimis baccis juniperis repletus, & repertus a Joanne Adamo Loſpichlero, Celſiſſimi & Reverendiſſimi Archiepiſcopi Salisburgenſis Conſiliario, & Archiatro nunquam explicari poterit per internam illarum productionem, ſed ab manducatis iiſdem baccis, quæ per ignotas vias deſcenderint. Sed viæ illæ, quæ probabiliter tranſitum permittunt, & dant Aquis mineralibus in humano corpore, adhuc latent, & timeo, ne etiam poſt hæc deſiderari debeatur illius notitia. Alia ejuſdemmet Archiatri Opera qui legere vult, ulteriores habebit notiones Practicæ Medicinæ illius regionis, Bertolgadæ ſcilicet, Lauffæ, Gollingæ, & fortaſſe etiam, finitimarum Provinciarum Auſtriæ ſuperioris, Styriæ, Carynthiæ, &c.

Salisburgenſem Medicinam plurimum promovit etiam Franciſcus Mayr: de quo ſignanter videnda eſt obſervatio *de Conceptione Tubaria*.

SOLMA

VIRO CLARISSIMO

JACOBO ENRICO CHRISTIANO ADAMI

Archiatro Solmenſi Civitatis Luccavienſis Phyſico adjuncto, & Senatus Aſſeſſori

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS BRIXIANUS

S. P. D.

Nihil magis, doctiſſime Adami, reddit Medicinam perfectioni proximam, quam obſervationes factæ morbos inter & ægros, potiſſimum, quando ſedulus luctantis naturæ ſcrutator adſtat, rationes per experimenta dirigit, nonque ſinit, ut documenta, artem illuſtratura, evolent, aut terra tegat, ſed de publico bono cogitans, prælo duce, aliis viam monſtrat. Intelligis jam quo colliment propoſitiones meæ: in illum hercle ſcopum, ut probem conſilium tuum, quando obſervationem ſingularem *de materia calcaria, poſt diuturnam Arthritidem per urinarias vias educta* (1) produxiſti, & excitem alios, ut in aliis occurrentibus, in quotidiana Praxi, morbidæ naturæ phænomenis te imitentur.

Illud accedit, plurimum recreat, meque quodam oblectationis ſenſu afficit: nempe calcariam materiam a Patiente 20 annorum per meatum urinarium redditam de *alkali*, & *ſale* participaſſe; cum ea ipſa ſemper fuerit opinio mea circa calculoſæ ſaburræ eſſentiam (2) qua humana machina vexatur. Sinas itaque, me mihi gratulari, eo quod tibi ſimilis ſim in meditando. Sinas inſuper, ut hac epiſtola id tibi prænunciem; eodemque actu certum faciam, me eſſe a natura comparatum ita, ut doctos homines, licet de vultu ignotos, ſummopere diligam, &, cum per eoſdem proficio, libere fateri non erubeſcam.

Si in Solomenſi Comitatu tuo, inque reliqua Veteraviæ regione, aliquid rarum, ad augendamque Artem videre contigit, oro ne ſileas; me doce commercio tuo; & citis juſſibus experimentum fac de hoc Brixiano Longobardo corde. Vale.

Brixiæ 15 Aprilis 1745.

STYRIA ET CARYNTIA

Styrienſis Ducatus partim in Pannonia ſuperiori, partim in Norico ſedens colli tumoribus, ſtrumis dictis, ſubjectus eſt, a quo neque ipſum Græcium, *Gratz* Germani dicunt, immune vadit. De quo legendus Ortelius (3).

Qui morbus ad conterminam Carynthiam producitur.

ACIDULÆ

Quatuor miliaribus infra Petavium in ultimis inferioris Styriæ finibus repertæ fuerunt Acidulæ Roidcheſenſes *ſulphure ſolari*, & *vitriolo Martis* temperato divites; quibus populi illi utuntur pro curandis *febribus quartanis*, *colicha*, *obſtructionibus*, *contracturis &c.*

TRE-

(1) Lubenæ ſumptibus Jo: Mich: Driemelli 1740 in 4.

(2) Videatur Opus de Aquis Brixianis, capite de morbis renum, & veſicæ Hirmenſi Aqua curandis, pag. 83.

(3) Tab. 92.

TREVIRI
ET
CONFLUENTIA

VIRO CELEBERRIMO

SALENTINO ERNESTO EUGENIO COHAUSEN

Archidiœceſis Trevirenſ. Proto-Phyſico Præſidii Electoralis Medico, Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socio, & in Urbe Confluentia magni nominis Medicinæ Profeſſori

FRANCISCUS Co: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

PLUMBUM ergo in poſterum, & cetera ſaturnina, quæ tam intus, quam extra corpus humanum adhibita, ab omni ſchola, & a famigeratiſſimis Practicis collaudabantur, majori cum circumſpectione, debitiſque cautelis in poſterum admovebuntur: hocque ſignanter debebit Ars noſtra Trevirenſi Archiatro Philippo Carolo Boſſardt, & tibi, qui nempe, præeuntibus Carthuſianorum Patrum, in Auguſta, & Archiepiſcopali Colonia funeribus, ceteriſque ex earum familia graviter ægrotantibus, per diligentes domi foriſque proceſſus edocti, genuinam cauſam reperiſtis, ob quam colicha pathemata, & convulſionum tumultus, in ſenſilibus inteſtinorum fibris oborti ſint.

Et irrequieti fluentiſque metalli particulas, & antimonii deleteriam vim in plumbo abſcondi, non eſt, cur dubitemus. Ideo nil mirum, ſi concurrente nitroſo, et mucido conclavis, ubi plumbea vaſa aſſervabantur, aere, ſi ob corroſa, & fracida recipientia elicitis ſacchareis ſaliniſque ſaturni particulis, proindeque a contento butyro abſorptis, pernicioſa, noxiaque evaſerit eſca, quæ in coquinarios uſus diſtributa morboſos relatos peperit effectus.

Hæc ſunt veriſimilia, & rationi conſona, quæ ipſe tango, & confirmo, ut magis in Italia etiam noſtra pateant, ut cautius in poſterum Saturnina per os exhibeantur, & præclaræ antiquiſſimæ in Europa, præ multis, urbis Treviri, & Confluentiæ meditandi in phyſicis rebus, & ſcrutandis morborum cauſis modus innoteſcat magis.

At, non ſolum meditandi modus, ſed etiam medendi, & ſuccurrendi colicæ *ſpaſmodicæ* convulſivæ: non per *Cathartica carminativa acria*, ſed per *demulcentia blanda*. Oh methodum laudandam. Oh methodum Italam, aut ſaltem pari paſſu cum Germana euntem.

Gratulor ſummopere, mi Cohauſen, Brixianos Italoſque noſtros uſus etiam ab aliis cultis nationibus frequentatos eſſe. Sic quippe mihi adblandior, & minus decipi poſſe ſumo.

Propoſitam pariter *corporis animalis harmoniam* dum de caſu Prioriſſæ Canoniſſarum ad Sanctam Barbaram Confluentiæ locuturus eras, illa eadem eſt, & quaſi iiſdem verbis relata, quam ipſe adhibui in Diſſertatione tertia (1) dum de Prioriſſa Capucinarum noſtrarum verba feci, in cujus cadavere tot acus ferreæ repertæ fuere.

Patere itaque, ut ignotus vir, qui a natura comparatus eſt ita, ut ſummos in ſcientiis homines veneretur, qui ſimilem in aliqua re tibi eſſe ſuperbit, qui tua ſcripta in Actis Germanicis regeſta plurimi facit, qui nunc ſudat in Opere, ut collecta videantur bene multa Practica in Medicis doctrinis dogmata, a primariis Archiatris, & Profeſſoribus diverſis in regionibus inſtituta, & promota; patere inquam, ut hac epiſtola tibi coram ſe ſiſtat, & demiſſe quidem, ſed anxius optet, & notari inter tuos, & dignari, ſi fieri poteſt, tua reſponſione; in qua ſi aliquid, tantillum quantumvis, delibabis, circa uſitatam Praxim, circaque non ſolum memoratam Trevirenſem Metropolim, urbemque Confluentiam tuam, verum etiam Bodobrigam, Sarburgum, reliquamque terram, quam Moſella luit, me admodum devincies, in animo habentem tuiſmet verbis editionem noſtram decorare.

Quando tamen res tuæ, atque ad majora, & utiliora ſtudia diſtractio, id non permittent, ſaltem una linea mihi fave, ſaltem non diſplicuiſse mea obſequia me fac certum. Certumque inſuper fac animum, mentemque tuam non alio dirigi, & collimare meditationes meas, niſi ut officia mittam, & mandata expectem. Vale.

Brixiæ Venetorum 1 Julii 1745.

Viro Excellentiſſimo, & Celeberrimo D.

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Medicinæ Doctori Practico experientiſſimo, Amico, & Fautori ſtimatiſſimo

S. P. D.

SALENTINUS ERNESTUS EUGENIUS

COHAUSEN MEDICUS

CUM *nihil mihi acceptius, nihil utilius accidere poſſit, quam eruditis miſceri, eaque mihi mens, qua viros doctos meritis ſuis metiri ſoleo, eoſque admirari didici, quos eminens litteratura ſuper vulgi ſortem evexit, conſtanter manſit,*

quod

(1) Diſſertationes Quatuor typis Marci Vendrameni Brixiæ 1740.

quod a te Vir Excellentiſſime tam benevole oblatum commercium litterarium non aſperner, ut proin diutius ſilere, & differre promiſſum reſponſum non audeam, patere igitur, Vir Clariſſime, quod ſerie obſervata mea, in chartam incompto ſtylo celerrime conjecta, tibi hiſce ſubmittam, quæ num tuo genio placitura ſint, ut quidem diffido, ita ſpero, & opto. Si autem alia, & ulteriora forte ſcire a me deſideras, mone & manda obſequioſo, quidquid enim ad ſatiandam tuam laudabilem curioſitatem contribuere potero, id lubens exequar; doleo interim non leviter, quod tantum viarum moleſtum intervallum impediat, ut varius noſtris in oris obtineamus ea, qui viri Itali vere ſagaces, judicioſi, & profunde docti ſcribunt, inter quæ ſcripta, & a te editas obſervationes, ut numero, ita hactenus eas obtinere non potui, ex iis enim, ut intentionem tuam fuſius diſcere volui, ita partim ratio fuit, quod tam ſero ſcripſerim, licet & multa alia impedimenta ſimul intervenerint; prolixiora forte ſunt, & inutilia, forſitan & ea omiſſa, quæ ſcire cupiebas, verum normam propone, & lubens faciam, quod jubes: proxime reſcribe, ac vale, teque ſummopere venerantem, & amantem redama.

Dabam Confluentiæ prid. Kal. Novembr. 1745.

Venerandus ſenex Hippocrates in doctrina ſua Aphoriſtica §. 1. Aphoriſ. *diſerte, & vere practice hortatur aliquid anni tempeſtati, Regioni, ætati, & conſuetudini concedendum, illud enim ſi Medicus oſcitanter negligat, vix felix practicus evadet. Quid enim Regionis, quam quis inhabitat conſtitutio, & ejus pediſſequa conſuetudo ad firmam, & ſanam, vel debilem, & valetudinariam corporis animalis diſpoſitionem contribuat, ex phyſicis, & Hiſtoriis notum eſt; quod enim in hoc loco poſiti homines robuſti, vegeti, & ſoſpites, ac annoſi, in alio debiles, exhauſti, & valetudinariæ quin breviſſimæ vitæ reperiantur, id climati, cœli temperiei, & conſuetudini duntaxat tribuendum videtur. Prout igitur homines firma, vel infirma habent latera, ita ipſis nunc heroicis fortiſſimiſque, vel leniſſimis, & ſubinde ſolum ad ductum Guidonis Harvæi per expectationem medicandum; hinc feliciſſimæ illæ Regiones, quæ temperatiſſimæ ſunt, ut quas nec nimis rigidum frigus, ut ſub zona frigida, conſtringit, nec nimius æſtus, ut ſub zona calida, liquefacit, aut exſiccat, & exurit; hocce favore præ ceteris gaudet dilectiſſima Patria noſtra, quæ vere felix dicenda foret, ſi non tam frequentibus bellorum tumultibus agitaretur; ob irrequietum enim vicinum, vel minimo ſe exſerente bellonæ tumultu, proh dolor! triſtiſſimæ Mavortis tragædiæ prologum, & epilogum ludit, ac intolerabilibus exactionibus prorſus enervatur, dolenterque experitur antiquæ paremiæ veritatem:* bonum eſſe habere Gallum pro Amico, ſed non vicino. *Ceterum Regio eſt, quæ prout notum, præcipuis fere totius Germaniæ fluviis irrigatur Rheno ſcilicet, Moſella, & Lahna, & ceteros rivos non quidem navigabiles, ſed piſcibus ſaxatilibus fertiliſſimos non numerando; præterea ad Rheni, & Moſellæ tractum vina creſcunt tum rubra, tum alba, quæ palato jucundiſſima, & ſanitati præ ceteris omnibus, quia non nimis calida, aſt temperatiſſima, & diluta ſaluberrima eſſe cenſentur, hocque commodi habent, quod multis annis incorrupta conſervari, ac in alias terras abſque immutatione commode tranſvehi poſſint. Ii igitur, qui intra montana Rheni, & Moſellæ loca habitant, pro potu ordinario nonniſi vinum bibunt, ac licet plebs non continuo, & quotidie vinum bibat, pauci tamen dies elabuntur, quibus non hauriat ſæpius majori cum exceſſu, quam vires patiuntur, ideo illi omnes diætam habere vinoſam reputandi ſunt; aliter autem vivunt iſti, qui a Moſella remotius degunt, ut ſunt ii incolæ inter Ducatum Luxemburgenſem, & Juliacenſem, ac Giffliaci nominantur, eſtque Regio admodum aſpera montana, lapidoſa, ſylvis ſcatens obque ſitum altiorem ventoſa, & frigidior. ii pro potu ordinario aquis ſoteriis, quas abuſive acidulas vocant, utuntur. Nam iis adeo fertilis imo prodiga natura, ut vix pagus ſit qui tali non gaudeat, ceterum victu multum ex leguminibus pultibuſque, & farinaceis veſcuntur: his aquis ex plurima parte adſcribo, quod raro obeſi, & pingues viri, aut mulieres ibidem conſpiciantur, non enim humorem ex hordeo, aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptum habens (quem cereviſiam apellare ſolemus): ſed fere aqua ſola contenti ſunt, ſine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem, adverſus ſitim non quidem eadem temperantia, ſi ſeductrix occaſio eveniat, quod jam olim notavit Cor. Tacitus* de moribus Germanor. c. 23. p. m. 550, *& modo meminit antiquus Coſmographus Sebaſtianus Munſterus* Coſmograph. lib. 3. c. 201. p. m. 707. *ubi Eiffium deſcribit eſſe Regionem aſperam, montanam, multis pluviis irrigatam, ſed ob fontes, & aquas amæniſſimam, cujus incolæ laborioſi, & ingenioſi ſi exerceantur in artibus &c. nec aberravit. Totus autem ille tractus fere Medicis caret, ægrotans popellus Empiricorum, & tranſmeantium agyrtarum conſiliolis utitur; magnates, nobiles, aut ditiores ex vicinis urbibus medicos accerſiri jubent, nec ullum ibidem habitaſſe memini præter Henricum Hengard meum quondam Treviris ſedulum diſcipulum, qui phyſicatui Prumienſi aliquot annis præfuit. Interim & illud notari meretur quod multi paſſim annis graves tum viri, tum mulieres ſtrigoſæ reperiantur, qui ægrotantes aut nullis, aut tantum empiricis, vel domeſticis familiaribuſque utuntur remediis, prout ante aliquot annos opilio quidam in pago tractus memorati habitabat, qui ingentem etiam ex aliis Regionibus habebat accurſum ab omni ægrotantium genere, ex eo cum inſignis uroſcopus omniaque ex lotio vaticinari inſtar Apollinis ex tripode poſſe credebatur, quod quan-*

quantum popellum ignorantem alliciat vix ſcribi poteſt, illi enim ſufficit, ſi medicaſter multa ex urina blaterare ſciat, ſic in tali deceptore crumenimulgo profundiſſimam ſcientiam latere autumat, hic inquam Opilio longis decoctis ex herbis obviis, & fere iiſdem omnem languorem ſanare prætendebat, nec negandum ipſum aliquoties magna præſtitiſſe, taleſque curaſſe, qui a naſutioribus, & ſemidoctis pro conclamatis ex ignorantia derelicti fuerant, unde caſu ſuos reperit fautores, & firmavit patronos. Altera patriæ noſtræ Regio, quæ intra Rhenum, & Moſellam eſt, ac tractus Hunnorum dicitur, quemque ex translatione Germanica Maſenius in Annalibus Treverenſibus Tom. 2. lib. 20. p. 352. *ſatis barbare* canis dorſum *appellat, ſimiliter aſpera, montana ſylvis eriticetiſque conſita eſt, gentemque alit laboribus aſſuetam, atque hinc morbis non ita obnoxiam, ut proin nullus ibidem Medicinæ honor, ſi nonnullas præcipuas urbes ibidem ſitas excipias, in quibus viros non minus doctos, quam expertos invenire licet. Saravum fluvium ſi quis aſcendendo ſequatur, offendit Saraburgum olim Curbelium dictum, quod abeſt Treveris decem circiter paſſuum millia ad auſtrum pertinens, poſitaque in præalta, & minaci rupe, rupis imam crepidinem Saſavus fluvius alluit, unicus patet ex oppido via ad arcem nobiliumque antiquam ſedem ferente acceſſus, reliqua dejectis vallibus, aut præcipitiis undique abrupta, præterquam ad occidentem, qua cum dorſo rupis jugum miſcetur vicini montis declivioris . . . . locum hunc amœniſſimi ſoli, & Pontificum receſſu habitationeque cultiſſimum noſtra memoria Albertus Brandeburgicus fax, & follis Lutheriani incendii funeſta clade deformavit, ut ingredientibus præter nudas ipſas inſignium ædificiorum parietinas, & flammæ teterrinæ fuliginem nil ſeſe dignum aſpectu objiciat, ut verbis utar Brovveri* Annal. Trevirenſ. tom. 1. lib. 12. p. 406, *& ſimilis fere facies adjacentis oppidi continuis bellorum tumultibus, & Gallorum rapinis exhauſti; adjacenſque tractus, qui a ſylvis nomen deducit aſperum, & ſylveſtrem ruſticum alit, qui in ſanitatis conſervationem, ut nummos expendat aut non habet, aut non vult, hinc præter ſolos forte empiricos ſubinde Chyrurgos nullum medicum illas partes inhabitaſſe ſcio, ſed recordor quondam aliquem in ejus vicinia pedem figere voluiſſe, ſed ob lucri tenuitatem receſſiſſe, ſe excuſando, & dicendo:* populus hic non veſcitur niſi rapis, eorumque juſculis, & decoctis, hinc ſoſpes vivit, conſequenter medico nullus locus, nec negotium.

Poppordia olim Bodabriga dicta ad Ripam Rheni ſita civitas cum Telonio multis quidem civibus frequens, attamen & Phyſico, & Medico caret ex ratione, ut veriſimile eſt, quoniam nemo artis beneficio ſuſtentationem facile ibidem lucrari poſſit; hinc jam a multis annis ſolum aliquot Agyrtæ circumforanei, ſe Lorimatros vocantes, & operatores privilegiati ibidem habitavere, qui de ætate peregre ad nundinas excurrere ſolent ſuas quiſquilias vendentes inque Theatris magno clamore, & hiatu ad ravim uſque extollentes, & neſcio quid pollicentes, de hyeme lucri gratia ſub veſperum comedias ludere, & quod de æſtate formicarum inſtar in omni terra collegerunt, penes lares ſuos conſumere, & circa ver iterum evagari ſolent, nunc vero, ut audio partim omnes foro ceſſerunt, tum evaſerunt, tum mortui ſunt, ut proin ſpes affulgeat hiſtrionum iſtorum proſapiam prorſus ibidem extinguendam, quamvis admodum difficile ſit iſtiuſmodi zizaniam funditus eradicare.

Treviris antiqua urbs, quæ annis mille trecentis ante Romam ſtetiſſe fertur, Archidiæceſeos noſtræ metropolis, multis bellorum tumultibus, & adhuc recenter agitata, quia ſæpius ſubverſa iniquiſſimi martis Gallici furore, muris & ſtructiſſimo antiquiſſimoque vere Regio opere ponte trans Moſellam ſtrato orbata fuit, nunc vero ſub pacis alcioniis anno 1716 ſede vacante iiſdem iterum ornata cum pulcherrima, & adæquata inſcriptione:

Pons ego vi belli priſca de ſede revulſus.
Reſtituor ſedi Sede vacante novus.

utique foret civitas florentiſſima, niſi tota devaſtata, & ſpoliata fuiſſet; floret nihilominus adhuc alma, & perantiqua ibidem Univerſitas, quæ erecta anno 1454 recenterque iterum reſtaurata, ac de novis ordinatis, ſtatutis, & privilegiis, ac bibliotheca a glorioſæ memoriæ Principe, & Electore Trevenio Franciſco Ludovico proviſa, æque ac a moderno glorioſiſſime Regnante Archiepiſcopo, & Electore Franciſco Georgio Domino noſtro clementiſſimo vere paterne refocillata, ut proin in illam non amplius quadret, quod olim de illa ſcripſit Schroederus in introductione ad jus publicum, ſcilicet: Dantur etiam Univerſitates Græciæ, & Treviris at hodiedum minus celebres. *Academia enim Trevenia nunc inter alias eminet, ut quia in omni facultate viros alit doctiſſimos, Theologiam, Philoſophiamque tractant Patres Societatis Jeſu veri fidei chriſtianæ Athletæ, juridicum non tantum a quatuor exquiſitis profeſſoribus in dies docetur, ſed ab exteris multum frequentatur, nec ſua facultati Medicæ deeſt frequentia, & honor, eminet in hac Cl. Dominus Joannes Georgius Palzel meus quondam ibi promotor, Medicinæ, & Botanices profeſſor publicus, nunc elaboratus, & ſenex practicus, qui nomen veri, & conſummati Botanici meretur, nam etſi Univerſitas horto expreſſe culto Botanico careat, non tamen deeſt opportuniſſima occaſio ſtudium illud fuſiſſime excolendi, ut enim prætercam Hortos amœniſſimos tum Palatii Electoralis, tum celeberrimæ, & Imperialis Benedictinorum Abbatiæ ad Sanctum Maximinum, tum Patrum S. S. in novitiatu (quibus ex ſpeciali humanitate piaculum foret artis Medicæ ſtudioſis interdicere, ut exoticorum ſcrutinio, & nomenclatura delectentur): tota vicinia fertiliſſimum horum* Botanicum *amœniſſime conſtituit, in ſum-*

ſummis enim montibus, & cœlo metuendis rupibus herbas montanas, in obſcuriſſimis ſylvis proxime adjacentibus herbas nemoroſas abunde reperire licet, ſuum & quidem copioſiſſimum in latiſſimis pratis, & campis flora contribuit ſymbolum, nec minus fertiles ſunt Moſellæ, Saſavi, & ceterorum parvulorum fluviorum ripæ, & frequentes lacus, aut piſcinæ, ita ut dubium ſit, num ſub ſole locus pro ſtudio Botanico excolendo in compendio, & minori diſpendio aptior, & opportunior inveniri poſſit, quam Treviris. Gratis enim natura ibidem affluenter ſuppeditat, quod magnis ſumptibus, ingenti apparatu, ſummo labore, & indefeſſa induſtria alibi conquiri, & excoli debet; quin omnia, quæ ſtudia facilitant, ſe exſerunt copioſiſſime, cumque pacis virent olivæ omnia ſtudia multum frequentantur. Luget vero adhuc, & diu dolebit facultas Medica vix reparabilem jacturam, quam perpeſſa eſt, cum Cl. Dominus Carolus Philippus Boſard Archiater Electoralis, praxeos Medicæ, & Anatomiæ profeſſor publicus, noſter cum viveret Euryalus, idus Julii 1735 ex febri caſtrenſi pie occubuit non ſine ſuorum, ſed & exterorum magno dolore, qui ipſius opem Medicam ſingularem ſemper cum ſolamine, & fructu experti fuerant. Habebat vir hic celeberrimus longiore vita digniſſimus praxin non pompoſam, ſed ſimplicem, non ſeſquipedales formulas, ſed breviſſimas, & exquiſitiſſimas præſcribere, ut in actibus ita in verbis abſque longa verborum periphraſi (in qua tamen alii vim eloquentiæ ponere velle videntur, cum potius muliebre multiloquium ex multis inanibus verbis ſine emphaſi conſtans dicendum ſit): paucis at nervoſe ſe explicare ſolebat, cautelis præterea practicis utebatur circumſpectiſſime, neque enim inter ipſius formulas præſcriptas reperire licet remedia fortia heroica draſtica dicta, quæ naturam potius obruere, invertere, & corrumpere vimque veneni induere, quam adjuvare ipſi dicebantur, ubi autem violentiora adhibere extrema neceſſitas jubebat, nunquam ipſi infeliciter ceſſiſſe recordor: ita reminiſcor, quod ad Medicorum, pharmacopæorumque omnium ſtuporem mulieri ad provocandam emeſin duodecim grana tartari emetici porrexerit, quibus ne nauſeam quidem excitantibus, aliquot poſt diebus ſcrupulum integrum cum felici ſucceſſu ſuperaddidit; probat exaſciatam prudentiam practicam, fundatamque experientiam, nec ulli ſuaſor eſſem, ut facile imitaretur, artificem enim conſummatum non tyronem requirit. Confluentia a confluendo proculdubio dicta, quoniam Rhenus, & Moſella ibidem conjunguntur, inter quos fluvios amœniſſimo conſpectu jacet civitas, utcunque arctis circumſcripta terminis, tamen comta, & populata a latere montibus præaltis cincta, in quo uno ſuperbit fortalitium Ehrenbreidſteinium, in altero gratiſſimo viſu conſpicitur Carthuſia Montis S. Beati hominum religioſiſſimorum Sanctus Cœtus; circuitus ipſius non duntaxat viſu jucundiſſimus, ſed & circumjacens ager longe fertiliſſimus, tum quod fructus terreſtres, tum arboreos concernit, qui & optimi, & delicatiſſimi affluenter proveniunt. Hoc vero mirandum, cum inter tam inſignes fluvios ſita, attamen piſcium magna ſit raritas, quæ tamen potius piſcantium ignorantiæ, aut retium aptorum defectui, quam piſcium abſentiæ adſcribenda videtur. Cæterum ſaluberrima eſt urbis conſtitutio, nullus quoque morbus proprie endemicus dici poteſt, & epidemici funeſti quoque rarius obſervantur, ut proin potior Medicorum occupatio ſit circa Sporadicos. Hoc vero circa Therapeiam hujatem ſpecialem maxime obſervandum cenſeo, quod cives noſtri, & vicini paſſim blandiſſimis, & temperatis remediis tractandi ſint, rejectis omnibus ſumme volatilibus, calidis, chymicis, & draſticis. Reminiſcor olim hujatis Medici, qui alto ſupercilio alios diſpiciebat, ſibique muliercularum familiaritate, ac recommendatione magnam aſt fugacem famam ita acquiſiverat, ut copioſum haberet ægrotantium affluxum, praxin vero dum volatilibus, multis opiatis (ita ut in ſex unciarum mixtura tres drachmas fracturæ opii, octo grana theriacæ cæleſtis, & quinque grana laudani opiati præſcripta videns exhorruerim, patienſque, niſi ab alio mature conſilium allatum fuiſſet ſopore non excitabili neceſſario occumbere debuiſſet), & draſticis exercebat, quæ ſi ſubinde cautior pharmacopæus non correxiſſet, ſane plurimas officioſe occidiſſet, hic inquam intra paucum tempus ſe ſua herocia, at infelici praxi tam exoſum reddidit, ut foro cedere debuerit, & dubito num ullibi ſua methodo felix practicus evaſerit. Uſitatam meam methodum quod concernit, ſemper reflexionem ſedulam feci ad ipſius patientis conſuetudinem, originem, vivendique modum: ſic ſi a Euſticis Eſfliacis, aut tractum Hunnorum inhabitantibus in conſilium vocatus, obſervavi, quod ii remedia ferant calidiora, aromatica, acriora viſcidum reſolventia, quin emetica, & cathartica fortiora draſtica, tum ob fibrarum ventriculi, adjacentiumque partium tonum robuſtiorem, & minus ſenſibilem, tum ob materiam peccantem magis viſcidam, nec tam facile mobilem, quæ nonniſi duro cuneo prudenter adhibito expellitur; ita me multiplex obſervatio docuit, quod olim adeo decantatus Cornachini pulvis ex ſcammon. ſulphurat. antimon. diaph. & crem. tartari ana paratus ad drachmam unam datus in bilioſis, & ſanguineis temperamentis, ac diætam vinoſam gerentibus leniſſime, & cum ſpeciali euphoria alvum ſubducat, in iis vero qui multam ſaburram viſcidam geſtant, diætamque habent duriorem, nonniſi cum ſummis torminibus doloroſe operetur cum peſſima ſequela, ita ut tympanitidem a præpoſtero uſu ſecutam viderim. Generalis itaque praxeos regula in eo mihi poſita, ut vice incedam leniſſima, & ſimpliciſſima, raro utor compoſitis, decompoſitis nunquam, exulant quoque penes me acriora per Chymiam excocta, & utcunque tres officinas pharmaceuticas privilegiatas (in quibus, ut Plinius loqui

loqui amat, cuique ſua ſalus proſtat venalis:) ex ſtructiſſimas omneque medicamentorum genere refertiſſimas habeamus, nunquam tamen antiquos dialoculos, aut periculoſa Chimiæ producta excutere ſoleo, ſed ſimpliciſſimis contentus vivo. Placet præprimis ſincerrimi Baglivi, & multo annorum uſu conſummati Alexandri Paſcoli praxis vere fundata, & ſecuriſſima, utcunque non ignorem inter aerem Romanum, & Confluentinum magnum intercedere diſcrimen; illud tamen certum eſt, ob diætam vinoſam hic quoque communiter requiri remedia temperata, relictis omnibus artificialibus etiam pretioſe per ignem excoctis.

Non contemno Cl. Stahlii methodum, ut quæ certo modo ſecura dicenda, quia tum remedia heroica excludit, tum multis cautelis tandem procedit; taxandi tamen aliqui ejuſdem imitatores ex eo mihi videntur, quod paſſim abutantur ſiſtemate, & therapeia, nonniſi enim Buheri, & Stahlii pilulas polychreſtas clamitant, & tanquam univerſales deprædicant, in quibus ſummam virium entelechiam quærunt, & ponunt, cum tamen, ut plurimum annotaverim, eas plus damni quam emolumenti attuliſſe; aloetica, enim etſi ſic dicta correcta at potius mangonizata, ſanguinem exagitant, nimiumque concitant ad motus ſæpius irregulares; abeſt autem a vero quam maxime, quod fluxus hæmorrhoidalis genuinæ, & firmæ ſanitatis effectus ſignum, aut conſervatorium ſit; cum morbi ſpecies non quidem ſecundum vulgus ſiſtenda, ſed patienter cum ſumma incommoditate quin periculo toleranda ſit; non excludo quidem omnimode pilulas ſic dictas polychreſtas, noſtris Medicis adeo familiares, & decantatas, quarum indefinitæ proſtant compoſitiones multis arcanæ, ſæpius ridiculæ, & ſteriles, ſed circumſpecte adhibitas, & prudenter præſcriptas magni facio. Soleo autem aloen ſucco citri ſolvere, filtrare, a quiſquiliis depurare, & dein inſpiſſare, aut etiam, quæ methodus adhuc optima, in ſero lactis acido diſſolvere, leni coctione, & inſpiſſatione ad maſſam pilularem redigere, quibus dein ſaponaria vegetabilium extracta, aut convenientia gummata nubo, ſimili modo quondam mihi ex uſu fuit multiplici maſſa pilularum ſtimulandi fine: ſumpſi ſcilicet quantitatem certam colocinthidis, & portionem aloes, has in ſero lactis per nychthemeron unum, aut alterum maceravi, fermentavique, trajeci per feltrum & leni igne ad conſiſtentiam pilularem inſpiſſavi, egregii, & ſecuriſſimi eſt uſus; per acidas enim non ſolum, ſed per unguinoſas ſeri lactis partes vis cauſtica calida, acris, urens, ſalina ſtimulans purgantium admodum cicuratur, ita ut convenienti doſi, & tempore tutiſſime uſurpentur. Ceterum, ut ſupra innui noſtrates fortia, & draſtica purgantia ægre ferunt, nec illis niſi rariſſime indigent, ut quin humores habent facile mobiles, ſecus autem ii, qui in aſpero Eiffliæ, & Hunnorum tractu habitant, duraque gerunt meſſorum ilia; hinc rariſſime reſinoſa, acria, vetereſque pilularum maſſas Theatra diabolorum ocium adhibeo, ſed vel decoctum laxativum Viennenſe, infuſum tamarindorum, fol. ſenn. mann. caſſ. fiſtul. rhabarb. vel ſal aliquod catharticum e.g. Epſonenſe, Sedlicenſe, & præ aliis blandiſſimum ſic dictum Polychreſtum Seignetti non adeo diu adhuc cognitum propino, quibus blandiſſime efficitur id, quod cathartico intendi poteſt, ut rarius ad fortiora progredi neceſſitas exigat; nam quotquot huc uſque vidi purgantia draſtica promiſcuo uſu adhibentes, eos plus ob-quam profuiſſe obſervavi, ita ut creberrime ad ſiſtendam ab aliis excitatam hypercatharſin, eamque ſequentia incommoda averuncanda vocatus fuerim. Eadem fere eſt tincturarum cum ſpiritu vini ex radicibus reſinoſis, calidis &c. præparatarum conditio, quorum frequens, & promiſcuus uſus ſimiliter raro ſalutaris obſervatur; exceptis iis, qui craſſiore, & duro victu utuntur, ac aquam bibunt, præ aliis ceterum omnibus placet temperatum leniterque tonico-ſtomachicum, elyxir ſic dictum balſamicum Hoffmanni, quod paſſim in operibus ſuis practicis recommendat, effectuſque ſalutaris laudat, aut illud quod juxta diſpenſatorium Viennenſe ſtomachicum temperatum nuncupatur. Hinc præ aliis quoque Æſculapii quondam Hallenſis Friderici Hoffmanni praxis laudem, ac imitamen meretur, cum via ſimplici, & ſecta æque, ac temperata ad naturæ ductum procedat, ſique Medicus Clinicus dictamen practicum poſſident, nullus ambigo quin ſemper feliciter ſuccedat, ut proin iniquus rerum cenſor habendus, qui non, ut prolixa ita eruditiſſima magni hujus Viri ſcripta veneretur, inque ſuum uſum convertat.

Adſtringentium præcipue fortiorum ſic dictorum ſtipticorum interne nullus quoque uſus eſt ſalutaris, enormes tam narium, uteri, quam aliarum partium hæmorrhagiæ tantum abeſt, ut per adſtringentia interna curentur, ut potius adaugeantur; cum enim illa in primas vias præcipue ventriculum tantum agant, contractis ibidem vaſis ſanguiferis, ob conſtrictas illas partes cruor aliorſum magis propellitur, evacuationemque præternaturalem magis promovet; ut enim ex ſedula hæmorrhagiæ alicujus tractatione, aut medicatione judicium, & experientia Medici conjecturatur, ita cum quis iſtiuſmodi morbos per ſtiptica ſiſtere, & moderari intendit, propriam, & ſupinam ignorantiam palam facit. Eodem ex fundamento decantatus adeo cortex Peruvianus in febrium curatione artificem requirit, non penitus eum excludo, aut rejicio, aſt cum ſumma cautela, & rariſſime præcipue in delicatioribus, aut hæmorrhoidariis, aut menſium ataxia laborantibus præſcribere ſoleo, & quidem nonniſi prius patienter præparata, & convenienter evacuata materia morbifica; relaxatum enim, & morbi diuturnitate fractum partium tonum blandiſſime reſtaurat, debitoque tempore, & conveniente modo opportune applicatus remedium conſtituit prorſus diurnum, quo mediante ſapiens, & cir-

& circumſpectus practicus quaſi miracula præſtat, famamque ingentem non duntaxat acquirere valet, ſed revera multis ceterum incurabilibus ægris mirabiliter ſuccurrit; non minor abuſus in terreorum, aut ſic dictorum oſtreacodermatum præſcriptione hic paſſim obſervatur, vix enim mixturam aliquam videre licet paucarum unciarum, quæ non contineat aliquot pulverum terreorum alcalicorum, aut abſorbentium drachmas, quibus ex falſo principio ſuperabundans hoſtile acidum ſubjugare, & invertere allaborant, quaſi vero nullus morbus eſſet, qui non p. n. acido ſuos deberet natales, & hoc quidem ſuppoſito, quæſtio magna ad experientiæ trutinam ponderanda reſtaret, num & hoc per terrea alcalica corpora corrigi poſſit, ac debeat, cum ea acidis mixta utplurimum vim ſtipticam adſtringentem induant. Studuit hoc præcavere Cl. Gualterus Harris Medicus Londinenſis celeberrimus in tractatu de morbis acutis infantum, in quo ad puerorum morbos perſanandos quidem vix alia quam antiacida abſorbentia laudat, ſed ſæpius ſubducentia lenia preprimis rhabarbarina interpolare jubet, quæ etiam methodus hactenus tutiſſima obſervata; caſtigavit ceterum remediorum terreorum abſorbentium fatalem, aut inanem uſum Cl. Ludovicus Tralles Medicus Wratiſlavienſis, in eleganti, & erudito Tractatu quem Examen rigoroſius virium, quæ terreis remediis hactenus adſcriptæ ſunt, *appellat; verum, quod pace Viri celeberrimi, & doctiſſimi dixero, ut fieri ſolet, nimis late extendit, omniaque abſorbentia, & nonnulla alia, quæ tamen conſtans, & fundata experientia probaverat, confirmaveratque, prorſus e foro medico exulare juſſit, quod nimis durum rigidumque videtur, multorumque, ne dicam fere omnium, tum veterum, tum etiam recentiorum practicorum ſyſtema prorſus enervat, & ſubvertit. Aliquis aliquorum ſaltim uſus concedi poteſt, & debet, quod irrefragibilibus experimentis, argumentis, & inde deducendis infallibilibus concluſionibus deductu, & probatu perquam facile foret; quod vero ſtilo ordinario Medici Clinici ſuos patientes nauſeoſis, & ponderoſis iſtiuſmodi pulveribus farciant, illud partim dolendum, partim exſibilandum, & præter meam eſt conſuetudinem: proh quoties vidi non dumtaxat a matronis, ſed etiam medicis, qui magni Viri audiri volebant, tum pueris, tum delicatioribus ad minimum æſtus, vel motus febrilis ſenſum ingeri pulveres partim arcanos epilepticos, alexipharmacos, bezoardicos, lapid: pretioſ: &c. poſt quorum nimis frequentem uſum ventriculus languebat, appetitus proſternebatur, ægri nauſeabant, de gravitate premente circa ſtomachum conquerebantur, quæ ſymptomata a pondere pulverum iſtorum in plicis ventriculi hærentium proveniſſe manifeſtabat vel ſpontanea, vel artificialis per emeſia horum copioſius aſſumptorum rejectio; Hercule, ut ego opinor, multus imo maximus iis falſo hactenus tam pompoſe, & extenſe adſcriptus effectus in eo conſtitiſſe mihi videtur, quod revera illi ægri, qui talium pulverum exoletorum, & inactivorum uſu curati narrantur, nonniſi per expectationem ſanati ſint, Medicuſque aliquid fuiſſe creditus, cum niſi ſola regiminis præſcriptione prorſus nihil egerit, aut forte alios celerioris curationis potius remoram fecerit; putem tamen cum minus activa ſint, & non accedente activo acido, nil operentur (nondum enim ſufficienter, quod gratis ſupponit, probavit Helmontius, quod Archeus quaſi in ſpeculo ſe conſpiciens ad talium uſum placetur, & a furore remittat) adhuc eorum uſum aliqualiter excuſandum, & tolerandum, cum ſaltem nonniſi in delicatioribus, ac ubi majore copia ingeſti fuerint, nullum ſingulare malum præſtitiſſe, ſed quaſi remedia adiaphora conſideranda fuiſſe credo. Fateor quidem me ipſum in abſorbentibus olim magnam poſuiſſe felicis curationis fiduciam, ſed ſerius me deluſum dolenter cognovi, ut proin nunc moderatius præſcribam, tametſi & ad ſenſum vulgus, aut etiam aliter ſentientium medicorum ſubinde concedere, & propinare neceſſiter; Atro carbone notaretur Medicus, qui apud magnates reſpueret lap. de Goa, bezoardicum utrumque, pulverem antiepilepticum Marchionis, ſpecificum cephalicum Michaelis (de quo in certa aula me etiam totis viribus reclamante annuatim aliquot libræ devorabantur, ingenſque lucrum in pharmacopæum transferebatur) de gutteta, bez: Anglic. &c. &c. pluresque alios ejuſdem farinæ, certe ſi infans ex variolis, morbillis, aut epilepſia, vel febre ardente petechiali diſcederet, cui medicus de his pulveribus præſcribere neglixiſſet, proh hominum ſuperumque fidem, judicaretur reus mortis, & non ſolum obiter ægrum tractaſſe, ſed & occidiſſe. Itaque aliquoties oportet tempori ſervire, cumque certum ſit, quod ſi non juvent, non tamen facile ab iis malum notabile timendum, interim lucripeto pharmacopæo bene proſpiciatur. Connivendum igitur, & communi uſui, & mori aliquid tribuendum, ut ſaltim in ore vulgi Medicus extra culpam maneat; alioquin reor multis nos carere poſſe, reſervatis tantum tenuioribus, & digeſtioni, aut ſolutioni adhuc auſcultantibus, ut ſunt cancrorum lapides (quamvis ſummopere verear, ne venales iſti lapides, qui in prodigioſa quantitate apud materialiſtas proſtant, ut plurimum ex materia gypſea, cretacea, aut argillacea factitii, & adulterini ſint) conchæ, mater perlarum &c. quibus ſi pauca ſalia alcalia, ſalſa, & neutra, nitrum, camphora, mel, oleum, acetum, aliquot gummata, cortices, flores, herbæ, ſemina, radices, eorumque extracta ſaponacea (cum enim ob nauſeoſam molem in pulvere non facile aſſumantur, extracta ſe præferenter recommendant, quæ ad libitum in forma ſolida, ſicca, vel fluida molli ſumi queunt) adduntur, Medicus id efficiet, quod in artis eſt potentia, neque enim ad uſum pompoſe exſtracta, & multis quiſquiliis evanidis, ſterilibuſque materiis repleta pharmacopolia requiri exiſtimo; ut enim natura paucis contenta, ita*

judi-

judicioſus, & expertus practicus paucis ſelectis, & euporiſtis non obtinebit, quod ignorans multo, & ſumptuoſo apparatu vix aut nunquam exequetur.

Commune quidem Dicterium aut adagium eſt: Medicorum errores terra tegit, benefacta ſol illuſtrat, *cujus veritas, ut in plurimis refragari non poteſt, præprimis in iis, qui nonniſi arcanis remediis utuntur, ac Medicinis ſic dictis raris multos nummos extorquent, patientibuſque nimis credulis imponunt, ac ſi pharmaca eſſent ex Arabia multis ſumptibus allata, aut longo labore, multo ſudore, ac rariſſima inventione poſt indefeſſa ſtudia per lentum, & ut ajunt philoſophicum ignem excocta, cum ſubinde ſint quiſquiliæ ubivis obviæ, ita mihi innotuit Vir ſummæ famæ magnus Archiater (cujus tota Bibliotheca ex Zuingeri opuſculo conſtabat, quod* celerem practicum *nominat) qui iſtiuſmodi lucriferam Charletaneriam ex aſſe callebat, ingentemque pecuniæ ſummam congeſſit, hic multa arcana magno pretio obtrudebat, ſic magneſiam albam, materiam nitri perlatam, glaciem mariæ, arcanum antifebrile appellabat &c. paucaſque doſes ducato vendebat; ſic mundus vult decipi, ſed qua conſcientia fiat, dii norunt, horum inſtar vulturum lucro inhiantium Sycophantarum errores terra tegit, vidimuſque iis vicinias noſtras cum ſummo reipublicæ damno ſuperabundare, ut verum fatear mihi valde ſuſpecti ſunt omnes arcaniſtæ, ad quem cenſum, & circumforanei Agyrtæ, Medicaſtri Apellæ, quos impune tolerari non ſine cordolio experior, præprimis quod ſubdoli judæi ſuis tricis in ſacram artem tam facile, & profligata fronte ſe inſinuent, illorum errores inquam terra tegit: ceterum urbis noſtræ plebecula multum addicta eſt curioſæ, & inconſtanti vanitati etiam circa artem Medicam, ægrotantes enim novi, & vidi attamen me ignoraſſe ſimulari, qui omnes Hujates non ſolum Medicos, ſed & Empiricos, Mulomedicos? Vah pudor, judæos, carnifices &c. in conſilium clam vocaverunt, & promiſcue remedia adhibuerunt, aut omnes a diverſis acceptas formulas* Recipe *vocant, aut ad Chyrurgum, aut ad Pharmacopæum detulerunt, ut hic tanquam Arbiter, tanquam Apollo Muſarum præſes judicaret, quodnam optimum, ſic hic moris eſt, ut ſæpius duo, tres, aut etiam plures Medici eundem tractent ægrotantem, neuterque de alterius præſcriptione aliquid ſciat, ſed quali ſæpius cum ſucceſſu, non raro obſervavi, ſtultos hos ſæpius luxiſſe, interim illud procedere conſcientioſo, & vero Medico maxime exoſum eſt, tamen vix corrigibile, accedit huic demum perverſus mos, qui ſimiliter his in regionibus multum inolevit, ut vulgus, quin & ſuper plebem ſapientes illæ ſint perſuaſionis firmiſſimæ, ut credant Medicum ex urina omnem morbum debere poſſe cognoſcere, & apta remedia præſcribere, hinc tales uromantæ penes plebem in maxima etiam præ doctiſſimis Viris habentur æſtimatione, verum conſenſu unanimi Hujatum Medicorum uroſcopium ab illis non amplius exercetur reſpuuntque omnes turpem hunc ex lotio quæſtum, nemo enim amplius ex ſola urina (quod plebecula exigit): Vatem agit, ſed & ex ea cum ſignis collective ſumptis ſubinde aliquam notitiam ſumere non ſpernit, nam certum eſt, quod urina fallax ſit valetudinis interpres, præſtetque ex ea judicare interrogando, quam decidendo, ad lectum quam domi, nota quam ignota, hinc communem illum errorem a praxeos meæ principio corrigere, & plebem aliud docere ſtudui, quod hic, ſed feliciter ſuccedere gaudeo.*

TRIDENTUM

Illuſtriſſimo Clariſſimoque Viro

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Philoſophiæ, & Medicinæ Doctori Brixienſi, Regis Poloniæ Comiti, necnon celeberrimæ Bononienſis Academiæ Socio

NICOLAUS ZUCCHELLI

In Urbe Tridentina Medicus

S. P. D.

TAnta eſt, Vir ampliſſime, quæ ab aliquot jam annis mihi tecum interceſſit neceſſitudo, Studiorumque in ea, quam profitemur arte conjunctio, ut operæ pretium me facturum putaverim, ſi de endemiis Tridentinorum morbis, quos tum ex mea, tum aliorum Medicorum experientia ſingulis ferme annis in hac urbe Tridentina graſſari compertum habeo, te certiorem facerem. Perſpecta enim mihi eſt eximia tua virtus, tuaque incomparabilis in excolenda noſtræ artis Scientia ſollicitudo, necnon indefeſſa in ſcribendis recte morborum hiſtoriis, eorumdemque obſervationibus concinnandis diligentia, de quibus opera illa, quæ in univerſæ rei Medicæ bonum, atque utilitatem nuper in lucem edidiſti, abunde teſtatum faciunt. Hiſce itaque cauſis impulſus hanc meam morborum deſcriptionem una cum peculiari medendi methodo grato animo te accepturum non dubito. Ex hac præterea intelliges, quinam ſit hujus urbis Tridentinæ ſitus, quæ aeris conſtitutio, vinique vis, & qualitas, aquarumque facultas, necnon particularis Tridentinorum victus, quæ omnia ita ſunt comparata, ut quicumque artem Medicam exercens pro dignoſcendis Morborum cauſis proximis, eorumque felici, & recta curatione inſtituenda, probe ſcire, ac noſcere debeat.

Et primo ſcias oportet, hanc urbem Tridentinam juxta communem opinionem octo perſonarum millia continentem in planitie ſitam eſſe, altiſſimiſque montibus undique ſeptam reperiri. Gaudet

inſuper ipſa amœnitate, & utilitate cujuſdam fluminis Atheſis appellat; quod eandem irrigat, & nimia cadente pluviarum copia, diſſolutiſque a veris, & æſtatis calore montium nivibus aliquando augetur adeo, ut aquæ extra ſuum alveum cum ſummo proximorum agrorum detrimento perſæpe ferantur, & nonnulla inundent loca, quæ, quamvis ipſa inundatio ceſſet, atque omnino deſinat, tamen per aliquod temporis ſpatium humida, & paludoſa remanere obſervantur. Porro parum ab urbe diſtant aliæ regiones, quæ ob proprium loci ſitum, in quo poſitæ reperiuntur paluſtres, humidæ, & aquoſæ exiſtunt, quarum aerem humidis exhalationibus refertum æſtivo, & autumnali tempore diverſæ indolis febribus harum populos afficere ipſa rerum magiſtra experientia docet. Hujuſcemodi autem aer ex flumine, lociſque paluſtribus emanans ſubtilior, & purior redditur, fugatis, & diſſipatis humidis vaporibus tum ab aere puro, & ſubtili, partibuſque heterogeneis probe defæcato ex locis editioribus, & montuoſis ſpirante, tum a ventis borealibus, quibus hæc civitas hyeme præſertim expoſita reperitur; ex quibus omnibus ſolis colligi poteſt, quod aeris hujus urbis conſtitutio, nec omnino ſicca, & ſubtilis, nec omnino gravis, & humida cenſenda ſit. Verum enimvero quamvis talem eſſe aeris conſtitutionem adductæ rationes evidenter demonſtrent, nihilotamen minus tam propter montium altitudinem, quam propter fluminis contiguitatem, ventorumque ſeptentrionalium præcipue frequentiam, tanta eſt aeris rigiditas, tamque magnum in hac urbe graſſatur frigus, ut in hypocauſtis nimium calidis manere in more poſitum habeant Tridentini. Quum igitur tam frigidus, & rigidus aer cutaneos corporum poros conſtringendo illam inſenſibilem, & omnium evacuationum ſaluberrimam perſpirationem impediat, necnon pulmonalia vaſa criſpando, horum reſiſtentiam contra fluidorum momentum adaugeat, hinc neceſſe eſt, ut globuloſæ fluida conſtituentes partes vaſorum diametro mole majores, huicque improportionatæ evadant, & propter earum exceſſum magnitudinis ſupra minimorum canaliculorum capacitatem egredi nequeant, ſed in iiſdem ſtagnare cogantur. Unde eſt, quod pleuritides, peripneumoniæ, pulmonum vomicæ, tubercula, rheumatiſmi, tuſſes ſiccæ, & humidæ, febres catarrhales, capitiſque dolores in hac urbe graſſari frequenter obſerventur. Ita etiam animadvertit magnus Hippocrates Aphor. 23. ſect. III. Hyeme vero morbi laterales, & pulmonis inflammationes, gravedines, atque raucedines, tuſſes, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores, vertigines, apoplexiæ. *Neque in dubium revocari poteſt, quod hypocauſta nimis calida hiſce morbis ſuſcipiendis corpora non ſolum valde proclivia reddant, verum ipſos omnino producant; ſiquidem aliter evenire non poteſt, quin hæc ſubita, & inopinata aeris calidi in frigidum mutatio æquabilem ſolidorum, & fluidorum motum pervertat, humorumque excrementitiorum excretiones perturbet, a quibus recte ſe habentibus ſanitatis leges dependent. Ceterum eos ipſos morbos, qui in hac urbe hyeme graſſari ſolent, etiam vere quamplurimos corripuiſſe obſervatum fuit, præcipue ſi hyems valde frigida, & rigida præceſſerit; & hi non tantum a quadam aeris viciſſitudine, ac inæqualitate eo tempore familiari, quam potius ab impedita ob nimium hyemis frigus corporum perſpiratione mihi provenire videntur, quæ retenta majorum humorum molem in vaſis accumulat, eoſdemque craſſos, & inſpiſſatos reddit; ſuperveniente autem veris calore rareſcunt, commoventur, eorumque motus per omnia vaſa acceleratur; inde contingit, ut viſcerum vaſa difficilius pertranſire queant, ſed in ipſorum anguſtiis moventur, & ſic diverſas pro differenti partium ſitu cauſent inflammatorias ſtaſes.*

Ob ardentiſſimum denique, & fervidiſſimum æſtatis calorem, qui a radiorum ſolis in proximos montes vibratione, eorumdemque reflexione magna ex parte ſuam trahit originem, febribus tertianis ſimplicibus, & duplicibus, diarrhæis, dyſentheriis eodem tempore Tridentini laborare ſolent, qui morbi partim a nimia per ſudores fluidorum tenuium diſſipatione, partim ab eorumdem retroceſſione, per aerem frigidiuſculum, cui veſpertino tempore ſe exponere conſueſcunt, quam maxime proficiſcuntur; hanc ob cauſam partes illæ excrementitiæ ſalino-ſulphureæ ad interiores corporis partes retrocedentes, & ad ventriculi, pancreatis, hepatis, inteſtinorum, & meſenterii glandulas delatæ pro diverſa ipſarum indole, & varia corporum conſtitutione in quibuſdam ſubjectis febres periodicas, in aliis vero diarrhæas, & dyſentherias excitant.

Ad aliam inſuper præcipuam, majoriſque momenti cauſam aſſignandam pergo, quæ mea, aliorumque Medicorum, qui per complures annos in hac urbe Medicinæ artem cum laude exercuerint, opinione, non ſolum ſupra enumeratorum acutorum morborum, verum etiam febrium malignarum petechialium frequenter graſſantium vera exiſtit cauſa. Hæc enim eſt quædam aeris inæqualitas, ac viciſſitudo ex ipſa ventorum varietate orta, qui aerem modo rarefaciendo, modo condenſando, modo calorem, modo frigus excitant, ejuſdemque gravitatem, & vim elaſticam mutant, & imminuunt, unde vitiato poroſæ, & vaſculoſæ compagis cutaneæ motu, illa inſenſibilis, & tam ſalutaris corporum ſupprimitur perſpiratio, ſic fluida ſenſim ſenſimque impuritatem contrahunt, & ad gignendas hujus indolis febres apta evadunt. Idem confirmat divinus Medicinæ Magiſter Hippocrates Aphor. I. ſect. III. Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos, & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes frigoris, aut caloris, aut alia ratione eodem modo.

Nec parum conferunt ad hoſce Tridentinorum morbos formandos vina generoſa, & valde ſulphurea, quorum etiam nonnulla copioſo tartaro, & acido abundant; hujuſce indolis eſſe ex eo arguitur,

tur, quod ebrietatem, & capitis gravedinem facile inducant, difficulterque per urinarias vias tranſeant; hoc praeterea verum eſſe confirmant ſitus montuoſi, & declives a ſole dominati, quorum aliqui ex terra arenoſa, alii ex cretacea argilloſa conſtant, magnamque ſulphuris, & tartari copiam vitibus ſuppeditant, longae, & protractae in doliis multis fermentationes, quae faciunt, ut ſulphureae ejuſdem partes cum vini acido, & phlegmate ſe ſe intimius conjugatis, vinumque magis ſpirituoſum, & ſulphureum reddant.

Poſtremo, ne quid ad cauſarum procatharticarum completam hiſtoriam omittere videar, ſciendum eſt, quod nulli ex Nobilibus Tridentinis, & praeſertim foeminae corpus parum exerceant, cibis farinaceis, acidis, carnibus bovinis una cum braſſica capuccia minutim inciſa, & ope ſalis, & cymini in quibuſdam doliis parvis ad uſum quotidianum aſſervata acidi ſaporis, quam vulgariter Crauti *appellant, nimium veſci delectentur; quae cauſae ita ſunt comparatae, ut fluidorum copiam in vaſis adaugeant, eoſdemque craſſos, & lentiores reddant; unde imminuta vi vaſorum ſyſtaltica, tardior fit progreſſivus fluidorum circulus, excretionibuſque minimorum, & ex ſubtiliſſimis vaſis conflatorum emunctoriorum impeditis fluida magis magiſque impura evadunt. A talibus itaque humorum apparatibus, accedente inaequali aeris ſtatu, non eſt mirum, ſi nonnulli alii morbi, uti convulſiones, affectiones hyſtericae, & ſcorbuticae menſtruorum ſuppreſſiones, albi fluores, lumbrici, calculi, podagrae ſaepe graſſari animadvertantur.*

Denique quod attinet ad hujus urbis aquas, non eſt quod moneam; ſiquidem iſtae plerumque purae, & leves ſunt, adeoque ſalubres, earumque levitas, & puritas non ſolum ex eo, quod linteaminum ſordes facile detergant, deducitur, verum etiam ex experimento toties a doctiſſimo Friderico Hoffmano ad detegendam aquarum indolem inſtituto ſatis, & evidenter demonſtratur; ſumptum nempe fuit oleum tartari per deliquium, idemque mixtum cum multis hujus urbis puteorum, & fontanarum aquis, ad cujus mixturam nullam aquae ſubjerunt mutationem, quod non faciunt impurae, illaeque, quae calcaria terra imbutae ſunt; nam eaſdem lacteſcere ſe ſemper obſervaſſe ſcribit ſupracitatus, & laudatus auctor. Excipiuntur tamen nonnullae parum a flumine diſtantes, quae aliquam impuritatem continent, uti ex eodem patuit experimento.

Ipſae denique pulmonis vomicae, & tubercula Tridentinis familiaria interdum tuſſi ſicca, & aliqua reſpirationis difficultate, dolore pectoris pungitivo, febreque lenta, & marcore ſe oſtendunt, interdum praecedente horrore, & rigore illico ſupervenit tuſſis cum materiae purulentae, ſanguine ſaepe tinctae expectoratione, quam comitatur febris inflammatoria cum pulſu duro, & celeri. In his enim, qui tali morbo affecti detinentur, phlebotomia, ut plurimum, celebratur, quae perſiſtente febre inflammatoria, reſpirationis difficultate, pulſuſque duritie permanente, denuo iteratur. Praeter fomenta emollientia in demulcendis pectoris doloribus juvat oleum amygdalarum interne ſumptum, & ſi anachatarſis difficilis ſit, veſſicantia, & expectorantia ex ſyrupo violarum, hederae tereſtris, tuſſilaginis, therebinthinae compoſita ſummopere proſunt.

Illi autem, qui febre catarrali corripiuntur tuſſi cum materiae tenuis, ſeroſae, inde craſſioris, & ſpiſſioris expectoratione, gravedine, raucedine, coryza, capitiſque dolore afficiuntur; hiſce non raro jungitur ſitis cum linguae viſciditate, & albedine. Accedit inſuper, quod hujuſcemodi febres circa tempus veſpertinum fere ſemper exacerbentur, quod major pulſus frequentia denotat. In his febribus praeter venae ſectionem, ſi eaedem validae ſint, & juvenes ſanguineoſque invadant, pauca adhibentur remedia, & haec ſunt decocta pectoralia, & expectorantia remedia ſupra deſcripta, & pro alvo laxanda clyſteres emollientes, vel oleum amygdalarum dulcium, vel etiam manna electa in decocto pectorali, vel in jure tenui ſoluta, febre tamen declinante, humorumque coctione peracta, exhibita. Ut inſenſibilis augeatur tranſpiratio, & ſudor provocetur, ſi natura tamen eidem excitando proclivis eſſe videatur, interponuntur hiſce remediis: blanda, & temperata diaphoretica, ſeliguntur que pulveres cornu cervi philoſophice praeparati, ſtibii diaphoretici, oculorum cancrorum, matris perlarum, & in multis gelatina cornu cervi in decoctione herbae thè ſoluta, quae idem ſaepe praeſtat.

Inter perículoſiſſimos Tridentinorum morbos referuntur illae ſanguinis ſtaſes in vaſis cerebri, ejuſque membranarum potiſſimum reſidentes. Ab his enim oriuntur vehementes, & interni capitis dolores, cephalalgiae appellant; quos, niſi remedia illico in uſum vocentur, praecedente prius nauſea, vomitu, extremorumque refrigeratione, in convulſionem, ſoporem, delirium, inde in mortem deſinere, quotidianae oſtendunt obſervationes. Ad hoc igitur, ut tam laethalia avertantur ſimptomata, ea ab initio adminiſtrantur remedia, quae a capite ſanguinem revellunt, & derivant, quod praeſtat ſanguinis miſſio in pede primum celebrata, & in brachio iterata; ſi capitis dolor nullo modo diminuatur, & corpora magna ſanguinis abundent copia. In quibuſdam praeterea proficua, & utilis fuit venis haemorrhoidalibus hirudinum applicatio, praecipue quando capitis dolor ex fluxu haemorrhoidali impedito ſuos habuit natales, nec ſine fructu eaſdem, imminuta tamen prius vaſorum in partibus inferioribus plenitudine, retro aures applicatas fuiſſe novi. Celebrata itaque venae ſectione, & extracta illa ſanguinis quantitate, quam vires, temperamenta, habituſque corporum, & cauſa morbi requirunt, ad alia confugitur remedia magnae virtutis, & efficaciae adverſus capitis dolores internos ab aliis Medicis practicis in hoc climate experta, quae ſunt cucurbitulae ſiccae mane, & veſperi dorſo applicatae, frictiones veſſicantia. brachiis, coxiis, & nuchae appoſita, pediluvia ex

herbis capitalibus, & emollientibus facta, quæ omnia ſanguinem in majori copia ad inferiores partes revellendi facultatem habent. Et quia in capitis morbis juxta Hippocratem, aliorumque celeberrimorum Medicorum ſententiam alvus laxa ſummopere juvat; hanc ob cauſam exhibentur purgantia, interquæ nobis magis familiaris eſt pulvis cornachina, vel potio ſolutiva magiſtralis ex ſenna, & manna, vel etiam pilulæ de ſuccino Cratonis, quibus etiam non raro ſubſtituuntur clyſteres, qui aliquo ſtimulo polleant. Valet inſuper contra capitis morbos ſpecificum cephalicum Michaelis in aquis, vel mixturis capitalibus ſumptum, ut utilia eſſe obſervavi aliquoties diaphoretica, quoniam ita ſudorem blande concitando ſanguinem in cerebri, ejuſque membranarum vaſis ſtagnantem ſenſim ſenſimque diſcutiunt. Hiſce igitur remediis a capitis doloribus internis multi liberantur, at ſi Medici, vel ægrotantis culpa venæ ſectiones, veſicantia nimis tarde in uſum fuerint vocata ita ut, pars ſeroſa, & limphatica ſanguinis ſtagnantis per vaſorum poros in cerebri cavitates ſeceſſerit, tunc fruſtranea fuiſſe plerumque animadverti.

Ceterum præter febres periodicas in quiſbuſdam ſubjectis variæ diarrheæ, & dyſentheriæ æſtivo tempore pariter emergunt, quæ partim ab impedita (ut ſupra innui) inſenſibili perſpiratione, partim ex nimia fructuum horreorum ingurgitatione, cui quam maxime Tridentini indulgent, proficiſcuntur. Etenim iſtæ per copioſas humorum bilioſorum, & mucoſorum, & in dyſentheriis ſanguine tinctas dejectiones, necnon per ſaniem ulceroſam cum pelliculis, & filamentis tunicaceis permixtam ſe manifeſtare, quibus pro diverſo morbi gradu, & majori, vel minori humorum acrimonia varia ſe aſſociant pathemata, uti vomitus, ventris dolores, ventriculi gravedines, nauſeæ, febrileſque humorum commotiones. Quod vero ad horum morborum curationem attinet, ſi graves urgeant ſtomachi paſſiones cum inanibus vomendi conatibus, aliaque hujuſcemodi ſimptomata vigeant, quæ nimiam, & turgeſcentem humorum bilioſorum in primis viis exuberantiam adeſſe demonſtrent, eamdem levi vomitorio juxta antiquiſſimam divini Senis opinionem ſect. 6. aphor. 15. illico eliminatur, ne ibidem acrior facta circumpoſita vaſa magis magiſque corrodat, copioſioremque fluxum excitet. Seligitur autem illa radix hypecacuanha a Baglivo pro ſpecifico, & infallibili remedio in fluxibus dyſenthericis habita, necnon a Cl. Viro Friderico Hoffmano valde commendata, quæ primis morbi invaſionis diebus, & ſi neceſſe ſit iteratis vicibus exhibita ad cohibendos, hujuſcemodi fluxus in hac urbe aliquoties proficua animadvertitur. Inſuper ſi vomitoria locum non habeant opem ferunt deſideratiſſimam illa remedia, quæ humores acres, & bilioſos attemperandi, illoſque per alvum blande, & clementer educendi facultate pollent; in quorum numero caſſia recenter extracta cum pulpa tamarindorum, rhabarbaro torrefacto magis ſplendet, utiliſque deprehenditur. Expurgata, vel per partes ſuperiores, vel per inferiores quantum ſufficit humorum ſaburra, recurritur ad illa, quæ acidos acres, & bilioſos ſuccos contemperant, & abſorbent, & leviter adſtringunt, inter quæ palmam obtinent pulveres cornu cervi uſti, matris perlarum, oculorum cancrorum, corallorum rubrorum præparatorum, clyſteres ex lacte chalybeato, vel ex decocto hordei facti cum vitello ovi, in quibus ad detergenda in dyſentheriis inteſtinorum ulcera, ſuccum hyrcinum, vel terebinthina diſſolvitur, quibus remediis ſi non cedant morbifici fluxus, vireſque nimium proſternantur, pulveres magis adſtringentes ex bolo armena orientali, terra catechu ſigillata, fungo melitenſi, cum uno, vel altero opii torrefacti grano præcipue ſi inteſtinorum urgeant dolores, in uſum vocantur, nec pro hac indicatione omnino adimplenda omittuntur clyſteres magis adſtringentes ex radice plantaginis, tormentillæ, flo. piloſellæ, polygoni quotidie injecti, & linimenta ex oleo cydoniorum, maſticis in abdomine facta, quæ non parum ad alvum ſiſtendam coadjuvant. In quibuſdam juvat tinctura roſarum in potu exhibita, & ad compeſcendum vomitum, qui frequenter ægros afficit, ſingularis eſt virtutis emplaſtrum de tacamacha cum balſamo peruviano ventriculi regioni applicatum. Quod ſi denique hoſce morbos comitetur febris, & corpora his affecta ſanguinea, & plethorica ſint ab initio ſecatur vena, educiturque illa ſanguinis quantitas, quæ ægrorum viribus, & ætati correſpondeat; qua omiſſa inteſtinorum ſuccederet inflamatio, uti cadaverum his morbis defunctorum demonſtrant ſectiones. Hiſce itaque remediis ab initio, adhibitis, & congruo vitæ regimine hujuſcemodi æſtivæ diarrheæ, & dyſentheriæ a ſupra tamen memoratis cauſis provenientes plerumque curantur.

Satis, ſuperque de morbis, qui hyeme, vere, & æſtate in hac urbe graſſari ſolent me dixiſſe arbitror, ſupereſt nunc, ut ad illos, qui quocumque tempore ſe manifeſtant, & ex proprio, & peculiari Tridentinorum victu, eorumdemque vita ſedentaria magis proveniunt, ennarrandos deſcendam. Occurrunt ſcilicet illæ inordinatæ, & ſpaſticæ nervoſarum, muſculoſarumque partium motiones ſub convulſionum nomine notæ, mulieres, & virgines hujus urbis frequenter vexantes, & ex ſumma artuum diſtenſione, contorſione, jactatione, incurvatione, necnon aliquando totius corporis rigiditate cum ſenſuum internorum, & externorum abolitione ſatis manifeſtæ. Ad quas tollendas nullum præſtantius innoteſcit in hac urbe remedium, quam venæ ſectio in paroxyſmo ipſo celebrata, eademque repetita, ſi convulſiones non ceſſent, & mulierum, virginumque temperamenta ſanguinea, aut menſualium purgationum deficientia laborarent. Et quia ſanguis e vena extractus valde craſſæ, vel tenacis conſiſtentiæ eſſe ſolet, ideo ſæpe ad veſicantia confugere neceſſe eſt, quæ prout ipſa me docuit experientia, in paroxyſmo pariter brach iis, & nuchæ applicata, venæ ſectione excepta, omnia alia remedia antecellunt. In convulſionibus denique ſedandis

tentæ utilitatis ſunt remedia antiſpaſmodica, cardiaca, & anodina, uſurpanturque mixturæ ex aquis ceraſarum nigrarum, pæoniæ maris, epilepticæ Langii meliſſæ totius citri cum pulvere epileptico de gutteta, vel marchionis, confectione hyacintina incompleta, aut alkermes, additis aliquot guttulis tincturæ anodinæ, vel laudani liquidi, cochleatimque propinantur. In pueris, & infantibus præmiſſa in manu venæ ſectione vel lanceola, vel hirundinum ope facta, ſi nimis parvuli ſint mirabilis prorſus eſt aqua hirundinum. Uſuale & proficuum eſt ſpecificum cephalicum Michælis, ipſaque pulvis epileptica nigra in aqua ceraſorum nigrorum exhibita, nec fructu carent gelatinæ, cornu cervi, eburis, ungulæ alcis aquis idoneis extractæ. Convulſionibus ſedatis ſi in fluidis acris, viſcida, & ſcorbutica prædominetur diſcraſia, ad has præcavendas omnino ſatisfaciunt remedia, quæ illam corrigunt, quare præmiſſis medicamentis per epicraſim purgantibus tempore opportuno decocta radicis ſarſeparilliæ, chinæ, pœoniæ maris, raſuræ eboris, cornu cervi, ligni viſci quercini cum herbis naſturtii aquatici primulæ veris, florum tiliæ vocantur in uſum, quæ permultos dies ſumpta ſummopere inter cetera medicamenta prodeſse obſervantur.

Ad convulſivas, & ſpaſmodicas nervoſi ſiſtematis affectiones jure merito referendus eſt morbus hiſtericus, quo Tridentinæ fœminæ laborare conſueſcunt; hoc enim faucium ſtrangulatio, difficilis reſpiratio, animi deliquia, ſopores, deliria, ſpaſmi in uteri, abdominis, lumborumque regione excitati, aliaque, quibus eædem affici animadvertuntur, demonſtrant ſimptomata. Ideo ad haſce mulieres a paroxiſmo hiſterico excitandas juvant ſpirituoſa naribus applicata, uti ſpiritus ſalis armoniaci, oleum ſuccini, in quibuſdam vero fumus papiri in ignem injecti, aliarumque rerum fœtidarum odores.

Ipſæ eædem cauſæ, a quibus calculorum generatio dependet, concurrunt pariter ad formandam podagram Tridentinis familiarem; etenim multiplici obſervatione compertum habemus magnam inter hoſce affectus intercedere affinitatem, adeo ut multi calculis obnoxii affici obſerventur, & viciſſim. Qua de cauſa uti dolores nephritici ex calculis provenientes, ita dolores podagrici hæreditarii animadvertuntur in multis. Denique quod attinet ad hujuſci morbi ſymptomata, hæc varia ſunt pro diverſitate conſtitutionis corporum, ætatis, & apparatus humorum, hinc etiam eſt quod plus, vel minus durare ſoleant. Interim tamen mihi notum eſt, podagram modo unius modo utriuſque pedis dolore incipere, qui ſenſim ſenſimque a digitis inde ad calcaneum, ſuram, talum, & poſtea ad oſſa tarſi, metatarſi ſe extendit; & quoniam iſte a violenta fibrillarum membranas, & ligamenta pedum nerveo-tendinoſa componentium vellicatione, divulſione a ſero acri, ſalſo, & tartareo facta dependet, inde eſt, quod in aliquibus febricula cum horrore, frigore, nauſea, laſſitudine excitetur. Quoties itaque ſanguinea, & juvenilia ſint corpora, ad ipſius podagræ præſervationem celebrantur venæ ſectiones, exhibenturque blanda laxantia, & decocta ſanguinem depurantia. In ipſo autem paroxiſmo podagrico nullum præter clyſteres, alvo exiſtente adſtricta, adhibere ſolemus remedium, ſed ſolo, & ſtricto victus regimine omnino abigitur; Omittuntur etiam remedia externa, quæ ad dolores mitigandos præſcribi ſolent, quoniam plus damni, quam emolumenti attuliſſe ipſa toties demonſtravit experientia.

Tandem ultimo loco hiſce omnibus morbis, quibus ſæpe vexantur Tridentini, adjungenda eſt lues venerea, quæ ſicuti in aliis Europæ regionibus, & civitatibus hoc tempore ſummopere graſſatur, ita pariter in hac urbe Tridentina familiaris nunc eſſe perſpicitur. Hujus itaque Celtici, & ex impuro veneris uſu contracti miaſmatis talis indoles eſt, ut partium genitalium poris illico inſinuetur, & ob ejuſdem naturam acido-ſalſam, corroſivam, & fixam, qua fluida corporum inficit, varias, & diverſæ indolis gonorrhæas, ulcera, bubones, teſtiumque tumores excitet. Ideoque quamprimum per hoſce affectus lues celtica ſe manifeſtat, omnis impenditur labor, ut remediis convenientibus e corpore proſcribatur, ne miaſma univerſam ſanguinis, omniumque aliorum fluidorum maſſam inficiat. Igitur in gonorrhæis apud nos mos eſt, alvum conſerva caſſiæ cum aliquot granis mercurii dulcificati prius recte purgare, cui etiam ad efficaciorem catharſim movendam radix jalappa in pulverem redacta in quibuſdam caſibus adjungitur, inde remedia emollientia, relaxantia, & detergentia protinus uſurpantur, inter quæ proficua invenitur terebinthyna Veneta cum aqua malvæ, aut decoctione foliorum malvæ, violarum, cichoreæ, altheæ, parietariæ ſumpta, vel etiam ejuſdem ſpiritus. Multis bono etiam ſucceſſu exhibentur pulveres abſorbentes, & temperantes ex oculis cancrorum, matre perlarum, nitro purificato, ſuccino, oſſe ſæpiæ compoſitæ, ut emulſiones amygdalarum dulcium, ſeminum melonum, papaveris albi, aqua malvæ, nympheæ extractæ. Hiſce medicamentis per aliquot dies propinatis iteratur denuo memoratum purgans, ut venereum ſeminium omnino eliminetur, quo obtento, per balſamiea remedia abſolvitur curatio, hinc valde efficax eſt balſamum copaibæ, non omiſſis injectionibus relaxantibus, emollientibus, inde detergentibus, & conſolidantibus ad detergenda urethræ, proſtatarumque ulcera. Uſualia inſuper ſunt adſtringentia, ſi gonorrhææ eliminato ſeminio venereo ob nimiam proſtatarum, & veſſicularum ſeminalium relaxationem etiamnum remaneant, nimiſque in longum protrahantur. Denique uſu receptum eſt, in gonorrhæis, bubonibus, ulceribus, & teſtium tumoribus decocta ſudorifera ex radice ſarſaparillia, china, ligno guajaco,

jaco, viſcoquercino, raſura eboris, cornu cervi, antimonio crudo, & lapide pumicis parata exhibere, interpoſitis ſingulis duobus, vel quatuor diebus purgantibus, & mercurialibus, quæ ſunt plerumque pilulæ cochiæ, aut Paracelſi cum decem, duodecim granis Mercurii dulcificati. At ſi ex capitis, aliorumque membrorum erraticis, fixis, pulſatoriis, lancinantibus, tenſivis, pungitivis doloribus cum rigiditate, & ambulandi impotentia, aut ex vertigine, artuum ſpaſmo, tremore, ſcabie univerſali, faucium, narium, palati, gingivarum inflammatione, & exulceratione, tumoribus duris, ſtrumoſis, tophaceis, & variis aliis ſimptomatibus ſatis conſtet, quod lues celtica univerſa pene fluida inquinaverit, & ad varia corporum organa penetraverit, ibique altas jam egerit radices tunc non certius, non efficacius, & magis genuinum in hac omnino debellanda, in hac urbe invenitur remedium, quam panaceam quandam mercurialem, quæ hic rite præparatur, & præmiſſis purgantibus, decoctis ſudorificis, aliiſque ſupra enarratis remediis, repetitis doſibus, ægris porrigitur, uſque dum blandum, & moderatum excitare valeat ptyaliſmum. Hoc unico itaque remedio multos a lue venerea liberatos, atque ex orci faucibus ereptos fuiſſe obſervavimus.

Hi ſunt morbi Tridentinis endemii, & magis familiares, quos tibi, Vir Clariſſime, niſi tot, tantique momenti negotiis occupatus fuiſſem, jam prius palam facere conſtitueram. Et hæc eſt eorumdem curatio, quæ partim ex mea, partim ex longa aliorum ſeniorum hujus urbis medicorum experientia utilior, & magis proficua reperitur. Hinc perſpicis, quanam ratione venæ ſectiones, veſſicantia, cucurbitulæ, frictiones, aliaque remedia attenuantia, diluentia, atque diſſolventia magna adverſus deſcriptos acutos morbos ſint præſidia; ſiquidem ego plena fide aſſerere poſſum, id, quod alii ſeniores confirmant Medici, omnes hoſce morbos plerumque ex nimio fluidorum lentore, craſſitieve dependere. Quæ cum ita ſint, aliud mihi non ſupereſt, niſi, ut hæc omnia grato animo, & in amicitiæ meæ erga te obſequium accipere velis. Vale interim, Vir præclariſſime, artiſque noſtræ ſcientiam magis, magiſque excolere perge.

Dabam Tridenti decimo Kal. Maii 1745.

VIENNA AUSTRIÆ

SUMMIS Auſtriacæ domus Imperatoribus auſpicibus, atque protectoribus clementiſſime regnantibus totus Germanicus, & Catholico-Romanus Circulus in bonis artibus, & diſciplinis ſemper magis floruit; & præcipue ejuſdem Metropolis Vienna, ubi ob Monarcharum præſentiam, magnificamque Aulam ab interventu multorum Principum, & Magnarum perſonarum frequentatam, muſæ etiam, & literæ exultæ ſunt. Quo fit, ut Imperialis fortunata urbs ex natis, & redivivis in ſinu ſuo doctiſſimis viris, vel ob hanc cauſam ſemper magis ſplendeat; atque etiam inde, ut per Germanicas ditiones propagata, & eunte optime initiata juventute, facilius, ob ſalubres ab hoc fonte delibatas primitias, in reliquo ſcientiarum, & humanorum uſuum curriculo diſcere, & proficere queat.

Illud inſuper ad rem noſtram accedit, quod cum, vel ratione Aulicæ dignitatis, & muneris plures ad Archiatri gradum ſuffecti fuerint, atque promoti, vel intuitu ditandi Viennenſis Archilycæi, ab exteris Provinciis vocati, primiſque in ſubſelliis diſtributi, ut Togati docerent; quiſque videt ſummopere juvatam etiam ſcientiam Apollineam, ditatoſque artifices, qui a ſemper magis coruſcantibus, & ab uno in alterum reproductis luminibus afflati, medicum ſtadium cum Auſtriacarum Gentium bono metiri feliciter potuerunt.

MEDICI CELEBRES

HINC poſtrema ætas vidit Viennæ florentem Antonium Depozis S. C. M. Archiatrum, Nicolaum Wilhelmum Beckers S. C. M. Perſonæ, ac Aulæ Medicum, Fridericum Ferdinandum Ilmer, Johannem Georgium Greiſelium, & Laurentium Woltſtrigel celeberrimos olim in Academia Viennenſi Anatomiæ Profeſſores, Georgium Sebaſtianum Jurgium, alioſque ſucceſſivis temporibus Imperialium Monarcharum Archiatros, ideſt Penna Lib. Bar. de Benintema S. C. M. Medicum (1) Johannem Wolfangum Preyſer Profeſſorem publicum (2), Pium Nicolaum de Garelli Regii Ordinis Chriſti in Luſitania equitem, & S. C. M. Conſiliarium, ac Protomedicum, Franciſcum Fridericum Poſſinger Archiatrum pariter Cæſareum, multoſque alios hæc uſque in noſtra tempora per totam Auſtriam florentes, de quorum numeroſæ quantitatis, præcipue apud Viennenſes, neceſſitate ſcripſit olim Magnificus D. Stumpff S. C. M. Ar-

chia-

(1) De quo videnda, quæ proſtant in Actis Lipſienſibus anni 1715, pag. 124 circa peſtilentem conſtitutionem annorum 1709, uſque ad 1713 in variis Germanici Imperii provinciis, atque etiam in Auſtria graſſatam: ubi remedia eaque activiora proponuntur; ſcilicet emplaſtrum magneticum arſenicale, ægyptiacum, alumen uſtum &c. proindeque tranſit ad emetica, veſicantia (quæ ab aliquo Viennenſi Scriptore uſitata vidi etiam ſuper naſcentes carbunculos) frontalia, epicarpia, cauteria actualia.

(2) Opus produxit ad œconomiam corporis animalis ſpectans, in tria capita diſtinctum, ubi Antiquorum ſyſtemata cum Theotericorum principiis jungere ſatagit.

chiater (1), ſcilicet ob *ciborum delectum*, & *quantitatem*.

DIÆTA LACTEA AD CURANDAM PODAGRAM

PAULUS de Sorbait (2) Viennenſis olim Profeſſor, & Sacræ Imperatricis Eleonoræ Medicus inter jam diu guttariis tormentis vexatos, & ope diætæ lacteæ ſanatos refert Joannem Pillam S. C. Majeſtatis Chirurgum, Comiteſque de Koenigsoeg, & de S. Hilario. Quod quamvis verum, non ideo ducenda conſequentia eſt, lac ſemper eſſe podagricæ ataxiæ curativum, cœcoque uſu illius adminiſtrationem eſſe undique omnibus promovendam. Diſtinctio quippe veritatis primaria mater ſola poteſt medentium animos dirigere, ut proſit: hinc

ANIMADVERSIO I.

SI Podagroſus medicandus macer eſt, ſicci, atque pichrocoli habitus; ſi a qualitate pendet morbus, ſi a ſalinis, & gliſcentibus ſanguinis, & ſynoviæ ſpiculis & aſperitatibus, nervorum productiones, juncturarum apophyſes, nodique vellicantur, poſſet etiam lactea diæta prodeſſe.

ANIMADVERSIO II.

SED ſi aderit humorum plenitudo, lentores abundabunt in venis, turgebuntque morbidi artus, aut inflammatio (3) ſit præ foribus; tunc ſane lac ictus ſclopeti eſſe poſſet, qui ægrotum urgebit in pejus.

ANIMADVERSIO III.

ADDAMUS, multa inſuper eſſe ad examen revocanda, antequam ad lacteæ dietæ exhibitiones deveniamus; reſpectu galaxiæ, hoc eſt conſtitutionis ſtomachi, & primarum viarum ægri medicandi; cui tam ſi exili, quam obeſo, lac fortaſſe nunquam quadrabit.

Addamus inſuper, lac eſſe fluidorum omnium in corpore occurrentium, interdum noxia intercedente aciditate, coagulativum, optimique corruptiones ſemper eſſe pertimeſcendas: quare, & uno verbo, Viennenſis hic uſus non adeo tutus eſt, & ſumma cum circumſpectione ab Italis etiam noſtris imitandus. Quod quidem mihi videor videre factum etiam ab hodiernis Auſtriacis Medicis.

CHOLICA

SUPRADICTUS inſuper celebris Vir videns in Auſtria præſertim cholicam paſſionem in convulſivam membrorum, & artuum contractionem degenerare, & abſcedere, auctor eſt, ut acidularum uſus ſubſtituatur, a quo ſolvi poſſunt deleteria illa bilis principia, a quibus lacrymabilis ſcena producitur.

SUDOREM

SUDOREM vero a theriaca promoveri non adeo facili negotio crediderim; potius a pane piſto, & calente lateri appoſito; quoniam ſic eſt ſpecies Hypochauſti. (4)

SPIRANDI DIFFICULTATES, TUSSES, RHEUMATA

PER urbem Viennam totamque Auſtriam graſſari referunt Scriptores, quod ab aeris conſtitutione, aquilonia præcipue, pendere ſummopere dubitandum eſt. Propoſitæ tamen mariſcarum, ſedaliumque *venarum apertiones* pro hæmorrhoidibus excitandis, necnon *diuretica* videntur potius apta ad dirum moderandum effectum, quam ad tollendam cauſam, cui ſcopo præcipue in juvenibus incumbendum eſt.

Notandum inſuper, ſupradictorum morborum cauſam fortaſſe pendere a cibariorum, & ſulphureorum vinorum, per Auſtriam abundantium, totam ſanguinis maſſam ſaginantium, & implentium qualitatibus, ob quas non ſolum patriis Viennenſibus, ſed etiam advenis ibi commorantibus ſæpe ſanguis extrahendus erit.

HYDROPEM, PHTYSIM, ASTHMA, PARALYSIM

AB eadem pariter cauſa, vinorum ſcilicet, ſulphure ſcatentium, ſævire in hiſce regionibus arguendum cum doctis Viennenſibus, Lintzienſibus, Novoſtadienſibus, ceteriſque in Ciſdanubiano, & Transdanubiano tractu commorantibus, & docentibus Medicinæ Profeſſoribus, arguendum inquam eſt; potiſſimum ſi accedat uſus cereviſiarum, non ſatis coctarum, aut depuratarum, & deficientium illis primordiis, aut circumſtantiis, quæ ad perfectam elaborationem requiruntur.

Magnates tamen habent in hoc Medicinam facilem a cetero Pannoniæ tractu, totaque Hungaria, Tolkaioque præſertim, ubi & prætioſa vina, & tranſeuntes per microcoſmum liquores quam maxime abundant.

ANIMADVERSIO

MIRANDUM aliquibus videbitur, aſthmata, & tuſſes ſævire in urbe Vienna, finitimiſque locis, in ſuppoſita vini ſulphurei abundantia, illo præſertim innixi fundamento, ſulphur palmarium eſſe in morbis pectoris, atque adeo pulmonum, & thora-

(1) Referente Jo: Baptiſta VVerloſchmig. In Abuſu curationis verno autumnalis.
(2) Cap. VI. de Podagra, & Iſchiadica paſſione, pag. 741.

(3) Quæ tamen raro, & fere nunquam ad ſuppurationem pervenit.
(4) Idem Viennenſis Auctor.

thoracis remedium, nulloſque Scriptores de illis tractare, quin illud præſcribant: adeoque a perenni Auſtriacorum vinorum compotatione thoracica exta potius juvari debere.

Sed illud hanc in rem animadvertendum eſt, duas qualitates in ſulphure verificari; unam pinguem, & oleoſam; alteram acidam. Prima illa eſt, quæ pectori prodeſt, utpote balſamicis particulis referta, quæ pulmonalium acinorum amicæ ſunt. Altera, quæ nares palatumque ferit, noxia. Hoc poſito. Cum ratione frigidioris climatis, in Noricis, Pannonicis, ceteriſque Auſtriacæ terræ tractibus, quos Danubium luit, uvæ ad perfectum maturationis gradum pervenire non poſſint, nec terræ ubertas, ſituationum poſitus, aut ſolis facies, quantum neceſſe eſſet, conſpirent, illud evenit, ut Auſtriaco fortaſſe vino acidum aut perſentiatur, aut occultum lateat, ideoque ingenitis vegetantis in vitibus ſulphuris qualitatibus & viribus, ſuperadditum, potum non adeo gratum (ut in multis Hungariæ locis, Tokaio præſertim), aut ſalutarem conſtituat.

BUBONES VERMINOSI

ADMODUM rarus, & explicatu difficilis eſt caſus, quem Viennæ vidit illuſtris Profeſſor Philippus Jacobus Weigant anno 1729 in viro ſexaginta & amplius annos nato, & duobus bubonibus in regione inguinum laborante: quibus ſectis, in utroque lumbricus *ſphitamæ unius longitudinem ſuperans, capite ſubcæruleo, & faucibus conſpicuis* exivit. Cumque non ab inteſtinis, ut Sculzius vidit, & Weigant fatetur, eoſdem provenire potuiſſe certum ſit (integra quippe alioquin valetudne patiens fruebatur) reliquum eſt, ut per adacta ovula, aut a ſanguine eo deportata conjecturæ ſumantur.

FEBRIS EPIDEMICA

FEBRIM catarrhalem epidemicam Viennæ etiam menſibus Septembre, & Octobri, anni 1729, graſſatam deſcribit gravis Germanicus Auctor Carolus Fridericus Loevv, verbiſque Caroli Raygeri ſe explicat, quo ad præcedentia, *inſolitam* ſcilicet *aeris temperaturam, æſtatem pluvioſam, & autumnum inæqualem*, quæ, & multa alia epidemiis præire, & veluti cauſam illarum eſſe, ante alios jam expoſuit Apollineæ ſcientiæ princeps Hippocrates.

Illud conſiderandum, urbem Viennam ab epidemico morbo fuiſſe *celerius, & vehementius* impetitam, eundemque non ſexui, non gradui, non ætati, quaſi dixero, pepercisſe. Quomodocumque tamen, mitius quam in Italicis provinciis. Ait enim (1): *Quamvis autem Viennæ non tanta malignitate comparuerit, quanta quidem in agro Bononienſi.*

Hemorrhagias vero morboſo in illo non ſolum Auſtriæ, ſed totius Germaniæ, ne dicam, ut ipſe Loevv refert, Europæ curriculo, potius juviſſe, non admiror. In illo ſum anceps, num conſtitutio illa vere dicenda fuiſſet catarrhalis. Quis enim ferme diceret catarrhalem, benignamque febrem illam, ob quam bene multi vitare libitinam non potuerunt? Præter quam quod per totam orationem ejuſdem Loevv iteratas mentiones factas video *vomituum, deliriorum, ſubſultus tendinum, vigiliarum, ſtricturæ pectoris, anxietatum, torminum, tuſſium, febrium continuarum malignarum, purpuræ, exanthematum, parotidum, bubonum*, quorum aliqua, aut omnia acutas, periculoſaſque ægritudines aſſolent comitari.

De *nebulis* vero oculos *vellicantibus*, de *piſcibus mortuis*, de corporibus humanis a canibus devoratis, deque innumeris *putredinoſis* miaſmatibus per aera volitantibus, quæ epidemicam calamitatem in Auſtriacas regiones invexerunt, non admiror, multoque minus Viennæ *omnes* cum ſumma *laſſitudine vigiliiſque* fuiſſe invaſos; cum illa fere ſemper ſint morboſarum viciſſitudinum præcedentia primordia.

Utiliter in febribus *intermittentibus*, & *tertianis* in uſum poſitum fuiſſe febrifugum (2) Nicolai de Blegny, admirandum eſt; quia modicam in illo fidem habent Medici Itali.

MORBUS PER GERMANIAM VIENNAMQUE PRÆCIPUE IN PLEBEM GRASSATUS

QUONIAM ſuperius de epidemicis Auſtriacæ terræ conſtitutionibus locuti ſumus, non inconcinnum nobis viſum eſt mentionem facere olim graſſatæ ægritudinis præcipue in vulgus, ob quam in varia abeuntibus celeberrimorum Viennenſium Medicorum conſiliis, Præſtantiſſimus Philippus de Violante, Archiater nunc Regis Poloniæ, Epiſtolari Diſſertatione ad Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum Comitem D. Roccum Stella Teleſii Ducem, & ex Hungariæ Magnatibus unum, Octobri 1713 data, nobiſque comiter transmiſſa, ſcribere coactus fuit.

Eandem autem non *levem tantummodo epidemiam* fuiſse ſtatuit; & laudanda prorſus propoſitione queritur, quod *omnis evitandæ ſtragis ſedulitas fuerit abjecta*. Hoc non ſolum in illa Viennenſium viciſſitudine fortaſse verum, ſed ſæpe ſæpius potiſſima cauſa eſt, ut Provinciæ non præſerventur. Quia in hiſce calamitatibus totus rei cardo in eo ſtat, ut timeant. Idque nonniſi a ſuppoſito morbo, ut peſtifero, poteſt evenire. Hoc manet menti meæ adeo alte repoſitum, ut cenſeam, Medicos ad judicandum rogatos, num incipientes morbi in aliqua Provincia de peſtilenti contagio participent, nec ne, teneri, etiam ſi certi non ſint,

(1) Idem Loevv.

(2) Paratur ex *malis aurantiis amaris, & vino albo*.

ſint, & in re dubia, potiuſque in proclivi eſse, ut gentibus mæſtitiam præſentem afferant, affirmativam tenendo opinionem, & inſtando, ut timeant. Quia ita fortaſse infortunium vitabitur.

A concreſcente ſanguine, atque a fluidis omnibus ad coagulum ſtaſimque inclinantibus, diram ægritudinem pependiſse aſserit nunquam ſatis laudatus Violante, hinc ad remedia attenuantia, & diſſolventia tranſit; ſuamque opinionem fulcit, & confirmat obſervatione de Bubone facta, *qui licet aliquoties, poſtremum hujus morbi ſignum, extra cutim non emerſerit, diſſecto tamen cadavere, internis in partibus incluſus, atque jacens inſpectus eſt.* Et en quomodo anatome Artem medicam illuſtrat juvatque. Quandoquidem, licet ob morbidæ naturæ debilitatem a maligno afflatu productam, & adauctam, ad cutis emunctoria eminere, & ſuppurari non potuerint: attamen ab eorundem concretione, & intercutis ſtaſi, conjiciendum, & veneficam auram, ſecundum citati Scriptoris documenta humores in corpore animato figere, &, hoc lumine coruſcante totis Clinicæ Scientiæ viribus in id eſse enitendum Profeſsoribus, ut molimen naturæ a centro, ut priſci ajebant, ad circumferentiam tendat, utque Chirurgicis etiam adminiſtrationibus, hæ ſuppurationes probabiliter profuturæ alliciantur.

Ut bubones venereos etiam immaturos Chirurgi ſecent, alibi auctor fui. Nunc quoque ab utili animadverſione Clariſſimi Violante edoctus, atque ut ita dicam excitatus, audeo ſuadere Philiatros, & ceteros etiam, quibus ſæviente lue aliqua ſalus hominum cordi eſt, atque commiſsa, ut illico, ac quis ægrotat, cogitent num in inguinibus, ſub axillis, pone aures, plagulæ ſtatim infigendæ ſint, ploratuſque promovendi, adeoque quod natura molitur Medicus perficiat. Quam etiam propoſitionem commentari nobis placuit, ut celeberrimo Auctori ſcribenti laudem, & morem gererem, atque etiam, ut nobis ſuadentibus, & propoſitionem magis in aprico collocantibus, cum publico bono amplecti magis poſset.

REMEDIA

Pulveris Diaphoretico Cordialis Dom. Stokhamer Medici Viennensis celeberrimi

Oculi cancrorum, coralli, & oſtreorum conchæ in anatica quantitate, utiliter adhibita in *exoticis corrigendis* ſanguineæ maſsæ particulis, cutiſque poris reſerandis. (1)

Cordiale in febribus malignis adhibendum

♃. Cinnab. nat. ℥ I auri balſamici ʒ I .s. ſaccha cand. alb. ℥ II m. f. pulv. doſis gr. XVI. Pulvis etiam Hannover dicitur. Vide Pharmacopæam Viennenſem, & Lexicum celeberrimi Veneti Viri Joannis Baptiſtæ Capello. (2)

Purgantia

Si Antonius Loigk Medicus Viennenſis invehit in purgatores, & philopharmacos, conſequentia ducenda eſt, & illis in regionibus abundare. Tamen dari cordatos in abuſum correctores gratulandum eſt. (3)

Ad pallidos virginum colores

Tinctura vitrioli Martis Zuuelſeri, aut eſsentia Martis cum ſucco pomorum parata Viennæ uſitatiſſima eſt.

Contagium

Remedia contra contagionem Viennæ Auſtriæ uſitata deſumenda ſunt ab Opere Joannis Baptiſtæ Alpruni; quandoquidem produxit (4) *experimentum Medicum de Contagione Viennenſi.*

Remedia familiaria

Proſtabunt in Hercule Medico, Auctore Wolfango Hoekero; quippe qui S. Cæſareæ Majeſtatis erat Medicus Aulæ Viennæ Auſtriæ.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO VIRO

JOANNI JACOBO MARINONIO

Regio Conſiliario, inclytorum Statunm inferioris Auſtriæ Mathematico, & Bononienſis, atque Neapolitanæ Scientiarum Academiæ Socio

Franciscus Co: Roncalli Parolinus

S. P. D.

Viſo in Actis Venetis (quæ includo) ſpecimine inclyti Operis tui de Aſtronomica Specula agentis, typis Kalivvodianis non ita pridem Viennæ Auſtriæ cuſi, ſignanterque obſervato titulo, quo jure ac merito decoratus Bononienſem Academiam exornas, & ob aggregationem etiam noſtram de tua Societate me ſuperbum facis, cogitavi ſtatim, meæ letitiæ, & obſequii ad te teſtimonium mittere in epiſtola; eodemque actu venire ſupplex, ut me inter tuos ſignes, & bonam in partem accipias audaciam his addendi levidenſe munus unius Tomi in folio maximo antehac in publicam lucem producti, necnon Opuſculum Præſtantiſſimi Anſaldi, ut ad calcem Nuncupatoriæ videas argumentum, quod nunc elucubro, & ut

(1) VVerloſchmig, de Curatione verno-automnali, pag. 13.
(2) Pag. 240.
(3) Vide eundem Auctorem, pag. 29.
(4) Pragæ apud univerſitatis Typographum.

vim, mihi favendo, facias Archiatro Viennenſi, aut Patri Academico, qui mihi in epilogum aliquid adumbret circa Auſtriacam hodiernam Praxim. Faxint Cœlites, ut prima hæc meæ obſervantiæ arrha arrideat, & per quam optati juſſus tui in reſponſione Brixiam perveniant. Vale.

Brixiæ Venetorum 5 Septembris 1746.

ULMA

AB Ulmenſi Profeſſore, & Collegii Medici Decano Alphonſo Khonio ſumere debent Philiatri lumen, & documentum, num in paſſione iliaca, fortaſſe ab hernia inteſtinali excitata, mercurius vivus adhibendus ſit, ut feliciter feciſſe vir ingenuus ſcriptis ſuis teſtatur.

Sique reliqua circa Svevam-Ulmenſem Medicinam ſcire cupiunt, non diſcedant a lectione Operum Georgii Horſtii, Joannis Pſautz, Lucæ Scroekii, Georgii Jeronymi Velſchii, necnon Joannis Ulrici Widholz Auguſtani, qui in Sveviæ urbe Kaubfayra Medicus fuit magni nominis.

URATISLAVIA
SILESIÆ METROPOLIS

JOANNES Chriſtianus Kundmanus de inundatione, & febribus epidemicis Ducatus Sileſiæ loquens, ſilere non potuit originem peſtilentialium morborum, a Turcico præcipue Imperio in totam Europam invectorum, illorum ſignanter, qui in Ægypto, ſub nomine *dem el Muya*, ſævire ſolent, quibus præmiſſis, ad conſtitutionem Morboſam Uratislaviæ graſſatam deſcendit, interque primarias rationes dicit poſt Zephyros, & Cauros a *mari* ſeptentrionali provenientes, immenſam pluviarum quantitatem decidiſſe, quæ valles ipſas complebat, ut proinde Odera, & Viadrus Sileſiæ flumina admodum tumentia, ad ſummam altitudinem pervenerint. Hac circumſtantia notatu digniſſima, ex multigena partium miſcella, & quaſi dixero fermentatione, aquæ *fuſcum* colorem præſetulerunt non ſolum, ſed in hominibus, quos tangebant, & ſtuporem, & torſiones, & puſtulas producebant, arboribus inſuper bene multis poſt fatalem, & virulentam illam exundationem exſiccatis. Quibus omnibus, inſuper addito etiam præjudicio ex parum ab Uratislavia remotis lini macerationibus, & vitriolico aquarum Niſſenſium magmate, necnon multis inſectis, & ranarum caudatarum (1) agmine, Sileſiacus tandem aer ex tot copulatis cauſis in humanum corpus crudeliter ſæviit. Hinc ſudores, cardialgia, æſtus, anxietas, reſpiratio, dolores punctorii, tuſſis ſicca, cephalalgiæ, agrypniæ, hæmorrhagiæ, ſitis, aphthæ, lypothimiæ, ſudores colliquativi, ex quibus multi milleni deceſſere.

Remedia vero, quæ utilia reperta fuere, licet per catalogum typis deſcripta nobis nota non ſunt, attamen

A SILESIACA URATISLAVIENSI MEDENDI METHODO QUID EXCERPENDUM

REMEDIA *perſeverantia*, & *curantia* tali judicio concinnata, & parata fuere, ut *paucorum groſſorum pretio* quiſque *ſibi comparare poſſet*. Majora vero, & *ſumptuoriora 4 florenorum ſummam efficiebant*. Et ecce quomodo, & in diſſitis illis locis, vel Uratislavienſibus Medicis, & præcipue Kundmanno inſtituentibus, vel Redianis præceptis inibi pervenientibus, innocens, & naturæ carus modus ægros tractandi in uſum poſitus eſt. Quem præcipue in acutis morbis ſequi debemus; in quibus lucta febrilis neceſſaria eſt, ut purum ab impuro ſeparari poſſit.

FEBRIS CATARRHALIS MALIGNA ANNO 1737 URATISLAVIÆ GRASSATA

JAM nimis verum eſt, & in praxi a nobis etiam viſum; febris apparentibus ſignis catarrhalis, & ἡμιτριταῖοι καὶ οἱ τριταιοφυεῖς occultæ malignitatis ſpeciem præſefert. Circa quam vellem, ut Philiatri perpenderent, num adſint collegata tria illa ſymptomata, ſenſuum ſtupor, mentis alienationes, & bilis exæſtuans, ſanguinis compagem dimovens, & calefaciens juxta illud διακινεῖ καὶ διουρεῖ τὸ αἷμα ἐκ συστάσιος εἰωθυίας καὶ κινήσεως, καὶ διαθερμαίνει.

Arridet inſuper nobis methodus quam Uratislavienſes ſequuntur, & præcipue Tobias Ferdinandus Pauli, copioſo ſcilicet diluentium uſu *ſucco citri acidulato*, & *infuſo calido thè*.

DILUENTIUM IN FEBRIBUS USUS

HOFFMANNUS pariter Fridericus pluribus in locis ait, in febrium curatione ſummopere incumbendum, ut ita maſſa ſanguinea humectetur, diſſolvatur. Quod factum in vernali febre a Sileſiacis Medicis videmus. Ideo cum hic modus fortiſſimis ratiociniis innixus, a celeberrimis hominibus, in diſſito etiam cœlo viventibus, adhibitus, & quammaxime laudatus ſit, tenendus & a nobis erit.

Illo inſuper adjuncto lumine, quod quando vel maculæ, vel peticulæ cutim ſignant, illico de Bezoarticis cogitandum eſt. Fixum inſuper habendo documentum Medicorum Uratislavienſium circa

(1) Godofredus Langhans ſcripſit de ranis caudatis, quæ prope Schmidebergam in piſcina limoſa, & paluſtri repertæ fuere.

circa cautelas venæ ſectionis, & purgantium; quæ non ſemper, Vulgarium medicorum more, præſcribenda, ſed interdum vitanda.

CAMPHORA MAGNUM SUDORIFERUM

INTER Hiſtorias morborum in Sileſia Uratiſlavienſium refertur (1) puellam ſcorbuticam, & tumore magno rubro ſupra manum detentam, ex potione bezoartici Wedelii (2) multum ſudorem utiliter emiſiſſe. Ex quo remiſerunt ſymptomata omnia.

SCORBUTUS SALIVATIONE CURATUS

CELEBERRIMUS Johannes Acoluthus Phyſicus Uratiſlavienſis, & Academiæ Naturæ Curioſorum Socius, deſperatam quaſi affectionem ſcorbuticam, quæ ſemper magis refractaria aliis remediis non ceſſerat, curatam canit, promota ſalivatione uſu *Mercurii dulcis* ℈.s. cum extracto ſcorzoneræ exhibito, & ad multos dies iterato, conſopitis ſubinde *eſſentia caſtorei* ſpaſmodicis pathematibus, quæ curationis actu emergebant.

PLANTÆ

DE plantis vegetantibus ſcripſit Laurentius Scholtzius a Roſenavv Sileſianus in Libro cui titulus: *Hortus Uratiſlaviæ ſitus, & varioribus plantis conſitus, carmine celebratus cum Catalogo Botanico.*

Atque etiam Gaſparus Schuuenckfeltius Gryphimontanus (3).

FEBRIS CURAT PARALYSIM

URATISLAVIÆ Tobias Ferdinandus Pauli vidit caſum mulieris quinquagenariæ, cujus *plenaria paralyſis brachia manuſque* infeſtans, penitus ſoluta, & curata fuit a febre intermittente tertiana. Quod tamen non rarum, ſed frequens eſt, & etiam ab incomparabili noſtro Choo promulgatum; adeo ut crediderim, temerario auſu aliquibus in caſibus febrem eſſe arte promovendam, & excitandam. Verum quidem eſt, multa mota nocere, quæ immota non nocebant. Inſuperque veriſſimum, dari etiam poſſe, ut additis ad fermentationem ſtimulis, & calcaribus, omnia in pejus ruant; magnum, & fatale incendium ſcintilla interdum excitante. Sed in cura coacta aliquid agendum; cum fortaſſe ſola febris ſolvere, & exterminare poſſit impedimenta ſtaſeſque illas, quæ irradiationem ſucci nervei impediunt.

Comes Gemelli Medicus Mediolani olim celebris, nobis retulit, milites in oppido cum audiviſſent brevi in inimicum ituros, ſibi in podicem allii ſpicas intruſiſſe: ex quo proximis diebus bene multi febricitantes reperti ſunt. Num formicarum ſpiritus ſub axillis poſitus id faciat, alii ſentiunt.

SECTIO VENÆ JUGULARIS

URATISLAVIENSES pariter Medici, inter quos Tralles, vellent magis frequentem, & promulgatum uſum ſecandi venam jugularem, quia capiti magis proximam. Quod Itali non tam frequenter faciunt.

SUDOR ODOREM EXHIBITI SUDORIFERI REFERENS

ADDIT idem Auctor: *ſudor exquiſitus camphoram redoluit*. Quamvis tractata ab extra, ut intus ſumeretur camphora, odoroſum ſui contactum relinquere potuerit, tamen inter res eſt, quæ contingere poſſunt. Inſitus ſiquidem odor, & ſapor ſummæ energiæ eſt, qui in gracili fortaſſe puella ad cutim ſublimatus, nares vellicavit. Potius ſolutam libenter quæſtionem viderem de camphoræ vi calefaciente, vel refrigerante. De qua videantur Hoffmannus, Werthofius, Tralles, Capuccius, Craen, Tachenius, Heſſus, & alii.

BALSAMUS EMBRYONUM

KANOLDUS edidit librum Uratiſlaviæ, in quo magna laus tribuitur balſamo embryonum (4) eo quia varioloſam eruptionem in tacta ab ipſo parte impedire ſit potis. Profecto matres ſuarum filiolarum amore captæ, deque ipſarum pulchritudine ſollicitæ, venuſtatem mirum in modum tutabunt, ſi vultum, ſi videndas ſaltem partes (5) balſamo embryonum illinient, antequam variolæ effloreſcant.

THERMÆ SILESIANÆ HIRSCHBERGENSES

NON longe a Bohemiæ Regno in Sileſiæ Ducatu Jauravienſi ſitum eſt oppidum Hirſchberga, quod proximas habet Soterias aquas, quarum analyſis antiquitus facta fuit a celeberrimis Viris (6) nunc vero recenter a Gaſpare Gottlieb Lindner. Qualeſcunque tamen ſint illarum medicatrices particulæ *lixivioſæ*, *ſulphureæ*, *elaſticæ ætherео-aereo-ſpirituoſæ*, in aqua *molli*, *miti leni*; *ſale*

(1) Tralles, pag. 146.
(2) Conſtat *nitro*, & *camphora*.
(3) Stirpium, & Foſſilium Sileſiæ Catalogus.
(4) Fit liquor ope deſtillationis ex vegetabilibus aromaticis viſco quercino, radice, ac ſemine peoniæ, medulla panis tritici, & vino generoſo.

(5) Quandoquidem reliquæ cutis ambitus virulento humorum exitui concedendus; ne dum pulchritudini ſtudemus vita de medio ſit.
(6) Gaſpar nempe Hoffmannus, Kraffſteim, Bauhinus, Schuuenkfeld, Zindel, Panſa, ſed præcipue Adulphus, & Zelier.

ſale alkali fixo intercedente, in terra *limoſa*, *unctuoſa*, *bituminoſa*.

Non ideo tamen penitus credere, aut intelligere poſſum *ſtupendos effectus in paralyticis*, *hemiplecticis enervatis*, *reſolutis*, *laxatis*, *torpentibus*. Si inſuper ſunt *anchora* ſalutis *in elumbis*, & *enervatis*, ut illic *ſolum genuine reconvaleſcere poſſint ægri*. In urinæ inſuper incontinentia, uteri prolapſu, fluore albo, cachexia, herniis inteſtinalibus incipientibus, podagra, calculo, & multis aliis, ne dicam fere omnibus in humanam machinam graſsantibus morbis; in quibus *clare divinos ſemper reddiderunt effectus*. Profecto oppido Hirſchbergæ, & finitimis locis de tanto theſauro gratulandum eſt.

Sed ipſe, ut libere loquar, multum vereor ut omnia vera ſint. Quandoquidem tot dotes rhetorico potius, quam phyſico modo mihi videntur expoſitæ. Non quod egregius, & acerrimi ingenii vir Diſquiſitionem Phyſico-Medicam ſuam, & methodicis fundamentis, & peregrinis doctrinis jejunam produxerit (fateor ſiquidem ab eadem multa ſcivisſe, & didicisſe) ſed illud nos Scriptores afficit, & fortaſse lędit, ut quando argumentum electum eſt, quod ſcribendi dat anſam; præconceptis nimium præjudiciis, & argumento, & nobis ipſis adblandiamur, novæque opinionis, & ſumptarum hypotheſium amor a recta ſemita, ſi non nimis, ſaltem aliquantulum divertat.

FÆCES AB INGUINE EXEUNTES

QUOD in Sileſia in muliere viginti quinque annorum vidit Tobias Ferdinandus Pauli nos obſervavimus Brixiæ in Capucinarum Aſceterio, ſtupente inibi doctiſſimo Viro Paulo Guadaneo Collega noſtro, & Chirurgicas adminiſtrationes exequente Xenodochii incurabilium Chirurgo Andrea Virgine; quodque mirandum in Veſtali magis annoſa, & perfectæ valetudini reſtituta. (1)

TERRA SIGILLATA

HABENT Sileſiani ſuam terram ſigillatam in ſanguinis diſſolutionibus, hæmorrhagiis utiliſſimam, præcipue quando acidum in ſanguine corrigendum eſt. Multum propterea debent populi illi Johanni Montano, qui illius fuit inventor, & promulgator.

VARIOLÆ ET CARBO PESTILENTIALIS

NUM variolæ (2), & carbo peſtilens penes veteres una res fuerint, inquirit in Sileſia Joannes Gothofredus Hahnius, & Daniel Wilhelmus Trilleri (3). Verum quia hæ quæſtiones ſunt de nomine, ad res practicas tranſeundum nobis eſt.

VVIRTEMBERGA

A Quodam Archiatro Wirtembergico, ni fallor, Joanne Chriſtophoro Gerlachi, pro cancri curatione propoſitum video vitriolum, aut ſolitarium, aut oleo olivarum mixtum. Arridet dogma. Tanto magis, quia experimentum canit curatæ pauperculæ, quæ fruſtra aquas Zaiſenhuſanas in Palatinatus confiniis ſcaturientes, potaverat. Stiptica quippe, & adſtringens vitrioli vis ita poteſt vaſa coercere, & arctare, ut humores ad affectam partem abundare non poſſint. Facta eaque repetita, conſulenda erant.

GRÆ-

(1) Vide Hiſtorias Morborum, pag. 211.

(2) Circa Sileſianorum modum curandi Variolas videatur in Tractatu de Medicina Hungarica *Arvenſis Comitatus*, pari enim multis in locis paſſu ambulant.

(3) Vide Opera Uratiſlaviæ edita apud Joan: Jacobum Korn.

GRÆCIÆ

CLIMA, INHABITANTIUM POPUORUM, TURCARUM PRÆSERTIM MORES, ET MEDICI USUS.

SI Graeeorum in literariam rempublicam merita recolere animus vellet, vaſtus equidem pateret campus expatiandi; eo magis quia Gens illa dedit quaſi dixero Arti noſtræ primos fundatores, Xamokin nempe, præter alios, ex Thracia, Lyſimachum, ex Macedonia, Hermetem ex Thebis, Herophilum (1) ex Chalcedonia (nunc *Scutari*), Democritum ab Abdera, tandemque prope divinum Hippocratem ex Choo, & ex Aſclepiadum familia, natumque ante Chriſtum annos 450, apudque Laryſſæos in Theſſalia denatum. Hic inſtabile medendi chaos ab antiquis Deaſtris indicatum, & votivis Æſculapii tabulis deſumptum, ad magis fundamentalem diſciplinam ratione, & experimentis comprobatam redegit, atque inſtauravit; adeo ut poſt tot ſæculorum periodos, poſtque tot operationum, & laborum diſcrimina, ſaltem quoad praxim, multum pauca ſuperaddita videantur. Jure igitur, & merito vocatur Medicinæ Parens: cujus veſtigia ſecuti, florentibus illis ſæculis, Græcæ Medicinæ amatores, profecto ad ſciendi apicem perveniſſent, niſi fatali temporum depravatione improba, & maleſana Scitharum, Turcarumque copia, & barbaries feliciſſimas illas regiones, anno ſalutis humanæ 1300, invadens, tot magnificas urbes non depopulaſſet, & imperia, regnaque ſubvertiſſet, atque, ad rem noſtram, bonas artes, & diſciplinas a ſuis ſedibus funditus non evelliſſet. Adeo ut in præſens penitus mutata ſint omnia. Neque antiqui ſplendoris, & gloriæ, in quaſi dixero immenſurabilibus regionibus illis, vix ulla literaria hæreditas ſupereſſe videatur.

Cum igitur de antiquis Græcis Scriptoribus jam ſatis, & fortaſſe nimis, ab aliis dictum ſit (2). Neque in ſuperfluis commentis tempus terere debeamus, per conſequens multum pauca a nobis in præſens de Græca Medicina expendi poterunt, tam circa ea, quæ, pro illuſtranda noſtra praxi, ab illa regione, Turcis nunc imperantibus, accipere, & in uſum utiliter vertere poſſumus, quam quę, utpote noxia, & huic noſtro Italico ſolo non quadrantia reprobare: cui quam maxime promiſimus noſtra meditamina eſſe incubitura. Tamen ne deficere, quoad hanc partem, videamur, nonnulla circa mores, circa tuendam valetudinem, circa aliquos curandos morbos, tangere, & delibare non recuſamus.

Non ita tamen, ut ratio diſtincta a nobis poſtuletur, ſed ut ſolummodo a relatis præſertim medendi modis colligant Philiatri quid non ſolum per totos Europeos terræ Turcicæ tractus, Thraciam nempe, Macedoniam, Meſſeniam, Beotiam, Achajam, Cretam, Cythercam, Peloponeſum, Sicioniam, aliaſque Ægei maris inſulas, & urbes, quæ vere Græciæ partes ſunt, adhibeatur; ſed etiam ut lato modo a relatis argui poſſit aliquod lumen eorum, quæ in ſeptentrionalibus etiam, pariter Europęis, ſed extra Græciam, terræ finibus circa Danubium, Euxinum, Paludemque Mœotidem pro humana valetudine curanda, ſervandaque uſuveniunt.

Quoniam vero nunc ſumus inter Scythas, & prope Pontum Euxinum, in mentem venit animadvertere, ultra propoſitas a nobis in primo limine Provincias, paſſim notari a Geographis inter Europeas etiam Tartariam minorem, quæ dividitur in Precopenſem, & Nogajenſem, & de qua nullus in toto Opere ſermo. Verum omiſſionem hanc facile patietur, qui cogitabit inhabitantes populos Baſilides, Nomades, Mœtaſque ſine Medicis legibus vagari, nulloſque Clinicos utiles uſus poſse diſci; atque inſuper, regiones illas multum vixiſse ſub clientela Turcarum; ideoque mox dicenda, & ad illas pertinere, & quid agant quodammodo explicare.

CON-

(1) De quo, teſtatur Celſus, homines vivos e carcere a Phaleride Tyranno obtinuiſſe, & ſecaſſe. Idipſum confirmante Tertulliano illis verbis: *Herophilus ille Medicus, aut Lanio, qui ſeptingentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur, homines odiit: ut noſſet*. Vide Langium pag. 9.

(2) Circa Græcos uſus, & mores, ſi qnis notitiam habere cupit. Videat opus, cui titulus: *Les Meurs, & les uſages des Grecs, par M. Menard, Conſeiller au Preſidial de Nimes, in Lion.*

CONSTANTINOPOLIS

TURCÆ LIBRIS, ET MEDICINÆ PARUM ADDICTI

NON ſolum barbaræ illæ gentes oderunt ſemper libros, & literas, ſed quaſi artem religionis ſuæ crediderunt, ſi in conquiſitis arte, & bello regionibus data opera optimos ſcientiarum fructus tollerent, & ſuffocarent. Hinc obſtupeſcere debuimus anno 1727, quando Italiam venit monitum, Byzantinum Imperatorem juſſiſſe, ut typi, & characteres linguæ Arabicæ, & Turcicæ inſtituerentur, demandata ad id cura Zaido Aga filio Mehumet Offendi, magno Ærarii Præfecto, & Quæſtore, jam antea, nomine ſui Monarchæ, ad Franciæ Regem, extra ordinem, ablegato; qui animum ſuum jam manifeſtaverat publicos faciendi codices, & tabulas, quæ in Theſauri mulierum, rerumque omnium pretioſarum Palatio Regio, Gallis *Serrail*, aſſervabantur; conſilio ad id ducto a quodam Tranſylvano, qui renunciata Hungarica lege Turcicam recenter elegerat, quique aliquid ſcire præſeferebat. Productas editiones ipſe non vidi, ſed viri fide digni retulerunt, opus illud e veſtigio fuiſſe interruptum, nec ea, quæ Mahumetani Scythæ promulgaverant, ad effectum perveniſſe.

Ex minori numero Medicorum, quæ in Imperiali illa Metropoli (1) degunt, oritur conſequens Turcas Apollineæ arti eſſe parum addictos. Hinc ſi ipſorum Primarii, & Satrapæ morbo laborant, vocantur ſæpe Medici ordinarii Legatorum, qui inibi ab exteris Regnantibus demandati ſunt. Hinc inſuper rarum, quod Medici Byzantini divites evadant, id potius fortunate obtinentibus Chirurgis, quorum opera magis certa, proximoque utiliora, auri, & argenti ſoſtris compenſata rependuntur; & a quibus pharmacopolarum officinę, quorum aliquæ proſtant, quodammodo ſuſtinentur.

AERIS CONSTITUTIO, ET TEMPERAMENTA

QUAMVIS regio hæc ſit magis meridionalis, & orientalis, quam cetera omnis Europa, excepta tamen Ruſſia Alba, attamen univerſaliter ſimul ſumpta potius cum aere ſalubri temperata eſt (raroque ibi tempore hyemis nives deſcendunt, aut perdurant: quamvis ſtupentibus illis Græcis populis anno 1732, & frigus, & nix ad integros menſes perduraverit) a triginta quatuor gradibus latitudinis ſeptentrionalis, ad quadraginta novem circiter commenſurata; ubi homines potius ſunt ad vitam ſedentariam, atque ad plethoram diſpoſiti, & ad ſanguinis miſſionem facillimi, tam ſi a Medico proponatur, quam non.

BALNEORUM FREQUENTIA

NON minus Primates, qui aulicos gradus, ceteraſque provinciarum præfecturas tenent, quam ceteri omnes, neque ipſa plebe excepta, Balneis dediti ſunt; ideoque publicæ adſunt thermę, (2) & privata, ſplendidaque proſtant ſudatoria, ad quæ Conſtantinopolitanæ gentes confluunt, & quin ſecum quiſque habeat famulorum catervam, parati undique ſunt Balnearii dexteri, & practici, qui in primo cubiculo aliquo tepore calente corpora, & omnia diſponunt, ut in ſecundo magis obſignato conclavi res tuto peragatur (3).

BALNEORUM UTILITAS

TANTA eſt utilitas, quæ corpori humano afferre poteſt Balneum rite adminiſtratum, ut in eam ſententiam devenirem orientales illos populos, non in omnibus diligentiis, & remediis pro conſervanda valetudine excultos, a ſola Balneorum frequentia in optato æquilibrio ſuſtineri. Ita ut, & damnum, quod climatis aliquis calor, & morbi, quos viſcerum infartus producere poſſunt, a ſumma ſudandi, corpuſque fricandi, atque detergendi, utilitate, quodammodo corrigi, quinimo tolli poſſe videantur.

Quod ut Tyrones ſibi ſuadeant, & hoc modo ægrum curaturos ſperent, videant Hippocratem (4) ubi ait: *Balneum quidem multis morbis, ſi crebro uſu ſit, auxiliatur*. Paulo poſt: *Tot bona in Balneo ſunt, quæ omnia ſunt uſui*. Videant inſuper noſtras animadverſiones (5) circa Balnei calidi, & frigidi vires. Legant Joannem Fortis, & Romanum Baglivum, ubi a fibrarum ſiccitate morborum Africam in humanum genus graſſantem, derivari autumat; & profecto a proponendis ſudatoriis non abhorrebunt. Quorum uſus honeſtiſſimis de cauſis obſolevit quidem, ut optime notat Ramazzinus (6) ſed non damnoſis. Ideo demptis erroribus, & profligato abuſu, ſtare debet, quod in proximi utilitatem cedit.

Hæc confirmantur a ſolo morborum illorum agmine, qui judicari per ſudorem, per tranſpirationem debent, aut deberent. Quis neſcit cutim homi-

(1) Quam Conſtantinus Imperator, referente Ordinis Benedictino-Caſinenſis decore, Abate Alberto Mazoleni in numiſmatum Piſanorum Commentariis, adauxit, ornavit, & Conſtantinopolim vocavit.

(2) Inter quas 50 magnæ 100 minores.

(3) *Præterea via ad labrum, ſoliumve longa non ſit, faciliſque ingreſſus, & exitus, quique lavatur, ſe ſe componat, apteque ad omnem miniſtrorum nutum, nihil agat ipſe, taceat, cuncta miniſtris permittat, qui celeriter expedient, parabunt, haurient mundabunt, abluent ſuperfundent, ſpongiiſque pro ſtrigilibus utentur &c.* Hippocrates, libro trigeſimo.

(4) De victus ratione in acutis Liber trigeſimus. Ubi optime quidem incomparabilis Chous animadvertit; *in paucis domibus miniſtr., quæque neceſſaria ſunt parata, ſicuti oporteret, reperiuntur*.

(5) De Aquis Coldoni mineralibus in Agro Mediolanenſi, pag. 42, & ſequent.

(6) De Morbis Artificum cap. XXVII. pag. 212.

hominum non tactam, non deterſam, non emotam, non fricatam, & inviſibilibus ſordibus coopertam, ſiccam, & areſcentem ſuos habere clauſos poros, quinimo infartos, obſtructos, compreſſos, obſignatos, atque ab annoſo forſan ipſorum otio adeo clauſos, ut non ſolum ſudori, ſed etiam tranſpirationi totus exitus intercipiatur. Hæc una res eſt inter illas, quæ fieri poſſunt. Hæc multoties primarium impedimentum, ob quod criſes non apparent, non perficiuntur.

Neque ſolum frequens ratio eſt, cur ægri non convaleſcant, ſed etiam ut ſani ægrotent. Per poros quippe aſſiduo motu perſpirationes excerni debent; quæ ſi non excernantur, in ſanguinem refluæ, vitæ minitantur diſcrimen.

In hæmorrhoidum, & urinæ ſuppreſſione, in menſium tarditatę, in convulſione tutius Balneo remedium reperiri non poteſt.

PESTIS BYZANTINA.

Vel quia antiqua ſemina nunquam bene extincta ſunt, vel quia ob frequentem abſque diligenti quadraginta dierum expiatione exterarum navium ad Turcica littora appulſum, eadem innovantur, rara dies eſt, in qua peſtis non ſæviat, nunc magis, nunc minus, ſecundum dominantis veneni vires, ſecundum endemicas, & ſporadicas etiam adjunctas cauſas, ob quas currenti jam mortis miniſtro calcaria adduntur.

Una tamen ex primariis cauſis, ob quas indeſinenter perſeverat, illa eſt, quod nulla, vel ſaltem parva intercedit diligentia, ut infectus vitetur contactus; in præconcepta opinione ſtantibus, & quidem cervicoſe, populis illis, ut quod deſcendens ſtatutum ab alto ſit, immutabile ſit, neque humana arte vitari poſſit. Ab obſtinato hoc mentis præjudicio, ægroſque, in innumerabili plebis frequentia, gubernandi modo, apprime elucet quanta cum facilitate ſani contaminentur, & undique rediviva virulentiſſimi morbi ſemina ab uno in alterum propagata fluant.

Illud accedit: A parva in Medicos fide fortaſſe, in diro illo anfractu, deficere, & ordinem, & remedia, & diætam, quibus morbidorum corpora tractanda ſint: fortaſſe promiſcue commorantibus ægrotis in ſuis Xenodochiis (1), & hinc inde valetudinarium etiam onus ſubeuntibus benemultis mulieribus Armenis, quæ tenuis lucri cauſa contentæ adſtant, & ancillantur non ſolum, ſed ſe medicatrices jactant, multaque agunt, & pręſcribunt, ut utiles eſſe videantur. Sicque, ſi vix vitat contagii, vel peſtis periculum, qui exul, & omnimode ſejunctus inter commoda, & opes, inter Medicos, & famulatum, in aere per quam fieri poteſt libero, & arteſacto, quid non timendum erit, ubi ſupradicta abſunt; & inſuper vilis muliercularum turba diętetícum non ſolum adminiſtrandorum ordinem, ſed fortaſse etiam aliqua in os adigenda, & etiam promiſcue paria, tam fęminis, quam viris fortaſſe etiam de morbo non interrogatis præſcribat? Neſciens effatum Hippocratis. καὶ πολλὰς εἶδον διεφθαρμένας ὑπὸ τῶν τοιούτων παθημάτων. ἀλλὰ χρὴ ἀνεμωτᾶν αὐτίκα ἀτρεκέως τὸ αἴτιον. διαφέρει γὰρ ἡ ἴασις πολλὸν τῶν γυναικείων νοσημάτων, καὶ ἀνδρώων. hoc eſt & eſſe interrogandas ægrotas, & multum diferre morborum muliebrium, & virilium curationem.

Minor quidem eſt ceteris Turcarum inibi numerus, ſed major Græcorum, qui abundant, ſolumque implent. Verum quia viribus, armis, & palo dominans gens eſt, per conſequens malo exemplo multi in perniciem trahuntur; quia vero & Galli, & Britanni, & Perſæ, & Hebræi, & Catholici, dummodo æs campanum non tangant (excepta tamen Moldavia, & Valachia, olim Hungariæ ſubjectis) necnon ex quibuſcunque aliis regionibus, inibi libertatis, mercimorii, & lucri, rerumque agendarum gratia, morantur, & confluunt; ſequitur, multiplices vigere religionum cultus, necnon tractandorum ægrorum methodos; ex quo fit, ut non omnes ſupradicto Turcarum modo in peſtilentibus epidemiis miſere pereant.

Adſunt primo quippe, de more, majorum Orbis Monarcharum ad Conſtantinopolitanum Imperatorem Ablegati, qui in ſingulis ſuis aulis habent Medicos optimos, & probos ex primariis Europæ Archilycæis provenientes, habent Chirurgos & phyſiologia, & Anatome, & experimentis inſtitutos, qui non ſolum inter aulicos cancellos, immunemque Regii Palatii aſylum Medicinam exercent, verum etiam undique accerſuntur, atque ad ipſos magni Imperii Miniſtros, & Satrapas accedunt; adſunt 2. in advenis intelligentes, quibus utilia dogmata in ſuis patriis ſuboluerunt; & quamvis hoc me lateat, 3. deberent adeſſe in Græca ſaltem Gente, adhuc Patriarcham ſuum, mox a magno Domino confirmandum, eligente, antiqua, ſi non omnia ſaltem aliqua Hippocraticæ doctrinæ, & Michaelis Pſellii, XI. ſæculo magni nominis Medici Conſtantinopolitani (2) ſemina; a quibus, aliquod repagulum mortifero torrenti ponatur.

Nimis peteret, qui a me vellet deſcriptum, Byzantinæ illius peſtis characterem, & ſignanter explicatam eſſentiam cauſamque (3) illam, in qua conſiſtit homicida vis. Si tanti non fuimus pro cognoſcendo genio elapſæ, præterita hyeme, epidemicæ catarrhorum conſtitutionis (4), quæ per totam Italiam, ne dicam Europam graſſata eſt, quæque Brixiæ nemini, ideoque nec mihi pepercit; tanto minus explicare potero remotam ſine lumi-

(1) Quæ publica ad numerum centenarium ait aſcendere, Michael Antonius Baurand.

(2) Ibi floruit etiam Meſue Damaſcenus ætate Friderici Barbaroſſæ.

(3) Inter illas refert Lanciſius, & Acta Germaniæ confirmant, non minimam eſſe, quæ ex Ægypto Byzantium advehitur in ſaccato cannabe, & lino, quibus, dum exponuntur, aer inficitur, & Turcicæ plebi nocet.

(4) In Epiſtola ad celeberrimum Virum Philippum de Violante. Vide Brixia.

lumine, ſine ſcriptis, ſine ſcientia, unde venerit, quomodo, quibuſque ſymptomatibus ſævierit, quique omnes effectus eandem ſecuti ſint. Verum quid plura? Auctor, qui doceat cauſam eſſentialem peſtis, adhuc deſideratur. Quod alii non potuerunt, multo minus ipſe præſtabo. Illud certum eſt, eandem a juſto irato Numine pendere.

OPIUM TURCIS FAMILIARE

Et legi in bene multis Auctoribus (1), & audivi, Turcas frequenter uti opio in quantitate non modica, *drachma* ſcilicet *una* (2) *in ſingulis refectionibus*. Hinc in illa Græciæ parte, *opium comedit*, æquiparatur dicto apud nos, *vino obruitur*. Hocque non ſolum committunt uno actu, e pro effectu ſibi ipſis cognito, de quo infra, ſed præ deliciis (3), *ed in ozio vile giacciono ſopra i Saffà fumando, e maſticando foglie di oppio*.

Non ignoro nil aliud eſſe opium, quam lac ab inciſis vulneratiſque capitibus papaveris tranſudans. Meconium vero eſſe ſuccum expreſſum, filtratum, & inſpiſſatum ex integra papaveris planta inciſa, & contuſa, adhucque herbacea, & nutritio ichore turgida. Non ignoro pariter, ab Antiquis adhibitum fuiſſe in inflammationibus, in igne ſacro, in tuſſi, catarrho, diarrhæis, fluxuque muliebri (4). Neque me latent, Auctorum, elapſi præſertim ſæculi, placita circa opii facultates, & effectus in diverſa abeuntia (5), & præſertim Zvvelfferi (6) Scriptores multos opii inimicos una colligentis; necnon Sylvii in remedium illud adeo lati, ut Opiatoris nomen meruerit. Ex quorum tamen omnium examine illud ſurgit, vix in Medicina facienda poſſe ſomniari morbum, in quo ab aliquibus opium adhibitum non fuerit.

Qualiacumque tamen ſint documenta, aut præjudicia, in hoc conſentiunt omnes, praxi, & effectibus quotidie aſtipulantibus, opii primariam vim eſſe ſtupefactivam, & narcoſim inducentem, pro doloribus ſedandis, & pro inducendo ſomno palmarium remedium. Et de hac magis, vel illa natura partecipare pendebit a multiplici præparatione ab igne, ab additamentis, quæ arbitrarie Chymici faciunt, vel per alkalia, vel per acida, vel per fermentationem, quæ non ſolum intrinſecam vim mutare, ſed etiam invertere poſſunt. Sique iis addemus timorem ab aliquibus muſſitatum, frequenter opium adulteratum in officinis venundari, quomodo in illius præſcriptione tuto Clinicus procedere poterit? quando quid pro quo venditur fit ratione lucri. Quod autem ponderoſiorem, & pulchriorem præparationem illam faciat, ſcit ſolus Deus. Vafer ſiquidem homo ſcit ſuam, ſed non aliorum; ideo cum a pluribus mercimonii gratia id ematur, & multas tranſeat in manus, traditur quod non cognoſcitur neque a Pharmacopola, neque a Medico. Ægro Superi adſint. Interim illud ſilere nolo, præparationem opii interdum fieri ſpiritu vini, qui quanta in arte paratis creet, probando non immoror.

Creditur, in opio latere vires volatiles alkalinas, ſalinas, cum oleoſo ſulphure mixtas; hinc grate *demulcet ſenſiles membranas, agilitas temperatur, lævitaſque ab oleoſis partibus* leniter magis, hinc ſpirituum pacatio, & effrænarum particularum in toto ſanguine quies.

Propoſitam tamen viam ſumentes, cogitamus in Græcis illis regionibus Turcas non uti opio, ut huic vel illi morbo opitulentur; id ſiquidem tantummodo agerent, quando ægrotarent. Multoque minus pro ſolo ſomno captando, dum ſolis pariter inſtantibus vigiliis adhiberetur; ſed ut in Gynecęi deliciis paraſitentur, & otioſe ſomnient (7), atque jucunde vivant (8) (9).

Quomodo tamen idem agens in ſubjecta non adeo diſſimilia, diverſo modo afficere debeat, arduum ſcire ſemper erit. Hoc eſt, quomodocumque vel crudum, vel compoſitum, vel parvum, vel auctum noſtris hiſce in regionibus opium, qualibet de cauſa, propinatum fuerit; adhuc tractare debeo ægrum, qui lætus mihi reſponſum dederit. Opio delectatus ſum, opium me affecit, titillavit, internum quaſi gaudium producens ſolidis ſe aptavit; tantoque minus audivi, per feliciſſima inſomnia lætiſſimæ illuſiones, & pulcherrima phantaſmata mihi apparuerunt. Sed potius, vel querulos vidi patientes, vel ſtupidos; novamque opii præſcriptionem ſumere denegantes, ſeque potius, aut dolores, aut vigilias laturos, quam ſumere opium, fortaſſe, ut ipſi ajunt, ultimos ſomnos producturum.

Neque cœli diverſitas, neque temperamentorum, rem ſatis illuſtrare mihi videtur. Illuſtrant equidem, ſi differentiæ eſſent in aliqua parte; ſed in toto. Quæſtio non ſatis ſolvitur. Niſi dicamus diverſum eſſe ſumere opium, dum ægrotant, ut faciunt Itali, Galli, Britanni &c. aut dum proſpera valetudine fruuntur, ut faciunt Turcæ; niſi inſuper dicamus axioma illud: *opiniones caſum producere*, & illud alterum: *quidquid recipitur per modum recipientis &c.*

Multos video in urbe mihi occurſantes, & ajentes: Roncalle mi, benedictus ſit ſemper ſuccolatæ inventor. Si illud magnum ſtomachicum non adeſſet, & matutinæ nutritionis inſtaurativum, jam

(1) Inter quos Richardus Mead. Mechanica venarum expoſitio, pag. 107.

(2) Ettmullerus in Collegio Pharmaceutico in Schroæderum id affirmat.

(3) Storia Moderna ovvero lo ſtato preſente di tutti i Popoli del Mondo. T. VI. pag. 721.

(4) Matheolus. Dioſcorides.

(5) Vide VVinderum, Freitagium, Hartmannum, Deodatum, Verulamium.

(6) Pharmacia, pag. 153.

(7) *Referunt enim Auctores quod a dictis Populis ad drachmam 1. crudum aſſumatur cum inſigni fructu; quod abeant exinde inſomnia, quaſi verſentur in hortis, & viridariis, jucundis, & amenis*. Ettmullerus in Scrohæderum, pag. 147.

(8) *Inducendo gratam titillationem in nervcam ejus tunicam creabunt jucundam plenitudinem, & mentem voluptatis, & deliciarum ideis occupabunt*. Mead. p. 105.

(9) Opium inſuper mentem ſerenare Georgius Haſeneſt Auctor eſt, in Actis Naturæ curioſorum Germaniæ.

jam inter mortuos jacerem. Oh utilis Alexandria, quæ aromatico-oleoſum couphè nobis tranſmittis? Sine illo feriantur digeſtiones omnes, vapores non deprimuntur, acida non temperantur, & poſt quam illud poto, nec illo morbo laboro, nec flatus me tenent, nec dolore capitis obruor.

Senex ſum. Sed ſine vobis Medicis, reperi remedium, quod labentem ſpiritum erigit, vires jam fatiſcentes adauget, & cor ipſum vivificat. Illud eſt ſpiritus vini, cui tantum debeo, ut me juvenem ſentiam, & nihil poſſit eſſe magis.

His cantionibus nuptas ſuas opiniones miſeri homines protegunt, tantamque fidem huic, vel illi rei præſtant, ut ſe morituros credant, niſi illam perpetuo ingurgitent. Hinc miracula circumferuntur, & proſperam valetudinem, qua fruuntur, ab eademmet cauſa derivatam autumant, & horum omnium auctrix opinio eſt. Idcirco & in Turcis præoccupatæ forſan mentes ſibi ominantur frugi opio fruituras. Ex quo fit, ut illo epoto internum habere videantur ſenſationis delectum. Nec primi caſus hi erunt, quibus homines decipiantur, & Medicos ipſos in foveam trahere curaverint; dum dolores interdum ipſi a melancholicis relati veri non erant.

ARGUMENTI DIVERSITAS

Quæ quidem omnia licet opinionis potentiam redarguant, illud & ipſe fateor, habent diverſitatis, & defectus; quod nempe illi laudant ſuccolatam, couphe, vini ſpiritum, quia ipſorum palato arrident: quod non ſatis ſcio, num de opio apud Turcicam gentem dicendum ſit. Quandoquidem illius ſapor amarus, & ſummopere auſterus eſt. Ideo excluſa ſapiditate, & oblectamento, illud tantum supereſt, ut gens illa ex unica opinione de certo poſt opiatam eſcam internas illas, & in ſomno, & extra ſomnum lætitias ſibi prænunciare poſſit.

ANIMADVERSIONES DUÆ

CIRCA CONSTANTINOPOLITANUM USUM OPII

Prima eſt: quod luxurioſe viventes, multa agunt, ut læte vivant, utque exulent mæſtitiæ omnes; ideo vel ſoli, vel cum amicis vitulantur in Tabernis (1), & mero litantes illum quæritant, & multo magis inter mutua celebrata convivia, ſtatum, quo mens a curis, a ſerietate penitus feriari poſſit, frequenter poſtea in reatus pęnam accedente integra ebrietate, quæ humanas divinaſque frangere leges interdum facit.

Hæ igitur ſtultitiæ retes nonnullos homines in aliquibus Europæ provinciis vino, in Turcicis opio, vel cannabe (2) captant. Et quamvis major calor, ſpiritus, & æſtus in vino ſupponatur, nihilominus & illud ſuam habet narcoticam vim, ut ſuccedens dormiendi neceſſitas apertum facit.

Secunda in eo ſtat, ut concedamus etiam, multa poſſe in corporibus Turcicis opium efficere, ut hinc animales ſpiritus a regulari motu deturbentur, præterita oblivioni dentur, operandi ratio aboliatur; quare putidi, & temulenti facti, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſaque voce ſcelera patrant, omniaque per fas nefaſque ſibi licita eſſe putant.

MAHUMETANA GENS INTERDICTUM VINUM BIBIT

Ut autem palmam in hoc certamine ferre poſſint, opio non contenti ipſi Satrapæ, qui provinciarum præfecturas ſubeunt, ipſi Judices, quibus cura puniendorum reorum demandata eſt, plebs ipſa, quibus non adeo eſt anguſta domus, vinum a ſua lege interdictum potant, & quidem in magna quantitate, nec deliquiſſe ſe credunt, neque pœnas incurrunt, niſi illo caſu, quo furioſi facti, publica ſcelera patrent.

COUPHE' ET TABACI USUS FREQUENS

PODAGRICÆ, ET APOPLECTICÆ AFFECTIONES RARÆ

Prope terram ſuper magnum plumaceum ſedentes, divaricatis cruribus, pedibuſque decuſſatis, taciturni, otioſe quieſcunt in ſuis conclavibus, poſitaque ſuper tapete, terram radente, patina in qua proſtant tabaci folia in fruſtulos inciſa, unuſquiſque ſuum terreum caminulum longo tubo inſertum fruſtulis implet, ancillantibus, ignemque ferentibus mancipiis, quæ iteratis vicibus vaſcula etiam couphè (3) ſedentibus exhibent. Hic gulæ ludus ad horas protrahitur, viciſſim, eodemque momento & Alexandrinum elyxir potatur, & nicotianæ fumus abſorbetur, foraſque emittitur.

A binis horum viribus quænam in animalibus ſpiritibus impreſſio, quænam toti cruori additamenta effici poſſint, ſtatuere non erit tam arduum, ſi agentium naturas attente rimabimur. Couphè ſiquidem aromaticum, oleoſum, volatile, nicotiana pariter, ejuſque fumus penetrantiſſimus cum ſale volatili acerrimo, & oleo narcotico virulento; quæ omnia in ore ſimul mixta, & activiſſimo etiam ſalivæ

(1) Interdictæ olim fuerunt a Kupruli Mahomete IV. ſed brevi iterum toleratæ.

( ) Scribit Neuholdus in Actis Germaniæ, *ſemine cannabis potum confici*; Màzlàch dicitur, quo Ægyptii utuntur, *quoties ſibi feſtivam inſaniam acceſſere voluerint*. Addit tamen eſſe pulverem, aut bolum, non vero potum.

(3) Adeo Conſtantinopoli creditur neceſſarius uſus cafè, ut mariti teneantur illum aſſidue pıovidere ſuis uxoribus.

ſalivæ menſtruo copulata, multos effectus (hæſitanter loquor) & bonos, & malos in corpore humano excitare.

In temperamentis gracilibus, & in quibus cum ſicca fibra abundat flava, & atra bilis, quibuſque οἷσι τὰ ὑποχόνδρια διατεταμένα πεφύσηται, ἢ ὑπερβάλλοντα ἐστὶ θερμὰ καὶ πυρώδεα, admodum pertimeſcerem, ne oleoſis, inflammabilibus, aromaticiſque advenientibus particulis, & ad majorem motum, & colliquationem ſanguis eveheretur, & cum diſſolutione ad viſcera rueret, fatales ſtaſes producturus: atonis alicubi exiſtentibus nervoſis fibris, ob narcoticum etiam tabaci characterem, ab opio, & vino, ut ſuperius diximus, ſumme auctum, ob quod vaſorum inoſculationes, valvulæ, elaſtica omnia ſolida fatiſcent. Unde gravis ægritudo, aut mors erit in limine; tanto magis ſi vera ſunt, quæ exponit magnus Redius, pejus ceteris venenum a nicotiana extrahi poſse contendens; ſique extrahi poteſt, latet. Si latet, humana corpora alembici ſunt, quodvis ens a quocumque compoſito ſeparaturi; ergo &c.

In obeſis vero habituſque humidi, & plethorici, quia inibi lactea abundant, in quibus infartus ventriculus non nimis agit, regnant flatus, chyloſis non perficitur, meſenterica non oſcillant, fibra tenſa, laxaque eſt, alvus non reſpondet, utique aſſentirem, poſse ab illis rebus levari; poſse tolli infartus, obſtructiones, aſthmata, ortophnæas, hydropes (1), raucedines a muco viſcido ortas, poſse denique tolli cauſas illas, quæ podagræ, & apoplexiæ primaria elementa ſunt. Viri ſiquidem fide digni mihi retulerunt, duos hos morbos raro in Byzantina urbe ſævire (quod quidem, præcipue ad podagram quod ſpectat, in abſtinentibus a vino facile eſt intelligere) & ratio, præter felicem, temperatamque aeris conſtitutionem, & jam relatam Balneorum utilitatem, præter laudabilem in victo ſobrietatem (manducant ſiquidem potius parum, & frequenter), & oryzæ compoſitæ, cibum in patinis murrhinis, quem *ſhorba* uno modo, alio *pilò* vocant, præter humectatum conſervis, *ſherbet* dicunt, aqua ſolutis, ſanguinem quinimo & media aloe (2) purgatum, atque exulatas circum corpus vincturas, quæ circuitum ſanguinis impediant, fortaſse illa erit, quod couphè, & tabaci fumo, magno apophlegmetiſmo, & viſciditatum omnium ſolutivo, faciliorem ſanguinis circuitum promoveant.

LIMONIORUM SUCCUS

IN Milopotamo, Cytæo, Cherſoneſo, Hierapetra, aliiſque Cretæ inſulæ locis, eorumque viridariis, & aprico ſitu, miraculi inſtar, fructificant aurantia mala, citra, & limonia, quibus ſimul ſumptis, & torculari expreſſis, fit, referente Belonio, ſuccus acer, agreſtæ non diſſimilis, qui in doliolis depuratus, aſſervatus, fere totus, aut ſaltem major pars transfertur in Turcicas regiones; venaliſque proſtat in officinis, pro ſalſamentis, & conditituris, quarum præcipue Byzantina gens amans eſt, & a cujus abuſu nemo non videt, quæ noxiæ qualitates in ſanguine cumulari poſſint.

SCABIES ABEST

REFERT celeberrimus Vir Carolus Franciſcus Cogroſſius (3) Turcas eſſe a ſcabie immunes, quod non eſt præcipue in popularibus mediocre donum, quodque, quando aliunde per contagium non veniat, perdurare poterit; quandoquidem peſtis eſt ejus generis, ut venerea, quæ ſuapte humorum malitia gigni non poteſt, ſed ſolum aſſimilari.

ANDREÆ JOANNES

VIR fuit, Danus quidem origine, ſed admodum carus Sultano, ideoque in urbe Conſtantinopoli Medicinam faciens, ex cujus Scriptis (4) multa ad rem noſtram excerpi poſſent.

VARIOLARUM INSITIO

TANDEM aliquando Vir literatus fide digniſſimus nobis retulit, vidiſſe librum in urbe Conſtantinopoli cuſum, & a Conſtantinopolitano Auctore Emanuele Timonio ſcriptum (5), ubi proponitur modus poſt Armenos, Circaſſos, & Georgianos a Medicis etiam Græco-Byzantinis ſuſceptum inſerendi variolas in quacunque vel peſſima aeris conſtitutione. Die ſcilicet circiter duodecimo acu punctis varioloſis tuberculis, ut purulentus ichor extillet, dein in inficiendum mediis pariter vulnuſculis adigendus.

ANIMADVERSIO

HOc inventum a Turcis fuiſſe acceptum nil probat. Cogitentur ea, quæ alibi in hoc Opere diximus in idem argumentum; nempe ad id fortaſſe naturam paratam non eſſe, ſique æger iter ſine reditu facit, remedium culpandum fore.

EPI-

(1) Referente Veſlingio Turcas non noſcere hydropem, quia frequenti couphè utuntur.
(2) Refertur in Hiſtoriis Plantarum, pag. *1696*. Medicos Turcas frequenter uti aloeticis.
(3) In epiſtola 15 Januarii 1731 Patavii data ad Hieronymum Gaſpari.
(4) Quæſtiones Medico-Phyſicæ, & Diſputatio de Syncope.
(5) Relatum etiam in Actis Lipſienſibus, anni 1714, pag. 382.

EPIRUS

TRIBUS præcipue modis in Epiro, cujus metropolis, caputque regionis Joannina (1) eſt, ægris ſuccuritur, dieta nempe, aqua, & balſamis.

Illico ac aliquis ægrotat, non de accerſendo Medico agitur, non de mille in uſum ponendis remediis, quæ quandoque magis, quam morbus, pertimeſcenda ſunt, ſed major cibi pars detrahitur onuſto jam ventriculo, ut agat natura. Quot quantum mihi arrideat, non eſt, ut præmoneam; quandoquidem nihil magis tutum habemus in arte noſtra, nihil magis omnes auctores deprædicant: magiſque ſemper hoc neceſſarium redditur, quo magis multigena ciborum ingurgitatione ventriculus ſaginatur. Ex quo primaria morborum fere omnium ſemina; ideoque cum in arte facienda, medicæ cogitationes præſertim verſari, & incumbere debeant origini morboſorum ſymptomatum catervam producenti; per conſequens ſic ſine remedio origo tollitur. Hinc Epiroticus hic medendi modus non ſolum laudandus, ſed etiam in omni alia regione ad imitandum proponendns, ubi homines manducant. Intelligenti pauca.

Uſum pariter aquæ ipſe non improbo, præſertim in regione illa, quæ conſtitutionis quidem temperatæ eſt, ſed ad calidum vergit, atque a triginta quatuor gradibus circiter latitudinis ſeptentrionalis, ad quadraginta novem commenſuratur, ideo utiliſſima eſſe poterit; quod inibi confirmatur ab effectu adeo, ut non ſolum quibus res curæ eſt, ſed adſtantes, amici, parentes, ubi ad ægrotum inviſendum accedunt, illico vas aquæ introſpiciant, ſi ſaltem ſemiplenum, ſilent; alioquin illico jubent, & clamant, ut aqua adportetur, utpote quod tota curationis fides in eadem conſiſtit.

Si vero Epiroticæ gentes peculiariter ægrotant in aliqua determinata corporis parte, quæ manuum miniſterio curanda veniat, nil aliud agunt quam balſama, quibus abundant, eaque iterata aptare. Hic autem noſtrates Chirurgi ſurgerent, & diſtinguerent: Si morbus cutaneus eſt, ſi ab externa manu violenter inflictus, balſamica linimenta utilia eſſe poterunt. Sin vero id erit cum læſione oſſium, aut internorum viſcerum, & partium, balſamicæ aptationes excernenda obſignabunt, & morbus in pejus abibit.

Hæc idcirco, quæ in curatione morborum in Epirotica regione, inter alia, fiunt, damnari non poſſunt; dummodo ſine exceſſu, & cum aliquo ordine executioni mandentur.

(1) Referunt ibi ſcientias hoc ſæculo aliquatenus florere.

CORCYRA

UBI INTER CETERAS OMNES GRÆCIÆ URBES MEDICINA FLORET

CORCYRÆ primaria felicitas eſt parere Veneto Imperio. Ex quo fit, ut nulla inibi Turcarum damnanda præjudicia in ampliſſimis aliis totius Græciæ ditionibus ſata, radicari poſſint, antiqua in Corcyçeis ſcientiarum ſemina aliquatenus rediviva ſubſiſtant, electa juvenum manus ad bonarum diſciplinarum matrem, Archilyceum ſcilicet Patavinum mittatur, & quotannis, imo & frequentius ad ejus littora, ampliſſimumque portum appulſi Patricii Veneti exercituum, claſſiumque navalium Duces, & maris Præfecti, ſinant, ut ſecum vecti rationales, & docti Medici totam inſulam, ceteraſque proximas peragrent, unde celebrato cum patriis illic Clinicis conſilio, tutior ad ſalutem ſemita paretur.

Proſtant inſuper officinæ, ubi aſtipulante pyroſi omnia elaborantur, quæ ad therapeuticum promptuarium ſpectare poſſunt. Proſtant Chirurgi Medicorum mandata adamuſſim exequentes, & quod majus, utiliuſque eſt, quodque alibi in tanta activitate fortaſſe non erit, proſtant plantæ, & vegetabilia florentia, adeo ut Angli ipſi ab iiſdem ditandi accedant, & in Britanniam exportent.

Hiſce propterea de cauſis Corcycæa Medicina illis ipſis fundamentis innititur, quibus utuntur Provinciæ in Europa magis in bonis artibus, & diſciplinis excultæ, & fortaſſe aliquod inſuper aderit a Græcis, ut dicebam, Magiſtris ſuperſtes. Non nego, poſſe etiam ratione maritimi commercii ad inſulam illam appellere uſus, & remedia, quæ quamvis nobis ignota, & a barbaris Orientalibus prodeuntia, plurimum tamen poſſint pro ſervando, atque inſtaurando in humana machina æquilibrio.

IN FEBRIBUS, ET ACUTIS MORBIS CORCYCÆI MEDICI OVA INTERDICUNT

SOLEMNIS eſt uſus Medicorum illius inſulæ, qui ad ægrotos accedentes illico prohibent ova, ac ſi de veneno ageretur, quod cum abſonum ſit ab illis medendi legibus, quæ in aliis Europæ provinciis uſuveniunt; per conſequens admirantur advenæ, & exteri omnes, & judicant alterutros fallere. Licet ſoli diverſitas medendi diverſitatem purget, atque defendat; tamen ſicut in multis etiam aliis rebus pari paſſu procedimus, non adeo toto

Antiquitus dicebatur Caſſiope, nunc vulgeriter *S. Maura*.

toto cœlo differunt poli gradus, vel vivendi mos, ubi oppoſito modo æger mederi debeat.

Inſula illa, quæ centum, & quinquaginta milliarium circuitu continetur, præcipue verſus orientale Lecymna Promontorium, vulgo *Laſcano*, noſtris hiſce regionibus calidior eſt, ſed tamen temperata; hinc fruticant, quæ etiam apud nos in apricis, limonia, vina, oleum, quod primariæ eſt illius regionis divitiæ. Idcirco potius a qualitatibus ovi internis ratio interdictus quærenda eſt.

Antiqui ſtatuerunt ova moderate calida, atque humida *cito nutrire*, *&* *bonum alimentum præbere*. Sed Sennertus animadvertit (1) *quibus ventriculus, aut hepar eſt refertum vitioſis humoribus, iis non conveniunt*. Partiterque iis, *qui calculum in renibus, vel veſica habent, aut apoplexiæ, paralyſi, aut podagræ ſunt obnoxii*. Idcirco cum raro ægrotent homines, quin ventriculus, & infima viſcera lentoribus referta ſint, per conſequens quiſque videt, quot in caſibus criminandus ſit ovorum uſus.

Ceterum. Dato etiam quod recentia (2), & tremula, atque ſorbilia ſint, præter calorem quem inferre poſſunt, majus præjudicium illud eſt, quod ovum facili negotio coagulatur, & dureſcit, totumque compoſitum quod offendit, & in quo, dum fluidum erat, explanatur, & diffunditur, corripit, & concreſcens reddit. Hinc cum dominante gula, major morborum caterva a lentoribus in primis viis ſtabulantibus pendeat, cumque inſuper illorum diſſolutionem ars Medica moliri debeat, facillime fieri poterit, ut coagulatum ovi gluten, & obſtet ſolventibus medicaminibus, & magis obſtruat meſentericos poros, bilis neceſſariam activitatem obtundat, & craſſefacto magis chylo, dum nutrire intendimus, macritudinem (3) inducamus.

Aſſerat quid velit Hoeferus (4) *Contra vero ovum ſorbile quaſdam ſolet purgare*, & paulo poſt: *Quoniam laxat alvum*. Ipſe non aſtipulor, nec unquam in ovo laxantem, aperitivam, multoque minus purgantem reperi vim. Niſi dicere velimus, quod concretis magis ab ovo, inſita caliditate adjuvante, internis in inteſtinali cloaca lentoribus, aliquæ humiditates ab unionis amplexibus liberæ, & ſui juris ſolutæ ſeparentur, atque ad anum tendant, ſed hoc nimis ſubtile eſt, & quæſtionem magis obſcurat.

Quia vero memor ſum præfationis hujuſce noſtri Operis fronti præpoſitæ, qua indicavimus, & promiſimus a quæſtionum tricis abſtinere: ita tamen, ut nullo habito reſpectu (nec pecudum more alios ſequuti, nec alto ſupercilio tuta dictare contendentes) noſtra in medium proponeremus; libere aſſerimus Græcum hunc Corcycæumque morem, ova ægrotantibus febre, morbo acuto, viſcerumque infartu detentis prohibendi admodum nobis arridere, & quam maxime laudari ita ut, quando fieri poteſt, ab iiſdem abſtinendum ſit: & ratio eſt, quia mihi videtur alimentum illud admodum ſe opponere niſibus artis, & naturæ diſſolutionem, & excretionem pravorum humorum molientis.

Præter igitur tot beneficia, quæ Græcæ genti debet Medica ars, illud etiam in poſterum adnumerari debebit, quod media Corcycæorum Medicorum vigilantia, & ſtudio, ſi non uſus interdum neceſſarius, ſaltem abuſus numeroſa ægrotantibus exhibendi ova ablatus ſit. Quia vero audire mihi videor Tyrones quæſtionem in meliori adhuc lumine collocatam optantes, quibus præcipue ſcribimus: ſic in ipſorum gratiam accedit uſus, & abuſus.

OVA PROHIBENDA

In morborum principio, in cruoribus, in ſiriis diebus, morbis ventriculi, viſcerum infartibus, obſtructionibus, cephalalgia, podagra, melancholia hypochondriaca, convulſionibus ex plenitudine, morbis acutis, cholica, calculo, arthritide, in ægrotis ſucci plenis, & habitus plethorici, doloribus, inflammationibus, necnon illis diebus quibus criſes expectantur, aut aliquas ſeparationes Medicus tentare vult, in fęcum, & lotii tarditate, flatu dominante, uno verbo, ſemper quando alter, æquivalens, ſufficiens nutriendi modus inſtitui poteſt, ova vitanda ſunt.

OVA ADHIBENDA

In morbis longis, in humorum colliquatione, in macritate, in ſubitanea neceſſaria nutritione, debilitate, tenella ætate, aut nimis provecta, in hæmorrhagiis, in fluoribus albis mulierum, in ſtomachi ardore, in diarrhæis, & dyſentheriis, in paſſione iliaca, in fluxu hæpatico, in mulierum partu, dyſuria, diabete, & nimiis ſudoribus; denique in febre hectica laborantibus, & in quibus, ut ita dicam, adhibenda ſunt, adhibeantur. Sat enim eſt, & erit, ut utili hoc Græcorum præſentium Medicorum documento fulti, ſaltem ovorum frequentium damnoſiſſimus abuſus a nobis ablatus ſit.

AERIS RESPIRANDI EXAMEN, ET BONITAS CORCYRÆ A MEDICIS PROMOTA, ET PLURIMI FACTA

LAUDANDA etiam eſt Corcycęorum Medicorum diligentia, & ſedulitas in puro conſervando, aut quatenus opus fuerit, immutando aere, quem ſuis in conclavibus aprime debent ægroti

(1) Inſtitutionum Medicarum Lib. IV. Part. 1.

(2) *Ideoque a veteribus ovis, ut a veneno abſtineudum*. Ibidem.

(3) Quiſnam erit Medicus ille tam fœlix, qui veritatem hanc ſole clariorem vulgaribus hominibus ſuadere poſſit?

(4) In Hercule Medico.

groti. Quandoquidem id plurimum ad recuperandam valetudinem intereſt. Non ſolum in clauſis tenendis portis, & feneſtris ſi hyems algida ſit, non in adapertis ſi calor; quæ cuilibet nota ſunt, & natura docente omnis ſentit, & experitur; ſed in tali modo, dirigenda, & modulanda aeris vi, impetu, & flamine, ut nec diu quiete (1) ſtans, nec nimis affatim vibratus aer noxius evadere poſſit. Nuper id, ſcilicet anno elapſo refert Rieger (2) ex Varro: *Cum Corcyræ eſſet exercitus, ac claſſis; & omnes domus repletæ eſſent ægrotis, ac funeribus: immiſſo feneſtris noxio aquilone, & obſtructis peſtilentiis, januaque permutata, ceteraque ejus generis diligentia; ſuos comites & familiam, incolumes reduxit.*

INSULÆ ORIENTALES

A TOURNEFORTIO LUSTRATÆ

REGIIS, ut ita dicam redditibus, & annuente ſummi magnique Ludovici Galliæ Regis munificentia, celeberrimus Tournefortius, duobus electis ſociis, nimirum Andrea Gundelsheimer Medico-Germano, & Claudio Aubriet Gallo-Campano Pictore peritiſſimo, hoc ſæculo ineunte, Hiſtoriam Naturalem curioſis utilibuſque obſervationibus ditaturus, petiit Orientis regiones, Ægeique maris inſulas, & ripas, Cyclades nempe, Sporades, Conſtantinopolim, Pontum Euxinum, Bithiniam, Paphlagoniam, Cappadociam, Armeniam, Iberiam, Galatiam, Myſiam, Phrygiam, Æolidem, Lydiam, Joniam &c.

LITERÆ NON NIMIS IN CULTU SUNT

IDEM Auctor in epiſtola tertia fatetur in omnibus regionibus Turcico Imperio ſubjectis, vix aliquos reperiri qui ſciant, & vetuſtæ linguæ Græcæ periti ſint. Hinc perit diligentia noſtra in reperiendis inibi literatis, qui reſcribant Opuſque noſtrum hoc in capite adaugeant. Quin imo vix reperire potuimus documenta fide digna, quæ de peculiaribus illorum uſibus nos admonerent. Præter quam quod fatendum inſuper parum luminis afferre methodos illas, quæ ſolam Empeiriam pro fundamento noſcunt, & præſertim ſi in rudiori ſolo contingit.

MELOS

MEDICÆ artis imperitiam in inſula (3) Melos regnare arguit Tournefortius a viſa deliranti ex morboſis affectionibus muliere, horrendis ſolum exorciſmis a Sacerdote impugnata: ſignum probans, Praxeos fundamenta illis in regionibus deſiderari. Neque Medicos morbidis præeſſe, qui curationes ſumant.

SMYRNÆ

SI Lupazzolus Conſul Mercatorum Venetorum vixit uſque ad ætatem centum & octodecim annorum, conjiciendum eſt Smyrnæas gentes gaudere aere puriſſimo. Verum de hoc ſatis, & fortaſſe nimis, quia extra cancellos, & præfixam metam. Quandoquidem licet hæc inſula in mari Ægæo ſita ſit, Græciſque juribus, & confiniis circumfuſa, vere, & potius in Aſia ponenda eſſet, utpote urbs Archiepiſcopalis Joniæ maritima. Obiter de aliis inſulis notando, ut Samos, Chius, Leſbos, Tenedos, & aliæ in Aſia ponantur, & Lemnos, Samothrace, Euboea, Cyclades in Europa.

SPARTA

VULGO MISTRA'

SPARTA in Laconia ſita erat, ut voluit Plinius, aut Tzaconia dicta ut Levunclavius; regioque eſt Peloponnenſis in ora Auſtrali: ubi antiquo more etiam in præſens perſeverante, nihil agunt niſi prius obſervata luna, hinc adagium illud *Luna laconica*. Aliudque circa frugalitatem, & ſobrietatem, quibus Lacones dediti ſunt: quare apud Athenæum (4) *laconica*; apud Plutarchum (5) poculum laconicum.

Inibi floret tithimallus abundans, quem Medici illius regionis lippientibus aptant, viſumque juvant: de cetero in arte medendi, tota ſuperſtitio eſt, & quaſi dixero damnandus uſus.

Vir enim quidam nobilis, & miles morbo comitiali laborans, dum remedium quæritabat, admonitus fuit inibi in olim Spartana urbe adeſſe mulierem, quæ magnum, tutumque habebat pro curanda epilepſia arcanum. Accita propterea, curationem cum perfecta valetudine de certo eventuram ſpopondit. Conventoque prætio centum juliorum argenteorum poſt ſex menſes potitæ ſalutis enumerandorum, & ſolvendorum ſtrigi, pharmacidique mulieri; parari ipſa juſſit cultellum, ligonem, galinam nigram, pariterque quinque candelas cereas nigras, cum duobus aliis hominibus, & quidem

(1) *Aer non renovatus perpetuo evadit lethalis, non ob calorem, vel rarefactionem, denſitatem, ſed ob aliam occultam cauſam.* Boerhave.

(2) Introductio ad notitiam rerum naturalium, & arte factarum. Pag. 277. T. I.

(3) Maris Ægæi.

(4) Libro ſecundo.

(5) In Vita Lycurgi.

quidem audacibus, teſtibus una, & miniſtris; determinata tantum illa die circa veſperas, qua Luna illum motum ſibi cognitum factura erat. Quo puncto, cum pervenerit, venit iterum prompta, vaſraque mulier; ſelectoque ad agenda ſubterraneo conclavi, tute obſignato, mox facto circulo, & accenſis quatuor exiguis candelis, ſingulatim exhibitis; dum præcedens clamans, & invocans alios tres ſecum circumeundo trahit; ex inopinato, quin porta aperiretur, referunt, apparuiſſe quintum hominem ne dicam phantaſma (credat quiſque quod poteſt, ac velit) ex ſe ipſo candelam accendens, canens, ceteroſque ſubſequi non deſinens. Poſthæc ligone, & ſarculo, in medio circuli, ſcrobs ad altitudinem hominis effoſſa eſt, introductuſque Nobilis miles ægrotus in cavi fundo gallinam nigram muliere jubente cultello defixit. Mox exivit; fictus homo evanuit, & mulier factam jam eſſe curationem promiſit.

Referunt per accidens contigiſſe, ut æger per ſex menſes bene ſe haberet, quare pactitios nummos ſolvere debuit callidæ mulieri: ſed elapſo altero ſemeſtri, ictu ſubitaneo fortis apoplexiæ e vivis ſublatus eſt.

Quid dicendum ſit de Græcis hiſce curationibus, non eſt hujus loci inquirere. Tanto magis quia ſumma Superum protectione fœx iſta a noſtris regionibus abeſt; quare ſupervacaneum eſt, ut in eandem invehamur.

NUTRICES SPARTANÆ HOC EST POPULORUM LACEDEMONIORUM

Celebres per totam Græciam erant Nutrices Lacedemoniorum; quæ faſciis non arctabant filios, ſed corpuſculum ſolutum derelinquebant; carnium eſcam cito exhibebant, agebantque ſollicitæ, ne infantes timentes lugerent &c.

THERMIA ET ZIA

Duarum inſularum prima in ſinu maris Ægæi (1) ſic dicta fuit a calidis Balneis inibi exiſtentibus, ideoque cum jam pene Græcas gentes vigeat Balneationum mos, per conſequens apta inibi erit pro multis morbis Medicina.

Potius in admirationem venio barbari uſus, antiquis temporibus, in inſula Zia, hoc eſt *Ceos*, duodecim leucis a Thermaico ſinu remota; de qua referunt tantam fuiſſe populorum, reſpectu annonæ deficientis frequentiam, ut ſtatutum fuerit ab illis Paganis aut ferro, aut veneno interficere homines ſtatim ac ad ſexaginta annos perveniebant, ut locus vivendi junioribus daretur; adeoque ſacram, & obſervatam fuiſſe legem hanc, ut ipſos morituros non pigeret. Supervacaneum ideo eſt loqui de illorum Medicina, ſi non de longævitate, & prolonganda vita, ſed de interficiendis hominibus, infortunatæ inſulæ tyranni Patres conſcripti cogitabant.

ANTIDOTUS CRATERI

♃. Marrubii, verbenæ, ſcordii, ſeminis ruthæ ſylveſtris, & corticum rhamni ana partes æquales, f. pulvis, & miſceatur cum melle.

RELIQUA REMEDIA

Undique penes auctores proſtant remedia ab orientalibus illis populis in uſum poſita; verum quia illi omnes antiquo more procedunt, & nihil ſingulare nobis ſuppeditant, ſine ulteriori examine ea derelinquimus. Quandoquidem inſtituti ratio illa eſt, ut non Pharmacopearum tranſcriptæ farragines producantur, ſed illa ſolum notemus, inque illorum vires inquiramus, quæ aut non ſatis nota Philiatris ſunt, aut ob ſuſpectum earundem uſum circumſcribenda. Fortunatæ quidem ſunt bene multę illarum Græcarum orientaliumque regionum inſulæ in poſſidendis frequentibus theſauris, herbis ſcilicet; verum illarum Hiſtorias relataſque virtutes non vidimus, ut hinc a nobis produci poſſit illarum ſpecimen, aut selectus.

Diſplicet inſuper hoc in Capite Brixiam adhuc non perveniſſe reſponſiones, quæ a Conſtantinopolitana urbe expectantur, & præſertim a celeberrimo Viro Mathæo Bratis, in aula Galli apud magnum Sultanum Ablegati commorantis, utpote quæ præcipue editionem noſtram, & præſentem Græciæ tractatum utiliter adaugere, & quam maxime ornare poterant: cum acerrimo ingenio, & optima praxi ditatus ſit vir ille ingenuus, & intercedentibus officiis egregii Viri Joannis Bonaldæ Brixiani, amicus noſter; quare peragratis regionibus illis documenta ſingularibus doctrinis referta nobis poterat tranſmittere. Silere tamen nolo hiſce ſignanter diebus accepiſſe epiſtolam Conſtantinopoli 20 Julii a D. Michaele Alberti, apud Venetum Oratorem commorante datam, quæ reſponſionem Bratiſianam promittit; quæque in ſupplemento ponetur.

(1) Ubi Theſſalonica, nunc *Salonichio* dicta, urbs clariſſima, & emporium amplum.

ZACYNTHUS

ZACYNTHIÆ gentes illa eadem fœlicitate fruuntur, quam diximus de Corcycæis, hoc eſt florendi ſub Venetorum Dominio, ex quo multa bona circa humanos uſus, ſeu e fonte profluunt, quæ ad Cephaleniam (1) etiam, alteram pariter in mari Jonio inſulam ab Archiepiſcopo Corcyræ, ut Zacynthus, gubernatam, perveniunt. In Patavino quippe multoties Archilycæo illius juventus in optimis diſciplinis inſtituitur, in Patriam deinde redux, & dives, atque ſuis concivibus profutura. Non ideo, ut in reliquis urbibus Ars Medica claudicabit, ſaltem apud illos, qui methodice, & rationaliter curari volunt, nonque ſuam vitam plebeculæ, Strigi, aut Hebræo concredere, aut tandem cum Agyrta pactitio promiſſoque prætio de curatione facienda convenire; dum etiam inibi per vectoria militaria, aut oneraria navigia Circumforanei fortaſſe appellent, rerumque portenta buccis crepantibus effutient: ſi hos audias veneraberis in ipſis quandam veluti virtutem ſanandi omne morborum genus, & tantum non mortuos ab inferis excitandi. Verum, ut ingenue loquear, quemadmodum ego alienus ſum a pollicendis montibus aureis, ita non tam facile fidem habere ſoleo hiſtis nebulonibus verbis, & nugis populum ſibi facientibus, & jactantibus מפלאות.

Redeundo ad res noſtras, & intra Zacynthiorum populorum confinia reſtitantes, cum a nullo Scriptore mutuari lucem potuerimus pro loquendo de patria Medicina, ſic inſtitutum noſtrum, pro virili, ut promiſimus ſequentes, Græcam addimus epiſtolam, lingua inibi uſitata, Medicos uſus delibantem, Græco pariter ex idiomate in Italicum ab ejuſdem Auctore converſam.

Τῷ Ἐκλαμπροτάτῳ Κυρίῳ

ΚΟ'ΝΤΗ ΦΡΑΓΚΙ'ΣΚΩ ΡΟΓΚΑ'ΛΗ ΠΑΡΟΛΗΝΩ

Ἐν Ζακύνθῳ 10. Αὐγούς. 1746. κατὰ τὸ παλαιόν.

Ἡ Ἰατρικὴ τῆς ἑλλάδος, ὁποῦ ἐγὼ εἶδα, καὶ ἐπιχειρίσθηκα εἰς τούτους τοὺς τόπους εἶναι τόσον πτωχὴ, ὁποῦ σχεδὸν δὲν ἐτόλμουν νὰ παῤῥησιασθῶ ἔμπροσθέν σου, μὲ εἴδησες τόσον ἐλλειπεῖς, καὶ χυδαίαις. μ᾽ ὅλον τοῦτο θέλωντας νὰ σὲ δουλεύσω κατὰ τὸ δυνατὸν, διὰ νὰ συμμαθητήσω καὶ ἐγὼ εἰς ὀλίγον μέρος πρὸς τὴν μεγάλην πραγματείαν ὁποῦ διεργάζεσαι, θέλω σοῦ φανερώσει τὸ ἀληθέστερον ὁποῦ γνωρίζω καὶ δύναμαι εἰς τὰ μέρη τὰ πλέον κατοικούμενα οἱ χειροῦργοι μετέρχονται τὴν ἰατρικὴν κατὰ τὴν συνήθειαν τῶν παλαιῶν ἑλλήνων· διορίζουσιν ὡς ἰατροὶ, καὶ ἀποδαλοῦσιν. ὡς χειροῦργοι καὶ ὡς φαρμακοποιοί· μάλιστα ἀπὸ τοῦ νὰ δώσουν ἀρχὴν τῆς θεραπείας, συμφωνοῦσι τὸ τίμημα, τὸ ὁποῖον πληρώνεται ὕστερον διὰ τὰ ἔξοδα καὶ κόπον, ὡς λέγουσιν. Οἱ Ἑβραῖοι τεχνεύονται τὴν ἰατρικὴν ἀπὸ τὰ ἄλλα ἔθνη μὲ περισσότερον κέρδος καὶ τύχην· ἀλλ᾽ εἰς ταῖς μεγαλήτεραις καὶ πολυανθρωπότεραις χώραις εὑρίσκονται χειροῦργοι ἐκ τῆς Ἰταλίας, Γαλλίας, & Ἀγγλίας, ἔθνη τὰ ὁποῖα ἔρχονται καὶ πλέουσιν ἐδῶ συχνότερον εἰς τὴν θάλασσαν. Ὅμως εἰς τὰ χωρία πάλιν, ὅπου κυριεύει μόνον ἡ ταλαιπωρία καὶ ἡ βαρβαρότης, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον κανένας πτωχὸς ἄνθρωπος ἰατρεύει μὲ ἕνα χόρτον ταῖς ὀλίγαις ἀσθένειαις ὁποῦ εἰς τὰς χεῖρας του φθάνουσιν· ἔχοντας ὁποῦ τὰ περισσότερα πάθη ἀμελοῦνται & ἀφίνονται εἰς τὴν ἐξουσίαν τῆς τύχης, τὴν ὁποίαν ὡς ἀνάγκην ὁ λαὸς δοξάζει. Τὰ φοβερώτερα πάθη ὁποῦ εἰς τὰς νήσους καὶ εἰς τὴν στερεὰν τῆς ἑλλάδος πολιτεύονται, εἶναι ἡ πέτρα, καὶ τῶν ἐντέρων τὸ σπάσιμον, τὰ ὁποῖα σχίζονται καὶ τελείως θεραπεύονται. καὶ εἰς τοῦτο εὑρίσκονται ἄνδρες πολλὰ ἔμπειροι καὶ ἐπιτήδειοι, κάμνοντες τὴν ἐργασίαν ταύτην εὐτυχέστερον ἀπὸ τοὺς Ἰταλικοὺς καὶ Γαλλικοὺς τεχνίτης. ἐξόχως εἰς τὰ Ἰωάννινα πολλοὶ παιδεύονται καὶ προκόπτουσι σχίζοντες ἐκείνους ὁποῦ πάσχουσιν ἀπὸ πέτραν καὶ σπάσιμον. ἀλλ᾽ ἡ γυ-

ναι-

All' Illuſtriſſimo Signor

CO: FRANCESCO RONCALLI PAROLINO

Zante 10 Agoſto 1746 S. V.

LA Medicina della Grecia da me veduta, e fatta in queſti contorni, è tanto meſchina, che quaſi non aveva coraggio di venirvi davanti con notizie così ſcarſe, e triviali: tuttavia volendo ſervirvi in quel che poſſo, per coadjuvare ancor io qualche coſa alla grand' Opera, che avete per le mani, ve ne darò il più vero ragguaglio, che potrò. Nei paeſi più frequentati i Ceruſici fanno tutta la Medicina all' uſo de' Greci antichi; ordinano da Medici, ed eſeguiſcono come Ceruſici, e come Speziali, anzi prima d' intraprendere la cura patuiſcono del prezzo, che viene esborſato doppo terminata, per ſpeſa, e fattura, come dir ſi ſuole. Li Ebrei vi fanno la Medicina con più profitto, e fortuna delle altre Nazioni. Per altro nelle Popolazioni più groſſe vi ſi trovano Ceruſici Italiani, Franceſi, ed Ingleſi ancora, che ſono le Nazioni, che più navigano i mari della Grecia. Ma ne' villaggi, dove regna ſolo miſeria e barbarie, al più qualche miſerabile fa uſo precario di un erba per tutte le malatie, che li vengono per le mani, che ſono ſempre poche; perche vengono per lo più traſcurate, e laſciate in mano del deſtino, deità aſſai potente frà Greci. I mali più frequenti, e più temuti nelle Iſole Greche, e nel continente Greco ſono il mal di pietra, e la rottura inteſtinale, che vengono guarite col taglio perfettamente; ed in queſto ſono più fortunati di voi altri Italiani, e Franceſi, per aver huomini valo-

Bb *roſi,*

(1) Inibi mons utilibus plantis abundans, atque inſuper duo fontes, unus calidas dans aquas, alter frigidas, qui tamen ab illis gentibus in medicos uſus non vertuntur.

ναῖκες ὁποῦ ὑπόκεινται εἰς τὴν λιθίασιν δὲν σχίζονται, ἀμὴ τῶν βάνουσιν ἕνα ἔμπλασρον μὲ κάποιον χόρτον εἰς τὸ μέρος τῆς κάτω κοιλίας, ἤγουν τῆς ἥβης, τάχα ὡς ἑφελκτικὸν τῆς πέτρας, τὸ ὁποῖον εἶναι πλάνη καθαρά; διατὶ ἐκβάλλουσι τὴν πέτραν, ὀξαπλῶντες πρῶτον τὴν γυναῖκα εἰς καλὴν θέσιν, καὶ μὲ τριψίματα, καὶ μὲ ἄλλαις ἐπιμελείαν, καὶ ἂν χρειασθῇ μὲ ἕνα σιδηροῦν ἐργαλεῖον ὁποῦ κρατοῦν εἰς τὸ χέρι: ἐδῶ εἰς τὴν Ζάκυνθον, Κεφαληνίαν, καὶ εἰς ἄλλους τόπους εὑρίσκεται τινὰς ἀνάμενα εἰς τὸν κοινὸν λαὸν βασανισμένος ἀπὸ τὴν λέπραν, ὁποῦ τὸν κάμνει ἄσχημον διὰ κάποιους κόμπους διεσπαρμένους εἰς τὸ δέρμα, ὁποῦ τὸ ἀποταλοῦν μελιωὸν, καὶ τραχύ. τοῦτο τὸ πάθος θεραπεύεται σπανίως, καὶ ἂν θεραπευθῇ, δὲν ἀποτελεῖται ἡ θεραπεία πάρεξ μὲ ἰσχυρὰ καθαρτικά, καὶ διὰ μέσον τοῦ ὑδραργύρου, ἄλλο δὲν ἔχω νὰ προσθέσω, μόνον πῶς εἰς τὴν ἑλλάδα οἱ χρήσιμοι καὶ ἀξιοπρεπεῖς, ἄνθρωποι ἀγαποῦσι τὰ ἰατρικὰ μὲ μόσχων καὶ ἀμπέρι· καὶ οὔτε ἂς γυναῖκαις βλάπτονται· πρὸς τούτοις ἔχουσιν εἰς τιμὴν καὶ τὰ ὅσα λέγονται ἀφροδισιακά, ἔθος ῥιζωμένον εἰς τοὺς χρόνους τῶν παλαιῶν ἑλλήνων. καὶ ταῦτα μὲν ἐπεριέγραψα εἰς μίαν ἐπιστολήν, τὰ ὁποῖα καθὼς ἐσχεδιάσθηκαν διὰ μόνην ὑπακοήν, παρακαλῶ, ἐκλαμπρότατε Κύριε Κόμη, νὰ δεχθοῦσιν εἰς σημεῖον τῆς ἀμεταθέτου μου εὐλαβείας.

Δημήτριος Κεφαλᾶς Ἰατροφιλόσοφος.

roſi, e franchi nell'eſeguire amendue queſte ardite operazioni. A Gianina particolarmente quaſi tutti quei Popolani ſi eſercitano a tagliar Rotti, e Lapidoſi; ma le femmine travagliate dal mal di pietra vengono ſoccorſe ſenza taglio impiaſtrandogli un erba alla reggion del Pube, che dicono attrattiva della pietra: ma queſta è un impoſtura, perche la pietra viene cavata doppo aſſettata la donna in buona poſitura, e colle frizioni, ed altre diligenze, ed occorrendo con una tanaglietta, che tengono nelle mani. Quì al Zante, Cefalonia, ed altri luoghi ſi trova qualcheduno fra la plebe attaccato dalla lepra, che lo rende deforme per certi groſſi bitorzoli ſparſi nella cute, che la rendono nerregna, ed ineguale. Queſto è male che rare volte ſi cura, o pur ſe ſi cura con forti purganti, e mercuriali, rariſſime volte guariſce. Non mi reſta da ſoggiungere, ſolo che nella Grecia i Signori di maggior conto, e di qualità, che ve ne ſono, amano tutte le Medicine con muſchio, ed ambra, e le donne non ſe n'offendono, e molto ſtimano le Medicine afrodiſiache: coſtume radicato fino nelli antichi Greci. Ecco quanto ho ſaputo raccogliere in una lettera per ubbidirvi: vi prego Illuſtr. Sig. Co: aggradirlo in atteſtato della mia coſtante venerazione &c.

Demetrio Chielafà Medico Fiſico.

HISPA-

HISPANIÆ, PORTUGALLIÆ

CLIMA, POPULORUM TEMPERAMENTA, MORES, ACADEMIÆ, ET NONNULLI MORBI.

HISPANIA, & Portugallia Europæ partes verſus occidens percelebres, ſibi invicem finitimæ magnam peninſulam conſtituunt, medio iſthmo Pyreneorum montium a Francia ſeparatam, quæ unam tantum Monarchiam ſub Philippo Secundo Rege efformabat: Sed tempore Philippi Quarti iterum diviſa fuit, & ab anno 1640 unaquæque paret proprio Regi.

Ampliſſimæ regiones ab oceano Atlantico, & mari Mediterraneo, necnon a fluminibus Minio, Durio, Munda, Tago, Anate, & Ibero humectantur; gaudentque triginta quinque gradibus latitudinis ſeptentrionalis, uſque ad quadraginta quatuor cum aliquo tamen graduum diſcrimine, ratione ſitus.

Admodum calidæ ſunt. Hinc ad Hiſpaniam quod attinet, terræ fructus, vina, lanæ, auri, argentique olim utiliores mineræ: ibique Bonarum Artium Academiæ (1). Ad Luſitaniam vero montuoſiorem, magiſque fœcundam, & excultam, citra, mala, limonia, ficus, uvæ, oleum, lac, mineræ, lapides pretioſi, & multa alia. (2)

Gens eſt robuſtioris texturæ, ad ſuſtinendam ſitim, inediam, vigilias, hinc ad militarem diſciplinam admodum idonea, quæ nec malis, nec periculis laxatur. Hinc temperamenta elaſtico vigore prædita, cui accedente etiam aliqua in vivendo frugalitate fibræ, & lacerti omnes in ſuis viribus conſervantur, & rarius ægrotant. Nil quippe magis ad tollendum in humano corpore æquilibrium conſpirat, quam gulæ luxuria, uſuſque ille viſcera, & ſolida majoris uſus implendi, & onerandi; ex quo fit, ut tenſum fibrarum omne genus coire, & aperiri non poſſit: hinc ſtaſes: hinc fe-

riæ concoctionis, aſſimilationis, nutritionis, ſeparationis, & ſimilium.

CURATIO MORBORUM PER SALIVAM, ET HALITUM

HISPANIA habet *Saludadores*, qui credunt ſanare ægrotantes, ſi in eorundem os ſalivam, & halitum immittant, & inſpirent; ſed hæc ſunt res canendæ infantibus recenter natis, ut ſomnum capiant.

PEDILUVIUM IN PODAGRA

HISPANI utuntur Balneo tepido pedibus aptato, ut guttarii dolores miteſcant. Cujus Medicinæ auctor fortunatus fuit Franciſcus Valeſius Medicus Hiſpanus, dum feliciter illud adhibuit in Philippo Secundo Rege, qui, ob fugatos hac methodo dolores, Mercatum dimiſit, & Valeſium in Archiatrum ſubſtituit. Verum enim vero num hæc certo, & ſemper in hac quoque regione noſtra in uſum ponenda ſint, hæreo incertus: ob id propterea quia, quando volumus ſuppreſſam Podagram, majora pericula præcipue ad pectus minitantem, ad inferiora allicere, & vocare, Balneo utimur; ex quo orietur conſequens tepidum fotum podagram ciere, non vero curare. Quamvis aliud ſit dolorem tollere, nihilominus illud debet eſſe ante oculos, dum ducto ab exemplis lumine, mederi intendimus: num ſcilicet cetera conſentiant, & niſi cœlum, ſaltem temperamenta paria ſint. Itaque quando rem aſſequi nobis liceat, cenſerem adamuſſim examinandam ægri temperiem, & torquendi modum quo podagrica affectio in inferos artus ſævit. Sique partes in molem au-

 ctæ

(1) Nimirum Abulenſis, Cæſar-Auguſtana, hoc eſt *Saragoſa*, a Carolo V. Imperatore erecta, Compoſtellana, Granatenſis, Hiſpalenſis, Ovetana, Pampelonenſis, Salmaticenſis, ab Alphonſo IX. Rege Legionenſi inſtituta, Seguntina a Cardinali Ximenio, Tarraconenſis, Toletana, Valentina, Valleſolitana, & aliæ.

(2) Tres numerantur in toto Luſitano Regno Academiæ. Nicolaus IV. Papa anno 1290. erexit Ulyſſiponenſem, Joannes III. Rex Conimbricenſem, Enricus vero Cardinalis Eborenſem. Sed non conſtat celeberrimos viros a cultis nationibus ibi accitos fuiſſe, nec patrios admodum florere, ut hinc documenta utilia ab illis regionibus pro ornanda editione conquirenda ſint:

ctæ tument ab intus ſtagnante lentore, qui fibras extendendo, & ampliando infarciat, ſicque ex fibrarum, & villorum divulſione oriatur dolor, & temperamentum obeſum, plethoricumque ſit, tunc Balneum ſuſpectum eſſet, & probabiliter dolorem non tolleret, quia ex majori partium laxamento, alti etiam humores magis deſcenderent, & tumiditas fortaſſe augeretur. Si vero ægri temperies æſtuoſa, & ſicca ſit, & fortis, ſtrictaque fibra humores circumire non ſinat (quibus temperamentis Hiſpania abundat), & imorum articulorum dolores pendeant non a quantitate extendente, ſed a qualitate acerrima, ſalina, feriente, lancinante, forſanque tophos producente; tunc ſane Hiſpanum documentum amplectendum etiam in Italica regione eſt: quod Tyrones apprime cognoſcere poterunt ab inſpectione partis, an contractæ, ſiccæ, corrugatæ, duræ, atrophæ, vixque pondus ſubtiliſſimi linteoli, abſque magno dolore, ſuſtinentis; ex quo arguimus ſales dominari, irrequieta, acerrimaque bilis principia latere, & in ſolidorum ſtratis, necnon juncturarum conjunctionibus, & oſſiculorum ſuperficiebus talem intereſſe ſynoviam, talemque gliſcere ichorem, paucum quidem, ſed infenſiſſimum, qui dolorificos cruciatus producit. Imo non obſtarem, ſi dum Balneum parant, lac adderent, aut portulacam, hyoſciamum, plantaginem, papaver album, & rheas, lactucam.

STRUMÆ MORBUS ENDEMIUS IN HISPANIA

AB eademmet fibræ ſiccitate, & ſolidorum, ut ita dicam, aduſtione pendet illa morboſa facilitas, quam habent Hiſpani ad laborandum ſtrumis (eaſdem *Porcellanas*, & *Lamparones* vocant) ſcrophulis ſcilicet. Qui morbus inibi vere poteſt diei endemius, quia nimis frequens eſt (1) de quo teſtis Francia, & præcipue Lutetia, ad quam ſtatutis temporibus turmatim, ut curentur, Hiſpani confluunt. Verum de hoc jam ſatis ſuo loco.

MULIERES IN HISPANIA DE PHYSICA OPTIME MERITÆ

MULIERES ipſæ ad acquirendas bonas artes, & diſciplinas adlaborant; quandoquidem Domina Oliva Sabuco Matriti in nova Caſtilia publici juris fecit Philoſophiam de Hominis natura, antiquis nec cognitam, vel ad examen revocatam. Quod opus pluribus editionibus jam comprobatum eſt.

AQUILEGIA PRO EXPELLENDO CALCULO

MEDICI Hiſpani præcipue in Aſturia, quæ nunc Ovetum dicitur, radicem Aquilegię in pulverem redactam exhibent ad *deturbandos renibus calculos*; cui nos non obſtamus; quamvis Tragus (2) ſemen potius in quantitate unius drachmæ morbo regio, & obſtructionibus laboranti exhibeat, & Tournefortius dicat, laudatiſſimam Medicinam eſſe antiſcorbuticam, ad detergenda ulcera, & firmandas gingivas.

LUES VENEREA NUM PER HISPANIAM IN ITALIAM FUERIT ADVECTA

GUNDISALVUS Fernandez (3) (4) opinatur, ab *Indiis occiduis* inſula ſcilicet Haiti, ſive Hiſpaniola, quæ nunc Sancti Dominici dicitur, ubi lues venerea patria eſt, & vernacula, a navalibus redeuntibus copiis transductam fuiſſe. Quam opinionem etiam tenet famigeratiſſimus Indiarum Scriptor Antonius Herrera (5) ubi ait: *Causò en todos nucuas enfermedades, con la converſacion de las mugueres ſe les vino a pegar un mal ordinario entre los Indios, y entre los Caſtellanos no conocido, que les dava mucho trabajo. Eran unos granos, que nacian per el cuerpo con dolores intenſos, y era contagioſo: y ſin remedio ninguno, de que morian rabiando &c.*

PRO LUIS VENEREÆ CURATIONE TEMPORE LITUS MERCURIALIS UTRUM PURGANTIA ADHIBENDA SINT

ADHIBENDORUM purgantium tempore aptati unguinis ex Hydrargyro Auctor inter Hiſpanos eſt Joannes Almenar, qui a Wendelino Hock ſecutus ait: *factæ tres unctiones, & tunc dabis Medicinam ſolutivam, & humores qui per os expelli deberent, ad inferiora divertentur, & ſic evitabitur nocumentum in ore.* Hæc propoſitio ſicca, & univerſaliter promota mihi non arridet; ſique hanc methodum ab Hiſpania Brixiam ferre vellemus, neſcio quid eſſet ægris.

Purganda eſſe corpora nunc magis, nunc minus ante adminiſtrationem Mercurii ſcio; ſed ſcio etiam, vim facere Mercurio, ut per inferiora exeat, ſuſpectum, & periculi plenum eſſe. Profecto ſi in Hiſpania unguina, & ſuffumigia propinant, & ptyaliſmum præpedire contendunt, difficilis

(1) Rationem de hoc reddit Chriſtianus Joannes Rieger, pag. 262. ajens: *Inter Hiſpanos qui frigidarum potionum uſui immoderate indulgent, tumores in faucium glandulis frequentiſſimi ſunt.*

(2) In Hiſtoriis omnium Plantarum, pag. 821.

(3) *La Hiſtoria general y natural de las Indias Occidentales.*

(4) *Dos Tratados del Palo de Guayacan, y de Palo Santo.*

(5) *Hiſtoria general de los Hecos, e de los Caſtellanos en las Islas, y Tierra firme del Mar Oceano.* Decad. I. Lib. V. Cap. XI.

cilis mehercle provincia tentatur. Oris via frequentior eſt, per quam argentum fugax deſpumari vult, vel quia aſcendendo naturam flammæ ſequi amat, vel quia lympharum facilis via eſt, vel quia ceteris laxior, vel quia ſolutum colliquamentum ſalivæ analogum eſt, ſimilibuſque partibus integratum, quod amygdalis, palatinis, & ſublingualibus glandulis aptatur.

Quomodocumque propterea id eveniat, ejus quidditativam primariam rationem acrioribus ingeniis ſtatuendam relinquimus: negari non poteſt, illo actu commotis ab irrequieto metallo albis præſertim liquaminibus undatim fauces palatumque impetere, opitulantibus ſolidis ipſis, viſceribuſque majoris uſus verſus regionem illam noxios humores exprimentibus. Hoc in anfractu, Hiſpani Almenar dogmata ſequi, medicamentum purgans exhibere, motumque inverſum, & oppoſitum, eodem actu producere, non aliquo urgente rationis, & cauſæ momento, ſed, ut ita dicam, de ritu, ne os moleſtetur, a me pecudum more in auctoris venerationem probari non poteſt; tanto magis ſi iterum inunctiones, iterumque purgantia adminiſtranda ſint, dum hoc eſt velle, & nolle, ac ſi quis iter facturus, equum iterum iterumque reverteret.

Terra tegit errores bene multos illorum medicorum, qui ut aliquid agant, mane catharticum, & ſequenti die vomitum, hinc ſudorem provocant jactando, ut multis adapertis portis, morboſus apparatus facile exire debeat. Proh! luſus de corio humano. Naturam frequenter ab humorum ſarcina laborare, opinio eſt cordatiſſimorum in arte Virorum: exitum promovendum, ipſe non inficior, ſed ſuaviter, dato tempore, per partem infartui aptam, *per loca conferentia*; nunquam immemor nos eſſe naturæ miniſtros, indicatamque ab ipſa viam ſequi debere, non facere, non factam derelinquere, & aliam pertentare. Hoc quippe eſt jubere, non parere naturæ, quæ in tot motus concitata, neminem perficit.

METHODUS HISPANA PRO CURATIONE LUIS VENEREÆ ETIAM ITALIÆ SEQUENDA, ET LAUDANDA

POTIUS nobis arridet methodus Aloyſii Lobera Abulani in vetere Caſtilia Caroli V. Imperatoris, & Hiſpaniarum Regis Medici (1) qui *alternis* quidem *diebus unctionem fieri* probat, *interpoſita etiam quiete abſque unctione per biduum &c.* Hoc etiam ſuadet alter Hiſpanus Andreas Alcacar (2) qui *cenſet, interdum ab illitione abſtinendum eſſe* (3). Hoc enim eſt tutius, & paulatim agere lymphaſque corporis paulatim movere, ne turmatim nimium impetum in excretorias partes, ubi ſeparari debent, faciant. Hinc ſi gula eſt, minus æger periclitabitur. Sed hic etiam ſilere non poſſum, blandiorem methodum minus habere periculi, ſed morbos radicitus non evellere. Quapropter quamvis leviter promotus, quando ptyalyſmus inceptus eſt, & ſine magno labore latus, tunc ſumpta lance perpendere debet Medicus contagii radicem, factas impreſſiones, & ſata ſemina; necnon ex alia parte mercurii quantitatem, potentiam, vires incoercibiles, & nunquam ſatis menſurabilem agendi modum, ſemper & iterum ante oculos habendo, quod multus nocet, modicus non curat: omnibus non oſcitanter, ſed pro virili penſitatis, & proinde magis caute ad illius adminiſtrationem poterit devenire. Sed quæſo ſi fieri poteſt, ſi natura regit, dominatur, & reſpondet, & expuitionis excernendæ curriculum bene inceptum eſt, quæſo, inquam, tota illa quantitas, quæ neceſſaria eſt, in uſum ponatur. Quandoquidem non paucos vidi in quibus non bene extincto, ſoluto, domitoque exotico contagio (quod Indum occidentale, non vero Gallicum, neque Neapolitanum cum Europæ dedecore, dici deberet) redivivam luem condolere, iterumque violentius curare debuimus (4) (5).

DE LUIS VENEREÆ AB UNO IN ALTERUM CONTAGIO

TIMENT Hiſpani, inter quos Ludovicus de Mercado (6) facilem contagii communicationem, *congreſſu, baſiatione, adhæſione cutis ad cutim, communione lecti, indumentis, vaſis*.

Congreſſu, jam res nota eſt, & utinam alienis periculis jam tandem docta humana gens, valetudinem ſuam circumſpecte cuſtodiret, tueretur que ſalutem temporalem & æternam.

Baſiatione. Hærerem, & diſtinguerem. Baſiatio ſuper cutem, quæ nec lichenem habet, nec papulis inficitur, mihi ſuſpecta non eſſet. Oſculum vero promiſcuum in ore ſi ulcuſcula laterent, epidermis abraſa eſſet, aut lingua, vel gingivæ, aliquatenus diloricatæ, accenſæ, tumentes, ſuiſque cuticulis exutæ, poſſet quammaxime aliquid virulentum ſerere, præcipue ſi eademmet ſaliva corrupta, vitiataque ſit. Magnum quippe, & ſumme penetrativum menſtruum, aut ſi ſpiritale viſcus tactum, ægerque ad hecticam Gallicam feſtinet. Cum negari non poſſit venenum illud, in vix viſibili particula abſcondi, potiuſque ſpiritum, & auram dici deberi; ex quo facilis diffuſio, hinc impreſſio, inde ſedes, & graſſatura. Quod animadvertendum etiam in ſcorbutico gingivarum affectu, qui facili negotio poteſt contrahi.

Adhæ-

(1) *Libro de las quatro enfermedades corteſanas, que ſon catarro, gotta, mal de, y mal de Buas &c.*

(2) De Pudendagra, vel Mentagra, vel Lichenis &c.

(3) Quæ confirmantur a Petro de Torrez Medico, & Chirurgo Mariæ Auſtriacæ Imperatricis in Libro Hiſpanice ſcripto: *Que trata de les enfermedad de las Bubas.*

(4) Vide noſtras Morborum Hiſtorias de Lue Venerea &c.

(5) Nec non opus recens Nicolai Robinſon Medici Angli, qui tamen documenta Friſii, Catanei, & Leoncini ſecutus eſt.

(6) Opera omnia, Francofurti edita. T. 2. agit de Morbo Gallico.

Adhæſione cutis ad cutim. Quando morbus intus ſævit, ſola pudendagra eſt, aut gonorrhæa fluit; tunc contrahendi timor exulare deberet. Verum ſi cutis, quamvis ſine pſora, commaculata eſt, puſtulæque miliares, aut ignem ſacrum imitantes eruptiones, & floreſcentia veluti exanthemata cutim aſperant, tunc ſane contactus non adeo tutus, præcipue ſi cum

Communione lecti conjunctus ſit. Corpus noſtrum ſpongia eſt: eſt Barometrum, ſi Langio fidem habemus, hinc facilis ſuſceptio, compenetratio. Cruſtacea ſuperficies, aut quocunque modo vitiata cutis indicat ab internis vaſis ad miliares glandulas, ad panniculum carnoſum exoticos ichores appellere, qui quieſcentes fermenteſcunt, ſuppurant, evolant, penetrant, præſertim ſi a tepore lecti ſolida fovebuntur, & pori dilatentur.

Indumentis pariter, & *vaſis* aliquod imprimi poſſet in adſtantia corpora præjudicium, ſi cutis exutorum laboraviſſet, ſi potatorium vas in labello fuiſſet infectum. Eo quia ob rationes ſuperius traditas tranſmigrare venenum poteſt, & viciſſim ab infecto in ſanum reciprocare. Vera fando, hæc poſtrema nunquam vidi, niſi una, ut diximus fuerit pſora. Quia vero numerari debent inter ea, quæ fieri poſſunt; tutius agendo, non incongrua erit diligentia, & circumſpectio, quibus ab aliquatenus periculoſis hiſce contactibus, quiſque ſe defenſurum præmuniat.

Si tamen vera ſunt, quæ olim legiſſe recordor; hoc eſt a dira hac lue magis cruciari regiones frigidas boreales, quam calidas: illud habebunt utilitatis Hiſpani, & Luſitani, quod minus torquebuntur, ad id etiam conſpirante inſita in illo climate fibrarum ſoliditate, quæ morbi impreſſiones non tam facile patietur. Quamvis poteſt etiam eſſe, ut numiſma ſuam habeat poſteriorem partem; hoc eſt lacertoſam viſcerum, & ſolidorum conſtitutionem, fibraſque intercutim jacentes, & in urinæ viis diſſeminatas nimis ſtrictas, aduſtas, & conſiſtentes neceſſariis ſudoris, diureſis, & excretionum ſeparationibus non laxari, non aperiri; ex quo orietur remediorum difficilis adminiſtratio, quæ tam ſi exequatur decoctionibus ſpecificis alexipharmacis, quam mercurio, nihilo tamen minus, alba præſertim in corpore liquamina fundi magis, & commoveri, cum exitu debent; adeoque in tranſeundo majores adeſſe poterunt difficultates.

Addamus inſuper quod animadvertit Redius in ſuis Conſultationibus; quodque nos in Hiſtoriis Morborum memoravimus. Scilicet remedia ad curandam luem, quamvis neceſſaria ſint, corpus admodum calefacere. Ideo ſi regio calida eſt, ſi temperamentum, ſi remedium, per conſequens, & magis inſtat operis difficultas, & magis poſt applicationes corpora humectanda erunt; quibus ſane exemplis, quoties idem, aut quaſi idem in Italia etiam noſtra verificabitur, & actu curationis, & poſt corpora aquis, balneo, & lacte humectanda, lavandaque ſunt, ut tollatur rigor, ut laxetur fibra, ut excretiones erumpere poſſint. (1)

ISTRICIS LAPIS

LAPIS qui in felle Iſtricis Regnorum *Malaca*, & *Zeilan* producitur admodum in prætio eſt, tamquam ſingulare alexipharmacum in febribus malignis. Rex vero poſſidet multos lapides, quare interdum depræcantur ſubditi, ut rem gratam faciat, eoſdemque adhibendos mutuet.

LEMOS

LUDOVICUS plurimum meritus eſt de Luſitana Medicina, quippe qui pluribus annis docuit in Salmaticenſi Gymnaſio, proindeque in Ellerena urbe Medicinam practicam faciens, præcipue in prædicendo plurimam laudem acquiſivit, eandemque confirmarunt ſcripta ſua in Salamatica, & Veneta urbe recuſa.

VEIGA

THOMAS Rodericus a Johanne Rege Conimbricenſis Academiæ auctor vocabatur, quia in docendo, & ſcribendo celeberrimus fuit, adeo ut Luſitana Medicina plurimum illi debuerit, ac debeat.

HISPANI DOCTIS ALIUNDE VENIENTIBUS INVIDENT

PROPOSITI argumenti teſtis in ſe ipſo fuit Andreas Veſalius Bruxellenſis, a Carolo V. ad Archiatri gradum evectus, qui cum vocatus fuiſſet ad ſectionem cadaveris nobilis cujuſdam Hiſpani, ut mortis cauſa quæreretur; celebrata thoracis ſectione, & patefactis extis, repertum fuit cor adhuc palpitans. Quod videntes ceteri Medici, & vilior adſtans turba exclamarunt, & ſubitanea ad judicem accuſatione Veſalius morti adjudicatus eſt: ob craſſam ſcilicet negligentiam, & imperitiam non examinandi prius, num eſſet vera mors. Vitato ſupplicio, relegatus fuit; ſed dum ad inſulam Zacynthum appellere tentat, periit.

Non eſt hujus loci inquirere num ſuperſtes cordis motus, indubium eſſet vitæ ſignum, quandoquidem in lacertoſo ſolidiſque fibris integrato viſcere, ſoli inſulati, & relicti ſpiritus, dum ſolida coeunt, ſe moventes, & exitum quæritantes, illius eventus cauſa eſſe poſſunt, ut in multis truncatiſque flutis, & viperis frequenter videmus. Ex quo fortaſſe orta fuit lux, ut Veſalius errorem ſuum vita non piaverit; ſed tantummodo relegatus fuerit. Verſa etiam culpa in alios; hoc eſt in illos, quibus cadaveris cuſtodia, & cura demandata

(1) De hoc morbo Galli Auctores Aſtruc, & nuper Dominus de la Mettrie rem omnem abſolvunt.

data erat, & qui, ſi Medici, Religioſi, vel Parentes rem prius introſpicere debuerant, antequam Veſalio cadaver ſecandum traderent.

ANTIMONIUM A MEDICIS HISPANIS ADHUC FORMIDATUM

Audito ab Hiſpanis rumore per totam Galliam ſemper magis increbeſcente, damnorum ab antimonio productorum, adeo ut ipſi Magiſtratus illius uſum damnaverint; nec non viſo *Martyrologio antimonii* a Guido Patino Medico Gallo publici juris facto, cum indice occiſorum ab antimonio, opportunum duxit D. Diego Matheo Zapata (1) illius defenſionem ſuſcipere, & tanquam utile pharmacum in medium afferre. Ex hoc dein tam Matriti, quam Barcinonæ, & tota Hiſpania ab illius præſcriptione non tam abhorrere Medici cœperunt: ſed ita tamen, ut circumſpecte illud adhibeant. Quem ſane modum ab Hiſpanis acceptum quam maxime ipſe etiam, noſtro ſub cœlo, Italis Philiatris commendo, ita tamen, ut nec illud abſolute proſcribant; nec in facilem uſum vertant.

ACETI USUS MACROS REDDIT HOMINES

Credit vulgus, & aliquis Medicus, nec minoris famæ, auctor eſt, tolli poſſe obeſitatem, pinguedinisque ponderoſam ſarcinam a continuo per os aceti uſu. Quod etiam aliquis effectus confirmavit. Hoc in Hiſpania quandoque fieri, factumque fuiſſe ſuadet expertum feliciter tentamen a præſtantiſſimo, & belligero viro Marchione Chiapino Vitellio, Catholici Monarchæ olim præfecto, & exercituum ſtrenuo duce, qui cum ob nimiam obeſitatem, abdominis protuberantem molem, faſcia circa collum humeris impoſita ſubſtinere debuiſſet, ut belli muniis ſe in poſterum agiliorem præſtaret; non tamen, ut illi in deſiderio erat voti compos, acetum aſſidue potare opportunum duxit, tanto cum effectu, ut brevi octoginta ſeptem libras in pondere decreverit. Caute tamen hæc experimenta, ne dicam pericula imitanda ſunt.

DYSENTERIA

Morbus in Hiſpanicis regionibus frequens præcipue ab uvarum abuſu, ſi abſque pane ingurgitentur. Climatis quippe caliditas facit, ut uvæ particulis ſulphureis inflammabilibus turgeant, ex quo fit, ut inſulatæ, & veluti ſui juris in inteſtinali tubo factæ, forſanque a temperamentorum æſtu protinus exaltatæ, fermentationem facillime ſubeant, & producant: ex qua inteſtinalis viæ diloricatio, exeſio, & quaſi dixerim abraſio cum ſanguinis, mucorum, & pinguedinis exitu, cum doloribus lancinantibus; quæ ſunt conſueta dyſenterici fluxus ſymptomata, quibuſque ab Hiſpanis Medicis incumbendum erit.

(1) A Madrid 1701.

INDICI USUS IN HISPANIAM TRANSLATI

Petrus Arias de Benavides ſuo apud Indos Americæ occidentalis itinere, acceptis variis in medendo uſibus, illiſque præſertim, quæ manuum adminiſtratione exequuntur, curavit, ut patriis Hiſpanis ſuis ſuaderet, non ore tantum, ſed diſtincto opere cui titulus: *Secretos de Chirurgia: Eſpecial de las enfermedades de morbo Gallico y lamparones y mirrarchia, y la manera como ſe curan los Indios de llagas y heridas, con otros ſecretos haſta agorano eſcritos, ad Carolum Hiſpaniarum Principem &c.*

NONNULLI SCRIPTORES HISPANI

Boccungel Nicolaus Matritenſis Imperatricis Mariæ Auſtriacæ, necnon ipſius Philippi III. Regis Catholici Archiater ſcripſit *De las enfermedades malignas y peſtilentes, ſu cauſa, remedios y preſervacion.*

Bravo de Sobremonte Ramires Gaſparus Philippi Quarti, & Caroli II. Archiater ſcripſit *Reſolutiones Medicas circa univerſam totius Philoſophiæ doctrinam.*

Bravo vero Joannes ex oppido *Caſtellæ Piedrahita: de Hydrophobiæ natura, & cauſis; necnon de ſaporum, & odorum differentiis &c.*

Carranza Alphonſus Rempublicam Medicam locupletavit ſuo Tractatu de Partu naturali, & legitimo.

Denique Franciſcus Peres Caſcales ſcripſit *de Faſcinatione.* Thomas del Caſtillo Ochoa *de Venenis.* Franciſcus Diaz Philippi II. Hiſpaniarum Regis: *de todas las enfermedades de los Ririones, vexiga, y carnoſidades de la verga.* Alphonſus Diez Daza: *Aviſos y documentos para la preſervacion y cura de la peſte.* Marcus Garzia in Noſocomio generali Matritenſi Chirurgus: *Honor de la Medicina y aplauſo de la Cirugia Caſtellana.*

Gregorius Gomez Medicus Toletanus ſcripſit de ratione minuendi ſanguinem in morbo laterali.

Innocentius Chirurgus Toloſas produxit Chirugiam Methodicam.

Inveges Antonius Saccenſis Philippi II. Regis Archiater.

Aloyſius Lobera Abulanus *de las quatro enfermedades corteſanas gota artetica, ſciatica, males de piedra rinonnes y hiiada y mal de bubas.*

Alphonſus Martinns *de la complexion de las mugeres*, ideſt de complexione mulierum.

Alphonſus Romanus de Cordova Medicus, & Chirurgus cubicularius Regis Hiſpaniarum *de Teorica y Pratica di Chirurgia.*

Celeberrima etiam mulier Oliva Sabuco de Nan-

tes

tes Barrera (ex Gallis oriunda tamen) de Medicina Hiſpanica plurimum merita eſt, ſuo Tractatu: *Vera Medicina y vera Filoſofia oculta a los antigos en dos dialogos*.

Joannes Sorapan de Rieros: *Medicina Eſpanola contenida en Proverbios vulgares de nueſtra lengua*.

Hieronymus Sorianus: *Eſperimentos Medicos faciles y verdaderos*.

Præluxerunt inſuper in Hiſpanicis regionibus, inque re Medica Joannes, & Lazarus de Soto.

BARCINONA

PHTHISIS

In Excellentissima Matrona Barcinonæ ægrotante

Historiæ ſequentis, necnon additæ conſultationis auctor eſt, Vir celeberrimus, Philippus de Violante Regis Poloniarum Conſiliarius, & Archiater, qui, notum habens me in præſens ab aliarum Regionum Medicina floſculos delibare, eandem, inter alia, ut rem mihi gratam faceret, & opus ornaret, comiter, quæ ſua fuit humanitas, tranſmiſit. Ibi elucet methodus Medicorum Cathalanorum, quos Galeno addictos fatetur; ſed multo magis eminet Clariſſimi de Violante amici noſtri, quem honoris cauſa nomino, doctrina.

Acta curationis ægritudinis Excellentissimæ Comitissæ de Oropesa, necnon Consultationis pro ipsa habitæ

Historica narratio

Primas tanti morbi origines, ſive ut ajunt, proclives naturæ affectiones, acri Excellentiſs. Dominæ temperamento deberi exiſtimo; illud enim & mentis acumen, in agendis facilitas, in conficiendis fortitudo, modica ſomni quies, aliaque oſtenta, infauſti veluti augures, auſpicabantur. His accedit gravius ſexagenariæ ætatis pondus, ad artis auxilia opprimenda potius, quam excitanda aptiſſimum. Hoc vero potiorem noſtræ mentis animadverſionem ſibi vindicat, elapſo nempe triennio Comitiſſam de Azo præfatæ Dominæ filiam in pectoris morbum phthiſim nuncupatum, incidiſſe; cujus robore medicaminum viribus eluſis, tandem duobus ab hinc menſibus fato ſuo ceſſit. Hic ſciendum eſt tam eximium matris ſtudium, amoremque erga filiam extitiſſe, ut nunquam ipſam vehemens confluentis morbi metus, nec a colloquio retardarit, nec a contubernio revocarit. Illud etiam expendendum eſt utramque, tam ſimili ciborum appetitu commotam, ut, unam fibris ad fraga vellicantibus, alteram ad eadem ſenſus ipſe contraxerit, licet locorum intervallo diſſitas, & nulla appetitus ſignificatione concordes, firmum ſane argumentum, ambas parili organicarum partium figura complecti. Hinc quiſnam inficias ibit, acri matris temperamento, ac naturali macie, aſſiduo utriuſque commercio, parique corporis compagine expenſis, filiæ morbum faciliori effluxu in matrem irrepſiſſe, ejuſque partes labefactaſſe? Labefecit equidem (quod non ſine maximo animi dolore commemoro); etenim ſex ab hinc menſibus ter ſanguinem ſpumantem, ac floridum, concomitante, necnon prævia, ac ſubſequente tuſſi e pectore deprompſit; ſanguinis excretioni purulentum ſputum, nunc livido, nunc viridanti colore refertum ſucceſſit; inde febris ſe explicuit, vimque ſuam exercuit. Quamobrem in dies dolore a pectore ad tergus, ac ſupra claviculam extenſo torqueri, gulæ ardore incendi; tandemque ventris fluxu exinaniri, ac cutis aſperitate deturpare incœpit.

Effrænis tanti morbi viribus, Medicinæ legibus, ac documentis ordinarius præfatæ Dominæ Medicus occurrit, balſamica medicamenta febrifugis commixta. Settalii, ac teſtudinis jura, necnon ſtillatitias, ac defœcatas aquas propinavit; aliquoties pilulæ ſtyracis Sylvii parva doſi ad tuſſim temperandam exhibitæ; uſualium ſyruporum pectoralium lambitiva, aliaque extemporanee compoſita, vulnerarias, ac balſamicas decoctiones, quidve aptius ad tantæ Dominæ ſalutem reparandam excogitari poterat adhibuit; tantæ (inquam) Dominæ, quæ, vigente Carolo II. præcipuis Regni curis intenta, prævidentiæ lumine, conſiliorum pondere, regiminis fortitudine, virilem, acremque in fœmineo ſexu mentem prætulit; ejuſque ab ore quælibet verba, ſicuti oracula excipiebantur.

His fulcitam animi dotibus incolumem ſeculo deberi, ſervarique, pro ſuis viribus, intendebat; at cum videret ægritudine artem ſuperari, nec remediis exhibitis, lac, emulſiones, aut roſacea, utpote ægræ noxia, eique ſtomachum facientia, addi poſſe, alios Medicinæ Profeſſores convocandos eſſe decrevit, ne quid intentatum ad vitam Excell. Dominæ reſtaurandam relinqueret. Medicis ergo in conſultationem advenientibus, cognitaque decumbentis urina, febri, ac ſputo, ut ad philoſophiæ præcepta ſermonem contexerent, Doctores Cathalani Galeno addicti, ad ejus mentem diſceptarunt: Medici vero Itali naturalis philoſophiæ documentis inſtructi, detectis morbi penetralibus, ſuas ſcientiæ vires oſtentarunt: ipſe tamen meam in hæc verba ſententiam protuli.

Consultatio

Haud in dubium revocandum eſt Excellentiſſimam Dominam phthiſi morbo laborare; ter enim cum tuſſi ſanguinem evomuit, inde uſque ad hunc diem craſſum pus, nunc viride, nunc lividum, aliquoties cruentum, cum gulæ ardore, tuſſique ſociatum exprompſit; quotidiana continua febri exuritur, qua in chyli diſtributione multo

gravius

gravius, vehementiuſque jactatur; hinc univerſa corporis machina macie afflicta contabeſcit, omnia ad phthiſis ægritudinem confirmandam ſigna quidem indubia. Et ut cauſarum indicia ad enunciatæ hiſtoriæ ordinem referam, ſapiens hujus Dominæ induſtria, acre ad politiæ arcana ingenium, pauca ſomni quies expendenda; argumenta ſane temperamentum ejuſdem acre, a veteribus bilioſum diſtincte nuncupatum, aſtruentia. Ab acrium partium copia, ſive corpuſculis ſalinis, in infirma a prima ætate inſidentibus, gracilitas, tenuis pinguedo, ingenii acumen, tabidaque propenſio, originem ſuam duxere, & licet pinguedine tranſactis annis, quamvis modica, acrioribus ſanguinis, ac lymphæ partibus quodam veluti freno moderabatur, utpote in pipere, vel ſale in oleum ipſa irretiens projectis experimur; attamen cum temporis edacitate partes ſulphuris ramentis refertæ, pinguedinem componentes, fuerint abſumptæ, evenit, partes acriores in omnibus fluidis imperium ſibi vindicantes, ægram ad contagionem e filiæ corpore effluentem idoneam, aptamque reddidiſſe; quæ vero acria in matrem e filiæ phthiſi corpuſcula excurrebant, ſicuti unius, e qua demigrabantur, pulmonem infecerant, ita alterius, in quam perenni effluvio ſe importabant, poterant ulceribus inquinare. Hoc celebri docemur magnetis experimento, cujus e vi non modo ferrum (uti ajunt) attrahitur, verum etiam ejuſdem effluvio talis, tantaque inducitur ferro virtus, ut deinde magnetis viribus pollens, e ſua veluti diſcedens natura, aliudque effectum, ferri tantum præferat ſpeciem, attractionis tamen virtute magnetem ſapiat. Et licet uſque adhuc enunciati effluviorum effectus a pulmone in pulmonem, e magnete in ferrum, a nemine quod ſciam, vel Medico, vel Philoſopho in mutuam comparationem ad phthiſim explicandam fuerint adducti, tamen cujus erit ingenium tam rude, aut voluntas tam veritati adverſa, quæ ferro arctioribus partibus implicato magnetis virtutem præcedenti effluvio tribuat, & deinde hocmet pulmoni tam molli, tot cavitatibus effi-cto deneget! præſertim ratione habita reſpirationis phthiſicæ pravos alitos educentis, & inſpirationis inficiendæ eoſdem halitus ſibi immittentis. Hic animadvertendum eſt, ſicuti (mea ſententia) duæ metipſius aquæ guttæ, quamvis cryſtallinæ, quamvis limpidæ, quamvis omni prorſus odore, ſaporeque deſtitutæ, maxime tamen inter ſe differant, eo magis duos inter pulmones, quamvis hominum eandem configurationem habentium, magnum intercedat diſcrimen neceſſe eſt. At in præſentiarum ſublato ſermone de pulmonum, ac guttarum aquæ differentia, ad ſimilitudinem, proportionem, harmoniamque inter machinas matris, & filiæ probandam, licet inæquali mole extenſas, totum me convertam.

Quidam uſque ab ovo lineamenta tam interna, quam externa ita parentibus ſimilia efferunt, ut ob unam corporis magnitudinem, teneramque ætatem a genitoribus diſtinguantur, ceterum eadem ab ortu notantur effigie, iiſdem obducuntur pilis, eandem mittunt vocem, iiſdem moventur geſtibus, inque omnibus aliis parentes ſuos referunt; idque non modo a matre ovum, machinæ materiam ſubminiſtrante, verum etiam a patre motum ovo imprimente exoritur; pater enim prolifica ſeminis parte in coitione mulieris utero inſtillati, ovo, inſtar horologii, pendulum, ſive oſcillatoriam machinam annectit; & ſicuti horologium pendulo, atque oſcillatione deſtitutum, a motu prohibetur, ita ovum abſque prolifica paterni ſeminis aura, a quo inſtar penduli principium motus inuritur, fœcunditate ſua careret. Hoc idem in gallinarum ovis, ceterorumque animalium contigit; expendendumque eſt, non ſolum illarum ova a galli ſemine fœcunditate donari, ſed illas ea fovendo, ſæpe roſtro circumagere; idque fit, non modo, ut æquali calore æqualis motus omnibus ovis imprimatur, verum quia diverſi, blandique motus adhibendi ſunt, ut partes ad machinæ perfectionem adamuſſim ſe explicent. Et quidem multiplices, ſuaveſque motus, fœcundis poſt ſemen ovis, in mulieris uterum deſcenſis, ibique contentis, debentur, qui diverſimode a matre tribuuntur, nunc extendendo partes, nunc ipſas contrahendo; vel animi motibus, in idea, in imaginibus, in deſideriis. Cum ergo ita ſe res habeat, cujuſnam potiores ſimilitudinis natas, matris, an patris filius exprimet? a patre enim feraci ſemine in ovo principium motus, a matre & pabulum, ſexcentaſque alias motiones, vel a corpore, vel a voluntate emanantes obtinuit. Ipſe tam vaſtæ, fœcundæque materiæ ſegetem paucis malo attingere, quam multis peragrare; præſertim ne a propoſito aberrem, cum mihi nulla alia mens fuerit, quam inter filium, & genitores ſimilitudinis cauſas carptim evolvere, ſummatimque indicare, a perturbata matris voluntate fœtum in utero ita perturbari poſſe, ut aut in mortem impingat, aut a ſtatu ſuo commutet. Sitit mater vinum, eſurit poma; fetus, & pomi, & vini notis tam claris, apertiſque emergit, ut diſtinctam pomi, vinique ſpeciem referant. Mater calculis laborans, filium calculis laborantem generat; & a patre podagra confecto, conficiendus podagra filius educitur, ut alcaico carmine cecinit Horatius:

Fortes creantur fortibus a viris,
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Ad hæc ambarum in idem appetitus inclinatio, ut ſuperius in facti ſerie enarravimus, revocanda eſt. His ita prænotatis, fateri debemus, partes filiæ pulmonem componentes, cum materni pulmonis partibus congruere; quamobrem effluvium e filiæ pectore egrediens, & in matris pectus commigrans faciliorem ſibi aditum ad illam inficiendam reſeraſſe. Totam igitur hujus generis rationem ita concludam, atque definiam: proximius, frequentiuſque matris cum filia commercium, temperamenti, ſeu conſti-

conſtitutionis diſpoſitio, concors utriuſque corporis compago, potiſſime quidem cauſæ extimandæ ſunt, in matris corpore producendi, quidquid ægritudinis in illo filiæ altis radicibus alebatur: enim vero quid aliud erat ter floridum, ſpumantemque cum tuſſi ſanguinem emiſiſſe, niſi lobos pulmonis, glandulas, lymphatica vaſa pravis effluviis, acribuſque particulis exſaturata, & ſenſim ſine ſenſu talium partium acorem pulmonis interiorem tunicam vaſculis, glanduliſque contextam, pariterque parvos ſanguinis ductus corroſiſſe; quapropter data porta ſanguis irruens, deinde tuſſis impetu extra oris limites erumpebat: infelix futuri morbi auſpicium; ut Ovidius primo de Ponto proluſit.

Cernis, ut e molli ſanguis pulmone remiſſus,
Ad ſtygias certo limite ducat aquas.

Præfatæmet particulæ fluidis immixtæ vagantes, inde interiori tracheæ tunicæ inhærentes, quæ delicatiſſimo ſenſu prædita, quoties parvulæ rei contactu convellitur, ut quemlibet aliquoties in ciborum eſu, vel potu experientia docuit, non modo tuſſim excitant, verum etiam gutturis ardorem inducunt. Iiſdem acrioribus particulis febris incenditur, nam digeſtionem inquinantes, chylum omnem acribus, ſaliniſque partibus infarciunt, quæ lactea vaſa excurrentes, per thoracicos meatus ad cor importantur, ubi earum frequenti impulſu, ac irritatione naturalem reſtrictionis, ac dilatationis motum, ſyſtolem, ac diaſtolem dictum, media ſpirali fibrarum organizatione a corde impreſſum accelerant, unde etiam pulſus celeritas exoritur; quamobrem cum non bene ſanguis in corde conficiatur, hujuſcemodi partium acore refertus per venas, ac arterias circumfluit, earumque acredine tandem exſolvitur, funditurque: ultima, ac irreparabilis ægræ pernicies.

Quidquid in nobis aſſidua partium evolatione deperditur, continua etiam nutritione ſufficitur, alias univerſa corporis machina, citius, quam par eſt, in pulverem, cineremque abiret: lucernæ exemplo, e cujus ellychnio, cui flamma inhæret, omne oleum exhauritur, atque in ſubtiliſſimas particulas effluit, illaque tandem extinguitur, ni novi olei pabulo abſumptum ſupplentis reviviſcat. Quæ cum ita ſint, cum in præſenti ægritudine nutritionis materia ad omnes corporis partes effunditur, nutritius ſuccus hiſce acribus particulis confertus, non modo ad alendum ineptus, verum etiam ad deperdendum aptiſſimus eſt. Hinc ex eo Excell: ægram tali macie attritam conſpicimus, ut de ipſa eloqui fas ſit

Adducitque cutim macies, & in aera ſuccus
Corporis omnis abit; vox tantum, ac oſſa ſuperſunt.

Singulis diebus quidquid purulenti tuſſis impetu explodit, ſex fere uncias complet, quod non modo e pulmonum ulcere, verum e cunctis ejuſdem vaſculoſis cavitatibus emanat, quo glandulæ, ac lymphatica vaſa exuberantem acriorum partium copiam, e tota corporis machina effluentem, cum lympha commixtam, facilius impellunt, deponuntque; facilius inquam, etenim ultra circularem ſanguinis effluxum a capite ad pulmones, hi, præſenti ægritudinis ſpecie, majori impetu defatigari videntur, quo præternaturali motu circulatio celeritate fervet, excretio copia exuberat.

Multoties hæ acriores particulæ copioſius e tunica villoſa, necnon e ventriculi, ac inteſtinalibus glandulis ſecernuntur; quod cum ſemel Excell: Dominæ contingerit, lientericum ventris fluxum paſſa eſt. Cum vero evenit haſcemet particulas a cutaneis glandulis excretas, in cutem ipſam vehementius invadere, tunc non modo cutem ad tactum exaſperant, verum etiam omnis nutritio evaneſcit; & ut naturali documento utar, idem eſt ac planta aceto irrigata, quæ non alitur, ſed areſcit; quapropter ægra, & cutis aſperitate laborat, & carnis macie atteritur; ut ei cum Ovidio lib. 4. Triſtium queri liceat.

Vix habeo tenuem, quæ tegat oſsa cutem.

Tot, tantæque cauſæ Excell: Dominam in ſummum morbi genus præcipitem egerunt, quibus ita languet, ut nullum ſanandi locum relinquerint, aptiſſima medicamenta vicerint, artiſquæ præſtantiam eluſerint. Multæ quidem ad ægritudinis viæ facillime reſerantur, ſed poſtquam in morbi barathrum illabitur, nulla ad ſalutem ſemina clamanti ægro patet.

Facilis deſcenſus Averni;
Sed revocare gradus, ſuperaſq; evadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt. *Virgilius VI. Æneid.*

Quodve deterius eſt, hiſce acribus particulis autumnalis inconſtantiæ ope, aut ſanguis penitus exſolvi, aut purulentum ſputum ſupprimi, aut aliquis amplior ſanguinis meatus recludi poteſt, quarum rerum eventu e luctuoſo morbi, ac mortalis vitæ fine, ad lætæ, ac immortalis exordia evocabitur.

Dominus Ordinarius Medicus, cum omnia Medicinæ auxilia, quanta in eo erat, adhibuiſſet, meliora artis remedia ad Excell: ægræ emolumentum ab aliis expectabat; at univerſus Medicorum cœtus, actis inhærendo, ſenſit ipſum adhibitis in poſterum uti poſſe; quidve novi contingeret, metipſius curæ, ac ſolicitudini commiſit. Interim maximo dolore angor, nullam ægræ ſpem vitæ ineſſe, aliorumque medicaminum vires potioribus morbi viribus effringi.

Barcinonæ Kal. Octobris, Anno 1712.

PHILIPPUS DE VIOLANTE
NEAPOLITANUS

HISPALIS

IN Hiſpali urbe 20 leucis Hiſpanis diſtante a Corduba, 55 vero ab Ulyſſipone non minus, quam in ejuſdem amplo ſuburbio, Triana dicto, ſævit interdum pleuritis, pro qua curanda inſudavit olim Vir celebris Alvarez Chacon Didacus, ſcripſitque vulgari ſermone Opuſculum, cui titulus. *Para curar el Mal de Coſtado.*

MA-

MATRITUM

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO

MARSILIO VENTURA

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

Bononienſis Academiæ Socius, & Brixiani Nobilium Medicorum Collegii Prior emeritus

S. P. D.

OPus noſtrum ad Medicinam plurimorum Regnorum pertinens, typis prope diem traditurus, pluries cogitaveram, quem unquam interpellare potuiſſem, ut etiam ab Hiſpanicis Provinciis & aliquo in iiſdem bonarum artium, & ſcientiarum, amatore lux pro agendis mihi coruſcaret. Anno vero elapſo audiens, Pharmacopęam Matritenſem plurimis patriiſque refertam remediis, auſpice, & directore ſummo Viro, & Equite Domino Cerui Hiſpanorum Monarcharum Archiatro, e prælo exeuntem, parum abfuit, quin ſtatim epiſtola præſtantiſſimum illum Virum impeterem, & orarem, ut comiter unum illius exemplar in Italicam mitteret terram, ſineretque, ut omnes diſceremus. Reſtiti tamen, & audaciam a præſenti ſtatu ſtudiorum meorum promotam frœnavi; ſperans fore, ut brevi tempore ancillantibus ſuapte re, & natura librariæ ſupellectilis mercatoribus, in Parmenſi, aut Veneta urbe reperiretur. Quamobrem irrito eventu, iiſdem optatis, ſuadente inclyto pietate, & literis Viro, necnon Patrum Societatis Jeſu decore, Friderico Sanvitali, qui de tuis animi dotibus, deque magno apud Hiſpanos nomine bona verba mihi dixit, ad te confugere ſancitum eſt.

Accedit, quod cum nos, præter alios, Italicam Medicinam quodammodo cum veſtra conferre ſtudeamus, nemo magis quam tu deſiderio meo ſatisfacere poteſt; qui acceptis in Italica terra bonarum diſciplinarum, & medicæ Scientiæ inſtitutionibus, eandem in Matritenſi nunc glorioſe exerces: quare poſſidebis ac ſcies, quid aer, quid uſus, quid diverſa temperamenta ferant. Intelligenti unum addo: ſi tua ſtudia, Practici labores, quod de certo erit, non ſinunt, ut fuſe, ſaltem laconice ſcribe, quid rarum, quid differens a noſtra methodo iſthic uſuveniat. Atque inſuper ſi una non potes, ſaltem partitis vicibus obſecunda votis meis, dummodo jejunus non remaneam, atque in reſponſione habeam concupita tuæ humanitatis teſtimonia. Vale.

Viro Prǽclariſſimo

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINI

Bononienſis Academiæ Socio, Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Priori emerito

MARSILIUS VENTURA

S. P.

ME negligentiæ nomine Tibi ſuſpectum haud fore confido, ſi haſce meas, quas pro humanitate tua expectas, ſero acceperis litteras; quandoquidem belli cauſa longius, aſperumque Tabellarii nunc ſuſcipiunt iter, quo factum eſt, ut nec tuæ tantum ad me, ſed meæ quoque ad Te ſerius forte pervenerint, quam putaveris. Has eapropter, immutata erga me voluntate, eaque, qua polles humanitate excipias obſecro, cum Tibi redditæ fuerint. Venio ad rem. Ex poſtrema Epiſtola tua intellexi Te aliud opus Medicum Europæ *ſcilicet* Medicinam *in lucem mox editurum. Tibi gratulor, Sapientiſſime Roncalli, Tibique lętor. Nullum ſane Reipublicæ medicæ utilius, & ſapientibus jucundius illo meditari poteras opus, in quo Te diligentiſſime collecturum fore confido multa, quæ utpote pluribus in codicibus diſſeminata, nec ſatis digeſta, diutina tantum lucubratione, vel longo peregrinationis tædio Medicinæ ſtudioſi aſſequi poſſent. Quid gerant in curandis morbis Itali clinici, quid Hiſpani, quid Gallici, quid Germanici; quos ferat Pruſſia morbos, quos Anglia, quos Polonia, nitide docebis, ut unico pene intuitu id unuſquiſque cognoſcere poſſit, quin patrios relinquat lares, vel aſſiduo ſtudio contabeſcat. Quid ergo utilius! quid optabilius. Si Te honeſta, præclaraque laude alia tua edita opera cumularunt, quantam quæſo, quod nunc polliceris opus, non comparabit? Illud ergo alacri, & fidenti animo perficias. Scribis ad me, te velle ſcire endemicos, qui hic graſſantur, morbos, remedia, quibus oppugnantur, meaſque, ſi quas egerim, humaniſſime petis obſervationes. Tuo genio, tuiſque juſſis facturus ſatis, quæ meis oculis ipſe vidi, Tibi candide referam, pluribus prætermiſſis, quæ ad me quotidie perferuntur, nam malo brevior vera, quam verboſior incerta, & mihi adhuc dubia Tibi narrare. Ad tuas fortaſſe aures, Vir doctiſſime, pervenerit in Regno Caſtellæ peculiarem graſſari cholicam affectionem* Entripado *vulgo nuncupatam, quod in Italia degens pluries & ego audiveram. Re autem attento animo, attentoque oculo perſpecta, ab ea, quæ Italos miſerime invadit, affectionem hanc cholicam non longe alienam deprehendi. Frequentior quidem hic occurrit, quam in Gallia Ciſalpina: utriuſque ſexus homines æque agreditur, indigenas æque ac advenas. Tanta pollet malitia, ut non raro copuletur Paralyſi, vel in Paralyſim optimis reluctantem remediis ſępius terminetur: quo quidem de nomine*

mine a vero haudquaquam aberraverim, ſi cholicam hanc Pictonum cholicæ comparaverim. Admirabar equidem communiorem medendi rationem, qua utebantur Matritentes clinici ad hanc pellendam affectionem. Miraberis fortaſſe & Tu vir doctrina, & experientia inſignis, cum ex meis litteris intellexeris, cum furente dolore Ptiſanam anticholicam propinari, quam in Matritenſi Pharmacopæa ad te miſſa deſcriptam reperies. Si, quod ſæpe ſæpius contingit, perennato vomitu rejiciatur, alteram doſim, atque alteram præſcribere non verentur clinici, & tunc concupitæ ſalutis ſpes effulget, cum a cathartica Ptiſana, reſtricta aperiatur alvus. Methodum hanc pluries meditatus ſum, meo tamen conſilio, noſtraque praxi meum nunquam potui animum diducere, cum cholicam paſſionem curandam ſuſceperim: quamobrem nec ſanguinis miſſionem reformidari, nec communi perculſus timore ab opiatis abhorrui, Paralyſis ipſius præcavendæ cauſa. Vera loquor. Nunquam auſus ſum ſæviente dolore cathartica medicamenta adhibere. Indicata hæc adhibui, ut vel naturæ, vel artis auxilio placatum noverim dolorem. Etſi in curatione meis optatis fortuna reſpondit, meo tamen genio, meoque animo longe abfuit Matritenſium Medicorum methodum aſpernari; plurimi quippe ſemper feci perſpicaciſſimum eorundem in ſpeculando ingenium, acre in reſolvendo judicium, ſingulare in tractandis morbis conſilium. Me ſane non latet catharticam hanc Ptiſanam eductis, quæ in inteſtinis induruerant, fæcibus, maximo ægrotantibus fuiſſe præſidio, eoſque cruciatibus celerrime liberaſſe. Verum noſtra medendi ratio dolori ſedando, & periculis quamplurimis avertendis aptior ſemper mihi viſa eſt, jucundior, & tutior. Hanc profecto, ducibus experientia, & obſervatione, plenis velis ſequar, quin Matritenſium Medicorum opinionem, & conſilium erroris unquam arguam, & audaciæ. Illorum enim laudes, & doctrina in excelſo loco maximaque in æſtimatione apud me ſitæ ſunt. Certum mei erga Te ſtudii, meæque obſervantiæ teſtimonium confirmaturus, Tibi referam, nullibi tam pernicioſa, tamque frequentia vidiſſe eryſipelata faciem, & caput obſidentia, quam in Regno Caſtellæ. Vaſtiſſimum Gallica lues temporibus noſtris dominatum tenet. Nullum quippe Regnum, nulla Provincia, nulla Civitas, nullus pene locus tantæ peſti hac diu obſtitiſſe gloriatur. Tanta vero malignitate virus hoc in Regno Caſtellæ præditum ſe ſe manifeſtavit, ut diris excitatis cruciatibus, ea in parte, quam primum pervadit, hac inſlammata, & celerimo ſfacelo corrupta, unius diei ſpatio plurimos interemerit. Nihil peculiare, quod de curatione ad Te ſcribam, habeo. Sperabis fortaſſe, celeberrime Vir, me verba Tibi facturum de thermalibus aquis, & acidulis in Hiſpaniarum Regnis abunde ſalientibus, cum principiorum, quibus Brixianæ aquæ ſcatent, ſcrutinium Te magnopere delectaverit. Ut mihi pro humanitate tua ignoſcas, Te rogo, atque obſecro, ſi tuam invitus fallam ſpem. Mihi crede, Sapientiſſime Roncalli, Hiſpanarum aquarum proprietates nondum perſpectæ ſunt, nec earundem perſpecta ſunt elementa. Inter eos, qui pauci ſunt, qui aquarum inquirendis elementis, facultatibus inveſtigandis, uſui enunciando aliquam navarunt operam, extitit Alphonſus Simon Montero. Sed proh dolor! propoſito ſibi fine longius aberravit vir iſte, omniumque expectationem fefellit. Ea quippe elementa aquis thermalibus, & acidulis commixta eſſe ſanxit, quæ inſida ſpeculatio conjecturis ducta ſibi ſugeſſerat, minus ea, quæ aquis ineſſe tutiora repetita experimenta demonſtraverant. Nonnullas auro, alias argento, plurimas tum antiquorum, tum noſtro communi nitro ſcatere conjectavit. Quid ergo ad Te de aquis Hiſpanis ſcribere potueram? Hiſtorias poſtulas, non fabulas. Hujuſce Auctoris opus quamprimum ad Te mittam, per quod niſi quid doctrina tua dignius intelliges, quam ferax ſit aquis thermalibus, & acidulis Hiſpanus ager, abunde cognoſces. Dolebis quidem, ut & ego doleo, quod inter celeberrimos tot viros, quibus ſemper Hiſpania floruit, pauci ſuſceperint indagandam aquarum naturam, & nullus uſque ad hanc diem exterorum veſtigia ſecutus, rem hanc ab Hippocrate commendatam egerit, ut oportuerat. Si tuo inſtituto, tuiſque obſervationibus, quam ad Te miſi, quadret hiſtoria vomitus nigri, ut publici juris eandem facias, non adverſatur D: Joſeph Caſoni Auctor. Cum tuum prodierit opus, exemplar vehementer expecto, quo nihil mihi carius erit. De mea denique erga Te obſervantia, meoque obſequio certiorem Te eſſe cupio. Vale. Matriti X. Kal. Junij 1746.

ULYSSIPO

PORTUGALIA quoque dedit optimos Medicos, quos ſingillatim referre nimis longum eſſet. Admodum concelebratus eſt Moſes Maimonides ob incomparabilem eruditionem, qua Medicus Regis Ægypti evaſit, necnon Petrus Hiſpanus, Luſitanus natione, Epiſcopus Tuſculanus, qui Papa fuit, aſſumpto nomine Joannis XXI. (1) inter cujus opera videndus Theſaurus pauperum, *ſeu de medendis humani corporis morbis*.

MEDENDI METHODUS

LUSITANIS Medicis facem præferens Ferrandus Rodriguez Cardoſo docet, qua facilitate, & diligentia ægri curandi ſint. Hinc ad majus lumen, addit etiam alio in opere Tractatum *de ſex rebus non naturalibus* (2), quas quantum in Medicina facienda ante oculos habere debeant imberbes præcipue Philiatri, non eſt, ut memorem.

HÆMORRHAGIA NARIUM

PRo ſiſtenda narium hæmorrhagia multam fidem poſitam video a Medicis Luſitanis *in ſter-*

(1) Judicat de eo Platina in vita Pontificum
(2) Francofurti iterum cuſus.

ſtercore aſinino modice exſiccato, & in pulverem redacto, & interdum etiam cum ſucco urticæ commixto. Cujus rei teſtem habemus omni exceptione majorem, nempe Emmanuelem Vaezium, qui quatuor Luſitaniæ Regum fuit Medicus cubicularius.

MATERIA PERLATA

JOANNES Baptiſta Werloſchnig plurimi in multorum morborum curatione facit *materiam* quandam *perlatam*, qua ipſam quoque podagram edomuiſſe narrat. Additis tamen, & ægro quotidie ante ſomnum exhibitis etiam ſex guttis olei dulcis antimonii; illamque a ſolis Luſitanis, tanquam arcano fabrefieri aſſerit, additque corpus leviter laxari.

IN GEMELLIS QUISNAM PRIMOGENITUS

CREDUNT Luſitani, primariis Leguleiis aſtipulantibus, in gemellorum partu illum eſſe primum genitum, qui exit ſecundus ab utero, eo quia primum fuerit conceptus. Quæ poſtrema propoſitio, cum certa non ſit, propterea corruit totum axioma, & Luſitana lex amplecti non debet. Situ moveri poſſunt fœtus in carcere primo, tam a ſemine, quam ab ovo producti. Nec dabitur ita omniſcius homo, qui ſigna, & characteres primi conceptus ſpondeat eſſe noſciturum. Secundus conceptus non determinatur ſecundo loco in uteri oſculo, & limine ita materialiter poſitus, ut in exitu primus eſſe debeat. Quare niſi partium hoc eſt, alterutrius diverſa, & provectior maturatio aliquid certi indicet, & ſecundo nato faveat, ſemper erimus in obſcuris, & a prima luce prima ſors erit, Italico more, deſumenda.

VALENTIA
EDETANORUM

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO

MARIANO SEGUER

In Valentino Archilyceo Publico Profeſſori, & Cenſori, necnon Regiæ Matritenſis, atque Hiſpalenſis Academiæ Socio

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS
S. P. D.

TUUM pro curatione lienteriæ ſpecificum, ſi non inventum, ſaltem promotum, atque utiliſſimis experimentis comprobatum, & in ſchedula monitoria a te tranſmiſſum clariſſimo Alexandro Paſcoli Peruſino in Romana Sapientia Profeſſori, & Benedicti Papæ XIV. Archiatro, necnon Excellentiſſimo Andreæ Eliæ Buchnero Academiæ Nat. Curioſ. Præſidi, & quo curante, mediis Germanicis typis, notum factum orbi toto, nonniſi ſummam approbationem cordatorum hominum, quibus gentium ſalus commiſſa concreditaque eſt, incurrere poterit. Aqueum quippe humectat, diluit, & ſolvit; unctuoſo-pinguedinoſum ſe inſinuat, laxat, emollit, ſeparat, pacat; aromaticum-ſubadſtringens denique tonum languidis fibris reddit, ſolida inſtaurat, revocatque ad vitam ſpiritus vapeſcentes. Quæ, ſi exiſtimatio, & obſequium, quibus feror in perſonam doctrinamque tuam, me non decipiunt, ſunt illa omnia indicata in ſæviente lienterico affectu correſcantia, & Medicum illuminatura, quæque a pulli juſculo, trochiſcis Ramik Meſue (1) alterato, obtineri poſſunt. Tibi itaque gratulor, qui remedium meliori in luce collocando, & Medicum ærarium ditaſti, & Hiſpana animi tui magnitudine, ſpreto lucro, atque deteſtata admirabilis arcani, ut nonnulli viles faciunt, occultatione, in publicum veluti bonum raptus, quomodo lientericis ſuccurrendum ſit, luculenter patefeciſti. Oh ſi Practici ſuis in urbibus idem tenerent iter, tua, tuique ſimilium doctorum virorum veſtigia ſequerentur, neque in implicatis theſibus, dubiis ſectis, juratiſque, pecudum more, aphoriſmis tempus tererent, ſed prope lectulos obſervarent morbidæ naturæ luſus, ægritudinum metaptoſes, & diverſos remediorum effectus, eorumdemque peculiares vires, mihi credas, non adeo cæcutiret Medica diſciplina, neque Apollinei nautæ tot ſyrtes offenderent.

Adeo mihi cordi ſunt hæ leges in Medicina, ut jam derelicto uſu, & genio ſcribendi de rebus Philoſophicis, quod adoleſcens faciebam, & a tunc editis Operibus meis colligere poteris, nunc totus in Praxi, practiciſque obſervationibus ſim, quæ ſolæ, & præcipuæ me docent, ut magis utiliter adſtem ægrotis, vel ſaltem ut minus errem; quod fortaſſe tibi conſtabit, ſi *Hiſtorias Morborum* noſtras anno 1742 publico datas, & a Joanne Baptiſta Boſino in folio maximo cuſas, legiſti, ubi ab ægroto nunquam diſcedo, & quæ proficua vidi, ut tu, libere pando.

Nunc incumbo Operi, in quo medendi modus multarum regionum exponitur. Sique Hiſpanam alicujus præcipue urbis, ubi Academicus es, aut moraris, Medicinam brevi in epiſtola tu mihi adumbrare velles, & mittere, impoſitum nimis grave pondus meis humeris minueres, futuram editionem ditares, & non officiis tantum, ſed beneficiis & meritis me tibi devinctum efficeres. Vale.

Brixiæ 1 Aprilis 1745.

Ex-

(1) Quorum præparatio, aliquatenus tamen ab illa Meſue recedens: ſic eſt, Rec. Succi acetoſæ un. xvi. roſarum dr. I. bacc. myrth. dr. II. ſemel ferveant roſæ, & baccæ myrt. cum ſucco acetoſæ. Hiſce immiſce nucum cypreſſi curioſe tritarum un. III. Coquantur iterum modice, & colentur. Deinde pulveriza ſuper illud foliorum roſarum un. I. ſantali citrini dr. I. & dr. II. gumm. Arab. un. I. ſs. carnis ſumach, ſpodii ana dr. I. ſucci agreſtæ, ſucci granorum myrthi tritorum tritu ultimo dr. IV. ligni aloes, cariophyll. macis, nuc. moſchatæ ana dr. IV. Miſceantur omnia ſimul. & extendantur in ſcutella vitreata ſoli admota, quouſque ſiccenur. Poſtea minutiſſime terantur, & loco camphoræ add. pul. roſarum q. ſat. & cum aqua roſarum fiant Trochiſci.

Excellenti & Eximio

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

S. P. D.

Binas ab Excellentia veſtra accepi epiſtolas. Primæ reſponſum dedi. Secundæ, quam miſit D. Marſilius Venturi Reginæ Matris Hiſpaniarum Medicus nunc reſpondeo. Neque alias accepi; abs dubio enim reſpondiſſem. Ego accepi operis paginam primam cum Epiſtola latina quam magna animi voluptate perlegi. Nondum enim ad hanc Urbem E. V. opus aliquod pervenit, quod ſi exemplar obſervationum Genevam Cramer & Philibert Bibliopolis tranſmitteretur, tuto ad hanc Urbem & manus noſtras perveniret. Vellem ego indicaret E. V. materiam gratam, & Eximio operi utilem circa Hiſpaniam noſtram, ut ego vires probarem, & præter ea, quæ meditor mitterem. Præterea cum Hiſpania VI. ordine ſit collocata, deſidero, ut paulo magis minuſve tempus determinetur, quando quæ ad Hiſpaniam pertinent, typis tradentur. Denique haveo ſcire, quid Medici in Hiſpania degentes pro tam eximio opere promiſerint, ne res eadem a pluribus tractetur. Ego enim habeo animum ad obſequia E. V. paratiſſimum, ſic enim fiet, ut obſervationes multiplicentur ad Hiſpaniæ gloriam & totius Europæ utilitatem. Hæc ſunt, quæ in præſentiarum reſcribenda habui, & quamprimum obſervationes aliquas ſpeciminis loco mittam. Deus autem ſenectam viridem E. V. concedere dignetur, animitus precor. Vale, Vir Excellentiſſime, & me quod facis, ama.

Valentiæ in Edetanis die 5 Octobris 1746.

Excellentiæ veſtræ admirator & aſſecla
MARIANUS SEGUER

Reſponſorias per D. Marſilium Venturi tuto ad me pervenient. Iterum vale.

REMEDIA

BALSAMUM ARCÆI

HIſpani in vulneribus, ceteriſque morbis, Chirurgię ſubjectis, frequenter adhibent Balſamum Arcæi, ſic dictum a Medico Hiſpano Arcęo, qui fuit inventor. Talis eſt. ♃ gumm. elem. terebynt. abiet. ana ℥ ſs. ſævi de hirco caſtrato antiqui & liquefacti ℥ II. cum pinguedine porcina liquefacta. m. Utile præſertim poſt terebratum cranium, aut in ipſius cranii vulneribus.

MASSA HISPANICA

Nil aliud eſt, quam Balſamum Peruvianum reſina ſtoracis, & gummi Benzoes, addito oleo ligni Rhodii, & cinnamomi ſimul mixta, & ſupra ignem projecta, ut fumus inde naſcens ſpiritus animales reficiat, & aerem humidum corrigat.

BEZOAR

Hiſpanis idem audit curare venenatos, & morbos malignos; cumque ad utraque Bezoar adhibeant, ſolemne eſt adagium illud: *Piedra contra veneno, y deſmayos*.

Deficiente Bezoar, ſubſtituunt *bolum Hiſpanicum*, ſcilicet *crocum martis nativum*.

Perez Laurentius Pharmacopola Toletanus ſcripſit de Medicamentorum Simplicium, & Compoſitorum ſelectu, &c.

Catalogum Remediorum quiſque videre poterit in Collectione, & Repoſitione Medicamentorum Simplicium Matriti cuſa, Opus dirigente Ludovico Oviedo.

Multa denique remedia in Hiſpanicis regionibus uſitata proſtabunt deſcripta in Reformatione Omnium Medicamentorum, quæ in Pharmacopoliis uſui eſſe ſolent, deſcripta ab Alphonſo Jubera, olim incola oppidi Occon in Hiſpania.

RECENS PHARMACOPEIA MATRITENSIS

DUM in eo eſſem, ut Tractatum Hiſpanicę Medicinæ clauderem, noſtras pervenit in manus Pharmacopeia Matritenſis, Regii, ac ſupremi Hiſpaniarum Protomedicatus auctoritate, juſſu, atque auſpiciis nunc primum elaborata(1), atque ab humaniſſimo Marſilio Ventura dono Brixiam mihi tranſmiſſa, de qua, hujus Operis pagina 203, mentio facta eſt. Ab hac, tanquam a vero fonte, hauriri, & elici poterit ſuccus veræ Hiſpanicæ Praxeos, quæ non per verba, ſed per remedia juvat.

(1) E Typographia Regia D. Michaelis Rodriguez 1739

HUN-

HUNGARIÆ

SITUS, CLIMA, EXTENSIO, AER, CONFINIA, FLUMINA, TERRÆ FRUCTUS, MORES, ET USUS.

Vastum Hungaricum regnum inter Auſtriam, Styriam, & Moraviam ad occaſum, Turcicas Europæas ditiones, Moldaviam, Valachiam, Serviam ad ortum, Illyricum ad meridiem, Poloniam denique ad ſeptentriones contineri, cuique notum eſt: pariterque centum, & ſexaginta circiter ab hinc annis maximam ejus partem, verſus auſtrum, cum Buda urbe regia Turcis ſubfuiſſe, dein vero Auſtriacæ domui, nunc tandem Annæ Thereſiæ fæliciter Imperanti totum eſſe ſubditum.

In Hungaria, quæ Turcica olim fuit, fortaſſe illi uſus vigebunt, quos de Byſanthio agentes tetigimus; quia ſicuti multiplices obſervantur leges, & præcipue in Tranſylvania (1) ubi ipſi provinciarum Rectores vel Catholici ſunt, vel Lutherani, vel Calvino addicti; ita pariter therapeutici ordines diverſimode acti erunt, prout quemque ſuum traherit genium. In reliqua vero, ubi Germanicum commercium magis viget, bonæ artes excultæ ſunt, & ſoli fertilitas nihil deficere ſinit, ars quoque Medica ſuum habet in præcipuis præſertim urbibus domicilium, & florere hinc inde non deſinit, niſi belli obſtent diſcrimina, heu? frequenter ſtudiis, & diſciplinis inimica; ob quæ interdum ſcientiarum fructus ſterileſcunt, & præjudiciorum graminea vepreta luxuriant. (2)

Regio tamen fere omnis frumento, vino, necnon auri mineris abundat, gaudetque quadraginta novem gradibus, & quadraginta minutis latitudinis ſeptentrionalis; undique utiliter humectata a fluminibus Binomine (3) Aluta (4) Tibiſco (5) aliiſque minoris famæ.

Aerem Hungaricum bene multi Auctores ſuſpectum habent, & præcipue inter neotericos Marcus Antonius Cazzaiti (6). Quod ipſum confirmarunt mihi multoties Germani commilitones, qui illic, occaſione belli, aut hibernarum ſtationum, commorati ſunt, ubi ægritudines acutas, & longas ſuſtinere debuerunt. Sique Germana gens *ad æternitatem laborum robuſta* (7) patitur; quid dicendum erit de reliquis? Quænam vero de hoc ſit cauſa, nobis perfecte non patet; niſi ad examen vocare velimus illam, quam memorat Vir Clariſſimus Joannes Jacobus Neuhold, incluti Comitatus Comaromii Phyſicus Provincialis, in obſervationibus ſuis pathologicis, & therapeuticis, horis ſubceſivis conſcriptis, quas Academiæ Imperiali Naturæ Curioſorum tranſmiſit: ubi enumerantur damna ab effluviis ex cannabe, & lino nondum exſiccato prodeuntia; quæ ad evidentiam probantur etiam ex piſcibus inebriatis, ex animantibus vertiginoſis, & temulentis, ſi aquas inhabitent, aut bibant. Id etiam confirmantibus Martino Szentcuanyi (8) Langio (9) Lanciſio (10), ipſoque Neuhold caſum referente cujuſdam Matronæ utero gerentis, &, quod fatale, cannabum meſſi adſtantis, quæ ex atrociſſimis doloribus convulſa, abortiens, extremam diem obivit.

Verum enimvero nec undique magna regio cannabe, linoque ſata eſt, nec illorum collectio, aut maceratio ſemper durat, ut hinc aer non nimis ſanus dici mereatur; quamvis & in collecto, & jam diu aſſervato morbida ſemina latere poſſint, quæ ad tempus exaltata, fermenteſcentia, & mota nocere valeant, & factæ antea impreſſiones in humanis corporibus abſconditæ, intimas agant radices, uſque dum in apertum poſt multum tempus erumpere poſſint.

Potius itaque dicendum eſt, aromaticis, ſulphureiſque, quibus Hungaricæ regiones abundant, vinis multibibam Germanam gentem, aut inebriari, aut ipſorum ſanguinem particulis inflammabilibus obrui, ex quo ſtamina futurorum morborum foveantur, & noceant (11); potius ad examen redu-

(1) Ibi Academia floret Alba Julia dicta, & a Principe Ragovio inſtituta.

(2) Hungariæ viciſſitudines, qui videre vult, apprime ſatisfactus erit a nupero Opere, quod Poſonii edidit Mathias Bel, auno 1736.

(3) Sic illud vocabat Ovidius, quia Iſter, & Danubius dicitur.

(4) Quæ Tranſylvaniam a Valachia dividit.

(5) Vulgo referunt in ipſo contineri unam partem aquæ, duas piſcium.

(6) Pag. 221.

(7) Barclaius in Icone animi.

(8) In Miſcell. Obſ.

(9) Lib. 2. Epiſt. Me.

(10) De Noxiis paludum effluviis.

(11) *Vino nimium indulgentes in morbos inciderunt malignos* Carolus Fridericus Loevv.

reducendæ eſſent annorum conſtitutiones, ventorum vires, ex quibus atmoſphera Hungarica redditur frigida, imbrida, nivoſa, uvæ non maturæ, horræi fructus inſipidi, & ad corruptionem proni, locorum poſitus, ſolis facies, & multa alia a divino noſtro Choo commemorata, ex quibus omnibus in incolas, & fortaſſe magis in advenas, morbus aliquis ſurgere, & graſſari poteſt, pro cujus cauſa aer Hungaricus culpetur.

PLANTÆ

PRÆTER ea, quæ de Pannonicis plantis ſcripſit Cluſius, ex epiſtolis itinerariis Jacobi Tollii (1) colligere poſſumus, inibi herbas, *& in his nonnullas florum elegantia commendabiles*, *ignotas hactenus* germinare: quarum tamen præcipue hortenſes, & in Regia urbe vegetantes docte, Hungarico idiomate, deſcripſit Joannes Lippay e Societate Jeſu. De reliquis vero videndæ ſunt promiſſiones, & facta celeberrimi viri Friderici Loevv nobilis Hungari (2) qui epiſtolam Europæ Botanicis ob hanc rem tranſmiſit.

TSOMMOR

SUBJACENT Hungari morbo endemio Tsommor dicto; de quo videnda diſputatio Joannis Milleter.

BALSAMUM CARPATHICUM

HABENT inſuper balſamum carpathicum, de quo aderat manuſcriptum doctiſſimi Chriſtiani Auguſtini ab Hortis.

FLUOR ALBUS NON SISTENDUS

OPTIME cogitant Medici Hungari, quando ajunt, album fluorem, præcipue in obeſis, aliquando proficuum eſſe; nec tam ſollicitos eſſe debere clinicos in illo ſupprimendo. Dum illa ſentina eſt, per quam corpus muliebre expurgari mechanica neceſſitate vult, & debet. Nonniſi igitur in ſumma liquefactione, & aucto virium diſpendio ad adſtringentia deſcendendum eſt. Quinimo ante ipſa nutrientem cibum, incraſſantes ptiſanas, gelatinoſa jura, & fercula prius admovenda ſunt. Iſte curationis modus cauſam reſpicit, nec damnum inferre poteſt. Affirmando in cura coacta, licita eſſe poſſe non ſolum adſtringentia, ſed etiam ſtyptica, & narcotica.

LÆTITIA, MÆSTITIA ÆGRITUDINES EFFICIT

UNAQUAQUE in regione hic morbus, vel alter ſævit, & illius cœli endemius eſt. Sed affectio hypochondriaca nemini Regnorum parcit, & omnes metropoles æquo pulſat pede. Inter illius cauſas regeſtam video (3) lætitiam, & mæſtitiam. Quod probabiliſſimum, quia morbus ille reſidet magis in ſpiritu, quam in ceteris corporis partibus.

VINUM NON EST ANTHELMINTICUM

JOANNES Jacobus Neuhold optime probat, vinum non eſſe anthelminticum, experimento Hungariæ, ubi incolæ bonum vinum bibunt, & tamen vermibus infeſtantur. Obſervationem inſuper meretur ſuum documentum non exhibendi tot purgantia in verminoſis affectibus, quia illis temperamentum fit enerve, & vermium minera nihilominus ſubſiſtit. Oh quantum debilis, curtaque eſt Medicinæ potentia! Si mori in inſectis, & exiguis vermibus tam facile eſt; ſi ſua domus per duo ampla foramina nobis patet; ſi introductum purgans arbitrio Medici totam inteſtinalis tubi provinciam deambulat, & excurrit; ſi ab extra mille experimenta in vermibus fecerunt Majores noſtri, ut diſceremus, cur non pervenit ars ad puſillos hos hoſtes enecandos, exterminandoſque?

AGYRTÆ, ET CIRCUMFORANEI IN HUNGARIA

PLURIMI caſus referuntur ab eodem doctiſſimo Neuhold violentiſſimorum remediorum ab Agyrtis adhibitorum; qui circumeuntes, & arcana ſua exhibentes, & venditantes, propinant ægris emetica, antimonialia, opiata, nullo habito ætatum, & quantitatis diſcrimine, ex quo quæ eveniant dicendum ſuperſedeo. Quorum unus ſi vellet mecum loqui illico exclamarem: Heus, mi Agyrta collige ſarcinulas, atque abi. Nulla enim ſpes me unquam conſenſurum eſſe tecum אם תימין אגו אשמרל, & contra.

FEBRIS HUNGARICA

FEBRIS Hungarica (4) illa eadem eſt, quæ caſtrenſis dicitur, hoc eſt, febris maligna intenſiſſima, adeo ut nomen illud in exteras etiam gentes ſub nomine *Hungaricæ* propagatum ſit. Vomitoriis opus ſuſcipitur, inde icta vena, & frontis etiam, ſi inſtent cephalalgiæ, & deliria. Inde

Medici

(1) Pag. 181.
(2) De Flora Pannonica conſcribenda.
(3) In Hiſtoria Epidemica Hungariæ.
(4) Videnda quæ ſcripſit Joannes Jacobus Federerus ſub titulo. Brevis, & compendioſa febris Hungariæ curandæ cognoſcendæ, & ab aliis febribus diſcernendæ methodus. Friburgi &c.

Medici præſertim Hungari utuntur pulvere Pannonico rubeo (1).

LUES HUNGARICA

Ejuſdemque Tecmarſis, & curatio deſcripta fuit a Martino Rulando, Principis Palatini Archiatro.

KESZCOLCZE

Conſtat ex fermento acerrimo, farina triticea cum furfure, per triduum in loco calido poſitis: hinc affuſa aqua copioſa, omnibus ſimul acorem inſignem contrahentibus (2), & ad potandum ægrotanti Hungarico populo exhibitis.

Quamvis id proponat Hippocrates, addito caſeo, vino, oleoque, & confirmet Proſper Alpinus (3) quando *Tulvinam* Ægyptiorum memorat; nihilo tamen minus non adeo obſequentis animi eſſe poſſum, ut acerrimum ſimilis farinæ potirii genus Italicis Brixianiſque noſtris in oris inſtituendum permittam.

IN HUNGARICO FEBRIBUS MEDENDI MODO VITANDA

Jam citatus Andreas Loevv in Hiſtoria epidemica Hungariæ hæc habet]: *Incæpi prævio uno ſudorifero, pro ætatis diverſitate, prima, & ſecunda jam die a v. ſ. in brachio &c.*

Duæ difficultates ſe mihi offerunt hac in methodo promovendi ſudores ante ſectam venam. Prima pendet ab inteſtinali tubo infarto, & non deterſo, ut hinc ſudoriferi ſpecifica vis in ſanguinem reptare poſſit. Secundam difficultatem efficit duplex, & diverſa via, in quam Medicus primo limine naturam ducere vult, nempe ad cutem, deinde ad emiſſarium ſectæ venæ, deinde iterum ad cutem, ſudoriferis *ſingulo octihorio* exhibitis, *cum ſudoris imperio*.

Primum illud ſudoriferum nobis inutile, & ſi ager et, ſuſpectum videretur, dum in ſudorum primordiis feſtinanter accedens ſanguinis miſſio naturam ab incepto molimine divertit. Hinc retro euntibus damnum afferre poſſunt. Varia mutabilitas, & reactio in Medico non nimis laudanda eſt; niſi docet natura; quæ nunquam docebit ſi in varios oppoſitos motus excitabitur. Ergo abſtinere a ſudorifero in principio cautius eſt, ut omnis operatio ſuum habeat determinatum tempus; admittendo, ut factis ſanguinis miſſionibus, diaphoreſis excitetur, & ſucceſſive promoveatur.

Addamus inſuper, ad ſudorem requiri in ſanguine motum, veluti fermentativum, qui ſeparationem puri ab impuro coadjuvet, atque exitum ſeri per poros cutis moliatur. Hinc cum ſanguis in principio plenis venis ebulliat, per conſequens illi major motus addendus non eſt.

VESICATORIA IN DELIRIO NON SEMPER ADHIBENDA

Addit: *Quamprimum mentem adverti vacillantem imminentis delirii prodromum, veſicatoria nuchæ pedibuſque imponi juſſi.*

Sicuti in lethargicis febres acutas concomitantibus affectibus ad veſicantia proclivis ſum, præcipuæ in obeſis, & plethoricis, quando ſerum, & lymphæ dominatum exercent, ita in delirantis phantaſiæ ſubſultibus damnum afferre poſſe, aliquando cenſerem, adjuncto cantharidum ſtimulo jam debacchantes animales ſpiritus eo magis excitante, vivamque plagam exquiſitiſſimi ſenſus efformante; ex qua fibellæ irritantur, proximæ convelluntur, & in nervos dyſcraſia diffunditur. Sique temperamentum eſſet exſuccum, macrum, atrabilare, ſique diſſolutio in liquidis incæpta eſſet, veſicatorium non eſſet remedium, ſed ictus ſclopeti.

Neque modus ille & nuchæ, & pedibus eodem momento veſicans aptandi ſemper laudandus eſt. Natura affatim non eſt opprimenda. In delirio nucha non tangenda in principio. Pars affecta eſt, per quam, jubente divino Sene, evacuare non debemus. Ergo in imis tantum artubus plagulæ infligendæ ſunt, ut longe a capite humores defluant. Perdurante vero morbo, antequam capitis idiopathicus evadat, & altæ operationes licebunt.

VENÆ SECTIO IN VARIOLIS OMISSA

Si in variolis confluentibus aderant *certiſſima ſane ſummæ inflammationis in maſſa ſanguinea latentis indicia*, admiror, quomodo in tot remediis non pertentata fuerit ſanguinis miſſio, de qua nullam video factam mentionem. Quæque, ſi fere omnes peribant, potiſſimum in principio utilis eſſe poterat. In hoc ſane magna intercedit inter Hungaros, & Britannos diverſitas, qui poſtremi venæ ſectionem facili negotio in variolis tam in limine, quam aucto jam morbo inſtituunt. Quæ lis quando a diverſitate locorum dirempta non ſit, alterutrum fallere evincit.

DIARRHÆÆ, DYSENTERIÆ NON SEMPER RHABARBARO CURANDÆ

Habuimus *diarrhæas, dyſenterias, quibus rhabarbaro toſto cum myrobolanis medebamur.* Quod utiliter, & cum levamine id fieri potuerit non eo inficiam. Primis diebus eſt viſcida undique turgens amurca; ſed cum vix adhiberi poſſit rhabar-

(1) De Hungarico Caſtrenſi morbo legi meretur Joannes Georgius Sartorius in libro cui titulus: *Ungarorum Modgier Avagy Betegſeus*, necnon Balthaſſar Conradinus, de Febris Hungaricæ, ejuſque ſymptomatum curatione. Auctore Jacobo Suter.

(2) Videatur Thomas Jordanus Phaen. T. III.

(3) Lib. 6.

rhabarbarum, quin dolorifici premitus excitentur, & quin inteſtinorum deterſio cum mucorum exitu augeatur, nonniſi circumſpecte Hungaricum hoc documentum noſtris hiſce in regionibus ſequendum eſt. Interni quippe parietes magis diloricabuntur, ſique capillaris vena abraſa eſt, funditus magis poſſunt corrodi majores. Nos raro id facimus, & illud adhibemus vel in exigua quantitate, vel flores caſiæ addimus, ut premitus minores ſint.

URINA CRUDA ALBA NON SEMPER SIGNUM TEXTURÆ LAXÆ IN SANGUINE

URina enim cruda, alba, tenuis teſtabatur de ſanguinis textura valde laxa. Hoc ſemper verum non eſt, imo ſæpiſſime falſum. Urinam qualitates ſanguinis repræſentare, cuique notum eſt; quandoquidem ab ipſo provenit, & ſeparatur. Sed ideo conſequentia non adeo tuta ducenda eſt, ut ſtatim ad *vitriolata*, ad *coagulativa* tranſeamus. His quippe fatalis fortaſſe dies accerſeretur. In Medicina adminiſtranda non datur ſignum magis fallax, quam lotium, & id dixit Chous: *urinæ bonæ, æger mortuus*. In pluribus morbis acutis a ſanguinis coagulo, & lentore pendentibus vidi urinas uſque ad ſeptimam, undecimam, & ultra (præcipue ſi præſcriptus omnibus exitus inſtabat) penitus albas, crudas, & aqueas, vel quia a ventriculo per breves ignotaſque vias in veſicam lapſent, vel quia renalia cribra atona, convulſa, obſtructaque ſint, ideoque ſolum tenuiſſimum tranſire poſſit, vel quia lentor totam ſanguinis maſſam coagulans, ab ipſius compedibus extricari tartaream maſſam non patiatur.

Ex quo potius orirctur contraria doctrina, ſcilicet quando videmus urinam albam, neceſſe eſſet attenuantia, & ſolventia pharmaca exhibere; incumbendum ſiquidem primariæ origini, & medendum defectui, qui in vaſis majoribus eſt. De facto auctores ipſi, qui ſcribunt de morbis, & febribus a ſanguinis diſſolutione pendentibus, hærent incerti, num aliquod coagulum in aliquo determinato loco latere poſſit; cum id paſſim videamus in lacteis, & chymicis præparationibus, in quibus & craſſum, & ſolutum ſuo in centro quieſcit. His ſtantibus, Hungarica in hoc doctrina circumſcribenda eſt, ne, dum ab alba urina, quinimo aquea, & crudiuſcula laxum ſolutumque ſanguinis ſtatum arguimus, remedia figentia ſtyptica, & coagulativa exhibeamus; a quibus occultus, & latens in principibus viſceribus, & magnis vaſis craſſamentum ad majorem duritiem, cum ægri pernicie, reducatur.

DYSENTERIA

OCTOGINTA dejectiones torminoſæ ſpatio nyctemeri mihi ſuaſiſſent experiri vim ipecacuannhæ, tanto magis, ſi brevi ſuccedebant fæces, nigræ gangrænam perſępe portendentes. Quare periculum erat in mora, & Galenica, aut Hippocratica via curatio nimis ſero parabatur. Non damno itaque, imo potius laudo *aquam laxativam, myrabolanos, clyſteres, conſ. roſ., corall. hæmat. terram Japonicam, theriacam, laudanum, terram ſigillatam, bol. Armen. pulv. ſtypt. Crol. ſmarag. pp. cryſtal. mont. gumm. arab. tragach. tandem balſamum Peruvianum, opobalſamum, elyx. vitriolicum*, totque alia, quæ celeberrimus Loevv adhibuit. Sed in cura adeo coacta, in ipſo limine ſingulare adeo ſpecificum in uſum ponere poterat; potiſſimum quia illi notus erat, ut videre eſt in ſubſequentibus dyſenteriarum conſtitutionibus.

CALCULUS RENUM

IN iſchuria, & totali urinæ ſuppreſſione ex calculo renum tubulos obſtruente, propoſita video diuretica, lithontriptica, & pollentia (1) quod inſuper non ſolum ab Hungaris, ſed aliis bene multis totius Europæ Medicis factitatum video. Sed pace tantorum virorum, praxis illa, quæ per rationes, & obſervationes procedit, quibus tantum ipſe innitor, aliter ſæpeſæpius docet. Docet, inquam, quia in obſtructum meatum liquores impellere tutum non eſt, & fortaſſe a diſtentis continentibus, in divulſionem actis, lacrymoſe piandum. Docet; quia diuretica ſanguinem commovent, & tunc inflammatio eſt præ foribus. Docet; quia ſi illo momento extraneus lapis ſuis apicibus infixus eſt, ſi tranſverſum poſitus, ſi nondum a compedibus extricatus, a malleante unda fruſtraneis ictibus urgetur. Docet; quia diureticorum qualitas illa eſt, ut ſanguinem ſolvant, offenſa fluida colliquent (2) omniaque ad urinæ vias exportent; quo caſu fortaſſe tartareæ arenulæ, alicubi latitantes, ad partem affectam convehuntur. Quibus omnibus in unum collectis abunde patere opinor, nonniſi ſumma cum circunſpectione ad diureticorum uſum in calculo renum tranſeundum eſſe, ſed potius ad magna illa duo remedia confugiendum, nimirum ad ſanguinis miſſionem, & balneum.

Primum: ob ſummam utilitatem, quæ obtineri poteſt ab activiori, & energetica ſolidorum oſcillatione, quæ extricationi impacti ſolidi maxime conſpirat. Quæ, quo major canalium oſcillatio cordis etiam ſyſtoli reſpondens, quam plurimum poteſt a ſanguinis miſſione promoveri. Quia contenta, & turgentia præcipue prope emulgentes venas liquida impedimento ſunt, quin canales in axim coire poſſint, ex quo inſito, & perpetuo, uſquedum animal vivit, motu

(1) *Tinct. ſal. tart. ſpiritus ſalis dulc. balſ. ſulphuris terebynt. ſuccin. ſal. geniſt. ononidis, fabarum &c.*

(2) Jam paulo antea diximus diuretica eſſe aperitiva, deobſtruentia &c.

motu facilior calculi excluſio deſumenda eſt.

Secundum: a balneo multa ſperanda ſunt, quia infima ſolidorum laxitas, & mollities illa una eſt, quæ calculi deſcenſum promovere poteſt. Verum de Balneis, ubi de Byſanthio egimus, jam ſatis.

PESTIS

De ea videndum Conſilium eſt, quod Gieſſe apud Gaſparum Chemlinum olim expoſuit Joannes a Jeſſen Eques Hungarus, qui a dignitate ſua alienum non judicavit Medicis ſtudiis incumbere, & Anatomiæ, atque Chirurgiæ ſe addicere.

DE REMEDIO DOLORIS

Signanter egit Michael Aloyſius Sinapius Nobilis Hungarus; qui tamen ad opium confugit, illud laudans, quod *nigri coloris eſt*, *inflammabile*, *amarum*, *& quaſi acre*.

HUNGARORUM MORBUS PECULIARIS

In Hungaria ſuperiore populi ultra flumen Tibiſcum peculiari laborant morbo. Tumet collum, accedit calor in capite, deinde toto ſanguini diffunditur, & niſi remedium ſtatim adhibeatur quarta pereunt. Pulverem ex decem cantharidibus unica vice ſumunt, & ſani reſurgunt multoties. Caveat Deus a morbo, & a remedio.

ARVENSIS COMITATUS

In Hungaria ſuperiori D. Daniel Fiſcherus Archiater Epiſcopi Varadinenſis videns ruſticana remedia, balneum ſcilicet aquæ dulcis, ſerumque lactis feliciter variolas curaſſe, rem utilem toti literariæ Reipublicæ credidit, juvatamque artem Apollineam ſi mediis typis (1) obſervationes ſuæ orbem totum peragraſſent.

Ab antiquis Hungaris inter ruſticos præſertim de manu in manum traducta doctrina refertur (2) curandi variolas, præcipue epidemice graſſantes, ita ut *Balneo aquæ dulcis*, *& quidem temperate calido*, *immittantur*, *& poſt dimidiæ horæ decurſum ex eo eximantur*, *mantilibus ad ignem calefactis involvantur*, *& dein quieti*, *ad ſolamen lecti deferantur*. *Reiteratur hoc modo Balneum bis per diem & ante*, *& poſt eruptionem variolarum*. Tertio vero poſt eruptas variolas die *iteratur eodem modo* Balneum *ſero lactis*, aut *lacte dulci* cum pari *quantitate aquæ*; curationeſque refert feliciter abſolutas, quin *remedio interno unquam indigeant*.

Eadem methodo parum immutata incedit & ipſe Weberus, ſed ſi febris adeſt, exhibet per os eſſentiam theriacalem, vel ejuſdem ſpiritum cum aquis &c. & *binis vicibus* in die Balneo varioloſos imponit. Multa deinde addit recens laudandus Scriptor de Balneationum uſibus, deque Hungarorum morbis, quæ omnia ad illuſtrandam Hungariam patriam ſuam, ceteroſque juvandos mirum in modum conducunt.

GONVULSIONEM CORTICE PERUVIANO CURANDAM

Esse proponit idem Weberus etiam in virili ætate conſtitutis, addito & Balneo.

CURATIO FEBRIS

Febrem nempe continuam debellare allaborabam acidis, ut ſucco berberum, limonum granatorum, ribium, modico ſacchari leniter edulcoratis.

ANIMADVERSIO

Libere diximus, hanc medendi methodum ſemper non eſſe tutam, nec cuilibet ventriculo aptari poſſe. Inquirendæ adamuſſim ſunt aciditatis pollentiæ tam in fermentationibus producendis, quam in ſolidis corrugandis, antequam tanta proclivitate in ægrotantium ora intrudatur.

CARPATES

Carpaticorum montium accolæ non quidem omnes ſunt Hungari, aut Scepuſienſes, ut hinc hac in parte loquendum de illis ſit, ſed quia Sarmaticæ rupes illæ Moraviam, Poloniam, Ruſſiam, Tranſylvaniam vel tangunt, vel dividunt, ſic ſimul uno veluti loco ſumendæ ſunt, prout conſonum duxit etiam citatus Weberus (3), qui loquens de Carpaticorum montium accolis ait, *Laborioſum hominum genus ex quadruplici natione conſtans*, *videlicet Germanica*, *Sclavonica*, *Polonica*, *& Ruthenica*: ob variam itidem conſtitutionem corporum vario quoque vivendi genere utuntur.

Primariæ apud eoſdem panaceæ ſunt vinum, ſpiritus frumenti, oleum olivarum, acetum cum oleo, antiqua adipe porcina, aut lapide hematite remixta, & tranſeunt etiam ad draſtica (4) ideſt ad *grana cocognidii*, *herbam trichomanes*, *viride æris*, *& antimonium crudum*.

Varioloſis dant decoctum lentium cum ſtercore caprarum nigrarum, adduntque vinum, mulſum, theriacam Andromachi, quam Venetam appellant.

Convulſionibus medentur herbis *ſuperſtitioſe* a ſuo *Sacerdote exaltatis*.

Ægros in infirmitatum *initio* illico *hypochauſto macerant*.

(1) Erfordiæ ſumptibus Joannis Friderici VVeberi.
(2) Loquente Perill. D. Abaffio, pag. 9. ejuſdem VVeberi.

(3) Relatio de Variolis durante peſtilentia graſſantibus, pag. 105
(4) Quæ apud nos purgantia fortiora ſunt.

BINGAFELD

IN CASTRI FERREI COMITATU, ACIDULÆ

Bingafeldanæ, ſeu Tormanſtorffenſes Acidulæ, de quibus nuper verba facit diligentiſſimus Rieger (1) ſicuti a Medicis Hungaris, quia vitriolo (2), ferro, & cupro ditantur, adhibitæ ſunt, utpote magnum reſolvens in obſtructionibus *lienis, hepatis, meſenterii, & renum*, ita pari lege, & illorum doctorum virorum documento, nos ſubſtituere in hoc noſtro cœlo poſſumus aquas Vallis Camunorum Brixianas, Darfii Bogiarianas (3), & quo ad Balnea, quæ Hungara gens utiliter addit, præcipue in *bilioſis, hypochondriacis, & nephriticis*, ipſe laudarem, ut in conclavi agerentur. Quandoquidem a Balneis multa ſperanda ſunt, ſed ſolo illo caſu, ut quam diligenter, & a Medico, & a Balneario executioni mandentur. De his aquis videndus Spindlerus, & Raygerus.

BUDA

Celebres ſunt Budenſes Thermæ, de quarum calore, viribus, & origine laudabili Opere locutus eſt Laurentius Hocherus Sacræ Cæſareæ Regiæque Catholicæ Majeſt: Præſidii, ac Regiæ liberæque Civitatis Phyſicus Ordinarius.

DALMATIA

CASTRUM NOVUM

In Veneta Albania, parte ſcilicet meridionali Dalmatiæ, duo remedia, tamquam tuta in uſum ponuntur, & quidem primum

IN CURATIONE SCROPHULARUM

Illud eſt ſuccus lapathi deſtillatus, & omni mane potius copioſe ſumptus, quod probabile eſt, quia cum gravioribus auctoribus nos ipſi, capite Francia, de ſcrophulis agentes, diximus puritati ſanguinis vigilandum eſſe; idcirco cum in ſcabioſis, in puſtulis, in pruritu, omnibus ſalſi, & inquinati ſanguinis characteribus illud, & quidem utiliter uſuveniat, per conſequens probandus nobis venit illius uſus.

Animadvertendo tamen, quod Dalmaticis Scientia hæc non debetur; dum ipſe uſque Gulielmus Rovillius (4) de lapatho tam hortenſi, quam ſativo, latifolio, atque rotundo ait, *Strumas parotidaſque diſcutiunt*. Additque etiam, radices eſſe utiliſſimas, ſi ab extra in vino coctæ apponantur.

Verum, ſi fieri poſſet mori Dalmatico de meo hoc adderem, & Tyronibus ſuaderem, ut potius decoctione, quam deſtillatione uterentur, quia tali modo ſpecifica particularum vis magis conſervatur, & ſanguini communicata, agit quod agere nata eſt.

SCROPHULARUM REMEDIUM EXTERNUM

Ut ſcrophuloſa durities citius amoveatur, aptant ab extra viride æris cum ſucco porri: quod cum cæpis affine ſit, non modicum irritamentum in fibris, in inhabitantibus ſpiritibus poterit producere, ex quo dolor quidem, ſed fortaſſe etiam reſolutio. Dixi, fortaſſe, quia interdum vidi concretiones illas adeo ſcyrrhoſas, concretas, & petriformes, ut ne quidem ipſis exedentibus ceſſerint, & neque ipſa aqua phagædenica ex calce, & ſublimato artefacta, domari, & diſcuti potuerint. Verum de hoc ſatis, cum jam abunde locuti ſimus, capite, Francia: contenti animadvertere, circa porri energeticas vires, laudatas ab aliquibus in hoc, vel illo morbo, ſed etiam ſuſpectas ob damna, quæ poſſunt producere. Quia tamen circa ſtrumarum eradicationem, damnum optatur, hoc eſt tumoris reſolutio, per conſequens remedia, quæ valeant, & moveant, permiſcenda ſunt.

PLEURITIDIS REMEDIUM EXTERNUM

Lateri dolenti a Caſtellanis illius provinciæ illico aptatur reſina pini, quæ virgo, & vulgo *ragia* dicitur, eademque totum affectum pectus operitur, ut adhæreat, tamquam infallibile arcanum, ex eo quia & attrahere, & corroborare poſſit. Quæ ſperanda ſint, ſaltem de certo, aut de probabili, ipſe non video. Quare in hoc meam ſententiam ſuſtineo, & libenter ſino, ut documentum ulterioribus experimentis magis in tuto ponatur.

CROATIA

In febribus cum dolore capitis conjunctis Croatiæ populi, præcipue in ruſticis locis, aptant regioni frontis cataplaſma, vel emplaſtrum ex braſſica ſale condita, & magnam utilitatem ab hoc remedii genere ſperant. Cumque ex duabus tantum rebus conſletur, arguendum eſt, aliquid obtineri a ſalis vi ſolvente, diſgregante, & fortaſſe lentores in corticalibus glandulis, & lymphaticis

(1) Introductio ad notitiam rerum naturalium, & arte factarum.

(2) Fons pariter Neuſohlii in Hungaria vitriolo imprægnatus eſt.

(3) Examen de Aquis Brixianis Auctore Franciſco Roncalli, pag. 117.

(4) Hiſtoriæ omnium plantarum, quæ in hortis naſcuntur, lib. V.

ticis diramationibus attenuante, accedente emplaſtrico adiumento poros cutis aperiente, necnon ſpecificis ipſius braſſicæ qualitatibus aperientibus, repellentibus, abſtergentibus, quibus omnibus ſimul ſumptis, inter res eſt, quæ fieri poſſunt, ut origini ipſius febris provideatur; quia etſi illius cauſa fere ſemper in viſceribus quæratur, dari etiam poteſt, ut in capite idiopathice niduletur; unde Croatum, Sclavonicumque remedium rationi innixum eſt, & per conſequens illius uſus ab aliis etiam nationibus imitari utiliter poteſt.

CYTHERA

VULGO CERIGO

Cythera prima eſt Archipelagi inſula, Venetorum Dominio parens, oppidum habens forte, cum portu Delphino dicto, eaque tota circuitu 60 milliarium continetur. Inibi floret Dominus de Moris Medicus clari nominis, ſed conſueto Græco more, quoniam & inſula inter Græcas ponenda erat, pauca remedia in uſum ponuntur. Ad variolarum curationem quod ſpectat, ſequuntur uſum ab aliis regionibus inibi advectum, implantandi, & ſerendi in ſanis variolas, potiſſimum quando benignæ indolis ſunt, & quanquam oppidani quatuor partes ſignent, ambas ſcilicet genas, frontem, & mentum, quibus ſtigmata infligenda ſint, & inſuper Græci Sacerdotes aliqua verba, dum id agitur, muſſitare ſimulent, attamen practicus de Moris ſupervacanea eadem omnia autumat, & ſufficere contendit, ut aliquo in loco inoſculentur. Referunt, quinta die, ab hiſce executis, gulam, collumque intumeſcere; ſeptima vero variolas feliciter erumpere, neminemque tali mo do perire.

Hoc probat, quantum poſſit contagii vis, quæ facillime in alium tranſit, fermenteſcit, & inficit. Hæc vero Cytheriaca, ut cum Martiali (1) loquar, methodus, jam a primis Scientiarum Academiis diſcuſſa, num in Italicum noſtrum hoc ſolum tranſferenda, amplectendaque ſit, non ſatis ſcio; cum illi non nimis addictos Italos Medicos videam, ut hinc animus ad id factitandum aliiſque collaudandum inclinet. Video jam id proponi, quando endemius morbus ſine virulentia eſt. Sed adhuc non bene acquieſco; quia & in benignis confluentiis aliqui interdum pereunt, & periculum non oritur tantumodo a fermento influente, ſed a ſubjecto recipiente, in quo particula innocens venenoſa evadit. Neſcimus, qui morboſi apparatus in corpore latent, hinc admota ſcintilla incendium excitatur, totam fortaſſe domum heu ſubverſurum. Quid porro! ſi res bene cadit, gratulationes accipiamus. Si contra, ubinam animi quietem reperire poterit, vel Parens, vel Medicus ille, qui hæc promovit? Quando morbus ex fato, aut ex ſuperna determinatione provenit; quamvis mærentes, quieſcimus. Quando ob hominem homo ægrotat, angores magis animum cruciant, & cor afflictum eſt.

(1) Lib. 14. epig. 205.

MANDRAGORAS

Cytheræ floret etiam mandragoras non minus *mas & candidus*, quam fęmina, ſive *niger* cum ſuis pomis aliquantulum guſtu vinoſis, ſubamaris, tam odore, quam ſapore caput gravantibus. Cordus tertiam mandragoræ ſpeciem addit, morion dicitur, Italis *bella donna*, de quibus non eſt hujus loci inquirere. Nonnulli magnas illius vires promittunt in doloribus, & in ſectionibus, uſtionibuſque a Chirurgo exequendis, ne perſentiantur; nec deſunt, qui ſtrumas, tubercula ulceraque curari poſſe promittant. Verum quia ejus odore *obmuteſcunt homines, potu vero largiore moriuntur*, potius abolenda eſt illius memoria.

MORLACHIA

PARS SEPTENTRIONALIS DALMATIÆ

Ubi peculiaris morbus, vermes intercutanei. Vide *Iſtria*.

RAGUSI

SAPIENTI DOCTISSIMOQUE VIRO

MARCO FLORIO

Practico apud Raguſinos celeberrimo

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

Quid hæres, quid incertus dubitas, mi Roncalli, quemnam interpellare debeas in Raguſina Republica, ut habeas endemiorum inibi morborum, una cum uſitatis remediis epilogum? mihi heſterna die exclamando dicebat egregius Abbas Matthæus Marini. Adeſt in ejuſdem ditionis Metropoli, patria mea, ex qua nunc venio, vir celebris, cunctis civium omnium ſuffragiis in Archiatrum renunciatus, Marcus Florius; qui bonis in artibus inſtitutus, aereque illo verſatus, plenam tibi dabit notitiam eorum, quæ optas, egoque illi tranſmittam ſupplicationes tuas. Hæc ille, & en Marce orantiſſime primo, ut dicere ſolemus, in limine, meæ epiſtolæ argumentum, in quo expatiari, aut te pluribus circumire, idem eſſet ac dubitare, ut non faveres, aut intelligeres.

Addo etiam huic meæ opuſculum Patris Anſaldi, non ad jactantiam, quia mihi dicatum; ſed ut verſus fines nuncupatoriæ videas magis fuſe deſcri-

ſcriptam rationem, & ordinem futuri operis, quod prælo traditur, & in quo, te auſpice, & fautore, Raguſinorum Medicina ad Hyllim, Melitam, Dalmaticaſque Adriatici maris ripas, ſi tibi lubet, extenſa, ſuum diſtinctum habebit locum, Vale interim, & ſcribendo fac, ut Brixiam perveniant reſponſiones tuæ.

Venetiis 25 Februarii 1746.

P. S.

Si adeſt da, ſi abeſt, mitte ſalutationes meas præſtantiſſimo Matthæo Bratis, jam amico per literas noſtro, a quo ſcire cuperem, num quando Anconæ morabatur, acceperit donum Hiſtoriarum Morborum, illumque urge, ut & ipſe faveat operi edendo, præſertim ſi (referunt) in Conſtantinopolitana urbe moretur.

SCHINUSSA

ISCHIADIS CURATIO

In Schinuſſa parva maris Ægæi inſula ſi quando aliquis iſchiadico morbo laborat, nullis premiſſis, & ſine Medicorum auxilio, qui multoties abſunt, curationem ſuſcipiunt medio vegetabili, *Scerniples* vocant, afflictæ coxæ applicito, inibique quieſcente, uſquequo excoriatio, veſiculæ, uno verbo, plaga fuerit inflicta, ſeque gerunt ita ut liquores interni circumeuntes muriatici, hoſtiles, purefacti, corrupti, per arteparata cutis emiſſaria exeant a coxa, a nate, atque a tota circumpoſita regione. Sique opus fuerit, iterant medicatum fodicans aptamentum, ut ulceroſa ſuperficies perſeveret, & humores ſacrum, femurque luentes cribrari, & effloreſcere poſſint.

Qui utique modus nec novus, neque temere corrigendus eſt. Hippocrates (1) quippe majora pertentavit: *Crudo linamento locum peruxito*. Noſque ipſi alibi cucurbitulam admovendam propoſuimus, & auctoritate Æginetæ confirmavimus (2). Sed ſi fieri poteſt, aliis primum remediis opus ſuſciperem, in cura tandem coacta idem fortaſſe permiſſurus.

Obſtrepunt quippe mechanici, & dicunt: Hominis compoſitum nihil aliud eſt, quam liquida, & ſolidum in canales diſtributum. Quærimus quid evenit in machinis hydraulicis, in tubis correſpondentibus, in ſolidiſque etiam pelliceis, humores continentibus, quando emiſſarium in aliqua parte aperitur? non ne lege gravium ſi inferius, lege in axim nitentiæ, & expreſſionis, lege deniqne atractionis, & ponderis, ad emiſſarii locum exituri, mechanica neceſſitate, feſtinabunt?

In hoc anfractu mente inſuper cogitant, ſi omnes humores exirent: ecce fatum. Si pars: pars, quæ remanet, latus coxamque inundabit, hinc tumor, hinc villorum diſtenſio, inde major dolor. Si abſorberi iterum a vaſis debet, vel obſtant valvularum aggeres, vel laxæ, & effœtæ partes, & fibræ pro inſtaurando circuitu non ſufficiunt. Quare ſerotina reſolutio, ex quo ſtaſes, & primariis jam exiſtentibus cauſis morboſa additamenta.

Illud inſuper eſſet inter ea, quæ contingere poſſunt, nempe ſi morbus non penderet ab humorum confluentium quantitate, ſed ab acerrima, & quaſi dixero ſicca qualitate, tendines, ligamenta criſpante, corrugante, & perioſtea, tennujaque involucra, & oſſium indumenta irritante, nonne ſecedentibus fluidis balſamico, & nutritivo rore, nervorum genus, cum atrophiæ timore, magis orbabitur?

Et hæc una ex principibus rationibus eſt, propter quam non adeo promiſcue remedia omnibus aptanda ſunt. Quare Græcæ illius inſulæ (& contra inſtitutum Operis hic poſitæ ob oretenus receptum in urbe Veneta documentum a Medico Illyrico, dum de Dalmaticis medendi modis ſcribebamus) uſus damnatiſſimos quandoque perpetratus erit effectus. Rari ſiquidem ſunt morbi, qui ab una tantum cauſa pendeant. Sique a multis, per conſequens diverſam Medicinam requirent.

ISCHIADIS CURATIO QUOMODO DIRIGENDA

De cetero ad nos ipſos, atque ad Tyrones noſtros redeundo, duplici præſertim, & longe oppoſito ſcopo in curatione horum morborum dirigenda ars noſtra eſt. Nempe quando in picrocholo habitu, in ſicca temperie, in exſucco homine, aut olim lue venerea laboranti, aut ſalſuginoſis characteribus ſignato, aut ſcorbuto, & atræ bili ſubjecto, tunc dicta methodus venenum erit. Tunc ſequenda documenta celeberrimi Viri, & dum viveret, amici noſtri Petri Antonii Mihelotti, exhibendo ſcilicet lac, lacteaſque potiones cujuſcumque generis, ægri tamen idiolyncriſiæ aptatas, ut nutritivæ maſſulæ augeantur, ut roridæ humiditates abundent.

Si vero in plethorico habitu ſerum ſuapte natura turgeat, & cum ſudoris, lotiique tarditate infimum latus nimium irroretur, nec ad conſuetos tramites reduci queat, neque dulcificantibus, ſaliaque invaginantibus obtemperet, tunc aliis incaſſum adhibitis, expurgatio per affectam partem poterit pertentari ſuo *Scerniples*, ſi æger inter Græciam, Aſiamque minorem, ubi Ægei maris inſulæ ſitæ ſunt, deget; vel ciclamine, naſturtio, ranunculo, ſcilla, tithymalo, lacte ficus, euphorbio, aut cantharidibus, ſi alibi Iſchiadicis occaſio adſtandi tulerit. Quandoquidem nemo erit tam rudis in rebus natura, & arte paratis, qui autumet, curationes in illa inſula factitatas, a ſpecifica virtute, & admirabili illius vegetabilis pro-

(1) De Paſſionibus Libro 1. pag. 333.

(2) Libro III. qui parti affectæ addit hirundines.

pro prietate pendere, ſed potius ab exedente vi, phænigmi vices habente, ob quam excoriata coxa, & hiſcentibus ſanguinis, & ſeri ſurculis, coerciti lentores, qui in cauſa ægritudinis eſſe poſſunt, utiliter exeant; ex quibus patet, curationem illam non eſſe arcanam, ſed ab expurgatione dependentem.

SCERNIPLES ISCHIADIS CURATIVUM QUID SIT

TOT, ac tanta pro curando iſchiadico affectu de magno arcano *Scerniples* audivi, ut ab eademmet Archipelagi inſula Brixiam transduci curaverim. Viſo autem, clare patuit, nihil aliud eſſe, quam radicem hellebori nigri, quod Arabi *Cherbachem* dicebant; tenues ſiquidem virgulti, nigri, a quodam capitulo, cæpe ſimili, fimbriati prodibant, qui tranſverſim ſecti in medio albam duramque medullam præſeferebant. Quare ſicuti a Schinuſſæis eadem utentibus, non adeo diſtat Anticyra, urbs inter Criſſam, & Siphas oppidum Boeotiæ, ubi *helleborum contra amentiam naſcitur*, & in ſummo vigore eſt; poteſt etiam eſſe, ut in illa regione energetice prolificans, & abundans, in montuoſis apricis locis, ratione & arte docentibus, pro laborante coxendice adhibitum ſit. Sed hæ res nihil habent novi; quandoquidem in Hiſtoriis Plantarum, helleborum pro curandis Iſchiadicis (1) proponitur, & paſſim a Chirurgis pro cathæritico (2) adhibetur.

MINÆ HIPPOCRATIS INTERDUM INANES

MINATUR alicubi Hippocrates, per partem affectam non eſſe evacuandum: quod multum quadrat rationibus jam dictis Mechanicorum. Sed veriſſimum etiam eſt, multoties naturam morbo levari, ſi quod intus eſt, veniat ad cutim. Cui ſcopo practicæ indicationes ſæpe ſæpius collimant; hinc ex improviſa, aut arte pertentata ad ambitum methaſtaſi, morborum periculum evaneſcere pluries vidimus. Ideo quando alia via criſis non effulget, quando arthritis coxendicis inceſſanter cum dolore ſævit, quando cetera auxilia, ipſaque ſi lubet venæ ſectio pone genu, in uſum revocata fuere, & æger amplius ferre valet, non adeo eſſe timendam Hippocratis ſententiam cenſerem, & in hoc caſu cum Illyricis phænigmum eſſe apponendum, conſtanter autumarem.

(1) Lib. XVI. pag. 1641.
(2) Filippo Maſiero Ragionamento Novo, pag. 354.

EPERIÆ

STRANGURIA GRAVIDARUM

IN mulierum prægnantium ſtranguria, quæ interdum aliquas toto curriculo cruciat, quin tot ſuperflua medicamina in uſum revocentur, & parum nobis promittendo *oleo petræ*, quo aliquas curaſſe Wedelius (3) jactat, opportunum erit ſequi methodum Eperienſium Medicorum, illis præeunte Johanne Adamo Raimanni (4) ſcilicet venam ſecando, cum præcipue pendere poſſit morbus ab humorum affluxu, a menſtruis retentis, atque a ſolidorum tumore, & compreſſionibus, quibus omnibus ſola ſecta vena admodum proficua eſſe poteſt.

SEBUM VOMITU EJECTUM

SEBACEAM materiam, quam Reimannus in Hungarica Eperiarum urbe ejectam vidit, num pinguedinoſæ collectioni, numque ſeparato ab internis tunicis muco, vel potius rupto tunicato interno tumore, ad ſteatomatum naturam accedente, tribuenda ſit, dirimere ipſe neſcio. Utraque vera eſſe poſſunt; quia naturà ludit in operationibus ſuis, & monſtra contingunt. De cetero, recte judicant Hungari Profeſſores, quibus, dum ſua ad examen revoco, me paulatim addictum perſenſio, quando de tunicatis tumoribus ajunt: *& ſi ordinarie externas corpori occupare partes, nec internis tamen parcere viſceribus ſemper*. O docta verba, & plurimum in arte noſtra explicantia! Itali Tyrones Hungarum hoc lumen in ſanguinem ſuum convertere non erubeſcant. Et quando vident ægros cum bono pulſu, & urinis, & ſine ulla febri, aut ſanguinis dyſcraſia conquerentes, & quando vident morbum nunquam inducias facientem, & pertinaci ſignorum ſyndrome radicatum, de organico etiam interno vitio dubitent; omnes ſiquidem morbi naſcentes ab extra, quos Chirurgis curandos exponimus, intus etiam produci poſſunt. Qui ſignanter ab aliquo determinato, immutabili ſitus dolore prænunciantur.

NEO-

(3) Path. Med. L. 3. cap. XII. pag. 66.
(4) Obſervatione CXXX. in Actis Germaniæ T. 2.

NEOGRADIENSIS COMITATUS

Illuſtriſſimo Domino Comiti

D. Francisco Roncalli Parolino

(*Tit. pleniſs.*) *Medico conſummatiſſimo*

S. P. D.

JOANNES DANIEL DE PERLICI

Phil. & Med. Doct. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Colleg. Socius Reg. Boruſſ. Membr. & Comit. Neograd. Phyſ. Ord.

NON *privato ſolum, ſed publico fere Literatorum Hungariæ nomine, meritas tibi infero grates, Vir Illuſtris ac Magnifice, tum quod præcipuum ac cumprimis utile Hiſtoriæ Hungariæ noſtræ naturalis caput,* ſingularia phyſico-medica *continens, partem ſplendidiſſimi Operis tui eſſe voluiſti, tum quod humaniſſima invitatione tua, ad illuſtranda Patriæ noſtræ naturalia, Eruditos ſtimulare, ac præ reliquis Hungariæ noſtræ Viris, me ad ferendas tibi ex oris noſtris ſuppetias, evocare ſuſtinuiſti. Opus profecto, tam animo, & virtuti tuæ par, quam utilitate ſua non cariturum, omnem orbis Literati merebitur applauſum, tum quod* Medicina totius Europæ comparativa, *ex diverſitate climatum, aeris, aquarum, & locorum, prout & gentium, & perſonarum reſultans, in deſideratis hucuſque ſit; tum quod mutuis præcipuorum Virorum Europæ conſiliis, & auxiliis id futurum ſperem, ut relationes ex quavis Europæ parte congeſtæ, inſtar nubium, domeſticos, eoſque largos fœnerent imbres, vaſto ſcientiarum pelago plenis fluminibus profuturos. Ex parte Hungariæ noſtræ, ipſemet, jam anno elapſo, hocce caput a nemine hucuſque pertractatum, illuſtrare cæpi, ejuſque rei certiorem feci Præſidem noſtrum Ill. Doct. D. Andream Eliam Buchnerum, fine eo, ut Actorum Naturæ Curioſorum appendici, hoc, quidquid eſt, opellæ inſeratur. Quia tamen, meliorem forte locum in elegantiſſimo opere tuo, hoc ſchediaſma inventurum ſperem, opportune plane titulum, ac monitum* Medicinæ tuæ Europeæ *percepi, ratus, ut, ſi contenta opellæ meæ, hacce occaſione tecum comunicavero, me rem haud ingratam tibi facturum. Laboro nempe in Tractatu concinnando* de Climate Hungariæ, ejuſque effectibus ex habitu, & indole cœli, aeris, aquarum, & locorum in corpora Incolarum Hungariæ reſultantibus. *Commodioris ordinis cauſa, deſpeſeam tradenda in tres partes* I. Hiſtoricam, *quæ meras obſervationes continebit, de habitu cœli, & ſyderum ad clima Hungaricum, varias in diverſis locis factas obſervationes aſtronomicas altitudinis ſtellarum, & Solis, indeque erutas diverſas poli elevationes, corrigendis mappam Geographicam erroribus apprime idoneas: aerometricas, & meteorologicas, rationem aeris, & ventorum exponentes: hydrometricas, & hydroſtaticas, aquarum, & fluviorum curſum, & indolem, eorumque exundationes indeque natas ſtagnationes, & effluvia putrida, tum thermas quoque acidulas & fontes ſoterios, indolem montium, & ſuæ, quam tranſeunt telluris, ſequentes: geometricas, & gerchymicas, experimenta nonnulla phyſico-oeconomico-pharmaceutica, circa diverſas Hungariæ terras exponentes: Hiſtorico-politicas, de diverſis gentibus, & nationibus Hungariæ: phyſiologicas, de diverſitate corporum in diverſis incolis, & locis Hungariæ: diæteticas, de diverſa eorundem vivendi methodo, diverſitate item eſculentorum, & potulentorum, effectuum item hinc reſultantium: pathologicas, morbiſque tam endemiis cuivis diſtrictu, & corporibus propriis, quam & epidemicis ex indole aeris reſultantibus: practico-medicas, quæ obſervationes medelæ eorundem, tam naturalis, & autocraticæ, quam artificialis, plebejæ, domeſticæ, ac pharmacæutico-chirurgicæ enumerabat. Partem II.* Phyſico-theorematicam *conſtituet, evolutio cauſarum, ſingulis his obſervationibus accommodanda. Partem vero III. ſeu* Medico-Therapeuticam *abſolvent diverſæ ſolutiones Problematum, quæ, quomodo natura, & arte in Hungaria utendum ſit, ut inde vita, vigor, & ſanitas in corporibus incolarum ſtabiliatur, & amiſſa reſtituatur, definient. Hæc licet in diverſis ſchedis, & obſervationibus collecta habeam, tempore tamen, & otio opus erit, ad hæc ſuo modo, & ordine expedienda. Quare, cum ex monito tuo, Hungariam noſtram* ſeptimam *ſaltem deſcribendæ* Medicinæ Europeæ *claſſem occupaturam obſervem, ſi hoc, quidquid eſt laboris, tibi complaciturum intellexero, & ad quem terminum temporis Typographus hanc claſſem ſeptimam inchoaturus eſt, informatus fuero, dabo operam, ut labor hic, forma Diſſertationis Epiſtolicæ ad illuſtre nomen tuum intra duos menſes Brixiam uſque expediri poſſit. Huic, pro more tuo, id eſt, ſolida ſupplementa, vel notas, ex iis quæ collegiſti ſubnectere poſſes. Id unum mihi expeterem, ut, ſi fieri poſſet, plagulas impreſſas Græciæ, vel, ſi a favore tuo impetrare potero, integrum priorem Tomum, pro capiendo, cauſa ordinis, lumine, ad amicum quendam tuum Wiennenſem mittendum, quantocyus habere poſſem. Poſſet idem amicus, ad me mittenda, vel D. Agenti Jacobo Kuntz, vel D. Agenti Trans-ſylvanorum Samueli Szilagy tradere. Literæ vero per Wiennam, Budam tuæ ad locum reſidentiæ meæ, Loſſontzinum in Comitatum Neogradienſem dirigi poſſunt. Deus interea, bonarum artium Autor Statorque Opt. Max. non incolumem tantum, & animi atque corporis viribus, valentem, ſed firmatum etiam, bonorum*

omnium

omnium favore, conſilio, labore, te conſervet, ut, quod ſuperatis difficultatibus innumeris, jam in lucem paras protradere, incomparabile opus, feliciter, in commodum publicum, conficias. Vale.

Dat. Loſſontzini, oppido Comitatus Neogradienſis in Hungaria, d. 20 Jul. 1746.

P. S.

Literas tuas, cum occluſo titulo, ante duas ſaltem ſeptimanas percepi, neſcio, an Curſor ordinarius, rem ſibi commiſſam, rite reddiderit. Si reliqua ſcripta tua, ut de aquis Brixianis, ut & Diſſertationes varii argumenti, una cum Hiſtoriis Morborum, a favore tuo habere poſſem, faceres mihi rem oppido gratam. In Hungaria enim Bibliopolis caremus, nec Viennæ ſingula haberi poſſunt.

CLARISSIMO, ET CELEBERRIMO VIRO

JOANNI DANIELI DE PERLICI

Academiæ Naturæ Curioſorum, necnon Regiæ Boruſſicæ Sccietatis Membro

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

ACCEPI nudius tertius tuas literas 20 elapſi menſis datas, illicoque lætus exclamavi, habeo in Hungaria amicum optimum! Proximo ſeptembri typis tradenda eſt Medicina Hungarica. Si favere, & ornare editionem vis, neceſſe eſt, ut contrahas in epilogum, quæ paraſti, ſique magis meis votis ſatisfacere cupis, de illis rebus loquaris, quæ ſoli Hungariæ, ejuſque climati competunt, & reliquis omiſſis, Praxim per obſervationes prope ægrorum lectulos adminiſtratam, reſpiciunt: proindeque ſolis tribus, vel quatuor pagellis, prima epiſtola tua bis longioribus, comprehenſa, & redacta Brixiam mittas ſtatim, antequam tranſeat dictus menſis; & ratio etiam eſt quia opus in volumen excreſcit, & majora nequeunt intrudi.

Alias a me edita Opera tibi dono paravi, ſed quæſo me doce de miſſionis modo. Germania magnum habet commercium cum urbe Veneta, ubi ſemper proſtabunt nutibus tuis. Admone ergo, reſcribe, & parce ſi laconicus ſuperſedeo, quod tamen invitus facio, alioquin tecum gaudens alloqui hoc in epiſtolio. Vale.

Brixiæ 8 Auguſti 1746.

(1) Vide Brixia.

POSONIUM

IBIQUE EPIDEMICA LUES

EPIDEMICA conſtitutio anno 1683 graſſata eſt; cum, ſoluta obſidione Viennenſi, in Hungariæ Regno militares copiæ dimiſſæ ſunt, ut in hibernis ſtationibus collocatæ quieſcerent: ubi, & præcipue in Poſonii ſuburbiis, gregatim arctiuſque diſpoſiti milites, omnia ſordibus, & immunditiis compleverunt, ut hinc infectus aer, inſpiratus, omneſque quaquaverſum poros ſubiens, petechialem periculoſum morbum produxerit. Quia vero morbi illi in Hungaria *frequentes* ſunt, & *quotannis* redeunt; nuperque vidimus, catarrhorum conſtitutionem anni elapſi (1) nulli, quaſi dixero regioni in tota Europa parcere, per conſequens, attente, nec adeo breviter conſideranda nobis ſunt ſigna, modus, ſymptomata, criſes, metapthoſes, quibus Hnngarica illa conſtitutio ſe prodidit. Inſuper videnda methodus, & quibus remediis Hungari Medici uſi ſunt, ut ſeligere poſſimus, & diſcamus, qua via in illis morbis eundem ſit.

SIGNA, MORES, SYMPTOMATA, EFFECTUS PETECHIALIUM MORBORUM, QUI POSONII GRASSATI SUNT

ACTA Academiæ Curioſorum Germaniæ admonent (2) *Febrem malignam petechialem* brevi invaleſcentem, & epidemicam factam, nullo *ætatis diſcrimine*, ſed potius in juvenes, & robuſtæ ætatis homines, non tantum plebejos, ſed etiam nobiles ſæviſſe, *ut nullam domum intactam reliquerit*. Incepit menſe Novembris cum horrore, nunc aucto, nunc remiſſo; quem excepit *calor*; deinde *anorexia*, *vomitus*, *cardialagia*, *ſitis*, *dolor capitis*, *vigiliæ*, *laſſitudo ſpontanea*, *uſque ad quartum diem interdum aucta*. Accedentibus paulo poſt deliriis, cum hac obſervatione notatu digniſſima, qua delirantes ante nonam præſervabantur; ſecus qui poſt. In aliquibus *furor*, in aliis *ſomnu.*, vel *mentis emotiones taciturnæ*, *tinnitus aurium*, *auditus difficultas*, *oculorum dolor*, & *ardor*, vultus interdum ferox, manuum tremor frequens, labiorum vero contractio, *intra XXIV. imminentis mortis nuncia*. In juvenibus *convulſiones*, *epilepſiæ*, *ad aliquot horas perdurantes*, *vertigo*, *nephritides*, *uteri affectus*, guſtus depravatus, reſpiratio difficilis, aphonia lethalis. *Pulſus* in principio ſanorum fuit *ſimillimus*, deinde *celer*, *frequens*, *debilis*, *inæqualis*, ſignumque futuræ mortis erat, ſi ad contrectationem pulſus ægri manus retrahebant *tremulam*, eaſque introrſum *ducebant*; vel ſi *tremens*, *palpitans*, & *caprizans* pulſus

(2) Scribente Carolo Friderico Loevv.

ſus fuerit obſervatus. Tuſſis interdum humida interdum ſicca. Si maculæ non erumpebant ad cutim, *funeſti ſemper exitus erat ſignum*. Inde *ſitis*, *ſingultus*, & hæmorrhagia interdum utilis; ſique ſuppreſſa incaute a Chirurgis, pericula augebantur.

Mulieres gravius affligebantur, exceptis illis, quæ menſium fluxu deſtitutæ erant, in quibus morbi vis lentius agebat.

Alvus primis præſertim diebus erat obſtructa, & utiliter ſuppoſitorio reſerabatur. Diarrhææ interdum criticæ erant. Vermes utiliter rejiciebantur, & ſudores ſæpeſæpius erant critici. Parotides die XIV enaſcentes, & perdurantes, *nunquam tamen lethales*. Lingua muco albicante obducebatur, aliquando nigra, ſuum faucibus impreſſit characterem, adeout ſphacelo corriperentur.

Maculæ demum ad ambitum erant *verſicolores*, rubræ, purpureæ, fuſcæ, albæ, nigræ, lividæ, in dorſo, manibus, pectore, pedibus, natibus, interdum magnæ, interdum parvæ pulicum morſibus ſimiles, ſparſim, non ſemper confertim *milii ſolis*, *& ſudaminis inſtar*, aſpredines miliaceæ dictæ. Morbus denique alios ſimulabat, nempe catarrhum, colicham, podagram, pleuritidem, febrem tertianam.

REMEDIA A MEDICIS HUNGARIS ADHIBITA

PRIMUM fuit venæ ſectio, eaque iterata, ſed emerſis ad cutem maculis abſtinebant ab ea. Vomitoria, & purgantia nunquam, neque in principio adminiſtrata fuere; ſique aliquis gregarius Poſonienſis Medicus illa adhibere voluit, *brevi poſt* ægri *expirabant*, & eorum exanthemata apparebant latiora.

Expellentia, *alexipharmaca*, *confortantia*, *cordialia*, *temperata*, alkalina, teſtacea plurimi fuerunt adiumenti. c. c. unicor. marg. conſ. alkerm. cum aqua fumariæ, lapis Bezoart. orientalis, terra ſigillata, extractum caſtorei in hyſtericis mulieribus.

Calida omnia, quæ efferveſcentiam excitarent, vitata fuere. Antimonium diaphoreticum *diarrhæam* producebat, in febribus malignis, ſine exanthemathibus non ſemper; veſicatoria juſto tempore applicata *deliria*, *& phrænitides* debellarunt. Opiatorum vero uſus externus utilis fuit. Interdicta ſemper *linteorum*, *& induſiorum* crebra mutatione: in fine denique exhibito aliquo purgante, ut tolleretur metus recidivæ.

OBSERVATIONES IN CONSTITUTIONEM EPIDEMICAM POSONII, NECNON IN REMEDIA

QUANDO morbus in omnes ſævit, & præſertim juvenes aggreditur, de epidemico, de acuto, & violento dubitandum non eſt. Quando vero tot ſignis, & ſymptomatibus ſibi invicem oppoſitis procedit, primis etiam diebus periculum minitatur, & protheiformi larva coopertus non ſatis noſci patitur, tunc ſane difficile claſſicum Medicus, & ægrotus ſibi prænunciare debent.

Quod vero inſuper allato caſu citius delirium boni eſſet ominis, fortaſſe fuit, quia eſt optandum, ut cauſæ morbificæ cito exaltentur, & noſcantur, quandoquidem ex majori ipſarum in abſconditis latibulis mora, pejor corruptio pertimeſcenda eſt: ſecundum, quia tunc vires magis conſiſtunt, nec ſolida attrita ſunt.

PULSUS SANORUM SIMILIS PERICULI SIGNUM.

VEH illi Medico, ſed multo magis illi ægroto qui, omnibus, aut multis circa morbum pejus euntibus, bonum habet, aut habere videtur pulſum. Quippe tunc formidandum eſt; hocque vidi in praxi frequentiſſimum. Non demiror igitur, ſi in Hungarico deſcripto petechiali morbo id quandoque a Poſonienſibus Medicis viſum fuerit: cum in acutis, & multigena ſignorum ſyndrome ſtipatis id frequens ſit. Ad lumen tamen Tyronum obſervationem hanc adnotare placuit, ne fidant; nec fallaci hoc eventu aliquid certi ſperent, imo timeant, & poſito in una bilancis parte pulſu, ut ipſi dicerent bono, rimentur adamuſſim contrapondium aliorum implicatorum ſignorum, & ſymptomatum, quæ ex altera parte pericula minitantur. Medicus enim unquam eſt circumſpectus, quantum ſatis. Quæ vero judicium hoc reddunt cautum, & certum, nimis longa, & difficilia dictu ſunt. In unum tamen redacta illud eſt, quod gratulandum de pulſu, quando cetera conſentiunt. At cum natura conflictata eſt, quando in principibus viſceribus ſcena peragitur, quando ſomnus abolitus eſt, & vigiliæ inſtant, quando digeſtiones, ſeparationes, excretiones vitiatæ ſunt, quando animales ſpiritus a ſuis itineribus abſcedunt, & motus præternaturales efficiunt: uno denique verbo, quando a planta pedis uſque ad verticem capitis multiplicia ſe produnt ſigna, quibus ſubverſam eſſe animalem æconomiam cernimus, atque judicatoria non judicant, tunc a bono pulſu bonæ ſpes eruendæ non ſunt, utpote accidens, & non ſubſtantia, vel quia tunc alio vis morbi deponitur, atque obſtructæ, aut compreſſæ arteriæ cordis ſyſtole non reſpondent, & atonis fibris ſolidorum vis ſyſtaltica erigi non poteſt, vel quia morbidus humor ob valvulas, & impedimenta potius in venis reſtitat, vel quia cor ipſum arctum, & ſtrictum eſt, aut polypoſa, vel amurcoſa impedimenta obſtant, vel quia ſanguis adhuc non mareſcit, atque ſpiritus non irradiat, & malignum ignotumque (heu curta Medicina!) fermentum narcoticam (1) naturam ſapit.

MA-

(1) Quod ex ſomnolentia colligi poteſt.

MACULÆ AD CUTIM IN EPIDEMICA [HUNGARICA CONSITUTIONE

CURATIO Morborum plerumque fit per ſeparationem puri ab impuro, perque deſpumationem illam natura, aut arte paratam. Idque habent periculoſiores Morbi omnes, epidemici præcipue, ut per illam determinatam partem, quaſi dixero, & non alteram, judicari velint. Hinc videmus, qui ſero in hiſce influxibus laborant magis eſſe fortunatos, quia primorum experimentis Medici didicerunt. Didicerunt inquam, & viderunt viam illam, per quam morbus feliciter ſolvitur. Neç infrequens eſt caſus, ut in omnibus efflorescentiis ad cutim, tam ſi variolæ ſunt, quam morbilli, peticulæ, & quæcumque exanthemata acutum morbum concomitantia, aut conſtituentia, neceſſaria ſit integra, & omnimoda eorundem eruptio, ut æger convaleſcere poſſit. Hinc obſtupeſcere non debemus, ſi in Hungarica epidemia pravæ qualitates ad cutim ferebantur. Quandoquidem malignum ſeminium potius irrequietæ eſt indolis, potius ſubtile eſt, aut ſanguinem attenuat, potiuſque ſublimatur, & ſpiritus naturam ſapiens, aut cum ipſo nuptus effloreſcit, per tubulos exit, invios locos quærit, viamque ſibi facit.

PAROTIDES

HISCE de cauſis ſanguine ad alta petente, parotides tunc emerſæ ſunt, & ſolemne obſervatum, *nunquam* fuiſſe *lethales*. De facto illud emiſſarium, naturæ operantis molimine inſtitutum, locus aptus eſt, reliquis opportunior, per quem morbi virus erumpere poteſt. Et hæc eſt ratio, quia maculæ erant utiles interdum; parotides vero ſemper, quia per has, ſi ſuppoſita ſubtilis origo, & fomes fermentando craſſiora movit, craſſiora etiam poterant ſuppurata ſecedere.

IN REMEDIA AB HUNGARIS MEDICIS ADHIBITA

EXCLAMANS fateor me non habere tot laudes, quæ ſufficere poſſint, pro probanda methodo, quæ adhibita tunc fuit. Imo, ſi vera aſſequor, video, doctiſſimum illum medendi therapeuticum ordinem ſumptum fuiſſe a celeberrimo Loevv ex Codicibus, & Adverſariis Parentis ſui. Quodque me plurimum rapit, eſt videre Medicinam adhibitam, & adminiſtratam ſecundum cor meum, illo ipſiſſimo more, quo ipſe inſiſterem, ſi febres illæ in Veneto hoc Brixiæ cœlo mihi occurrerent curandæ, & tamen tot terrarum tractu diſtamus. Quid plura? paucis mutatis, illa eadem methodus eſt, quam tenent Medici doctiſſimi præſentes Auguſtæ Taurinorum in febribus, quas miliares dicunt, (1) qui adhuc magis, magiſque diſtant, & terræ poſitus, polique gradus diverſa ſunt.

VOMITORIA, ET CATHARTICA

PLACUIT illa, & omnimoda, a catharticis, & vomitoriis abſtinentia. Tanto magis quia poſtremis aliquatenus addictam Germanam gentem credideram, ut ab eorundem operibus ſubolet. Amborum noxam, & abuſus jam aliquot ab hinc annis deſcripſimus (2) nec intereſt, ut majora addamus, niſi ut animadvertant Tyrones, maculatam in acutis cutim fere ſemper portendere, ut abſint purgamenta, potiuſque indicare illud pathognomonicum criticum, licet in aliquibus ſymptomaticum, quod ille ſolus eſt locus morbi judicatorius.

Utque bene id intelligamus, fingendus nobis animo eſt ægrotus febre illa petechiali Hungarica laborans, in quo faventibus ſuperis, & connitente natura, jam in motu ſit, licet non adhuc apparens, felix, & profutura macularum, & exanthematum, aut parotidum eruptio. Quid quæſo erit de vita ægri, ſi illius moliminis momento catharticum, aut vomitorium exhibebitur? ipſe libere loquor, ultimum fatum pertimeſcendum erit. Cum in ſummo, quo tunc natura concutitur, anfractu, levis error, maximæ ſit conſequentiæ, & criſes multoties non juvent, quia non ſunt perfectæ, & non ſint perfectæ, quia tranſmiſſio illa præpedita eſt. Ergo diſcamus a doctiſſimo Loevv, aut ſi diſcere erubeſcimus, tum quia ante illius monita, idemmet, præeuntibus Italis viris, etiam nos agebamus, illius ſaltem auctoritate methodus noſtra magis fulciatur, & ut nobis etiam adblandiamur, ſemper magis confirmemus utilitatem, quam capere poteſt Medicus etiam a diſſitis luminibus, aliunde advectis, quæ in uſum etiam hic cadere poſſunt, & præſentis inſtituti argumento ſunt.

VESICATORIA

JUVARUNT, quia & ipſa ad cutim alliciebant, & licet diverſo in loco, tamen vices parotidum ſupplere videbantur. Pluſque fuiſſe utilitatis autumandum eſt ob expurgationem, quam per eadem faciebant pravi malignique humores, quam quod quia volatile cantharidum ſal, eoſdem ſolveret.

OPIUM

DE opio non loquor, quia in hiſce morbis ſemper hæſitanter illud adhibeo, & boni, & mali effectus in corpore humano eſſe poteſt, neque vero exi-

(1) Vide Epiſtolam noſtram celeberrimo Antonio Rezia Sardiniæ Regis Archiatro miſſam.

(2) De uſu Purgantium in aere Brixiano.

ro exigui, ſed etiam extremi, deque corio humano judicantis. Si flamma in microcoſmo excitata eſt, ſi ſpiritus deflagrat, & quaquaverſum enormi impetu diffuſus, diſſipatur; ſi diſſolutio, & totius cruoris colliquamentum formidatur, ſi vigiliæ, & dolores urgent, poteſt equidem Medico, & ægroto ſatisfacere, ſed quia criſes præpedire valet, & fibram reddere attonitam, nec oſcillantem, Hungaricos laudo medendi modos, ſi a dubio remedio *in illis regionibus ſuſpecto* abſtinuerunt.

ANIMADVERSIO CRITICA

NULLAM video in Hungarica illa Morborum conſtitutione factam mentionem de frictionibus, vaporibus, fomentis, & cucurbitulis, corporis ambitui applicitis, ad hoc ut deſpumationes, maculæque *verſicolores rubræ*, *purpureæ*, *fuſcæ*, *albæ*, *nigræ*, *lividæ* ad cutim felicius emergerent. Hoc medicaminis, & externæ (prout caſus poſcit, & ægri ferunt) aptationis genus, in morbis, qui per glandulas miliares judicari volunt, & conſueſcunt, nocere, quaſi dixero, neſcium, & admirabilis emolumenti eſt. Præter ſiquidem utilitates eas omnes, quas de Balneis Conſtantinopolitanis agens tetigi, quis non videt, hiſce blandimentis, atque invitationibus vocari, trahique a centro a circumferentiam malignum humorem illum, fortaſſe a labefacta natura non ſatis expulſum, atque ſubtus communia integumenta hærentem, obſignatum, obſtructiſque poris non aptabilem, niſi totum pelliceum cribrum aptetur, diſponatur, laxetur, aperiatur, ut hinc, vel maculæ, vel parotides, vel ſudor, vel documentum Medico de naturæ ſtatu, & molimine, de liquidorum qualitatibus, de ſolidorum niſibus, de dominanti fermento pateat. Parcat idcirco Hungarica Poſſonii ſchola, ſi memorare audeo quod profuiſſet, quod hic adhiberetur, quodque ab illis illa occaſione in uſum poſitum non video: licet, quamvis indictum, aut non obſervatum, mihi tamen ſuadeam factum fuiſſe.

PEMPHINX MORBUS POSONII IN HUNGARIA GRASSATUS

RARA res eſt, quod noſtris hiſce in regionibus Pemphinx (1) videatur. Cujus eſſentia, & quidditativum eſt, ut puſtulæ fere undique in univerſa cuti extollantur, & bullas, *tumore permagno variæ magnitudinis*, agant; accedente calore, pulſu crebro, intolerabili pruritu (*quaſi urticæ urentis vim eſſent experti*), & febri malignantis naturæ, quam poſt Julium, & Auguſtum ſine pluviis anno 1688 Poſonienſes experti ſunt.

Vidi & ipſe Pemphingodes, *febres* ſcilicet *ampulloſas*, quæ nimio calore Phlyctides in ore excitabant; vidi occaſione vulnerum, fracturarum, & ceterorum morborum a violenta cauſa, aut contuſione productorum, enatas circum bullulas lucido ichore, vel aere plenas; vidi eaſdem interdum variolis, morbillis, & quibuſcumque aliis exanthematibus admixtas; vidi frequenter eſſe futuri ſphaceli prænuncia, & interdum etiam citra cognitam animalis œconomiæ labem, protuberare. Sed hanc morboſam veſtem epidemico fatali afflatu bene multis poſitam, noſtris adhuc oculis non apparuit. Illamque Deus avertat. Bullæ ſiquidem illæ nonniſi ſubcutanea humorum fermentatione, in aerem ſublimata, fieri poſſunt. Fermentatio, poſtquam humor glandulas miliares trajecit, ſuperſtitem virulentam qualitatem indicat. Quæ qualitates ſi ad cutim emergunt, in univerſo ſanguine præexiſtunt; ex quibus omnibus nonniſi pericula ominanda ſunt. (2)

PEMPHINX NUM SECANDUS

IN Hungarica illa morboſa conſtitutione non ſatis video, nec ſcio, utrum ad inciſionem illarum bullularum devenerint; ad quod ſuapte natura Chirurgi inclinant, ut aliquid agere videantur. Quodque pejus eſt, forcipem adhibent in operationibus Chirurgicis potius damnandam, eo quia villos prompte non aperit, ſed lacerando, & ſcindendo dividit. Hinc diſcerpta ferro minus acuto, minuſque apto cutis, majorem dolorem excitat, quia major divulſio. Sique hoc tormenti genus in toto ambitu eſſet reciprocandum, quiſque videt, quæ damna poſſent emergere. Ideo laudarem, ut ſuperſtantes Medici conſulerent Chirurgos, ut in adminiſtrandis operationibus fere ſemper, ſi fieri poteſt, uterentur lanceola, aut cultello acutiſſimo, lapide molari, necnon oleari cote ad aptitudinem redactis, ne operationis actu ſerram miniſter debeat reciprocare.

Evaneſcente poſt ſectionem aere, adhuc remanet excoriata caro, quæ par negotium faceſſit, adhucque appoſitionem alkalici balſamici unguinis poſcit, cum timore, ne ob pravorum humorum accurſum, adhuc tamen nova pellis non efformetur. Hoc in anfractu quouſque bulloſæ veſiculæ naturalem cutis colorem repræſentant, aut rubicundæ tantummodo ſunt, vel denique variolis intermixtæ, non adeo facili negotio ad ſectiones devenirem. Quando vero albæ ſunt, lividæ, aut nigræ, & cutaneam corruptionem, vel ſphacelos minantur, aut repræſentant, opportunius ducerem, eaſdem aperire, & aeri locum quærenti exitum promovere aptatis emplaſtris, & fomentis, ut ſolida in ſuo calore conſerventur.

SEM-

(1) Eundem fere Morbum etiam apud Polonos memoratum video ab Erndtelio Archiatro. In Relatione Spetialis Morbi, pag. 227.

(2) Idem Morbus Bernæ in Helvetia viſus eſt. Cujus in Actis Lipſienſibus anni 1682 menſis Novembris fit mentio.

SEMPRONIUM

NULLUM utilius argumentum penſitare Medicus poteſt, ut de præſentibus, & poſteris bene mereatur, quam illud ſcribendi de epidemicis Morborum conſtitutionibus, quas in ſua regione quiſque vidit, quibuſque coactus interfuit. Præter multas rationes, quæ in promptu ſtant, colligi optime hoc poteſt, ex eo quia id nunquam fecit gregarius homo, & Medici vulgares, ſed Proceres, atque in arte noſtra Antiſtites. Poſt Chοum nempe, Medicinæ principem, Ballonius, Sydenhamus, Paulus Valcarengus in Ticinenſi Univerſitate Profeſſor, Comes Carolus Richa Taurinenſis, Andreas Loevvius, qui, quia ad rem noſtram, fuſe, & docte ſcripſit de multorum annorum Hungariæ Hiſtoria epidemica, quo tempore multiplices morbi, diverſiſque ſymptomatibus ſtipati, ſævierunt, ex quibus Hungarica medendi methodus plurimum ſubolet, ſic non abs re duximus noſtrum inſtitutum ſequi, & libero animo aliqua laudanda, vel reprobanda, aut ſaltem argumentum illuſtrantia excerpere, & diſtinctis capitibus explicare.

FEBRES PETECHIALES HUNGARIÆ

POST hyemem algidiſſimam 1697, in qua pectoris morbi *catarrhi*, *corryzæ*, gravedines, tuſſes *vehementiores*, ſucceſſerunt tempore æſtatis nimis fervidæ *efferationes bilioſæ*, deinde febres petechiales, in quibus

DELIRIA SEXTO DIE UTILIA

ALIBI etiam dixi rationem. Hoc eſt, quia prodeſt, ut cito materia in venis turgens erumpat, neque lateat ad naturæ damnum, atque ad minus Medici lumen. Nil enim aliud eſt delirium primis illis diebus, quam illamet peticularum materies, quæ vigore naturæ ad cutim, forſanque ad gulæ emunctorium propellitur. Verum quia illo anfractu, & tumultu omnia vitioſe exequuntur, per conſequens arteriæ carotides intra cranium materiam fermenteſcentem una cum ſanguine exportant, quæ glandulis cerebri corticalibus impreſſa, nec bene diſtributa, ipſi reti mirabili, ipſi glandulæ pineali non parcit, hinc ſpecies mutatæ, hinc nervi convulſi, hinc ſpirituum tumultus, ex quo delirium.

DELIRIA II DIE NOXIA

HOC eſt quo magis ſero morboſum hoc phænomenon verificabatur, eo magis pernicioſi erat ominis; non quia delirium id efficeret, ſed quia ſerotinum delirium; ut mox de Poſonienſibus Hungaricis febribus loquebamur, oſtendebat, diu magis morbum latuiſſe, intus radices egiſſe, tuncque exaltatum noſci, quando materia magis turget, & quando ipſa ſolida tacta ſunt, minorque in ipſis energia reſiſtit ad noxios humores exprimendos.

PUERI, ET JUVENES MAGIS IN PERICULO POSITI

SUPRADICTAM ſolidorum læſionem oſtendidit junioris ætatis ad laborandum proclivitas, ubi ſolida magis molliora ſunt, atque ad pareſim prona. Quod in bene multis aliis conſtitutionibus auctores notant. Reliquæ epidemicæ Hungariæ inferioris conſtitutiones proſtant ab Operibus celeberrimi Sempronianì Viri Joannis Adami Gengelii.

EX HUNGARICO FEBRIBUS MEDENDI MODO EXCERPENDA

ABSTINENDUM A PURGANTIBUS IN FEBRIBUS PETECHIALIBUS EPIDEMICIS

QUOD alibi factum motitavimus, etiam in conſtitutione Sempronienſi iteratum gratulamur. Quippe ſolum *ſub initium quartæ ſeptimanæ, dedi lavativum*. Hoc volui, ne lateret, ut Tyrones diſcant, & Italicis documentis etiam Hungaricum addant: nec illico ad ægrotum vocati, ſolum de cathartico cogitent, & præcipue in morbis epidemicis, in quibus majus infortunium illorum eſt, qui primi ægrotant, quia tunc fere ſemper in principio venenum eſt activius; nec adhuc noſcere potuerunt Medici, cui cribro malignus humor magis aptetur. De cetero, quando cutis in morbis acutis quomodocumque commaculata, tunc ſemper lento pede ad purgantia debemus accedere. (1)

ICTERUS

HUNGARICA methodus curandi icterum menſe Junio, & Julio ſequenda eſt, nempe aperientibus ſalibus ex pul. hepat. tart. vitriol., ſal. cichor, acetoſellæ, additis granis aliquot diagrydii, perfecto dein opere aquis acidulis, & Croaticis, quas in Hungariæ regno adhibent: nos poſſumus ſubſtituere Darfii Bogiarianas in Valle Camunorum.

ICTERUS SI FEBRI SUPERVENIT, UTILIS

NOTAT Loevvius in ſubſequenti conſtitutione 1703 *prodeſſe icterum ſi poſt febrem oritur*. Cujus rei nos ipſi teſtimonium vidimus elapſis

nuper

(1) Quicumque a purgantibus, credentes, vitium hærere in ventriculo, curam inceperunt ad unum omnes deceſſerunt, & maculæ obſervatæ ſunt longe majores, ac latiores. Ibidem.

nuper diebus (ſcribo 12 Decembris 1743) in egregio Adoleſcente Veneto decem annorum Patricio, Brixiani Nobilium Collegii, apud Patres e Societate Jeſu, Convictore, Friderico Foſcari, qui febri acuta verminoſa laborans, die morbi trigeſima cum amplo totius abdominis tumore in icterum cecidit, totaque cutis flavo colore commaculata eſt, ſecedentibus croceis urinis, & cinericeis albidiuſculis fæcibus. Accitis propterea in conſultationem doctiſſimis Profeſſoribus Suardo de Suardis Collega noſtro, & Collegii Nobilium Medicorum emerito Priore, necnon Joanne Franciſco Guadaneo, ſtatutum quidem fuit, ſecandam eſſe venam manus ſiniſtræ ad minuendum proximæ inflammationis timorem, ab amplo, duro, turgidoque abdomine minitatum; ſed ſubinde feriandum eſſe, ſolumque diluentibus, incidentibus, atque hepaticis vegetabilibus adjuvandum eſſe naturæ motum. Quibus addita pacativa emulſione nocturnis horis ſumpta, necnon aliquot cochlearibus ſucci amygdalarum dulcium in jure parvæ pullæ, intermiſſis clyſteribus, & nonnullis paregoricis, nobilis Æger priſtinæ ſaluti integræ reſtitutus eſt.

HÆMOPHTOICORUM CURATIO

His ſubvenimus venæ ſectione, adſtringentibus, hæmatite, ocul. c. trociſc. de ſpodio, de carabe, addito laudano in refracta doſi: deinde pectoralibus; gelatinis, & decoctis alchymill. ſcabios, pyrol. ſanicul. milleſ. tuſſill. pulmonariæ, hæderæ terreſt. rad. tormentill., ſem. aniſ. fænicul. rad. chin. &c.

Hæc omnia a nobis etiam confirmantur. Nec diſplicet illud, in exigua doſi, laudani additamentum. Quandoquidem univerſum ſpirituum animalium ſyſtema pacandum eſt, ex quorum irrequieto niſu ſanguis ad thoracem urgetur, & quodammodo juvamus, ſine timore detentum, ſolis remediis adſtringentibus ſanguinem noxiora alia mala efficere. Illo igitur Tyrones inſtent, & alia duo primaria addant: nempe univerſam ſanguinis maſſam nutrire, incraſſare, & homogeneis humoris particulis ditare curent, atque humorum motum ad imas partes alliciant.

Quia vero reſpirantia organa laborant, ad quorum contactum illico penetrat ſolus aer, videant ſi medicatus opportunus eſse poſset. Circa quod practicum lumen in Hiſtoriis noſtris Morborum fuſius exhibetur.

OBSTRUCTIONES ABDOMINIS

Methodo Hungaricæ curandi obſtructiones, ipſe quoque aſtipulor, martialibus nempe, ſed id animadvertere debent, hoc ſub cœlo, ut prius febris penitus extincta ſit.

DIURETICA IN OBSTRUCTIONIBUS

Diuretica in his caſibus alias omnem abſolvere videntur paginam. Oh utilem doctrinam! ob quam ſignanter exclamo, ut magis in corde Philiatrorum inſculpta remaneat. Ad viſcerum emphraxes reſerandas, poſt ea omnia, quæ in hunc uſum ſpecifica praxis adhibet, nullum aliud in corpore animato agens & rationi, & indicationibus ſatisfacere poteſt, quam diureticum; de quo verba hic fecimus etiam, quia quamvis ab auctoribus tactum, non ita tamen frequenter apud Practicos uſuvenit.

Duæ autem ſunt rationes præcipuæ, quæ mihi in hac propoſitione promovenda, amplectenda, confirmanda vim faciunt. Prima: quia poteſt revera dici, Medicum remedia (de ceteris oh quomodo claudicamus?) diuretica poſſidere (1), quæ per illam determinatam viam tranſeant. Quæ via, quia in venas emulgentes deſinit, quia non longe a viſceribus naturalibus excurrit, & poſt unum emiſſarium excretorium ex præcipuis eſt, mucus, ſaburra, & tartareum embamma tranſire poteſt, & perpetua nunquam ceſsanti ſeparatione hæc eveniunt, ſine languore, ſine virium proſtratione, quæ, inquam, via pro exitu obſtruentis amurcæ admodum opportuna eſse poterit.

Secunda: quia diſsolventem, attenuantem, inciſivam, liquefacientem vim habent. Quæ omnia apprime opportuna ſunt, ut tollantur obſtructiones, quæ præter convulſionem, aut vaſorum ſtrangulatum fere ſemper pendent a viſcido glutinoſo valvulas, utriculos, fibras, glandulas, arteriarum cum venis inoſculationes, infarciente; ad cujus annihilationem, imminutionem, & motum nihil magis conſpirare poteſt, quam qualitas in diureticis expoſita. Ex quibus omnibus patet, Hungaricum uſum eſse ſummopere laudandum.

SECTIO VENÆ IN ALIQUIBUS CONSTITUTIONIBUS, CATHARTICIS, ET VOMITORIIS UTILIOR

Non admiror in Semproníenſi conſtitutione anni 1704 ſectionem venæ magis utiliter ceſſiſse, quam reliqua pharmaca. Illius regionis, & urbis eventus, & perpeſsa accidentia ſatis loquuntur; dum ſi poſt obſidionem ab Hungaris diu per novem ſeptimanas latam Cæſareis militibus; a frigore, & labore defatigatis, & eſurientibus *vini copia* diſtributa eſt, per conſequens non magna ſedimina in primis viis coacervata ſunt, quæ pharmacum indigitarent; ſed a mero recta per meſentericos in cruorem tranſeunte univerſalis plethora producta, quæ ſolo venæ ictu tolli feliciter poterat.

Venæ ſectiones prima aut altera die inſtitutæ, valde profuerunt; ſerotinæ omnes nocuerunt. Oh aurea

(1) De Aſparagis, rhabarbaro, cantharidibus, non eſt ut dubitemus.

rea verba. Diſcamus quæſo a docto Hungaro, & acciti ad ægrotos ſtatim de ſanguinis miſſione cogitemus. Tunc vires conſiſtunt, nec natura adhuc criſes molitur, quæ deturbari a venæ ictu queant.

MEDICAMENTA SPIRITUOSA

V*Olatilia, bezoartica fortiora, calida magis obfuiſſe, quam profuiſſe; jam a longo tempore in his calidis oris expertus ſum.* Semper ſuſpecta; ſed præſertim quando febris adeſt, cujus eſſentia, & pabulum eſt ipſe calor. In hoc conſentiunt fere omnes Scriptores, quibus ſanum eſt ſinciput; & præſertim quando agitur de morbis acutis, quando materia turget, nec judicium de ægro adhuc explanatum eſt. Hiſce calefacientibus parum, & nos Itali addicti ſumus. Illud unum ſi excipias; nempe tantillum panis torrefacti, & vino Cyprio humectati, ut inſtaurentur ſtomachi fermenta, ſpirituſque excitatus reſurgat. Ad quod tamen accedimus, ſumma ſolum urgente neceſſitate, morboque ad felicem exitum properante.

TOKAJUM

PERILLUSTRI, ET SPECTATISSIMO

JOANNI MATOLAI DE ZOLNA

Nobili Hungariæ

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

Bononienſis inſtituti Scientiarum Academiæ Socius, & in Patria Brixiæ urbe Collegii Nobilium Medicorum Prior emeritus

S. P. D.

QUæ de Tokajenſi vino ſcripſiſti, vir præſtantiſſime, ſummopere mihi arriſerunt; hinc a ſolo hoc ſpecimine arguo quanti facienda, & quo pervenire valebit ſapientia tua. Merebatur liquor ille exquiſitus, & ſapidiſſimus, Hungaro huic tuo cœlo clementi numine conceſſus, ad hominum delicias, & palata natus, ut non ſolum a guloſis, & molliter viventibus celebraretur, ſed etiam mediis typis ad illa ora, ultra Europam ipſam, perveniret, quo doliis, cadis, vitreiſque phialis hactenus non erat datum. Sinas ergo de vultu, & neceſſitudine ignotum mediocrem Hominem tibi de hoc eventu gratulari, eodemque actu exhibere id, quod docti viri merentur, nempe obſequium, benevolentiam, & ſummam obtemperandi voluntatem, quæ occaſione mandatorum tuorum manifeſtabitur.

Hæc prima occaſio non eſt, qua in Hungaricam gentem venerabundus feror. Exactis diebus, & Loevvios, & Neuholdos, alioſque, dum Pannoniæ, & Jazygum Practicam Medicinam examini ſubjiciebam, animo, & manibus volutavi: ſique, ut mei moris eſt, ſcire cupis opinionem noſtram, & legere, & laudare unus fuit actus. Tam quippe vidi illos obſervatores in examinando, cautos in præſcribendo, & imitatores naturæ in moliendis motibus, ut Patavinorum, Florentinorumque Italorum noſtrorum in medendo methodos ante oculos mihi habere videretur. Sique aliqua intercedit diverſitas, juſtiſſima eſt, utpote pendens a climatum vario aſpectu. Idcirco majora probavi, nonnulla diſtinxi, ut ſuſcepto argumento ſatisfieret, & in cudendo opere Hungarica etiam documenta prælucerent.

Brevibus habes ſuccum ſenſuum meorum. Illicoque, ac ſciam mea officia comiter ſuſcepta, non ero tardus in illis confirmandis, & Deus te ſervet.

Brixiæ 8 Aprilis 1745.

VINORUM NECTAREA BONITAS

UVARUM excellentia, & perfectio non per Hungariam tantum, ſed per totam Europam concelebrata meretur, ut debitæ laudes intactæ non relinquantur. Quid ſit, quod id efficiat, tantumque ſaporem addat, certo ſtatui non poteſt. Sed probabiliter pendebit a terra, & ab aere. Primam *calcariæ naturæ* eſſe ſtatuit Jacobus Tollius, ideoque ad vini bonitatem multum conferre. Ad aerem vero quod ſpectat, totum opus perficitur ab Hungarica aura, qua per planitiem a ſavente etiam proximo Tibiſco fluvio adauctam vineta ſuaviter afflantur, Carpaticis inſuper montibus eaſdem auras veluti dirigentibus, & repellentibus, ut activius in pendula vegetabilia agant. Fortunatum inſuper effectum producentibus Tatrorum alpibus, quæ boreales incurſus impediunt.

TRANSYLVANIA

IN Tranſylvania, antiqui Hungarici regni parte, floret nunc doctus Medicus Joannes Antonius Millianus, qui in Biſtricienſi urbe Medicinam faciens utilitatem mercurii crudi expertus eſt, & querit per literas a Joanne Baptiſta Moreali Mutinæ degenti, num utilis eſſe poſſit in febribus peſtilentibus, quibus Hungaria ſubjecta eſt. (1)

KALI

PLANTA in Tranſylvania abunde progerminat de quo videnda Obſervatio Samuelis Slotzii Phyſici ordinarii in Cilinio.

VA-

(1) *Riſpoſta alle Obbiezioni fatte uelle Novelle Letterarie di Firenze al Siſtema delle Febbri maligne, e contagioſe di Giovanbattiſta Moreali &c.*

VALACHIA

VIRO CLARISSIMO

JOANNI NATALI GLUMAZ

Principis Valachiæ Archiatro

FRANCISCUS Co: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

COGITANTI mihi aliquid notatu dignum ſcire circa Practicos medendi ritus, qui in tota Valachia, ejuſdemque metropoli Tergoviſco, necnon provinciis eidem conterminis, puta, Bulgaria Tranſylvania, ceteriſque terræ tractibus, quam Iſter fluvius humectat, uſuveniunt, & neſcienti, cui in illis regionibus literato, & conſpicuo mea officia dirigenda forent, favorabilis ſors dedit mihi coram Reverendum Abbatem Matthæum Marini ditionis Raguſinæ, eximiis ornatum animi dotibus, qui mihi tibi Cognatum confeſſus eſt, paratumque ad tibi communicanda ſtudia, mentemque meam. Eodem igitur auſpice, animumque faciente accedo; meamque neceſſitudinem, quantulacumque ſit, exhibens opto, ut de aliqua præcipua re, in epilogum redacta, climatique iſthic tuo in uſum revocata, me moneas. Sique ſcire vis ad quem finem, ille eſt, ut ornare poſſim opus, in quo de Medicina multarum regionum agitur. Vale, & quæſo reſponſoriis literis Brixiæ Venetorum directis admone, tibi non diſplicuiſſe officia mea.

Venetiis 25 Februarii 1746.

MORBUS IN VALACHIA ENDEMIUS, ET FREQUENS

HUNGARI, Tranſylvani, ſed Valachi præſertim conqueruntur de nauſea, quam ex cibis, & potibus contraxiſſe putant. In eandem inquiſivit olim Samuel Koeleſerius *de Keres-tér*, videnſque *laſſitudine*, *oſcitatione*, *torpore*, *appetitu proſtato*, *febricula cum horripilationibus*, *turbulentis ſomnis*, *alvo adſtricta*, *doloribus gravativis*, *venarum*, *arteriarumque ſubſultibus* morbum incipere, & perſeverare, illum diſtinxit, & explicavit ſub nomine *Scorbuti mediterranei*, validis frixionibus cum vini ſpiritu, acetoque alliato, & piperato curandi.

MEDICINA HUNGARICA

TOTA quanta eſt, proſtare videtur in Opere Tobiæ Coberi in Decade prima, ſecunda, tertia, & reliquis ſuarum *Obſervationum Caſtrenſium*, *& Hungaricarum*.

Ad integram vero Medicinæ Hungaricæ ſcientiam videnda ſunt Opera celeberrimorum Luberti Erbenii Protomedici Exercituum Cæſaræorum, Martini Enrici de Frankenſtein Eperienſis, Martini Chriſtophori Metzger Viennenſis quidem, ſed Poſonii Medici celeberrimi, Samuelis Spilenbergeri urbis Leutſchovienſis Practici: denique Matthæi Held Medici olim Principum Ragozi.

ITA-

ITALIÆ

CLIMA, EXTENSIO, FLUMINA, CONFINIA, FERTILITAS, FELICITAS, ATQUE IN MEDICAS DISCIPLINAS PROMERITA.

ITALIA, clariſſima Europæ pars, in ejuſque meridionali medio ſita, ab Auguſta Prætoria in longitudine uſque ad Herculeum Promontorium extenſa, & a Populonio ad Pontem Fellæ, in Carynthia ſex milliaribus Germanicis ultra Utinum lata, Alpibus (1) Maribuſque Adriatico, Jonio, Siculo, Auſonio, Tyrrheno, & Liguſtico circumdatur. Orthodoxæ religionis cultum, Summi Pontificis præſentiam, imperantium, & regnantium Dominorum, Ducum, atque Principum juſtiſſimam clementiam, purpurati Senatus in urbe Roma Cardinalitiam ſedem, nobilitatem locorum omnium, populorum mores honeſtiſſimos, ſaluberrimam aeris temperiem a 37 gradibus latitudinis ſeptentrionalis ad 46 commenſuratam, fluminum (2) amnium, lacuum, fontiumque, medicatorum etiam, ubertatem, maritimos tutoſque portus, necnon adjutos tot ſylvis, mineris, commercio, divitiis, & fertilibus campis hominum uſus memorare, eſſet felicitates jam notas regerere; cum timore etiam, ne ab Italo de Italia dicta ab amoris crimine proficiſcentia quis credere poſſit. Felicitates, inquam, notas, atque adeo veras, & faventibus Superis, terræ poſitu, pluribuſque adminiculis, & circumſtantiis ad beatitatem uſque conſpirantibus ita adauctas, & cumulatas, ut hæſitandum remaneat, num de iiſdem Italicæ gentes ſibi placere, & blandiri poſſint, ac debeant; quia tot bona, tantamque pulchritudinem exteri invident, invadunt, longe lateque graſſantur, bella gerunt, & fortunatæ regionis pacem, hiſce ſignanter diebus dum ſcribo, perturbare non deſinunt.

Celeberrimæ vero toto orbe Academiæ (3), & bonarum artium cultus, qui omni aevo ſemper floruit, effecit, ut undique ſurgentibus circa Anatomem, Chymicam, Matheſim, & Praxim adjumentis, atque utilibus inventis ad glorioſum apicem Italica Medicina fuerit promota, exclamantibus licet, & frementibus remotis aliquibus Literatis ultra maria, & montes, qui utiliores detectiones reperiſſe arrogabant. Hujus aſſerti teſtes, ſeu patrocinatores, mihi dum viverent amicitia conjuncti, vere viri magni, fuerunt Bartholomæus Curtius (4), & Antonius Vallisnerius, a quorum ſcriptis, & improbo labore conquiſitis in ſcientiarum latifundio doctrinis, atque utilibus in Jatricam facultatem monumentis, poſuerunt in aprico, quantum majores noſtri meruerint, & Medicum ærarium ditaverint, viamque hodiernis, & futuris artis Apollineæ amatoribus indicarunt, ut fallere, & falli neſcirent. Eadem dein veſtigia præter alios ſecutus Carolus Franciſcus Cogroſſius, olim in Patavino Archilycæo Profeſſor præſtantiſſimus, nunc apud Cremenſes Medicæ diſciplinæ perfugium, & urbanæ, atque finitimæ Praxis inclytus moderator, multa utilia circa Italicam Medicinam delibavit, etiam in ſecunda Diſſertatione, quam nobis directam produxit (5).

His ſtantibus, & undique jam prælucente priſcarum, & præſentium ſcientiarum optimo, atque elaborato apparatu, juxta leges inſtituti Operis, tranſitus faciendus erit ad excutiendas metropoles & urbes, ut in propatulo ponatur, & cunctis noſtro hoc tentamine conſtet quid Umbri, & Latini, quid Inſubres, & Cenomani, quid Salaſſi, & Ligures, quid denique in Ciſpadano, & Longobardico tractu, atque, ſi non omnibus, ſaltem multis Italicæ ocreæ locis, hac præſertim ætate uſuvenit, pro reſtauranda (cui ſi non incumbimus, oh nos miſeros!) atque in perpendiculum reſtituenda hominum vita.

(1) A Francia, Germania, & Norico.
(2) Padus, Atheſis, Arnus, Vulturnus, Tybris, Medoacus, Ollius, & alia.
(3) Hujus Operis pagina 104 memoratæ ſunt.

(4) *Notizie Iſtoriche intorno a Medici Scrittori Mileneſi, e principali ritrovamenti fatti in Medicina dagl'Italiani.*
(5) *Saggi della Medicina Italiana diviſi in due Diſſertazioni epiſtolari. In Padova, per Giambattiſta Conzatti.*

ARIMINUM

EJUSDEMQUE IN NONNULLIS MORBIS MEDICINA.

Doctiſſimo viro, & in Senenſi urbe publico Anatomes Profeſſori, Joanni Planco debemus notitiam nonnullorum morborum, & remediorum, quæ ſævire, & adhiberi conſueſcunt in Arimino, ejus patria, quæque privatis ſuis literis, ut meæ cupiditati ſatisfaceret, ad locupletandam editionem noſtram manifeſtare dignatus eſt. Ideoque nos propoſitum inſtitutum ſequentes publica eadem facimus, ut in hac quoque parte conſtet, quomodo inter ſporadicos inibi morbos, exteroſque fortaſſe ab Adriatico mari advectos ſe gerat Ariminenſis Medicina.

MALIGNÆ FEBRES RARÆ

Fortunatum idcirco ſolum illud declamare debeo, ſi febres, quas malignas dicunt, raro dominentur; dum illæ ſunt frequentiores falces, quibus libitina vitas hominum truncat, & de quibus vereor, ne Clinici optimam cognitionem ſemper deſiderare debeant.

INFLAMMATIO FREQUENS

Nec demiror, initio, & fine hyemis inflammationes præcipue pectoris deſævire: quandoquidem tempora illa ſunt, quibus atmoſphera enormiter immutatur, penetrantis aeris viribus plectitur, quia pori cutis aliquatenus patuli ſunt, nec regulari æquilibrio commenſurati, ut alternis tranſpirationis, defæcationis, & blandi ætheris ingreſſus motibus animalis machina reſtauretur. Hinc jam ſcimus, quæ ſuis aphoriſmis Medicinæ Parens autumnali tempore minitatus ſit; multoque magis quid tota Italia, ideoque probabiliter, & ipſum Ariminum tulit hoc, quo ſcribimus, ineunte anno, quando dira catarrhorum epidemia nulli pepercit.

Nec minora mala ſe nobis offerunt finiente hyeme; dum ſolidorum nexus laxatur, dum ſanguinis elementa in amplioribus vaſorum diametris luxuriant, & dum fluida ab immutatis, ob violentam, & multiformem regnantium ventorum, & aeris energiam, qualitatibus agitantur. Quorum omnium præſentia, & vigore ſecundum temperamentorum diſpoſitiones, ſuas vires exerente, morbi populares inflammatorii enaſcuntur. Quod autem in Ariminenſi ſolo, & circa pectus ſæviant, ſanguiniſque miſſione curentur, utrumque conſonum rationi eſt. Aeris quippe alterationes, nullibi magis ſuæ virulentiæ damna inferunt, quam in ſpiritali viſcere ob facilem, media trachea, acceſſum, ob faciliorem, media loborum pulmonalium laxitate decubitum. Hinc aſthmata, pleuritides, & hujuſce generis alia, ſolis venæ ſectionibus, ſi a ſanguine, curabilia.

FLUXIONES, RHEUMATISMI

Ventosis pariter Adriatici maris incurſibus, & noxii præcipue auſtri, mox in adverſum cardinalem boream tranſmutati, viribus, quibus littora, portus, & magnificæ urbis (1) ædes, a tempore uſque Ptolemæi, & P. Sempronio, & Appio Claudio Coll. inſtructæ, percutiuntur, adſcribenda eſt illa ad fluxiones, atque rheumatiſmos proclivitas, quam Ariminenſes experiuntur; quia videmus ſemper hos morbos ab aere excitatos, & pediſſequos, ita ut ipſa claudicet ars Medica, niſi favorabilis ſuperior planetarum dominantium conſtitutio primitivam tollat cauſam morbi. Ideo inter cetera præcipua ars ſita erit in moderando cubiculi aere, atque atmoſphera taliter arte dirigenda (2), ut vis dominantis elementi deludatur; alioquin eodem perſeveranter agente, & medicando Ægro inclementiæ aeris in viis, in plateis expoſito, non tam felices in Ariminenſi ſolo curationes reſpondere poterunt Ægri, & Clinici deſiderio.

MARINI AERIS UTILITATES

At vero, ut vera fatear, id etiam unum habent utilitatis regiones illæ, quæ mari expoſitæ ſunt, ut eteſias, & provinciales interdum noxios, ut terræ halitus, & corruptos vapores a viis non deterſis, & cloacis expirantes, qui in humanam perniciem graſſantur, utiliter a marinis afflatibus diſſipentur, ſicque ab inſtabili elemento, & damna, & bona expectanda ſint (3).

MORBI IN SOLIDIS

Quod autem expertiſſimus vir in cadaverum ſectione, poſt latas in vita præcipue pectoris hydropes, organica ſolidorum vitia intra præcordia, necnon aneuryſmaticas productiones intra aortam frequenter repererit, non ſolum non admiror, ſed vereor, ne etiam alibi, & longe ab Arimino, æqualis morbi ſoboles frequenter in hominibus, in cadaveribus lateat, quamque terra tegat. In obſervationibus quippe noſtris ad humani corporis anatomen pertinentibus, quas ſtudendi gratia in prima adoleſcentia fecimus, tunc uſque

(1) Olim Galliæ Senonenſis caput. Dein Romanis, Gothis, Maleteſtis, tandemque nunc Pontifici Romano ſubdita.

(2) De quo optime locutus eſt recenti opere Savult Medicus Gallus, qui n. XVII Capite de Gallia videri poteſt.

(3) Venti omnis generis purgant aerem, eumque a putredine vindicant, ut anni in quibus venti ſpirant, ſint maxime ſalubres. Senec. Qu. lib. 5. cap. 18.

uſque adnotavimus, raro ſecari cadaver, quin aliqua in aliquo viſcere mala in organis proportio reperiatur: qualiſcunque ea fuerit, originaria ab utero, vel adventitia, a tot morborum agmine, qui in nos derivati graſſantur. Quibus ſane ſuppoſitis, tam fragilis eſt natura noſtra, ut ſtatim non poſſit, quin ægrotet, & ego aſſuetus ſum dicere, difficile eſſe explicare hominis ſanitatem, non ægritudinem.

ARIMINENSES VENÆ SECTIONIS AMATORES

AD nos interim redeundo, in expoſitis caſibus, & præcipue in poſtremo, organico ſcilicet in finitimis vitalis primarii muſculi latibulis, venæ ſectiones, quas Ariminenſes Medici, ex relatione doctiſſimi Planci, frequentant, ſummopere laudandæ ſunt. Quando enim ſanguis qualitercumque in itinere ſuo aliquam offendit difficultatem, in internis vaſorum parietibus defixam, aut pone valvulas radicatam, aut & ſi longe, venas tamen, aut arterias majoris uſus comprimentem, tunc ſane neceſſe erit, ut ſanguis media ſyſtole a corde adveniens ſubſiſtat, ſuæque conceptæ tarditatis momenta undatim in venientem ſanguinem retropellat; ex quo cum alteratione ipſe motus cordis immutabitur. Quæ quidem mutatio vel per tarditatem, vel inæqualitatem, vel intermittentiam ad ipſum quoque pulſum perveniet; hinc vitiabitur ſyſtalticus oſcillatorius motus, hinc corruent æquilibrii momenta, & occulta in ſolidis cauſa univerſalem ægritudinem efficiet. Deuſque velit (quod hujuſce diſceptationis caput eſt; attendite Tyrones!) ne pro univerſali hac denuo enata ægritudine multæ a Clinicis ſomnientur cauſæ ab humorum quaternione deſumptæ, atque a purgandi neceſſitate derivatæ, nullo facto examine, num aliquod lateat in ſolidis vitium; dum taliter agendo, & dum corpus purgare, & ſyrupare Clinicus pertentabit, in majori periculo ægrum ſuum ponet.

In expoſito igitur morbi organici timore, qui ex pulſus rythmo, ex reſpiratione, ex cordis ſubſultu, ex ſpiritalium ataxia, ex morbi perſeverantia, ex liquidorum naturalium homogenea puritate poterit dignoſci, uſus Ariminenſium Medicorum ſequendus & alibi eſt: at, quid dixero ſequendus, ſi eundem omnes Medicinæ primarii Antiſtites ſuadent, ipſaque ratio poſcit? Quomodocumque impedita, aut perturbata via ſanguinis eſt, cum minori ſanguine vita magis in tuto erit; paucus quippe ſanguis etiam per aliquatenus impedita, & infarcta foramina tranſibit, multus non poteſt. Sique aliquod de meo in hoc anfractu poſſum addere, illud eſt, ut paulatim dematur.

CANCRI, SCROPHULÆ, HÆMOPTOE MORBI FREQUENTES

MEMORAT inſuper canceroſos in mammis præcipue mulierum tumores, necnon ſcrophuloſas habitudines, de quibus rationem, quæ quadret, reddere difficillimum nimis eſt. Horum cauſa tam violenta, & pertinax, tam minima, & inviſibilis eſt, ut turpi, & philoſophis indigno vocabulo, inter ignotas adhuc indigitetur, ſique de iis quidditativa ratio reddi deberet, ea ſane ad Chymicos præcipue ſpectare poſſe, ego perſuaſum haberem, ad eos nempe, qui igne, experimentis, & miſcellis humana liquida tentaverint. Sal quippe internum peculiaris energiæ, & figuræ, illud eſt, quod ſolida dureſacit, fibras exſiccat, & vivos tubos nodoſos reddit, hac tamen differentia, quod tumores canceroſos in infantibus nunquam vidimus, ſcrophuloſas vero concretiones aliquando. Quæ quidem ſcrophuloſæ particulæ ſi in infantibus circa juncturas uniantur, oſſium læſiones, & ſpinam ventoſam conſtituunt. Quare ſemper Tyronibus ſuadebo, ut illis in caſibus lac, thermas, balnea in uſum ponant, a quibus *liquefactio*, *emollitio*, *elutio*, *concoctio*.

Ab eademmet cauſa, anguloſa ſcilicet ſalium aſperitate, deſumendæ ſunt ſanguinis cum tuſſi expuitiones, ſpiritalis viſceris vitio productæ, in quibus dempta prius, reſignata vena, cruoris plenitudine, ut moderentur impetus in partem affectam, ſi totum artis conamen eo dirigunt Ariminenſes Medici, ut pulveribus alkalicis, nutrientibus, utque juſculis incraſſantibus acutum invaginent, & obtundant, ſiccum vero, & iners humectent, & erigant, profecto ne hilum quidem diſtant a praxi, quæ in Brixiana etiam urbe uſuvenit.

BERGOMUM

ANDREAS PASTA

FRANCISCO RONCALLO PAROLINO COMITI

S. P. D.

DIfficiliorem ne putas medendi artem, an miſerius medentium genus? Quis locus cuipiam tutus, ſi ne rus quidem? Eo enim me, quo a morbo convaliturus diſceſſeram, ægrotantes revocarunt; meque ſpes valetudinis fefellit, quum maxime blandiebatur. Quam tamen ægritudinem ruris otia auferre non poterant, potuit epiſtola tua humaniſſime ſcripta, qua ita me levatum eſſe ſentio, ut, ſi tibi reſcribere recuſarem, ingrati crimen animi ſubire non extimeſcerem.

De brevi epiſtola, quam abs me petis, tibi ultro aſſentior; nec longiorem quidem exarare poſſem, ſi velles. Nam fuſius ſcribentem me vires deſerunt attritæ morbo: ſubtiliter autem, atque eleganter ſcribere nequeo propter ingenii tenuitatem. Methodum quæris Bergomatum Medicorum? Id plane portenti ſimile; tot namque ſunt medendi methodi, quot medentes. Quæ tamen uſu, conſilioque explorata ſunt, quæque fere quiſque ſequitur, brevibus exponam.

Ac primum parciores factos eſſe Medicos in humano ſanguine fundendo ſcias Deorum immortalium munere. Ut enim ante, nec uſpiam morbus, nec morbi ſtatus ferme fuerat, in quo niſi ad tollendam vaſorum plenitudinem, ad curſum certe ſanguinis adaugendum hoc præſidio non uterentur; ingraveſcentibuſque acutis morbis quotidie, ſinguliſque fere horis, quouſque morbi remitterent, aut ægrotantis morte finirentur; ſic poſtquam ars majori diſciplinarum mechanicarum ſtudio agitari cœpit, hoc inſigni artis præſidio uti didicerunt, noveruntque fluidorum motus, atque inde ortas concoctiones omnes, ſalutareſque adeo morborum criſes in ipſo ſolidorum robore ſitas eſſe, eoque everſo nulla amplius ſpes ſupereſt ſanandi ægri, maximeque calamitoſum, atque exitiale in acutorum morborum ſtatu non quieſcere, quum maxime quieſcendum, nedum imminente criſi, cui labores præire, atque ſæpiſſime comitari conſueverunt.

Porro vix invenies, qui in acutorum principio medicamenta propinet alvum ducentia, niſi ægrotantibus ipſis humores minime hærentes turgentiæ ſenſum inferant, medicamentum, quod alvum moveat, exoptantibus. Quid quod ſolidorum convelluntur vires effuſo ſine modo ſanguine, nequaquam vero irritantibus alvumque cientibus remediis, quum non oportet, ægrotanti præſcriptis? Ideoque experientiſſimus Martianus primus ὀργᾶν ſcitiſſime interpretatus, purgandi leges in acutis luculenter expoſuit magno ægrotantium commodo (1).

Aquarum mineralium uſum priſtino nitori reſtitutum miramur, quod nemo unus hodie ſit, qui putet vaſa corporis metallicis particulis citius obſtrui, quam reſerari, perinde quaſi per vaſa defluerent ex aere confecta, non eadem ipſa ſenſu motuque prædita, quorum utrumque, ſiquidem opus fuerit, adjuvant minerales particulæ ad circulationem promovendam humorum. Mirarique ſubeſt, quod, cum tot viderint ægros harum ope ad ſanitatem perductos, fuerint olim, qui naturæ ægrotantium beneficium adſcribentes, iis nihilo minus ſuccenſere non deſierint.

Emplaſtrum cantharidum, quod multis fuiſſe ſaluti plerique teſtantur acutis in febribus, cœlum noſtrum averſatur. Quod non in his quicquam attuliſſe auxilii, ſed ne pleuritide quidem laborantibus conſtet; in quibus ſuppreſſum ſputum, hoc admoto, reſtitui obſervarat Baglivius (2); *quin imo in pleriſque tuſſim, doloremque exaſperari ſolitum, eo quod ſal cantharidum intenta, inflammataque pulmonum ſolida magis magiſque irritet, atque convellat. Contra in rheumaticis capitis, aurium, oculorum, pectoriſque paſſionibus idem haud raro prodeſſe, memini, eo fortaſſe quia craſſos humores attenuet. Pulvis namque cantharidum ſanguini inſperſus noviſſime effuſo, ac potiſſimum ſero ſanguinis fermentationem veluti quandam excitat, fluiditatemque ſubinde impertitur majorem, ſervato ſeri colore, ſanguiniſque. Albæ inſuper cruſtæ ſanguinis coacti fruſtula ſcrupulos ſex pendentia, dura, carnoſaque in aqua macerata, cujus pondus erat unciarum ſex, eique adjiciebantur emplaſtri cantharidum pars octava, interdum poſtridie, interdum duos poſt dies ſic laxabantur, ut nullo negotio tanquam gypſum molle digitis contererentur.*

Mercurialibus remediis, quibus adverſus cutis vitia majora eſſe quæ poſſunt? neque ore aſſumptis, neque extrinſecus adhibitis impetigine vetuſtiori primæ, alteriuſque ſpeciei a Celſo propoſitæ (3) *laborantibus ita ſuccurri, memini, ut vitia penitus delerentur, aut deinceps non reverterentur, fatigatis licet ægris longa ſalivatione, aliiſque inſuper poſt ſalivationem exſueto per deſudationem humore in laconico: ſecus vero bis, terque iiſdem in morbis obſervavi, non prodeſſe modo, ſed omne cutis vitium radicitus evellere perſicariæ maculatæ ſuccum; qui in oſſium quoque carie optimum auxilium eſſe deprehenderam, cui tertia pars limonum ſucci adjiciatur, mane diutius jejuno ſtomacho ebibitum pondere unciarum trium, quatuorve.*

Illud etiam noſtra in regione mirari non deſino, hydropicos e montibus, quorum ſeptentrionalis, & orientalis eſt poſitus, ad urbem delatos vix unquam curationem recipere; & ſi quando recipiunt, id remediis urinam moventibus perfici, nunquam ferme iis, quibus alvus ducitur: contra vero eorum aquas diſcuti, morbumque omnem ſæpe ſolvi, qui in agri Bergomenſis in planiciem protenſi finibus meridionalibus id vitii contraxerant, morbo nondum confirmato, utique ſi elaterio alvus, aut alio quovis forti pharmaco cieatur.

Puteus eſt apud nos Treſcurianus decem millia paſſuum ab urbe diſtans, Cherioque fluvio imminens, ex quo aquæ ſale, alumine, ſulphureque potiſſimum refertæ hauriuntur pro potu, lutumque pro illutationibus. Aquarum virtutem deſcripſit Baccius, ut noſti, ex Zimala Bergomenſi (4). *Illud ego addam Treſcuriana iſthæc balnea, ſeu ad contracta membra extendenda, ſeu ad amiſſum motum revocandum auxilium eſſe ex remediorum omni genere præſtantiſſimum. Inter optima ſigna erit, ſi quum deſidere æger in aqua cœperit, aut levis dolor,*

aut

(1) Comm. Aph. Hipp. I. 22.
(2) Prax. med. lib. I. pag. 24.
(3) De med. lib. V. cap. XXVIII. n. 17. p. 339.
(4) De Therm. lib. V. pag. 160.

aut calor, aut pruritus in afflictis partibus oriatur.

Hominem vidi rheumaticis morbis diu tentatum, & miſerrime incurvatum horum uſu balneorum protinus erigi. Aliis pleriſque, quibus hujuſmodi morbi manus, pedeſque rectos intenderant, immobileſque, flecti membra, ac relaxari. Proximeque præterito menſe præsbyterum quendam tuto poſt balnea incedere, miſſam celebrare, pedibuſque munia conſueta obire, qui ante ſine ferulis pedibus inſiſtere nequiverat. Eodemque tempore inclitum Ducem, ſtrenuumque militem dexteræ manus, cruriſque ſiniſtri immobilitate ex inflictis in prælio vulneribus, ſeptem quidem in brachio dextero cum oſſis fractura, uno ſuper inguina laborantem, nunc pedibus iter longum peragere, manum capiti admovere, epiſtolas exarare ope balneorum. Attamen ei manus ante balneum inſigni oedemate afficiebatur, ſiniſtrumque crus durum, & rigidum omni ſenſu, motuque carebat.

At quorſum hæc, inquies? Pudet me hercule ineptiarum mearum, niſi & ea fuerit, quam tibi amplius reticere non poſſum. Scio, te non latere morbum bronchocelem græce, latine gutturis herniam, apud nonnullos gotium appellatum apud nos eſſe frequentiſſimum. Fere enim in ſingulis pagis major eſt numerus gutturonum, quemadmodum Scaliger nominat hoc morbo affectos (1), quam hominum hoc vitio carentium. Inque iis præſertim cernitur, qui ad ripas Serii fluvii ſiti ſunt. Mirabere tamen ſi ſcires, pagi Arſenenſis incolas, neque hodie huic morbo, neque poſt hominum memoriam fuiſſe obnoxios. Eoque magis mirabere, hujuſmodi morbum hujus pagi incolatu per initia depelli. Plus mille, & centum incolas pagus hic continet. Poſitio eſt in meridionali agri Bergomenſis planicie, non plus decem millia paſſuum a civitate inter Serium, Bremhumque fluvios. Quo partim aquæ Serii derivantur, partim ibi exiliunt limpidæ nullo ſapore, odoreque præditæ. Hujus rei cauſſam ignorare me fateor; hocque naturæ arcanum in infinito numero eorum, quæ non intelligo, libenter repono.

Verum quandoquidem de hernia gutturis ſermo incidit, familiari adeo, uti dictum eſt, morbo apud Bergomates, liceat mihi hanc materiam paulo fuſius perſequi, ac nolles. Cives longe minus hoc morbo corripi, quam ruſticos, atque inter illos longe minus viros, quam mulieres, palam eſt. His enim ob vomendi conatus, dum utero gerunt, & pariendi labores ſæpe gula diſtrabitur. Quamobrem oportet, ſuccum in glandula thyroidea ſecretum, quæ potiſſimum eſt tumores gulæ ſedes, dum ſpiritus inflata retinetur trachea exitum non habere, neque ſanguinem ex (2) copioſis arteriis in venas continenter fluere, glandulam muſculis, qui a ſterno in os hyoide, thyroidemque cartilaginem protenduntur, comprimentibus, necnon ſupernis (3) coracohyodum ventribus. Hinc vaſa glandulæ ſubſiſtentibus impleri humoribus, attollique neceſſe eſt, tumoremque ſequi; cui quidem, ſi protinus non occurratur, aut nunquam, aut certe non ſine magna mole diſcutitur. Fuere, quibus Chirurgi manus auxilio fuit, ſeu ferro reciſo, ſeu conſtricto tumore vinculo, qui gulæ laxe adhærendo pyri dependentis imaginem referret. Quidam inflammato, auctoque tumore non ſine vehementi febre ſtrangulati periere. Aliorum tumor evanuit, ſuppuratione ſponte facta, exituque malæ, corruptæque materiæ. Alios diutiſſime vexatos mala tandem ſuppuratio mortis cauſſam attulit. Ceterum incipientem ſuppurationem, utique ſi bona fuerit, concoquentibus, & digerentibus cataplaſmatibus eſt adjuvanda; efficiendumque, ut plaga, ſeu candenti ferramento, ſeu ſcalpello inflicta, aut ſponte oborta ad pus evocandum diutius pateat, ne ſcilicet, ut ſæpe uſuvenit, pars tumoris abſumatur, reliquumque magis indureſcet in dies. Si quiſpiam namque eſt in corpore locus, ubi tumorum velamenta, ſeu tunicæ cartilagineam, oſſeamque naturam induant, hic profecto eſt, in quo tunicarum fibræ cum propter motum oeſophagi inter deglutiendum, tum propter arteriarum carotidum ictus uſque coarctantur.

Attamen morbo, qui & cultum ſui homini eripere, & vocem lædere, & mentem hebetare, & reſpirandi difficultatem facere, atque interdum etiam enecare ſolet, pauci ſunt, qui medicamentis medelam quærant, id maxime caventes, ne diſcuſſo tumore, inclinataque in pulmones materia longe gravioribus morbis corripiantur. Verum etſi minime negaverim equidem, interdum accidere, ut poſt ſolutum, ſeu importuna curatione, ſeu remediorum nimium adſtringentium uſu tumorem, alii tuſſi, alii difficili ſpiritu vexari cœperint; non ideo tamen abhorrere æger aliis remediis debet tempore opportuno adhibendis, ratione probatis, uſuque. Ut enim recta curatio inſtituatur, primum fieri debet per initia tumoris: verum namque auxilium, poſtquam humor diutius hærendo vaſa diſruperit, tenſiorque evaſerit, quam ut diſcuti, aut in orbem ſanguinis, fluidorumque ceterorum ferri queat, ſupervacuumque eſt. Deinde non erunt uſurpanda remedia, niſi poſt miſſum ſanguinem, & ſolutam alvum purgantibus, quoties opus fuerit ad humorum copiam imminuendam, adhibita cautione, ne ſcilicet quantum de corpore his præſidiis detrahimus, tantundem liberaliori victus ratione ingeramus.

Porro & eorum quoque curationem vereri oportet, qui parentes, aut fratres phthiſicos habuerint, quos

(1) De ſubtil. exercit. XL. 2. pag. 216.
(2) VVharton. adenograph. cap. XVIII. p. III.
(3) Morgag. adverſ. anat. I. pag. 35.

quos diu tuſſis exercet, qui ſpiritum trahunt difficilem, quibus pectus eſt arctum, ſcapulaeque alarum modo eminentes. Quippe ſi quis aut reprimentibus ad materiam alio avertendam, aut diſcutientibus, & diſſipantibus remediis utetur, valde metus erit, ne interiores partes pectoris ſubinde lædantur. Quocirca auctum morbum ſinere omnino expedit, aut adhibenda remedia, quæ tumori ſimul, pectorique proſpiciunt.

Spongiæ marinæ devoratum pulverem auxilii adverſus hunc morbum, vel plurimum afferre, conſtat. Fere enim alii ſpongiæ vires acuere ſolent alumine ſciſſili, alii pila marina, ericii corio, ſoleiſque calceorum torrefactis; alii gallis, ſpongia cynosbati, & cupreſſi nucibus. Sunt etiam, qui ſal gemmeum adjiciunt, piper, pyrethri radices, & ſemina ſinapi. Prodeſſe quoque non tam ſpongiæ (1) lapidem, quam parva oſtrea in ſpongiis latentia affirmarunt, cum propter teſtam, tum vel maxime propter intus incluſos piſciculos particulis volatilibus refertiſſimos, qui ſane nunquam comburi debent (2), ne ſcilicet nihil præter inutilem terram mortuam poſt ſe relinquant.

Verum cum horum pleraque ſpirandi difficultatem attulerint, tuſſimque, atque laterum dolores diuturnos accerſerint, ne ſoluto quidem interdum tumore; ideo equidem aliis pugnandum remediis adverſus bronchocelem cogitare cœpi, ac primum in mollioribus quidam corporibus, tumoreque gutturis incipiente, prunellæ lapide: cujus vires ad partes ſanguinis dividendas expertum legeram Leeuvvenhoekium (3) ſic, ut hujus ſalis in unciis quatuor aquæ pluviatilis diſſoluti bibat æger ſcrupulos duos, treſve; ſingulo quidem mane, ſin per ſtomachum minus licet, interpoſito; eoque curatione ad quadrageſimum diem, & amplius perveniat. Eodemque tempore levi prius perfricatione tumori adhibita, ſpongiam ei concavam, aut pannum triplex ſuperimponat, ex urina tepida, cui octava pars ejuſdem ſalis adjiciatur, expreſſum.

Alterum hujus morbi præſidium aqua marina eſt. Cujus ſi cyathum, quod quinque aut ſex aquæ uncias continet, ſingulo mane jeuno ſtomacho in dies quadraginta æger hauſerit, eademque tumorem, ut dictum modo eſt, foverit, plerumque haud multo poſt extenuatum eundem, ablatumque ex toto perſentiet. Vim marino ſali exſiccandi, detergendique ineſſe jamdudum cognovit Hippocrates (4) cum ad alvum diſſolutam humidamque ſiſtendam aquas duriſſimas, crudiſſimas, & ſubſalſas præſcripſerit: ὁπόσων δὲ μαλθακαὶ αἱ νηδύες καὶ ὑγραὶ εἰσι καὶ φλεγματώδεις, τούτοισι δὲ τὰ σκληρότατα καὶ ἀτεραμνότατα καὶ τὰ ὑφαλυκά. Animumque ad experiendum addidit nobiliſſimæ mulieris exemplum, cum hernia gutturis, & quidem hæreditaria tentaretur, hujus uſus aquæ ad ſanitatem perducta.

Egregiam quoque opem præſtitiſſe urinam hominis, quam remedium quoque eſſe ictero, hydropi, hepatis, lieniſque obſtructionibus Schroderus (5) affirmat ad herniam gutturis perſanandam, duæ me docuere mulieres ruſticæ, quæ non mediocriter eo morbo implicitæ, cum diutius ad ſuppreſſos menſes revocandos impuberis urinam pueri bibiſſent, menſium ſimul reditum, & herniæ gutturis diſceſſum mirabantur. Plus fortaſſe etiam ad id valeret urina vetus ſaltem extrinſecus impoſita, etiam ſi paucis eandem diebus, non vero ſex menſibus ſinas veteraſcere; quemadmodum fieri debere affirmat Columella (6), ut aptior ſit ſurculis humano ſtercore. Propterea quod citius in hac, quam in recenti diſſolvantur cruſtæ, albæ ſanguinis portiunculæ, uti experimentis pluribus manifeſtum eſt.

Ceterum ſi forte incidit, ut ne ſub his quidem gulæ tumor evaneſcat, utut vetuſtior minime fuerit, protinus confugiendum erit ad valentiora auxilia, cujuſmodi ſunt ſcillæ radix, & ſapo Venetus. Hoc me feliciter uti ſolere pro aſthmatis humidi curatione, forte intellexeras ex epiſtola Italice exarata anno 1744 ad doctiſſimum Rhan, opuſculiſque inſerta ſcientificis, & philologicis eruditiſſimi P. Calogera. Eo nunc haud minus proſpere tumores gulæ ſubmoveo duriores, dummodo ne inveterati nimis fuerint, in aqua fluviatili diſſoluto ſic, ut aquæ pondus ſit trium quatuorve unciarum, ſaponis vero trium quatuorve ſcrupulorum. Sin ſtomacho potus minus aptus fuerit, in bolis coactus haud invite devorabitur, huic aquam ſuberbibendo, in qua decocta ſit ſaponaria major. Tum ſpongia concava ex eodem decocto, in quo longe major ſaponis portio commixta fuerit, expreſſa contegi tumor debet ſingulis diebus, immo etiam bis die in menſem. Virtutem porro ſaponis confirmat experimentum hujuſmodi. Cruſtæ albæ ſanguinis, quæ multum firmitatis nacta fuerat, portiuncula granorum quinque macerata B. M. in aqua fluviatili, cujus pondus erat ſcrupulorum duodecim, adjectis granis duodecim ſaponis Veneti, minus viginti quatuor horarum ſpatio penitus diſſolvebatur.

Huic etiam morbo recte ſuccurritur aceto ſcillitico, maximeque ſi ſcillam ſtillatitio maceraveris, epoto ad duo coclearia, aut tria ſingulis quidem diebus in menſem, & amplius. Ex eoque expreſſum pannum triplex, aut quadruplex, tumorique leniter prius perfricato impoſitum haud parum prodeſt. Mollioribus corporibus eximet ſcilliticum, aut vinum ex ſcilla incocta, aut infuſa expreſſum ſi propinaveris, idem te conſecuturum, ſpero; non tamen ſine cautione, ne tumorum nimium inveteratorum curationem moliaris, qui niſi ſuppuratione, aut Chirurgi manu auferri non poſſunt.

Ordo nunc poſtularet, ut ad ea confirmanda, quæ ſcripta ſupra ſunt, eorum, quibus iſthæc remedia ſaluti fuere, hiſtorias attexerem; verum cum

(1) De hoc vid. C. I. Langius lect. de mat. med. p. 318.
(2) Zuvelfer. animad. in phar. Auguſt. p. 563.
(3) Epiſt. phyſiolog. xxxviii. p. 369.
(4) De aer. loc. & aquis.
(5) Pharmac. med. Chim. lib. V. pag. 288.
(6) De re ruſtic. lib. II. cap. xv. pag. 89. 6.

cum id prohibeat capitis gravitas, qua ſeptem abhinc menſibus aſſidue premor, tum tempus abs te mihi ſcribendi conſtitutum non patitur, quod ſcilicet hac ipſa, quia ſcribo, die finitur. Id unum modo addam, acetum ſcilliticum nullo etiam admoto igne cruſtam educti ſanguinis, vel maxime cohærentem ita brevi laxare, atque emollire, ut ex ea ſenſim materia ſecedat, furfuri frumenti maxime ſimilis. Tu interim vale, Garbellumque ſalvere velim jubeas plurimum.

Bergomi XVII *Kal. Octobris Ann. Æ. V.* MDCCXLVI.

MALPAGA

DOCTO JUVENI

JOSEPHO ANTONIO ALGISI

Medicæ artis Candidato

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

GRATI animi ſignificationes, quas literis tuis, nudius tertius acceptis, mihi mittere voluiſti, optime Adoleſcens, ſicuti ſunt indubia humanitatis, & virtutis, ab optimo Parente tuo, quem meo nomine peramanter ſalutabis, feliciter in te propagatæ teſtimonia; ita me, quia immerentem devinciunt, ut gratulando jam propoſuerim, etiam in poſterum tuam amicitiam colere, & omne in ævum opportunitatibus te certiorem de mea obſervantia faciendi inhiare. Quod feci, in traſmiſſione ſcilicet Hiſtoriarum mearum, parvum eſt; ſique in bilance expendendum, levidenſibus chartulis, præponderaret patientia tua, ſi legeres; multo magis, ſi, ut facturum comiter promittis, lectitares. Potiſſimum quia aliunde quærere non debes quod habes: ſi in Medica praxi clariſſimorum virorum, famigeratiſſimi ſcilicet Profeſſoris Andreæ Paſta, Patriſque tui veſtigia ſubſequeris, duorum in Bergomate cœlo fulgentiſſimorum luminum, quæ te cæcutire nunquam ſinent.

Id unum optaveram videre in epiſtola tua, ſtatum ſcilicet, hiſtoriamque morbi, quo in præſens detinetur Veneta Patricia mulier Comitiſſa Lucretia Martinengo, iſthic Malpagenſis oppidi Domina; de qua etiam heſterna die cum ſuis filiabus verba fecimus. Non quod te docere velim, ſed ut ducto lumine a præſenti ægritudine, ego quoque explicare tibi melius poſſem, quæ elapſis menſibus chronice Illuſtriſſima, atque Excellentiſſima Matrona paſſa eſt, ut hinc junctis manibus eliciendæ indicationes eſſent magis ratione conſonæ. Quamvis, ut vera fatear, Medicis præceptis quantum ſatis parere non velit. Equidem ipſe etiam multum ſpero, ſed quoniam oborta febris pravorum humorum exaltationem indicat, non abs re eſſet, dum in præſens natura, & arte ſanguinis depuratio promovetur, eodem tempore antiquis etiam ſui temperamenti præjudiciis conſulere.

Duo hic peculiaria morboſa ſymptomata noſtro examini præterita hyeme obverſata ſunt. Primum, lenta febricula, non peculiari ſtipata typo, non præeunte algore accedens, non æſtuoſa perturbatione, ſiti, linguæ ariditate, vel roſeis genis conſtituta, ſed errabunda, leviſſime interdum a paſtu aucta; ſed parum adeo, ut attentiſſima diligentia opus eſſet, ad hoc ut febris dici poſſet. Secundum, aliquando aderat pulſuum, ſed remota intermiſſio, ita ut poſt quartam, vel poſt ſeptimam ſemper ſine ordine vibrationem, una pulſatio deficeret. Quia vero faventibus ſuperis hæc evaneſcebant, judicatum eſt, a peculiari, licet modica, liquorum fermentantium, in primis viis, in meſentericis, & chylolymphicis ductibus, cum cibariis reliquiis agitatione, levem febrilem motiunculam ſuſcitari, ex quo pariter irritari, aut comprimi poſſunt nervi, aut vaſa cordis, ut hinc cruoris media ſyſtole impulſi unda, interrupto ordine commota, ſupradictum pulſuum in carpo errorem efficeret; multo magis ſi borborygmi, aut flatulenti impetus accederent, aptenati ad cordis motum ſuffocandum, aut ſaltem impediendum. Quæ vero nunc evenerint, ſatis non ſcio, ſed ſi febriles fuerunt paroxyſmi, ab iiſdemmet cauſis, fortaſſe ob cibariorum præſentium delectum, & ſanguinis in vere motum auctis, producti; cur per epicraſim non poſſet lentior amurca exterminari, infartæ fibræ aperiri, erigi, & ſucceſſive ad aliquod tempus diluta pancreatici ſucci aciditate, correcto ſulphureæ bilis æſtu, tutius æquilibrium paulatim cum exitu peccantis materiæ produci? Huic ſcopo apprime collimare poſſent ſucci depurati, & ſi lubet clarificati ex agrimonia, marrubio, cichorea, borragine, fumaria. Rhabarbarum torrefactum, & tantillo caſiæ mixtum, magneſia alba iſthic a finitimo Mediolano provecta, ſecundum circumſtantiarum varietatem, & prout caſus feret, adminiſtrata, non omiſſis interdum aliquibus toto abdomini fomentis, ut ſtaſes amoverentur, oſcillationes emollitæ reſurgerent. Soluta penitus febri, exterminatiſque infimi ventris ſaburris, ad reſtaurandas vires, ad refocillanda ſolida, tu, tuuſque eximius Pater videbitis, num ptyſana ex avena Anglica, & radice chinæ, num lac coctum, & parvum, potiuſque iteratum, num viperinum libamen, num denique chalybis tinctura in uſum verti utiliter poſſent.

Nec quæſo illico obtrudatur cantio illa: Fruſtra illud remedium alias adhibui, illud alterum meus ſtomachus non fert. Mutata ſunt tempora, morbi, temperamentum: ideo ſperandum, quod olim non profuit, nunc profuturum; nec in arte noſtra rationi conſona derelinquenda ſunt. In violentiſſimis

mis doloribus totius abdominis, quos nobiliſſima Mulier præterita hyeme Brixiæ paſſa eſt, crederes? nunquam ſuccum amygdalarum dulcium bibere voluit, eo quia multis ab hinc annis ſumptus non tranſivit, ſuffocationes ſuſcitavit. Eja ergo, & nimis, & nihil agendo, ſanitas de medio eſt. Id etiam ſuadeo, quia optime noſco propenſionem, quam erga Algiſiam domum, & doctrinam habet Patiens nobiliſſima, tum etiam quia me non latet moram in Bergomate Malpagenſi oppido eſſe delicias ſuas, animique tranquillitatem corporis ſaluti admodum conſpirare.

De facto quoties illius Caſtelli ſtructuram in meo tranſitu, Mediolanum verſus, circumſpexi, non ſemel ſum admiratus antiquam architecturam ſine labe, ſine rimis adhuc perdurantem, cum commoditate conjunctam. Magnum quippe intus adeſt atrium quadratis, viviſque lapidibus, e terræ ſinu effoſſis, teſſellatum: quod circumeunt impluvii partim arcus, & parietes depicti a clara manu, ubi effigies naturæ æmula, & præcipuæ actiones ſtrenui illius pugnæ Præfecti, Duciſque exercituum Bartholomæi Colleoni, ad vivum uſque referuntur. Adſtant æſtiva, atque hyberna ad meridiem cubicula in proſpectu diſpoſita, ſurgunt circumquaque muri, & multiplici interna contignatione imbricati in altum pinnati, & veluti in propugnaculum elaborati, tolluntur; deſcendunt foſſæ ad majorem totius caſtelli ſecuritatem; quæ tutior redditur a turre, atque a verſatilibus ad ingreſſum pontibus, necnon a bellicis intus tormentis per ſeriem diſpoſitis. Quæ omnia Avorum, & Martinenghæ Gentis, cui nihil magnum, nihil ſplendidum deeſt, gloriam ſatis ſuperque indicant. Adſunt extra coram Sole immenſi porticuum tractus, tritica, granaque omnia a tempeſtatum injuria vindicantes. Sed quid plura? Redeamus ad nos, atque ad ea, quæ ad artem, atque incolumitatem conducunt.

Si igitur poſitio ſitus aprica eſt, neque propinquis locis, & paludibus conſpurcata, neque ab aere, ob declive nimis ſolum, irretito infecta; ſi a ventoſis appulſibus pari lege afflatur, itaut ab interfluentium ſaluberrimarum aquarum motu adveniens interdum noxius auſter temperetur: ſi ex parte boreali, ob montium diſtantiam, aquilo non acris, non immodicus, ſed longo tractu retuſus, ac mitigatus tantumodo poteſt accedere; cur concordi non erimus animo, ut nobiliſſima Domina curationem in ſplendido hoc ſuo domicilio non compleat.

Adde inſuper, me inibi vidiſſe multigenos, & flores, & fructus horarios cujuſcumque generis, ex quo arguendum eſt exiſtere etiam poſſe, & activitate ſua florere in præſens vegetabilia illa, quæ memoravi; atque alia, quæ te ſciente, & docente poterunt executioni mandari.

Quid autem ſit, quod me urget, adhucque brebem in ſcribendo fuiſſe redarguat, neſcio. Niſi fortaſſe foret ſummus amor, & obſervantia erga Martinengam domum, ſummumque oblectamentum, quod ſentio dum tecum ago. Quibus inſuper ambobus, dum morem gero, phyſices, & epiſtolæ cancellos prætergredior. Vale.

Brixiæ 30 Maii 1743.

Illuſtriſſimo, Eruditiſſimo Viro

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

JOSEPH ANTONIUS ALGISIUS

S. D.

Humaniſſimam, atque acceptam mihi maxime tuam literam 3. Kalendas Junii datam accepi. Quantum autem rurſus tibi debeam, Eruditiſſime Roncalle, quantum tua erga me, erga parentem nova benevolentiæ oſtentatione tenuiſti, tibi exponere haud mihi datum eſt. Ut vero morem tibi certe geram, Hiſtoriam morbi Nob. Pat. Venetæ Co: Lucretiæ Martinengo paucis verbis in propatulo ponam; tuæ enim conſcius ſummæ benignitatis veniam non deſpero, ſi cauſa ingenioli mei, quippe quod vix artem Medicam ſalutarit, non accurate, ut decet, ac diligenter, ſingula prope exponam. Temperamentum prædictæ Matronæ, ætatem, victus rationem, conſuetudinem, cetera, quæ ad rem facerent, nota facere fruſtranea duco; etenim hæc omnia meridiana luce tibi clariora ſunt. Illud unum explicaturus, ſcilicet, quod te inſciente, obſervavi. Oſcitationes ergo, rigores frequentes, pandiculationes prægreſſæ ſunt febrim, quæ mitis licet primo inſultu videbatur, ſequenti tamen nocte ſummo mane præcipue ſupervenientis diei febris acutæ inflammatoriæ naturam æmulata eſt, eodem prorſus modo, quo anno 1741. Nobilis Patiens paſſa fuit: ſoporoſa etenim deliria ſitis, inquietudines, per lectulum jactationes eamdem aſſectatæ ſunt. Hujuſcemodi apparentibus morboſis adeo accidentibus, miſſio ſanguinis ſtatim celebrata fuit. Veruntamen vix ſecta vena aliquantulum evanuere tam dira ſympthomata; die 3. autem ſcapulæ partem dexteram excrucians dolor apparuit, necnon ejuſdem partis os coxendicum ſine tamen tuſſi, arteriarum vero, ut jam mos eſt, inæquali duraque vibratione, ſicque intermittenti, ut una tantum deficeret pulſatio poſt quartam, aut 5. ad ſummum. Ex hac critica imperfecta licet humorum ſeparatione, haud crederes, tantam experta fuit utilitatem, ut formæ inflammatorii morbi ſuſpicio penitus evanuerit.

Status autem morbi, quo elapſis nuper diebus torquebatur N. D. Mulier, non omnino eo abſimilis eſt, quo præterita hyeme Brixiæ, uti dicis, detinebatur. Lenta enim febricula (ecce ſi quod unum diſcrimen intereſt) ſummo mane eadem hora quotidie afficiebatur.

Hodier-

Hodierna tamen die vix, ac ne vix quidem febricitat. Quænam autem fuerit probabilior hujuſce infirmitatis cauſa, me minime latet. Etenim agitato, vel perturbato ſanguinis, aut cujuſcunque ſit generis motu humoris, nil mirum ſi febriles evenerint paroxyſmi; cum nulla febris accidat, niſi cum circulatio vel nimiam moram patiatur, progreſſivo motu præimpedito, ob eundem fortaſſe inteſtinum adauctum, vel eadem augeatur. Ex ſoporoſo delirio, capitis gravitate, ſerrino pulſu, exque aliis nonnullis diagnoſticis ſignis conjicere licet, ſanguinem, humores bilioſo limphaticos per vaſa cerebri, per ductus alios, ea velocitate, qua decet ut nihil accidat morbi, fore, ut non percurrerent; utique ex rigore, necnon ex frequentibus oſcitationibus, uti dixi, quæ nunquam accidunt niſi cum muſculi Graſyoidei irritentur ab humorum moleculis acrium vitioſorum ſtimulantium; non premunt autem, neque irritant moleculæ iſtæ, niſi cum acrimoniam patiuntur, quæ quidem pendet ab impedita ipſarum progreſſiva circulatione. Huic accedit in primis ductibus fermentatio liquorum, ciborumque reliquiarum inordinata agitatio.

Ejuſdem morbi an in cauſa procathartica ſit ipſa mutatio aeris, neminem inficias ire opinor; cum aer ſit potiſſima cauſa animalis vitæ, ipſe mutatus, ut mutet etiam viventia corpora neceſſe eſt. *Doc. Borell. Sanct. dec. id eo magis non eſt, quod de hoc hæſitem, quoniam præterlapſis diebus auſtro dominante incraſſatus, & gravis factus aer inſenſibilem tranſpirationem, cutaneos ſcilicet diametros ſuis craſſis, viſcidiſque particulis occludens, retardaverat, vel certe diminutam reddiderat, a qua diminutione tot mala, totque varii morbi proveniunt.*

A ſanguinis detractione deſcripti male morbi curatio incœpit, deinde vero cum Illuſtriſſima Mulier recuſaret aliis parere remediis, nulla alia in uſum revocata fuere, quam confecta ex boragine, cichorea &c. ad humorum coctiones promovendas, deinde ad eoſdem pravos ſubducendos bis repetita parva potiuncula ex ſenna, manna, & tartaro.

Hec ſunt experta remedia, ea quæ ferre poteſt, quæ non recuſat Nob. Patiens. Omiſſa fuere fomenta abdominis; obſervatis quippe tactu viſceribus, ea mollia omnino deprehenſa fuerunt: ceterum quæ ad ſolida roboranda, ad refocillandas vires, eruditiſſime Vir, propoſuiſti, ſi in uſum verti permittet N. P. tuam opinionem libentiſſime ſequar.

Hoc eſt, quod de morbo ſcire potes, ſcias denique, velim, Nobiliſſimæ Co: Lucretiæ, ſuis filiabus, & filiis, mihi, meoque Parenti te maximam attuliſſe voluptatem, erudita adeo Malpagenſis oppidi graphica deſcriptione. Dant omnes tibi ſalutem; pro tuo erga Domum Suam gratiſſimo animo gratias quamplurimas habent. Salutem dices meo, meique Patris nomine Comitiſſæ Juliæ, & Angelæ Martinengo, noſtramque erga ipſas obſervantiam quantum potes, quantumve vales ſignificabis. Vale, & iterum vale.

Martinengi 3 nonas Junii 1743.

BONONIA

JACOBO BARTHOLOMÆO BECCARIO

Bononienſis Scientiarum Inſtituti, atque Academiæ Præſidi

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

VIXDUM Hiſtoriis Morborum in lucem editis, primum ante oculos mihi effulſit celeberrima hæc tua bonarum artium, & ſcientiarum omnium ſedes, cui exemplar mearum lucubrationum ſiſtendum duxi; deinde tu, Preſes ornatiſſime, qui ille unus mihi viſus es, cujus auſpiciis rudis alioquin partus, gratus acceptuſque reddi poſſet. Dum igitur te obſecro, ut Sapientiſſimorum virorum Congreſſui meo nomine munuſculum obſequentiſſime exhibeas, fac quæſo, ut tantæ parcant audaciæ. Dic, me, poſtquam cooptatum voluere, nihilo magis diu noctuque incubuiſſe, niſi, ut vigiliis meis eo minus tanto mihi tradito honore indignus viderer; utque toti Orbi conſtaret, me quidem ingentibus beneficiis cumulatum, ſed tamen memorem, & grati ſaltem animi teſtimonia offerentem.

Tu interea, qui tanto fulges doctrinæ, & eruditionis nomine, cuique, dum multa, & magna de te audirem, & dum legerem ſelectiſſimam Diſſertationem tuam *de motu inteſtino corporum fluidorum* in Commentariis a ſapienti Franciſco Maria Zanotti exaratam, paulatim me addictum perſenſi, Bononienſis Inſtituti, & Medicæ artis augmento, ac firmitati præeſſe ne deſinas; & ſine, ut rogem, quid ſentires de medendi methodo, quam Venetiis reperi, nimirum de ſollicita fere ſemper chinæ chinæ exhibitione in febrium principio, adeo ut etiam purganti primo medicamini eadem a multis addatur. Quoniam idcirco tantum perſpicax ego non ſum, ut in ipſo limine clare noſcam quodnam morbi augmentum, qui ſtatus, quæque pericula futura ſint; & vice verſa cum de febrium etiam ſalubritate, inter alios, ſcripſerit Fridericus Hoffmannus, propterea hæreo incertus, num hac via eundum etiam alibi ſit. Tanto magis, quia duo ſemper viguere in Medico apparatu præjudicia, Clinicorum ſcilicet ſocordia in conquirendis novis inventis, & nimia proclivitas in iiſdem amplectendis, itaut quodvis reme-

dium ſuam ſortem, ſuaque ſydera habere videatur. Sed cum gula, tranſpiratio præpedita, circuitus interceptus, devium ichorum iter, denſior amurca, animalium ſpirituum concitatio, evacuationum quies, viſcerum, & vaſorum infartus, ſolidorum denique vel pareſis, vel tenſio, ad febrium productionem fere ſemper conſpirent, potius Hippocraticum morem ſequendum eſſe putarem (loquimur enim de morbo non adhuc perfecte cognito) ſcilicet vel purgando, vel ſanguinem mittendo; quibus mediis detracta morboſa ſaburra, & reproducto oſcillationum in ſolidis momento, dies diem docebit; atque ab excretis, a ſymptomatibus, uno verbo a morbidæ naturæ viciſſitudinibus optatam lucem pro agendo, & fortaſſe pro cortice Peruviano (cujus alioquin ſpecificam vim nunquam ſatis laudabo) exhibendo, Medicus conſilium capiet.

Uſus ipſe mercurii crudi, qui hic præteritis annis in omni ægritudine potabatur, jam pene proſcriptus in præſens eſt; quare, quando vaticinari liceat, idem fatum chinæ chinæ obventurum eſſe facile exiſtimarem. Deuſque velit, ne nimis cito, aut nimis integre; modus enim in rebus ſemper optandus erit. Interim tu, vir ſapientiſſime, pro publico quidem bono age, ſed etiam age, ut valeas: & quoniam tuis literis amicitiam noſtram comiter olim ſuſcipiens, probaſti, fac in poſterum, ut mandatis tuis, quæ in urbe Brixia expectabuntur, ſemper magis eadem confirmetur. Et iterum vale: atque ampliſſimo viro, necnon Senatori optimo Comiti Vincentio Mareſcalco meo nomine plurimam dic ſalutem.

Venetiis 10 Maii 1742.

FRANCISCO RONCALLIO PAROLINO

Philoſopho, & Medico præclariſſimo

JACOBUS BARTHOLOMÆUS BECCARIUS

S. P. D.

Ut ſerius quam voluiſſem, & par erat, literis tuis reſponderim, fecerunt non leves incommodæ valetudinis moleſtiæ, & diutius quam noſtra fert conſuetudo, prolata Academica comitia. Conſtitueram enim, non prius tibi reſcribere, quam præclarum munus tuum univerſo Academicorum cœtui obtuliſſem, ut una epiſtola meo, & ſodalium nomine reſponderem. Sed quando id facere per tantam moram non licuit, non patiar longius officium ſaltem meum differri. Gratias itaque tibi pro mearum tenuitate facultatum ago quas poſſum, pro tuorum autem beneficiorum magnitudine maximas habeo, & habebo dum vivam. Ita enim præclara iſta judicii de me tui, atque adeo amoris, & benevolentiæ ſignificatione me tibi obſtrictum intelligo, ut nunquam in me tuorum memoria meritorum ſit interitura. Quod vero de Academia noſtra tam honorifice ſentias, id enimvero huic uni cauſſæ Academia ipſa referre debet acceptum, quod homines ſuo in ſinu tui ſimiles complectatur, ideſt doctiſſimos, & vere probos; quorum videlicet doctrina efficiat, ut de ingenio ſuo proferre poſſint, quæ laude ſint digna, probitas vero, ut aliena inventa juſtis commendationibus, quod ſæpe a literatis Viris obtineri non poteſt, ſine invidia cumulentur. Quid viciſſim de te, Vir Clariſſime, deque opere tuo Cœtus noſter ſentiat, tum demum intelliges, cum illud, quod propediem fiet, eidem fuerit exhibitum. Quanquam opinionem de te noſtram, noſtrumque in te ſtudium multo ante Fr. Zanottus a Secretis noſter tibi declaravit. Hæc porro non modo mutata non ſunt, ſed mirum in modum aucta, & novis promeritis confirmata. Perge ergo Medicam artem Obſervationibus tuis amplificare, Academiam noſtram celebritate nominis tui exornare; me demum favore tuo, ac benevolentia complecti. Vale.

Bononiæ poſtr. Kal. Jul. an. 1742.

PERILLUSTRI, AC CELEBERRIMO VIRO

JACOBO BARTHOLOMÆO BECCARIO

Academiæ inſtituti Scientiarum, quæ Bononiæ eſt, Præſidi

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

Opus tuum, quod comiter mihi dono miſiſti, vir ampliſſime, quodque miſſis aliis rebus, raptus, abſorbere, dein relegere debui, Phoſphorus novus eſt, quem de phoſphoris ſcribendo omiſeras, hoc eſt perenne undique lucens in futura omnia æva, qui tamen exiſtimationem de te noſtram non auget, ſed tantummodo ſemper magis confirmat. Gratias ideo in primis, quas poſſum, reddo, & gratulor non tibi tantum, qui jam in honorum gloriæque ſumma conſtitutus es, ut aſcendere non poſſis, ſed Academiæ Inſtituti noſtræ, & toti Bononiæ, quæ, te inter ceteros auſpice, & optime merito, in jure ſuo, tituloque Scientiarum Matris florentiſſimis etiam hiſce temporibus perſeverat.

Ad privatas res noſtras tranſeundo, parcas obſecro, ſi ſerotinus compareo. Siquidem toto Novembri abſui, & elapſa ſolum hebdomada in patriam urbem redux, per manus utriuſque noſtrum amiciſſimi, & docti Medici Joannis Franciſci Gua-

danei

danei prætioſum munus tuum accepi, & illico cogitavi aliquantiſper hærens, num favoribus tuis uti adhuc deberem. Cum enim quæſtiones, & dubia noſtra olim ſicco pede præteriiſſes, & inſuper majora a te petere animus geſtiret, verebar ne fruſtra patientiam tuam laceſſerem, iterumque ſpes mea defraudaretur. Vicit tamen audendi conſilium. Quia proximum juvandi ratio me tutat, & etiam in poſterum a quacumque criminis in te amicum, & dominum ſuſpicione liberabit.

Jam ad terminum properat opus noſtrum agens de totius Europæ Medicina. Ad quod, ut minus diſpliceret, illuſtrandum, & ad mei levamen, curavi, & per literas monui clariſſimos longinquos Profeſſores, & Archiatros Regios, ut epiſtolis tranſmiſſis, & quantum vellent brevibus, nos certiores facerent de peculiari ſuarum Provinciarum Medicina. Ad quod cum & ipſe videam multum temporis impendi deberi, non omnia, non multa, ſed ſpecimen tantummodo ad Praxim pertinens petii, ut hinc uno in opere univerſalis veluti Medicina adumbrata videretur. Hac lege igitur, & tu, qui in primario ſubſellio emines, ſi menti noſtræ obſecundare non dedignaberis, ſique aliquod arcanum, aut peculiarem medendi methodum, quam utiliſſimam in Bononienſi cœlo reperiiſti, nobis aperies, rem gratam, & quaſi dixero, debitam facies. Debitam: quia æquum eſt, ut etiam Brixiani, & ceteri te præeunte diſcant. Quod quidem licet & cathedra, & ſcriptis ſemper glorioſe feciſti, attamen hæc facta non ſunt, ut mihi faveres, & inſuper plurima tuo in pectore, & ſcriniis ulterius aſſervantur, ad reſtaurandum hominem apte nata, & tuis laboribus producta. Unum igitur tantum ex illis pande mihi in epiſtola, & quieſcam, nec te amplius excitabo. Nec graveris favere immerenti homini, qui diſcere cupit, & ſolum quærit veritatem. Quæ inde ex collatis multiplicibus medendi modis elucere quam maxime poteſt.

Harum lator erit optimæ indolis Adoleſcens Bergomas Carolus Antonius Valſechi, qui exacto jam in Patavina urbe ſuorum ſtudiorum curriculo, & Doctorali laurea inſignitus, ad Bononienſe archilycæum accedit, ut omnibus numeris abſolutus in Jatrica facultate perficiatur. Clamant omnes, totaque urbs noſtra uno ore ait: Juvenes ad hoc, ut diſcant, magno Beccario commendandi ſunt. Intelligis ergo, quid ipſe nunc de amico hoc meo faciam, tibi illum, uti me ipſum exhibeo, & beneficia, quæ in eundem derivabunt, mea in teſſera ſignabuntur. Quia vero hæc, ut facerem, petere, & diſcedere velle unus fuit actus, quod tibi ab ipſo conſtare poterit, parce tumultuarie ſcribenti. Si tamen me magno in opere, ſaltem reſpectu molis, immerſum intueberis, ſique noſces tua ſcripta editionem noſtram (ne Bononia in eadem deſit) eſſe ornatura, veniam dabis, ſi tibi moleſtus fui. Vale.

Brixiæ 8 Decembris 1744.

Illuſtriſſimo, & Celeberrimo Viro

FRANCISCO RONCALLO PAROLINO COMITI

Et Doctori præclariſſimo

JACOBUS BARTHOLOMÆUS BECCARIUS

S. P. D.

Magnam equidem, Vir Clariſſime, voluptatem ex literis tuis percepi, quibus acceptum tibi fuiſſe munuſculum meum perhumaniter ſignificaſti. Fateor etiam me non leviter commotum eſſe, ac tacito quodam jucunditatis ſenſu delinitum iis laudibus, quibus & opus meum, & me ipſum cumulare voluiſti. Quanquam enim nec eum eſſe me ſentio, qui magnopere laudari poſſim, & natura ſum ab omni laudatione alieniſſimus, ſe tamen, & ſua in aliquo pretio eſſe apud eum, qui apud omnes in maximo habeatur, id enimvero diſplicere omnino non poteſt. Ejuſmodi quippe laudes ſi minus in eo, in quem cadunt, aliquid eſſe vere laudandum, at certe in eo, a quo proficiſcuntur, non mediocrem humanitatem, imo, ſi ex animo dicat, ut honeſti, & ſinceri faciunt, etiam benevolentiam declarant. Tu vero, Clar. Vir, hanc ipſam erga me benevolentiam tuam, & propenſum in me animum tuum aliis quoque argumentis luculenter pateficiſti. Quid enim aliud ſignificat adhortatio illa ad res Medicas ſcribendas, cui ſcriptioni honorificum in præclaro tuo Opere locum jamnunc deſignatum eſſe profiteris? Quid illa præſtantis adoleſcentis Caroli Antonii Valſecchi commendatio, quem fidei meæ committere, quam doctrinis ipſe tuis erudiendum ſuſcipere maluiſti, e quibus quanto ille majores, uberioreſque fructus reportaſſet? Ingratus porro eſſem, niſi tua hæc in me inſignia promerita agnoſcerem, niſi pro iis immortalem gratiam haberem, niſi totis viribus iiſdem conarer reſpondere. Faciam ergo, ut optimus Adoleſcens intelligat, quanti apud me ſint commendationes tuæ, nec patiar quidquam ab eo, quod ejus cauſſa præſtare poſſim, deſiderari. De rebus vero Medicis, quas a me requiris, liceat ſermonem in aliud tempus, in quo minus diſtrictus ſim, differre. Quædam enim habeo, de quibus te prius interrogem, quam ad opus ullum me accingam. Interea me amare perge, mihique favere, ut facis, & egregium Virum Jo: Fr: Guadagnium meis verbis plurimum ſaluta. Vale.

Bononiæ 22 Decembris 1744.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO VIRO

JACOBO BARTHOLOMÆO BECCARIO

Academiæ Inſtituti Scientiarum, quæ Bononiæ eſt, Præſidi meritiſſimo

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

ERgo ne Europa noſtra in literarum theatrum exponenda erit, quin in ipſa videatur, & ſplendeat, te interprete, & auſpice, ſpecimen Bononienſis Medicinæ, ob quod obtinendum pluries jam antea ſupplex veneram? Quid mihi prodeſt eſſe amicum tuum, ſi modicam rem obtinere non poſſum. Brevi ſchedula notum feci inſtitutum Operis noſtri, & excitavi remotos Archiatros, primique ſubſelii literatos. Hi ſtatim intellexerunt, & prompti, ut videbis, diſſertationes, aut epiſtolas ad Medicinam Practicam ſui cœli pertinentes, Brixiam tranſmiſerunt. Beccarius vero Italus, ob Bononienſis Academiæ vinculum Collega meus, ſcribendi vena dives, pluribus epiſtolis, quarum prima peculiaribus argumentis eum jam conveniſſe credideram, obſecratus, & monitus, meumque deſiderium ab egregiæ indolis adoleſcente Carolo Antonio Valſecchi oretenus pluries edoctus, quid optem non intelligit?

Erras, ſi credis, cauſam hanc a me derelictam eſſe. Silui, quia hactenus ob editionis ordinem de aliis provinciis cogitandum fuit. Nunc vero feſtinantibus typis de Italica Medicina me acturum, ut te iterum rogem, impellit neceſſitas, & fides, ut quæ non feciſti, tamen facere debeas. Bonouienſes docere, multoſque tuis ſcriptis juviſſe non eſt ſatis. Superſunt Brixiani, & ceteri, ad quos opus noſtrum perveniet, qui utiliſſimas doctrinas tuas convertere debebunt in ſanguinem ſuum. Ergo tandem aliquando ſume calamum, da mihi, da toti orbi quod optamus. Mihi credas, togata magnitudo tua hoc in agendo non peribit, & orantibus favere pars ſemper fuit heroum, & magnorum hominum. Prope dies, quando opus, annuentibus ſuperis, publicam aſpiciet lucem, quid quæſo dixiſſes, deficiente Bononia? Quid exteri (ratio hæc ſuaſit etiam Clariſſimum Valcarengum ad mihi ſcribendum de Medicina Cremonenſi) videntes editionem frequenter adauctam, & cumulatam ab extremis uſque Europeæ terræ finibus, deſiderari vero urbem illam, ubi muſæ ſuum habent domicilium, & ubi illis Præſtantiſſimus Beccarius præſidet.

Elapſo anno, dicatur veritas, de propenſione animi in me tui, quaſi timens, per amicum meum, & compatrem optimum Medicinæ Profeſſorem doctiſſimum Joannem Franciſcum Guadaneum Brixianum, alterum apud vos Apollineæ artis Coriphæum, ideſt Dominicum Guſmannum Galeatium excitavi, illique Tomum Hiſtoriarum Morborum dono dedi, moxque frontem novi Operis miſi. Crederes? alti ſilentii Hominem, æque ac tu, ipſe ſe ſe prodit, & ne hilum quidem ad rem meam reſpondit. Poſtque duos rogatos ecce adhuc jejunus ſum.

Mihi igitur famelico, & nuditatem doctiſſimis ornamentis conveſtire optanti parcendum eſt, ſi audacter ſcribo: quia coactus id facio, & de publico promovendo bono cogitans civilis ceremoniæ limites prætergredior.

Poſt hæc omnia adhuc mihi videor te audire imprecantem: Quid petis Roncalle mi? Peto ſaltem unam, vel duas obſervationes a te in tuo climate prope ægrorum lectulos factas, & tribus, vel quatuor pagellis (ſcilicet inter epiſtolii cancellos ne opus in nimiam molem abeat) comprehenſas; quas dum tuus coquus oryzæ ebullituræ ſatagit, tu ſane componas. Oh magnam rem? Quot majora de te mihi pollicebar? Vale.

Illuſtriſſimo, & celeberrimo Viro

FRANCISCO CO: RONCALLI PAROLINO

JACOBUS BARTHOLOMÆUS BECCARIUS

S. P. D.

MIraris, Roncalli ornatiſſime, me hominem tui ſtudioſiſſimum, imo etiam, ut veriſſime ais, amiciſſimum binis, vel ternis literis tuis ad ſcribendam Bononienſis Medicinæ hiſtoriam invitatum, nondum tamen operi manum admoviſſe. Ego viciſſim mirari non deſino, te Virum, ſi quis alius, humaniſſimum a me ſemel atque iterum, etiam atque etiam rogatum, ut petitionem illam tuam diſtinctius explicares, nihil adhuc protuliſſe, quo juſtiſſimo huic deſiderio meo ſatisfaceres. Numquid ea tibi videtur ſic aperta & clara, ut a quovis ſtatim intelligi debeat, præſertim ſi ei petitioni addatur pagellis aliquot, aut una, vel altera hiſtoria rem totam confici poſſe? Numquid indigena cujuſque regionis Medicina tam anguſtis limitibus continetur, ut brevi ſcriptione, aut ſingulari aliqua narratione poſſit indicari, nedum explicatius tradi? Equidem, ſi res mihi, ſic ut eam mente concipio, ſcribenda eſſet, initium ſumendum eſſe exiſtimarem a cœli aeriſque nativis qualitatibus indagandis, a peculiari ſoli natura, itemque ab aquis perſcrutandis, quibus incolæ utuntur. Hæc enim tria Hippocrates voluit attentiſſime conſiderari ab eo, qui ad aliquem locum Medicinam facturus accederet, deque iis aureum ipſe librum conſcripſit, quo inveſtigationum hujuſmodi neceſſitatem demonſtravit.

vit. His vero nonne attexenda eſſet eorundem incolarum peculiare vitæ genus, exercitia multis communia, ſtudia item, & artificia, & cetera omnia, quæ peculiari quadam ratione in morbos influere valeant, atque idcirco aliquam eorum curationi varietatem afferre, unde peculiaris item, & loci illius propria Medicina exiſtet? Hæc vero, qui poſſint brevi oratione concludi non video. Namque & Alexander Petronius, qui de victu Romanorum ſpecialiter egit, & Lanciſius, qui de nativis, & adventitiis ſolius Romani cœli qualitatibus diſſeruit, & alii non pauci, qui ſimilia argumenta tractarunt, libros bene longos ad ſuſceptam materiam exhauriendam conſcripſerunt. Jam vero ubi ad ipſam curationem ventum erit, nunquid res nobis exhibebitur brevi expedienda? Suas habuit Medicina ubique locorum viciſſitudines, quas tranſire debuit, dum tandem in eo ſtatu conſiſteret, qui præſens Medicinæ ſtatus *dicatur. Hunc ſtatum a me deſcribi vis, Roncalli ornatiſſime. Igitur vis etiam hiſtoriam quandam contexi earum ſucceſſionum, quas Medicina Bononiæ habuit. Has porro ſi perſequi velim, quomodo autem non perſequar cum præſenti ſtatu, quæ ſunt conjunctiſſima? Sed ſi has perſequi velim, nonne superiorum temporum memoria erit mihi repetenda, ut quibus exordiis, quibus incrementis, quibus Auctoribus, & adjumentis ad præſentem medendi rationem ventum ſit, explicetur? Jam erunt acceſſiones omnes rei Anatomicæ, Botanicæ, Chymicæ ipſi univerſæ medendi methodo uſque ad hæc tempora per noſtros factæ recenſendæ. Hæc autem diſtincte perſequi, ut par eſt, ac perſpicua oratione complecti numquid opus tibi videtur paucis abſolvendum, atque ut ais non majore temporis ſpatio quam quo coquus oryzam parat ad prandendum. Crede mihi, humaniſſime Roncalli, non is ſum, qui muſas habeam ita faciles, & paratas, quemadmodum putas in hac præſertim ætate, inter varia infirmæ valetudinis, & nimium frequentia incommoda, inter varias item moleſtiſſimaſq; occupationes. Quod ſi breve aliquod ſcriptum, & unam tantummodo hiſtoriolam de me petis, hoc ipſum eſt, de quo te iterum interrogo, non ſatis videlicet perſpiciens, qui poſſit hoc genere commentationis tam ampla res, qualem ego hiſtoriam Bononienſis Medicinæ, ut eſt apud nos hiſce temporibus concipio. Quod ergo neque tu adhuc, neque Guadaneus, Galeatius, & Valſecchius explicarunt, ediſſere aliquando, aut quod de te ipſo, deque his ipſis petii enixiſſime, exemplum aliquod mitte ad quod ſcriptum meum conformare aliquo modo poſſim. Vale ac me amare perge. Iterum vale.*

Bononiæ 7. Kal. Sept. an. 1746.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO VIRO

JACOBO BARTHOLOMÆO BECCARIO

Bononienſis Inſtituti Scientiarum Academiæ Præſidi

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. D.

AUDACIÆ non minus, quam ignorantiæ, ſi deſiderium meum explicare neſcivi, excuſationem ab te peto, ornatiſſime Beccari. Dixeras in ſecunda Epiſtola: *Quædam enim habeo, de quibus te prius interrogem*. Hoc me non iterum percontatorem, ſed expectantem reddidit. Quæ tangis circa ordinem, & modos tradendæ alicujus loci Medicinæ, veriſſima ſunt, docent, & ſancta dicerem, præſertim ſi de una tantum regione loqui velimus. At ubi agitur de pluribus, eſſet Bibliothecam, non librum conficere, totum hominem ab homine poſtulare, & fortaſſe eadem paucis mutatis recanere. Quare apis inſtar floſculos delibandos ſatius duxi, ſed a Sapientibus, a quibus, ſola ſcribendi de Medicina Practica lege, accepi, quæ mittere dignati ſunt. Vides ergo, præter ea, quæ interdum de pluribus regnis, atque provinciis ipſe fuſe ediſſero, opus integratum a rarioribus, & utilioribus obſervationibus, quas Literati fautores ſuo in climate fecerunt. Optaveram, ut ipſarum una te auſpice, & comiter favente, editionem meam ornaret: ſed tranſeunt menſes, & typorum ordo pro intrudenda Bononia vix paucos dies adhuc permittit. Quomodocumque tamen res eat, illud unum volo ſcias, hoc eſt omnia, de quibus loquimur, a ſumma veneratione tuæ virtutis, ſeu e fonte profluxiſſe. Vale.

P. S.

Addo paginulam qua uſus ſum apud remotos Literatos.

BONONIENSIS HYEMALIS CONSTITUTIO ANNI 1729.

AUREO ſignanda lapillo ſunt ea omnia, quæ celeberrimus, & ſpectatiſſimus idemmet Beccarius Inſtituti Scientiarum nunc digniſſimus Præſes ſcripſit, & in uſum revocavit, ut ſuffocaret, tolleretque morbidam febrium, & deinde catarrhorum, tandemque inflammationum pectoris, conſtitutionem qua ſcientiarum Parens, totaque Æmilia laboravit. Sique punctum tango, exclamare nunquam deſinam: Deus nos caveat ab humidis

midis nimium, tempeſtatibus, auſtriniſque conſtitutionibus. Multa, quæ doctiſſimus obſervator refert in Diſſertatione, quam ad Clariſſimum Johannem Jacobum Scheuchzerum direxit, illa eadem ſunt non ſolum, quæ nos ipſi vidimus, & memoravimus in Brixiana Morborum Conſtitutione anni 1743, urbem, & ſubjectos pagos vexante, cujuſque deſcriptionis ſpecimen Philippo Violante Archiatro Regis Poloniæ in epiſtola miſimus; ſed etiam, quæ paſſim, & frequentiſſime videntur anteire, & in cauſa potiſſima eſſe endemicorum morborum, quibus multæ regiones hinc inde vexantur. Paucæque adſunt etiam in toto hoc Opere provinciales ægritudines memoratæ (quod frequens eſt, utpote præcipuum peculiarium methodorum inſtructivum) quin ſæpe ſæpius de pluvioſiori, & humidiſſima tempeſtate verba ſint facta.

CURATIONUM BONONIENSIS MODUS

In febribus illis tertianis, intermittentibus, & benignis, quæ tractu temporis notas in corporibus relinquebant & multas, & graves, accedentibus interdum obſtructionibus, tumoribus, tuſſibus, puſtulis, ulceribus, hydrope, & tabe, præcipua medendi, & curandi vis ſtetit in *china china*; eo quia expectatio concotionum, & purgandorum corporum ratio nimis longæ viderentur. Beccarianus hic modus iteratis tunc experimentis comprobatus, nonniſi laudem mereri poteſt, & tanquam lex optima ab aliarum regionum Philiatris venerari debet, atque excipi.

EX VENTORUM MUTATIONE MORBORUM DIVERSITAS

Supradictos morbos *cunctabundos*, & lente vexantes, hyeme, & ſerenitate cum ſeptentrionalibus ventis apparente, dirum prius excepit catarrhi genus, nemini parcens, & citiſſimo in omnes curſu propagatum. Hinc *ſynochæ*, *tuſſes*, *pectoris anguſtiæ*, *pleuritides*, *&* *peripneumoniæ*, quę brevi regiones, & utramque Siciliam vexarunt.

REMEDIA

Curationem ſupradictorum morborum Bononiæ a ſupralaudato Profeſſore ſic directam video. Nempe ubi *capitis dolor*, *difficilis reſpiratio*, aut *aliud gravius* malum: miſſus ſanguis, qui coccineus, interdum cum cruſta viſus fuit, adhibitis deinde *emollientibus*, *&* *diluentibus*, *oleo amygdalarum dulcium*, *calidis potionibus*, iiſque *liberalibus hordei*, *avenæ*, *florum papaveris erratici*, *raparum radicis*, *paſſularum*, *pomorum*.

MORBI EX INTERNIS CALCULIS

Viscera, & præcipue hepar laborare poſſe intus latentibus calculis, uti Cajetanus Tacconi, in Bononienſi Univerſitate Publicus Lector, refert, res rara non eſt; jamque a nobis alibi delibata, etiam in epiſtola, quam olim miſimus celeberrimo Cremonenſi Profeſſori Paulo Valcarengo, quæque in Hiſtoriis Morborum cuſa eſt. Meque vellicat timor, quando de interna ægritudinum cauſa apud Medicos dubitatur, ſæpeſæpius extranea latere in corporibus corpora; & paulatim genitas, & coaleſcentes ſaburras flammæ vitalis filum proſcindere. In quo diligentes eſſe debemus, & quando de duro inimico aliqua eluceſcit conjectura, arcanum etiam *Stephens* hoc in Opere jam expoſitum, & ab Actis Anglicanis, & Gallicis publici juris factum, in uſum revocandum eſt.

MEDICUS CRIMINUM ADVOCATUS, ET QUASI JUDEX CONVENIENS

Laudem merentur optimi adoleſcentes, & Medicæ diſciplinæ amatores Joannes Maria Pigatti Vicentinus, necnon Joſeph Peſenti Bergomas, qui ad detegenda flagitia, aut abſolvendos innocentes in judicialibus controverſiis, quæ occaſione necum, ſtuprorum, veneficiorum, abortus, inexpletique in conjugio concubitus, in cauſa fuerunt, ut Conſultationes Medicæ nonnullæ Bononiæ (1) cuderentur, ubi dubia facta, & implicitæ quæſtiones bono in lumine collocantur.

Quodque magis laudandum in prima, tertia, & quarta, eſt ordo, argumentorumque nexus, Practicis, & Anatomicis doctrinis conſperſus, & comprobatus, quibus Publicus Bononienſis Profeſſor Matthæus Bazzani difficultates ſolvit, tollitque hæſitationes, quæ ancipitem reddere poſſunt Judicem. Præter igitur debita encomia, quæ magnæ Bononiæ ab antiquis uſque ſæculis optimarum artium altrici debentur, ob tot corrivata in Medicam artem emolumenta, illud etiam ab omnibus illi debebitur, quod magis in difficilioribus rem quaſi acu tangere indigitaverit, Praximque Medicam ad optatum apicem redegerit; Idipſum promovente, non inferioris ſubſelii Viro Joſepho Pozzi, Jacobi Filio, in ſecunda conſultatione, ad validæ defenſionis formam elucubrata, ubi æquivoca argumenta de pulmonibus aquę ſuper natantibus tollit, ſigna de ſuffocatis a laqueo refert; perque gravidationum, pactorum, fœtuum multiplices ſtatus procedens, ſuaſque hypotheſes innumerabilibus claſſicorum Auctorum aſſertis comprobans, Praxim mirabiliter docet, ſuæque clientelæ cauſam tutat.

DE

(1) Ex Typographia D. Thomæ Aquinatis.

DE PLANTIS

NUPER Bononiæ optime meritus eſt Medicus clari nominis Cajetanus Montius, qui tabulis, & commentariis rariorum ſtirpium Hiſtoriam, olim a Jacobo Zanonio promotam, illuſtravit.

ANATOMES, ET CHIRURGIA

PRO Chirurgicarum operationum adminiſtratione nullum majus lumen recipi poteſt, quam ab Anatome. Laudabili itaque conſilio, & ſumma annuente ſupremi Pontificis Benedicti XIV. munificentia factum eſt, ut n oviter Bononiæ Anatomicæ lectiones ab erudito viro Petro Paulo Molinelli inſtituerentur, ex cujus oratione tanquam ab ungue leo dignoſcitur, ut hinc Bononienſes Philiatri multa ſibi promittere poſſint.

PARENTI

AD Chirurgicum gradum interdum aſcendunt nonnulli non ſatis docti in Philoſophico apparatu, non ſatis practici in noſcendis plantis, aromatis, floribus, fructibus, & reliqua Pharmacopolarum ſupellectili: idcirco ſine gradu, ſine virium, energiarum, & quantitatum notitia omnia miſcent, & inaptabilia parant. Ideo doctus Paulus Andreas Parenti pluribus in Xenodochiis, & præcipue in primario Bononienſi Sanctæ Mariæ *della Vita* edoctus, Philiatros opportuno Tractatu inſtituit, & per varias claſſes ducit, ut hinc in adminiſtrandis medicaminibus emollientibus, glutinantibus, cauſticis, & ſarcoticis hallucinari non tam facile poſſint. Et hoc ſane utiliſſimum documentum eſt. Non ſatis quippe dicere, miſce, & apta. Sed primæ qualitates, & quæ miſcellam reſpuant, cognoſcenda, & ad humanæ cutis contactum, nonniſi ſumma cum circumſpectione quodvis magma admovendum.

AQUÆ PORRECTÆ

BONONIENSIA libamina Piſtorienſibus, & Florentinis alpibus finitima, de quibus patrii inibi Profeſſores & multa, & magna promiſerunt; num revera reſpondeant, & curationum in corporibus humanis miracula efficiant, non ſatis ſcio, quia Brixiæ non uſuveniunt. Ex dominantibus magis tamen particulis, hoc eſt alumine, ſulphure, ſale, & nitro, quæ illis ineſſe nonnulli ajunt, arguere poterunt Philiatri emunctæ naris, quibuſque cordi eſt ſuorum ægrotantium ſalus, num *omnes cerebri debilitatem* tollere poſſint, unoque verbo, ad *omnes infirmitates* conferre. De qua re ipſe hæreo incertus, nec Auctor eſſe volo, ut Bononienſis Porrectanuſque hic latex pro univerſali panacea alicubi vehatur, & ſatis ſit illius vires ab aliis relatas, ab aliquo refutatas, hic recinisse, ut hinc Felſinenſis Medicina, intimius cognita, bonum in uſum vertatur.

BRIXIA

URBS Brixia, olim docente literatiſſimo Viro, de patria ſua optime merito Paulo Galeardo (1) Cenomanorum caput, a Senonibus Inſubribus ſcilicet Galliæ Lugdunenſis populis condita, in Longobardia ad ripam Garzam, & non longe ab Mela torrente ſita eſt (2) neque multum diſtans a lacubus Benaco, & Sebino, ad radices montium in horizontem, & in apricum exporrecta complanatur. Intus viis amplis, & perpetuis dividitur, ſalientibus undique, ſemperque vivis irrigatur fontanis aquis, & conſpicuis antiquis jam ornata ad cœlum ædibus, nuperrima magnificorum templorum, & ingentis theatri conſtructione, oſtendit, pietatem, & magnificentiam in Brixianis civibus vigere, qui collatis certatim, & libenter opibus ſibi, & patriæ augent, & extollunt monumenta nunquam interitura. Ab extra vallantes foſſæ, non cocto laterculo, ſed quadratis, arteque commiſſis ex utroque latere lapidibus inſtructæ ſunt; profunde fluentibus Garzanis aquis, quæ arbitrariis ſufflaminibus, ad munientis magni alvei altitudinem poſſunt elevari. Inter occidens, & boream vero, ſuper inſulatum aſperrimum collem, ipſi urbi inſitum, & finitimum conſurgit Arx munitiſſima, ex lato fundo paulatim ad ſummum faſtigiata, cum ſuis turribus, propugnaculis, projecturis, ingenioſis ſpecubus, planitiebus, ciſternis, templis, xenodochio, armamentariis, onopoliis, horreis, cuniculis, ad certum uſque ſpatium nunc rectis viis, nunc tortuoſis anfractibus; denique cum altiſſima ſpecula, ubi Venetum Divi Marci labarum exponitur: uno verbo cum tanto naturæ, & artis interventu, ut, nullo exiſtente inſidiis loco, vi, vel fame difficulter poſſit expugnari.

De ejuſdem poſitu, aquis, & aere multa multis ab hinc annis jam delibavimus, quæ licet huic argumento aptari poſſent, attamen iteranda non ſunt, ſi jam proſtant, & legi poſſunt: tanto magis, quia inibi verba fecimus, & de poli altitudine, cui Brixia ſubjacet, & de cardinalibus ventis, eteſiis, & provincialibus, qui ſpirare ſolent, & a quibus dominantium morborum, & regnantis aeris natura reſurgit.

His itaque poſitis, de Brixiano Medicinæ ſtatu locuturi, ſatius duximus a patriis Scriptoribus, qui ad manus pervenerunt, lucem mutuare. Cantio ſiquidem magni Baglivi toties repetita, *ſcribo Romæ in aere Romano*, ſuadet, majorem habendam

(1) *Parere intorno all' antico ſtato de' Cenomani, ed a' loro confini.*

(2) Vide Catullum lib. 3. carm. 68.

dam eſſe fidem civico, quam longinquis auctoribus. Ob id miſſis antiquitatibus, humorum quaternione, facultatibus, adhibitoque cribro, & excerptis rebus utilibus, quoniam de praxi agitur, tutiorem ſaltem viam obſervationibus noſtris faciam, ut Philiatri minus in arte adminiſtranda cæcutiant; & ab antiquis documentis neoterico noſtrarum animadverſionum, qualeſcumque illæ futuræ ſint, addito apparatu, conſilium in arena capere ſit facilius.

DE BRIXIANIS IN MEDICINAM SCRIPTORIBUS, DEQUE UTILITATIBUS AB EORUM LECTIONE PRO HODIERNA PRAXI EXCERPENDIS

1540 CAVALLUS

FRANCISCUS Cavallus Brixianus Profeſſor Patavinus ſcripſit *de Serpente Theriacali*, & *in Phyſicam Ariſtotelis*: ſed hæ doctrinæ ad rem noſtram non faciunt.

1543 MUNDELLA

INTER omnia Aloyſii Mundellæ opera admodum in prætio ſunt ſuæ epiſtolæ Medicinales gravibus viris per Italiam miſſæ. In quarum tertia ad Hieronymum Fracaſtoreum, utiliter in Galenum invehit (1) *aquæ frigidæ potum, & natationem* concedentem in putridis febribus, & continuis: in quibus nunquam ſatis dicam, quantum, doctum Brixianum ſequendo, ſub hoc cœlo abſtinendum ſit. Præcipuas enim morborum in pejus ruentium cauſas, quis non videt, ab interdicta tranſpiratione contingere? Quamvis propterea ſtatum cœli *calidum, & ſiccum* ſupponat: attamen & in illo ſtatu criſim tranſpirationis, & ſudoris natura forſan molitur, & etiam calor, & ſiccitas corrugationem pororum cutis poteſt inducere. Ab auctore itaque noſtro diſcamus, atque præſertim in hac aeris conſtitutione, gelidæ potum, & natationem vitemus, & cauti evadamus periculis famigeratiſſimi tunc Medici (2) Marci Antonii Serrina, qui febri laborans poſtquam per *ſiphonem, ſive tubulum in labrum ex ſaxo cadentem, declivis accubuit, & paulo poſt ſuper illius algida ſabuleta toto corpore ſe conſtravit, ac nocentiſſimum frigus, multumque aurarum inde ſpirantium captavit: anno ſcilicet a Chriſti ortu ultra mille quingenteſimo vigeſimo octavo, haudquaquam a morbo illo deinceps ulla opera Medica relevari potuit; ſed obſtructis corporis poris, prohibitaque putridorum vaporum exhalatione, miſerabiliter quidem ultimum vitæ ſuæ diem obivit.* Deſperatas itaque gelidis aquis curationes Maltenſibus, Neapolitanis regionibus, ceteriſque calidioribus provinciis derelinquamus, & in hoc noſtro cœlo cautioribus modis noſtros ægrotos tractemus.

Nec ad finem feliciter properante morbo, ſecundum prædicti (3) auctoris mentem, vinum interdicendum eſt: ſed quia vina aquoſa, alba, & tenuis ſubſtantię apud nos non abundant; ideo *fulva, nigra*, & *potentiora*, quæ in Brixiano agro fiunt, & convaleſcentibus non *conveniunt*, temperanda ſunt, ſed tamen adhibenda (4).

BALNEUM HECTICIS NOXIUM

QUIA vero libere loquendum nobis eſt, parcat Brixianus auctor, ſi illius opinioni in epiſtola (5) ad Odum de Odis Profeſſorem Patavinum expoſitæ, non acquieſco in ea parte, quæ balneum præſcribit febri hectica laborantibus. Verendus enim eſt ſummus languor, & diſſipatio ſpirituum, nec cutis meatus laxandi magis ſunt; adeo ut potius ex oppoſito illis in caſibus toto corporis ambitui litus oleoſi aptandi ſint, ad poros claudendos.

Verum antequam ad alia tranſeamus, grates generoſo Mundellæ noſtro reddendæ ſunt, qui non ſolum Brixiæ, ſed Italiæ totius decus ſubſtinuit, contra Conciliatorem, & Savonarolam petulco animo proponentes *Italos magis, quem Gallos, Germanos, atque Arabes gulæ, & ventri deditos eſſe* (6). At vir ingenuus diverſam, & immutatam aſſerit conſtitutionem: quæque de Italis Conciliator, & Savonarola; de Gallis, Germanis, & Mauris, quamvis non fortaſſe verum, prædicanda eſſe animadvertit.

1547 MARENDA

JOANNES Petrus Marenda Medicus magni nominis, Archiater Ferdinandi Regis Romanorum, a quo bene multa beneficia pro ſe ſuiſque filiis recepit, ſcripſit Opus, cui titulus: *Evacuandi ratio tribus in libris luculenter perſtricta.*

1549 BOCHALINUS

JOANNES Franciſcus Brixienſis, ſeu potius Aſulanus ſcripſit librum, cui titulus: *Apologia adverſus aliquot Donati Mutii in Hippocratem, & Galenum convitia.* Ac ejuſdem de ſecanda vena in prægnantibus epiſtola, Brixiæ apud Ludovicum Britannicum 1549.

1556 CASALIS

VINCENTIUS ſcripſit de Medicamentis ſimplicibus, ac eorum compoſitione ex Joanne Baptiſta Montano.

1565

(1) In curandi method.
(2) Pag. 45.
(3) Epiſtola Medicinali XIV. pag. 121.
(4) Ibidem.
(5) XIX. de Balneis, pag. 151.
(6) Ibidem, pag. 153.

1565 GALLUS

ANDREAS Gallus Brixianus compoſuit pariter opus utiliſſimum de Peripneumonia peſtilentiali, ſputo ſanguinis, & de quibuſdam aliis ſymptomatibus. At quia antiqua tantummodo, via, & documentis incedit, plura non excerpimus, & illi lectorem remittimus.

15.. VELLA

A Georgio Vella Brixiano Scriptore illud in primis circa aerem noſtrum debemus excerpere, quod nempe optimus ſit. Sicut enim ipſe notat, *incolas terrarum imarum*, & maxime *paludium* impalleſcere, ita cum Brixia ad pedes collis ſita ſit, quodammodo ad illam conſtitutionem inclinat, in qua *habitantes ſunt vivaces in colore*, *in locis* nempe *altis*.

ANIMADVERSIO I.

CIRCA CURATIONEM MORBI GALLICI

NUM vero morbus Gallicus, de quo ſignanter agit, præcipue in materia *viſcida*, *tenaci*, *craſſa*, *profunda*, & inviſcata radicetur, ſicuti mordicus non obſto (quamvis neoterici alia methodo idem phœnomenon explicent) ita tanta conniventia non obſecundo, quin animadvertam, caute in hac noſtra regione adminiſtranda eſſe oxymel ſcilliticum, fetidas, cochias: non enim ſolis fuſis, extraque corpus pulſis ſemper humoribus, ſed correctis etiam qualitatibus, & contagioſo charactere, dira ægritudo tollitur.

ANIMADVERSIO II.

DE VINI USU

CIRCUMSCRIBENDUM pariter eſt documentum exhibendi vini veteris rubei in infectis, ab auctore laudatum: loquor actu curationis. Qua, ſi hydrargyro facta, utendum lacte, aut juribus, vel decoctionibus hordeaceis paſſulatis; ſin vero decocto alexipharmaco, aut aqua ſtibina; ipſa debet, non vinum, pro abundanti potu uſurpari. Ubi vero æger a morbo evaſerit, in illo tantum caſu ad reſtaurandas vires, ad refocillandum ſtomachum adhibendum eſt.

ANIMADVERSIO III.

CLYSTERES SUSPECTI

SUSPECTA mihi pariter videntur propoſita aſſidua clyſteria, tempore litus mercurialis; jam ſiquidem ante promota catharſi, dum morbus, & natura in ptyaliſmum, & ſudores reſolvitur, ab inchoato utiliſſimo opere divertenda non eſt.

1565 FILALTEUS

LUCILLUS Madius Brixianus ſcripſit Conſiliorum volumina duo de graviſſimis Morbis. Epiſtolarum familiarium libros tres, item Comment. de Prognoſticis Hippocratis.

1570 CONFORTUS

HIERONYMUS Confortus ſcripſit de Vino mordaci.

1570 CALZAVELIA

VINCENTIUS de theriacæ abuſu in febribus peſtilentibus ſcribens optime meritus eſt, illoque facem præferente, deberent Tyrones Brixiani, in febribus præſertim pernicioſis, examinare aerem, *in quo vivimus*, *in quo inſpiramus*, *quoque omnes*, *neceſſitate cogente*, *utimur*. Et præſertim quando *non civitas ſola noſtra*, *ſed etiam multæ in Italia his febribus infeſtantur*. Quo *in caſu reliquum eſt*, ut dicamus, ex cœli ſtatu febres has ortum duxiſſe.

De cetero, non poſſum quin docto viro aſtipuler, & Medicinæ Brixianos candidatos ipſum non ſequi ſuadeam, in principe operis argumento, ubi caute exhibendam theriacam febricitantibus ſuadet; potiſſimum in duarum drachmarum doſi, omni die; propterea quod *ignem excitare vehementem nata eſt*, *non jam efferveſcentem extinguere* (1).

DONZELLINUS

HIERONYMUS ſcripſit de natura, & cauſis, atque legitima curatione febris peſtilentis, inſuper epiſtolas, & conſilia Medica ad Verdanium, & ad alios.

1572 PATINUS

DE VENENIS INGENITIS

PLACET ſummopere, imo in arte noſtra neceſſarium eſt opus, quod expoſuit Benedictus Patinus Medicus Brixianus, ſcilicet: *De Venenis, quæ in humanis fiunt corporibus*. Propterea quod, quin venena aliunde veniant, interni interdum humores ad tantum corruptionis, putrefactionis, & contaminationis gradum evehuntur, ut efficiatur quantitas, interdum ſublimetur ſingularis activiſſima qualitas, veneno violentiori analoga, & homicida. Hujus rei exemplum nobis patuit quatuor circiter ab hinc annis in Paganoræ platea, in egregia ſexaginta annorum muliere, quæ vix febricitans veſpertina hora de digito manus aliquatenus tumefacto conquerebatur. Quo viſo a D. Antonio Paſſarella majoris Xenodochii Chirurgo

(1) De theriacæ abuſu in febribus peſtilentibus, pag. 52.

rurgo, atque a nobis in conſilium vocatis, ut cum ſapienti viro Joanne Paulo Guadaneo ſermo inſtitueretur: quis crederet! Summo ſequenti mane affectus digitus, non duplo auctus, non albus, non ſanguineo obſcurus, non niger, non ad gangrænam vergens, ſed paucis horis ultra ſphaceli gradum jam putrefactus, corruptus, ſeparatus, cum oſſium jam læſorum denudatione inventus eſt. Ipſe nec legi, nec vidi uniformem caſum, ſcilicet ſpatio duodecim horarum eveniſſe, quod tribus, vel quatuor diebus contingit etiam in carbunculis, & efferis ipſius peſtis gradibus, quodque nonniſi verbo illo, *venenum intus genitum*, explicari poteſt.

1575 FRASCATUS DE AQUIS RETURBII

A Gabriele Fraſcato de Aquis Returbii Ticinenſibus ſcribente, inter alia diſcere debemus modum, & remedia, quæ fuſe memorat (1), diverſis temperamentis aptanda, ad hoc, ut potatæ aquæ acidulæ, aut thermales a ventriculo non minus in ſanguinem, quam in renalia cribra feliciter perveniant, & tranſeant. Quæ quidem præcipua ſpecifica, quæ ad rem faciunt, quæque utilia expertus eſt, commemorare aliqua ex parte non tædet, ut Brixiani Tyrones pro re nata ſeligere poſſint. In hunc ſiquidem finem, ut in præfatione admonuimus, elucubratum a nobis eſt, ut non abſtractæ hypotheſes, non diſputationes, non controverſiæ ad ingenii acumen oſtentandum concinnatæ, ſed remedia pro conſervando homine utilia, & Italico præcipue Brixianoque hoc cœlo aptanda proſtent, & proſint.

UT ACIDULÆ, VEL THERMÆ IN CORPORE TRANSEANT

PURGATO corpore, ad roborandum ventriculum abſynthii, vel menthæ coma in aquis infundatur. Ad deobſtruendum hepar cichorium, vel agrimonia incoquatur: ad lien radices capparorum, cetrach: ad renes glycyrrhiza, annonis. Item maſtich, cubebe, piper, juniper, morſelli diatribapipereon, diaſpoliticum de Galeno, myrabolani, rhabarbarum recenter conditum, theriaca optima, cochlear aquæ vitæ magiſtralis, aqua cinamomi, poſt aquarum tranſitum ſumpta, aut ſaccharum rubrum, roſaceum, vel violaceum in iiſdemmet aquis ſoluta: quod etiam obtinebitur a ſalibus, præcipue diureticis. Lumbrici terreſtres primo harum aquarum ciatho, ad drachmam, permixti, vel ſoli, vel cum ſeminibus halicacabi, periclymeni, raphani, porri, & lithoſpermi. Stillatitia aqua capillorum veneris, cum radicibus ononidis, rubiæ, aſari, & eryngii, ceraſi, gummi bdelio, ſagapeno, ſinapi, & agarico. Aſparagi elixi in prima menſa, ollium coctum, pineæ, nuces, crocus, ſalvia, eruca, petroſelinum, fœniculus, pimpinella. Aptando ab extra epithemata, malagmata, cataplaſmata: *Quorum ſylva* (ipſe quoque cum Auctoris verbis) *cum ampla ſit in materia Medica, illam relinquo, unicuique ſeligendam*.

(1) Pag 83. 84. & ſequentibus.

1576. CURTIUS

NICOLAUS Curtius Brixiæ natus parvo corpore, hinc Nicolinus dictus, docuit in Patavino Gymnaſio per annos ſex & viginti, ab eodemque antiquam *conſultandi methodum* diſcere debemus. Produxit etiam Librum de Medicamentis lenientibus.

1576 ÆMILIUS DE AQUIS MILZANELLI

DE Opere Marci Antonii Æmilii jam locuti ſumus in Tractatu de Aquis Brixianis. Nil itaque ulterius addimus, niſi illius lectioni delegando Brixianos, aut exteros, qui potui thermarum Milzanelli indulgere volunt. Tanto magis, quia antiqua, ſemperque eadem viget activitas, & quia fons in præſens, ut tunc, non eſt incultus, neque *arena*, *luto*, *&* *ſordicie obturatus*. Sed diligentia, & expenſis Nobilium Dominorum de Ugeriis a ſordibus vindicatus, muris defenſus, & circumdatus, ut nullus pateat extraneis aquis acceſſus.

1577 BETERA

DESCRIBUNTUR a Feliciano Betera peſtilentes, & malignæ febres, quæ Brixianum agrum depopularunt, tanta cum doctrina, & Hippocratica ſedulitate, ut Medicis omnibus ejuſdem operis lectionem ſuaderem. Ubi rara eſt obſervatio tuſſientium, qui *magno ſpiritalium cruciatu* oſſiculum vomebant, & quarundam vetularum, quæ *perpetua inedia morbum vicere*. Ibi pariter varii enumerantur caſus, qui peſtilentis morbi fuere prænuncii; recenter nempe occiſi Julii Calzavelia, *Magnificæ Civitatis Abbatis*, dum *publicæ tranquillitati* ſtudebat; magni palatii tot ſumptibus erecti, a flammis conſumpti: concuſſæ contabulationis in Cathedrali Eccleſia, dum concio habebatur: Brixiani inſuper totius agri vano timore perterrefacti, atque cum jumentis, cum monilibus, cum divitiis, cum ſupellectilium acervis ad patriam urbem confugientis, eo quia invaluerat notitia, immenſam Cingarorum turbam a *Cremonenſibus* campanarum ſono expulſam, appetere omnia ferro, & igne devaſtaturam. Cellaticæ in Æde ſacra Divæ Mariæ ſuper colle exciſi, quadratique lapidis aquam *ſat copioſam exſudantis*, in eodem pariter *fano nullo pulſante*, campanis mirum in modum perſonantibus.

Lapſi

Lapſi denique *theatri* cum læſione, & pernicie multorum.

MORBOSÆ BRIXIANÆ CONSTITUTIONIS 1577

MORES, SIGNA, SYMPTOMATA

CORDIS dolor, moleſtia, palpitatio, mentis turbationes, oculi languidi, & ſubtus eos nigror, color faciei mutatus. Febris ſtatim invadebat. In his ſynocha, in illis tertiana interna, urens, interdum cum ſummis rigoribus. Frequentiſſime aderat vomitus laborioſiſſimus, atque niger. Ventris cruciatus, & cholera: ſudores copioſi, & fœdi; lumbrici per os, & ſedem: mulieres abortiebant menſibus ſuppreſſis, vel perfuſis. Anxietudo, & æſtuoſa inſtabilis dimotio, lateris dolor, tinnitus aurium, garrulitas, balbuties, vigiliæ, epilepſiæ, deliratio. Labia depreſſa, colore emortua, oculi parvi, lividi, turbulenti, reſoluti, ſuſpiciendo invalidi. Urinæ crudiores, ſubpallidæ, ſubcitrinæ, fuſcæ, craſſiores, ſpumantes, bulloſæ: fauces dolebant raucæ, facies cadaveroſa. Grani miliacei, interdum cum puſtulis violaceis, nigris intercutem micabant, qui alba obducebantur veſicula: ruptis liquor luteus manabat. Frequentiſſimæ parotides, bubones interdum carbunculoſi, veſiculis, & ulcuſculis anthracinis aucti, nunc albeſcentes, nunc ſubobſcuri. Quæ quidem tubera in ſaniem difficillime vertebantur, & pernicioſiſſimum erat, ſi evaneſcebant. Lingua erat eryſipilatoſa, nigrior, aphtoſa, cruore pertorrido interdum manante, & valde atro, hinc comata, lethargi, memoriæ amiſſæ &c.

REMEDIA, QUÆ IN DESCRIPTA PESTILENTI CONSTITUTIONE FUERUNT UTILIA

SUCCI cichorei, abſynth. plantaginis addito rhabarbaro, aloe, & helleboro nigra. Pulveres hepatis lupi, filicis maſculi, marrubii, lumbricorum terreſtrium: trociſci ex terra ſigillata cum cyphoide. Infuſum chinæ; aquæ ex ferrea ſcaturigine, bezoar, lapis Judaicus, gratia Divi Pauli, theriaca, viperina. Purgatio, venæ ſectio, oxyrrhodina per ſedem injecta, humile pavimentum æquabiliter perflatum alto percellebat; odoribus cor delectabatur.

BETERÆ IN MEDENDO DILIGENTIA

QUIS negaret, difficillimam non fuiſſe illius conſtitutionis provinciam, quam ſumere debuerunt Brixiani Medici, & per conſequens fortaſſe tunc temporis primarius noſter Betera, ſi nemini virulenta lues parcebat, ſi tanta efferorum, & inter ſe complicatorum ſignorum, & ſymptomatum ſyndrome, ſuperius deſcripta, ſe manifeſtabat? ſed gravis Auctor diſtinxit tempora, caſus, atque rationes factis, non facta rationibus accommodavit.

BRIXIANA OLIM FELICITAS A LINDESTOLPE MEMORATA

PROFECTO in hac peſtilenti conſtitutione non evenerunt, quæ clariſſimus Lindeſtolpe (1) ex Elia Capreolo Brixiano collegit, quæque Galeni tempore ſub Marco Antonio Imperatore fortunatam Brixienſem terram reddiderunt, eandemque feliciſſimam declararunt; utpote nempe immunem & liberam a dira peſtilentia, quæ totam Italiam mulctavit. Quam favorabilem ſortem deſumit ſupradictus Auctor, *propter exhalationem fabrilium fumorum ex metallis*.

Verum de hoc ſatis, hancque peſtilentem conſtitutionem a Brixianis Deus avertat. Numquam tamen ſatis egregium concivem noſtrum laudabimus, qui tot, ac tanta præſtando paravit, & tradidit poſteritati. Suæ videantur conſtitutiones anni 1565. *66. 67.* (2), & anginoſæ conſtitutiones in Caſtenedulo (3) 1599. *1600*. Videantur inſuper ſuæ therapeuticæ præſcriptiones (4) in pueris, viris, mulieribus, quibuſcumque perſonis, & diverſarum tempeſtatum viciſſitudinibus. Videatur nova cordialium propoſita methodus, & inde prudens Clinicus excerpat; quæque ſub Brixiano cœlo Betera in peſtilenti, ipſe in pernicioſa, maligna febri adhibere non erubeſcat.

1578 QUINTIANUS

JOANNES Planerius Quintianus ſumma, & ſingulari diligentia febres omnes ſimplices in arbores particulares diſtinxit, & per ſeparatas graphice tabulas explicavit, & in ſpiritibus ephemeram, in humoribus putridam, in membris ſolidis hecticam ſtatuit. Multis ſubinde factis diviſionibus loquitur de homotona, de epactica, hoc eſt aſſurgenti, deque paracmaſtica, hoc eſt decreſcenti, ceteriſque ſyncopalium ſynocharum, & intermittentium gradibus. Quas quidem Tyronibus laudarem, ut tanquam in ſpeculo diverſos febrium characteres cernerent, & noſcerent. Procedit per dubitationes, & ſolutiones in dies criticos.

(1) De Venenis. Theſ. 27. pag. 826.
(2) Libro XI. Capite III. pag. 708.
(3) Pag. 606.
(4) Libro XI. pag. 419.

HIPPOCRATIS, ET GALENI ERROR CIRCA URINÆ MORBOS, ET CALCULUM RENUM, AUT VESICÆ

CONſILIUM vero, quod auctor dat Ægidio Girello in urinæ viis laboranti, acceptum mihi eſt: quod nempe ſumat non ſolum malvæ, & altheæ decoctum, ſed etiam lac caprinum, & Romanum illum ſequatur, qui *intus mulſo*, *foris oleo* ſanum ad multos annos ſe fecit. Sed verba illa Hippocratis: *Quibus in urina deſident arenoſa, iis calculo veſica laborat*, & Galeni: *Sive in renibus, ſive in veſica calculi generentur, una cum urinis exeunt arenoſa*: quod admiſerit, quod probaverit, non acquieſco. Vidi equidem & ego in calculoſorum hominum urinis arenulas, & tophaceum album, rubeumque pulverem. Sed multoties etiam vidi magnum lapidem in veſica latentem, & obſignatum, quin arenulæ unquam mictæ fuerint. Ergo ſignum illud tutum non eſt; ergo aliquando fallax, neque Tyrones non tutis dogmatibus decipiendi ſunt.

1584 MARTINENGHUS

CELSUS Martinenghus in ſuis Commentariis, & in prævidendis morborum eventibus Hippocratem, & Galenum ſequitur, & per obſervationes procedit in criſibus, & diebus decretoriis. Inter cetera laudem meretur, ubi affert *terribilium indiciorum communium exempla*; & gradatim explicat diagnoſes, quæ futurum periculum portendunt.

1597 ULMUS

JOANNES Franciſcus Ulmus (1) occultas in re Medica proprietates acerrima ingenii vi explicat; quæ ſi veræ eſſent in illa præſertim parte, quæ extra corpus in diſtans adhibita, aut collo appenſa proſint, multa cum felicitate ægri curarentur. Nempe ſi lupinum ſtercus curaret colichos dolores, peonia epilepſiam, portulaca uvæ morbos, plantago ſtrumas, vulturis nervi podagricos, ungula alcis comitiales, alequecæ lapis, ex orientali India proveniens, hæmorrhagias; alterque ex Monaule renum dolorem. Quæ ſi experiri etiam ſub hoc cœlo aliquis vellet, non obſtarem. In Arte enim noſtra, quando ſtat Redianum illud: *ne noceas*, cetera omnia fieri poſſunt.

1600 GLISSENTUS

DE LAPIDE PHILOSOPHORUM

NEQUE mittendum eſt nomen Clariſſimi Viri, & doctiſſimi Medici Fabii Gliſſenti, qui tot cedro digna volumina in lucem emiſit. Inter, quæ elucet opus *Athanatophilia*, hoc eſt *contra il diſpiacer dol morire*. Ubi & moralia dogmata, & philoſophica myſteria ſumma mentis acie pertractantur; ad calcem extante pulcherrimo tractatu *de lapide philoſophorum*, una cum delectis chymiſtarum, & circumforaneorum technis, & hallucinationibus, quibus ob altiſſimam reconditam ſcientiam jactitant ſe, eſſe *ſummariam metallorum Medicinam*, & univerſale elyxir reperturos; ex quo dein immenſa multiplicatione cetera quoque metalla, ipſo igni reſiſtentia, & malleabilia in optimum argentum, & aurum permutentur. Proh damnabilem inſaniam, & execrandam divitiarum famem! proh extremam orbitatem, quæ neſcit, & perſuaderi non vult, a prima orbis æra in hoc uſque ævum, neminem Hermetem, Augurellum, Albertum Magnum, Arnaldum, Calid, Rupeſciſſam, Taludanum, Caravantem Hiſpanum, Lucam Rhodianum, Semitam Semitæ, totque alios de philoſophorum lapide ſcribentes philoſophos ſequendo, divitem factum fuiſſe: imo potius tanquam ſtultum, aut ſtultitiæ proximum a circumſtanti turba eſſe habitum, & indicatum: paulo poſt accedente pro expenſis integra propriæ rei, & ſubſtantiarum ruina. Argumentatio hæc ſane eſſet, quæ vaſtum dicendi campum ſuggereret. Sed a propoſita Medicinæ, præſertim practicæ, meta divertendum non eſt, & ſolummodo optandum, ut electus ſupradicti Brixiani Auctoris de philoſophorum lapide tractatellus, vere aureus, in latinum ſermonem vertatur, & ſolus, noviterque recuſus, publicæ utilitati peragret Mundum.

1607 PADOANO

EODEM circiter anno florebat Bartholomæus Comes Padoano ex Quintiano, Medicus inter collegiatos Brixiæ, qui edidit indicem annotationum rerum memorabilium decerptarum in commentariis Franciſci Valleſii, indicem animantium, aquaticorum, item collectionem definitionum ad Medicinam ſpectantium. Obiit 1650.

1630 TIRELLI

MAURITIUS Tirelli ſcripſit de Hiſtoria vini, & febrium.

1646 RANCHI

BENEDICTUS Ranchi Brixiano-Clarenſis de Febre quotidiana, phlegmatica diſputat: ſed quia diſputationibus ſuis practicæ Medicinæ pomeria non amplificat, mittitur ſine examine.

1650

(1) De quo mentionem facit Chriſtianus Johannes Langius in Hiſtoria Medica pag. 30.

1650 OCHI

De peſtilentibus, ac venenoſis morbis acturus Hieronymus Ochi Rizzetti, cauſam præcipue inquirit in aeris conſtitutione, illumque conſiderat calidum, ſuffocantem, auſtrinum, frigidum, aquilonium &c. ita tamen, ut a *fœdis vaporibus* , *& pravis exhalationibus* inquinaretur; cum peſtem a cœlis ortam ipſe etiam Hippocrates nunquam cognoverit. Illud ab hoc auctore diſcere debemus, quod morborum cauſa non eſt ſemper ſola auſtrina, borealis, aut ſicca, ob quam Romani (1) olim periere; ſed morborum, & peſtilentiarum cauſæ ſunt *magnæ*, & *extremæ mutationes*. Et quando conſtitutio in una, vel altera diu perſeverat, timendum eſt. De quo vide plura in Epiſtola Saxoniam miſſa Clariſſimo Philippo de Violante, ſummorum illic Monarcharum Medico , ubi fuſius de Brixiana epidemia a nobis actum eſt.

1660 PIUS

Petrus Pius obiit Caſtilioni. Vir fuit ſummi nominis in Medicina, ediditque libellum : *Corona d'Apollo*.

1686 SACHETTUS

Quæ Hieronymus Sachettus Aelianus Medicus, & civis Brixianus ſcripſit de Podagricis, & arthriticis morbis, quæque inſuper de iſchiade, de guttariæ generibus, & articularibus morbis commentatus eſt , ab nominis etymologia, ex ſymptomatibus, exque torquendi modis (2) laudem mereri poſſunt: ſed ſi eadem libertate, qua (3) in Galenum invehitur, quando illum admonuit, pueros, & eunuchos Galeni diebus arthritide, non podagra laboraſſe, hoc etiam in loco procederet, & ambabus ulnis Hippocratis effatum non amplecteretur, mihi magis arrideret. Ait enim Cous (4) *Quicumque podagrici morbi fiunt, ii, ſedata inflammatione in quadraginta diebus conquieſcunt*. Quem doctiſſimum alioquin hominem pecudum more ſequens Sachettus ait: *Cui ſane, & experientia ipſa aſtipulatur, & omnes fere artis magiſtri aſſentiuntur*. Ipſe ſane admirari non deſino, quomodo docti Viri, dictatoria certitudine, id ipſum affirmaverint; quandoquidem in mea praxi hanc legem non vidi. Plurimæ ſiquidem tam podagricæ, quam arthriticæ ægritudines, & primum, & longe poſt quadrageſimum deſiere (5).

Quia tamen ad facta, ad utilitatem properandum nobis eſt, quæ in ſupradictorum morborum curatione a ſupradicto Brixiano Scriptore propoſita, ſub hoc cœlo vitanda, quæque ſeligenda ſunt, jam proponimus.

(1) Ut voluit Plinius.
(2) Nempe ex vitio naturæ aut e re cœleſti, aut virtutis formatricis imbecillitate, aut vitio ſeminis, aut ſanguinis.
(3) Pag. 42.

PRO CURATIONE PODAGRÆ, ET ARTHRITIDIS

REMEDIA VITANDA

Electuarium de ſucco roſarum Alexandri , de limonibus Aetii, catapotium, euphorbium, mezereon, trociſci altrandal, diamanna ſcammoneatum , oxygalum, meſpyla, ſuccum granatorum , vinum rubrum auſterum, & acerbum, cotonea , ſpica , myrrha , balauſtia , capparis , pyrethrum, elleborus utraque , cucumerus agreſtis, piper.

Vitarem inſuper cucurbitulam parti affectæ applicitam, & ſubinde multis corniculis circumpoſitis affixis ſcarificatam, & hirudinibus irritatam, in quibus falſo autumat cardinem curationis conſiſtere: quia promoto ſuctu, & facto emiſſario, mechanica neceſſitate omnes corporis humores eo confluunt, & ſecundum divini Senis monita per partem affectam evacuandum non eſt.

Idem dicendum de cantharidibus, alumine uſto, arſenico cryſtallino, vini fæce uſta , ſtercore columbi, aut calce viva, quæ omnia, quamvis ab auctore propoſita, angue pejus vitanda ſunt.

REMEDIA SELIGENDA

Seligerem mel roſatum, ſyrupum de duabus radicibus, pilulas aloephanginas, ſtomachicas: ventriculum enim, ſuaque errata primarii ſunt hujus morbi fomites: rhabarbarum, hermodactylos, decoctum thymi cum ſeſamo , lactucam, portulacam, bolum armenum, milium , oryzam, centaurium , marrubium , abſynthium , chamæmelum, fragariam, melilotum, polygonum, rorem marinum, avenam , urticæ ſemen , ſabinam , mentham.

Ad moderandum dolorem: Lactucam, ſempervivum, hyoſciamum, ſolatrum , papaverum album.

Ab extra; butyrum, oeſipum, lanam bene ſuccidam, adipem ſuillam, ſimiæ, anguillæ, gallinaceam, anſerinam, anatis, cuniculi, hædi , agni, vulpinam, aſininam. Item oleum e ranis, & lumbricis: cataplaſma ex tenuioribus virgultis , ac nucibus cupreſſi, & linimentum ex liguſti foliis.

Item errhina apophlegmatiſmata, & omnia alia remedia diſtincte propoſita, quæ anchyloſis effectibus ſubinde natis, tophiſque aptari poſſunt.

PRÆ-

(4) Aphoriſ. 49.
(5) Videantur inibi diagnoſes arthriticum morbum a podagrico diſtinguentes.

PRÆSERVATIO A PODAGRA SECUNDUM SACHETTI MENTEM

PRoposito prius pulvere exſiccante ex oſſibus humanis ejuſdem partis, quæ laborat, tria proponit antidota pro præſervatione podagræ.

PRIMUM

Conſtat ex gentiana, ariſtolochia, baccis lauri, & myrrha in pulverem redactis. Doſis. Cochlear dimidium.

SECUNDUM

♃. Cancrorum grandium vivorum in æneo vaſe uſtorum ℥ IIII gentianæ probatæ ℥ v thuris integri ℥ I. Ad uſtionem cancrorum ligna vitis adhibeantur. Doſis. Cochlear unum.

TERTIUM

Centaurii minoris comæ, centaurii majoris radicis, triſſaginis, gentianæ, ariſtolochiæ, ſingulorum æquale pondus terito, & cribrato, & ʒ I præbeto. Ubi inſuper videnda eſt curatio Nobilis Viri Comitis Gambara podagra laborantis.

1687 CAPREDONUS, necnon ANTENORI

INter Herculem Capredonum, & Antonium Antenori ſubortæ ſunt diſputationes circa curationem vulneris in Nobiliſſimo Viro Brixiano: verum quia eædem mordicus tractantur, poſtque mille contumelias, nec veritas, nec remedium aliquid ſingulare pro curandis ex ſclopeto vulneribus elucet, ad alia prætervolamus.

EXCERPTA EX ACTIS ERUDITORUM LIPSIENSIUM pag. 14. T. 2.

ACTA NOVÆ ACADEMIÆ PHILEXOTICORUM NATURÆ ET ARTIS

(Brixiæ, apud Jo: Mariam Ricciardum 1687 in 8.)

1687

INibi proſtat extractum epiſtolæ, cujus auctor fuit egregius Vir Bernardinus Bonus Medicus Brixianus magni nominis, qui illo tempore florebat, ubi felis anatomica inſpectio exhibetur, & ſermo fit de igne ſponte accenſo in cujuſdam cloacæ parietibus, qui ſale nitro incruſtati erant.

Additur caſus annoſæ quercus prope oppidum Brixianum *Rodengo*, quæ ſiriis vigentibus ardoribus, *ſoloque per trimeſtre ſpatium arido*, per triduum multam dedit aquæ quantitatem.

De lapillo magnitudinis ovi gallinacei, per anum excreto non obſtupeſco; nec quæro, utrum ex ducto coledocho in inteſtina advenerit.

Quod me plurimum rapit, & rarum a noſtris tunc temporis Brixianis Academicis refertur, eſt narium hæmorrhagia in juvene, quæ ſpatio decem dierum *quinque ſupra ſeptuaginta ſanguinis pondo* fudit. Admittamus, quod ſeroſus fuerit, quod lotium in illo tempore defecerit, quod potus, & alimentum recta via ſanguinem augerent, quodque aer ipſum ambiens, & humectus inter poros adigeretur, ut in diabete ſolemne eſt, & noſtris Brixienſibus contra factum non obſtemus.

Pag. pariter 29, eodem Clariſſimo Bernardino Bono referente, mentio fit cujuſdam cruenti mictus ſepties in ingreſſu febris recurrentis; Ægro fæliciter ſanitati reſtituto.

TRANSPLANTATIO MORBI

FAcilem morbi tranſplantationem, exemplo etiam notatam, in juvene Brixiano parotide ſub maxillis laborante, nos non admittimus, nec cæca credulitate abſorbemus. Oh; ſi ſanguine extracto, urinis mictis, ſublatiſque faſciis, ab aliquo homine, vel animali devoratis, morbus contraheretur, libero remanente primo ægroto, in beſtiis certo, in hominibus fortaſſe charitas periret.

BERNARDINUS TOMBINUS

VIr fuit celebris in Arte Medica, & adminiſtrationes etiam Chirurgicas exequi non dedignabatur; num vero vulnera in pectus penetrantia, aqua *cornu unicornis* epota, curari queant, ut ipſe in iiſdemmet Actis (1) profert, valde dubito. Cum accidentales eventus naturæ interdum tribuantur, & contra.

URINA FRIGIDA MICTA

RArior eſt caſus, quem ipſe refert de frigida urina micta ab ægra, quæ tantum calorem ſervabat, ut iterum convaluerit. Niſi a peculiari ſalium exiſtentia hoc phenomenon expiſcabimur, neſcio unquam, quænam vera ratio dicenda ſit.

1712 MASINUS

DIſſertatio epiſtolaris de Boum epidemia Auctore Jo: Baptiſta Mazino.

1714

PRoduxit opus de particulis ferrum conſtituentibus, a quo illud unum rei noſtræ accomo-

(1) Pag. 57.

comodare debemus: utilitatem nempe, quam ægri obſtructionibus loborantes capiunt ab uſu limaturæ ferri, præcipue ubi ad rubiginem pervenerit, quam chalybis. Quod quidem & nos in praxi obſervavimus, & Mazinus etiam probat auctoritate famigeratiſſimi tunc Brixiani Medici Octavii Caſtrini.

1723

Supra relatus Joannes Baptiſta Mazinus in lucem emiſit Mechanicam morborum deſumptam a motu ſanguinis (1) 1725; deſumptam a motu ſolidorum 1727; a motu februm 1734. Mechanicam Medicamentorum 17. . . Inſtitutiones phyſico-medico mechanicas 17. . . . de Reſpiratione fœtus. Tandemque 1743 Mechanicam pulſuum, & urinarum.

JO: BAPTISTÆ MAZINI BRIXIANI PROFESSORIS PATAVINI

VITA

Die trigeſima prima Maii anni 1677 ortus eſt Joannes Baptiſta Mazinus ex Petro, & Catharina Roſſi, honeſtis, civilibuſque Parentibus. Ab his optimam ſortitus morum, & pietatis inſtitutionem RR. Patribus Societatis Jeſu concreditus fuit, ubi emenſo primorum ſtudiorum curriculo, ad bonarum diſciplinarum cultum, in ipſo adoleſcentiæ flore animum convertere cœpit; mirabiliterque adeo profecit, ut R. P. Julianus ex nobili Brixiana Bornatorum familia, inſignis tunc temporis Mathematicus, cernens, & funditus noſcens optimam adoleſcentis indolem, præ deliciis habuerit, proque recto ſcopo ſibi præfixerit eundem Matheſeos, Geometriæ, Algebræque elementis decorare.

Creſcente interim ætate, auctoque ſemper magis nobilium artium ſtudio, plurimum acquiſivit, magnamque utilitatem ſibi promovit ex documentis, & monitis celeberrimi in literaria republica Viri Cypriani Benaglia Abbatis, & nunc Præſidis Generalis Congregationis Benedictino-Caſinenſis, quo coram & per literas loquendo feliciter evenit, ut præconcepta ſcientiarum omnium ſemina ad perfectum fructum perduxerit.

Hiſce auſpiciis anno 1698 ad Patavinum Archilycæum ſe contulit, ibique Doctorali Laurea anno 1701 inſignitus, in Brixianamque patriam reverſus, volens, nolens, & Valliſnerianis præceptis inhærens, Clinicæ arti ſe addicere debuit. Tam quippe fama de illo loquens increbuerat, tamque honeſti illius mores omnibus charum reddiderant, ut cito in Medicum Practicumque uſum vocatus, inter primarios urbis Profeſſores locum habuerit.

Feliciter idcirco, utiliterque ad plures annos ſe geſſit in Arte Hippocratica, & in longinquas regiones quandoque accitus oſtendit, Scientiam & Praxim paribus fundamentis in eodem florere. Prudentia, honeſtate, ingenuiſque animi moribus ceteras dotes confirmantibus.

Verum invidit Patavium Brixianæ ſorti; quemque alumnum, & diſcentem olim habuit, jure quodam Magiſtrum, & docentem voluit. Patrocinantibus idcirco Principibus Patriciis Viris, & rei literariæ Moderatoribus anno 1727 in publicam Cathedram collocatus, Praximque Medicam interpretatus eſt, & apud Ægros feliciter, & ſumma cum laude adminiſtravit. Quinimo Brixiano etiam Collegio Nobilium Medicorum aggregatus fuit: ſed inter tot mentis, & corporis labores, interque privatas, & publicas lectiones, fatiſcente in dies ſolidorum vi, ad pectoris arcem humorum congeries pedetentim concreta, anno 1743, ſuæque ætatis ſexageſimo ſexto, vitæ flammam intercepit.

(1) Edita etiam Francfurti, & *Offembac*.

EPIDEMIA

CATARRHORUM, ET FEBRIUM QUÆ ANNO 1743 BRIXIÆ GRASSATÆ SUNT

ILLUSTRISSIMO SAPIENTISSIMOQUE VIRO

PHILIPPO DE VIOLANTE

Regis Poloniarnm Conſiliario, & Regii, atque Electoralis Principis Medico Ordinario

Franciscus Co: Roncalli Parolinus

S. D.

Binis, iiſque humaniſſimis literis Illuſtriſſimus Baldaſſar Abbas dall'Era, dilecti, dum vivebat, & literatiſſimi Stephani Pallavicino, de hac tua Summorum Monarcharum aula optime meriti, ex ſorore nepos, a nobis percontatus eſt, num aliquid ex meo typis proxime tradendum eſſet, addens inſuper te jubente ſcripſiſſe, & quaſi innuens, fieri etiam poſſe, ut tu aliquibus animadverſionibus, tuiſque doctiſſimis Scriptis futuram noſtram editionem fortaſſe ditares. Quanta idcirco fuerit lætitia, & quantum ipſe exultaverim, facile judicabis, ſi jam aliquot ab hinc annis tibi oretenus concreditæ in Veneta urbe amicitiæ meæ memor fueris, ſi conſiliorum aliunde venientium me avidiſſimum noveris; ſi denique tot beneficiis me tibi devinctum conſideraveris, ex quo ſit, ut de tanto honore jam jam mihi gratuler, tuamque Diſſertationem flagrantiſſime expectem.

Ad noſtra vero, quæ in præſens meditamur, quod attinet, vix tibi clara, & diſtincta nota facere

cere poſſum, quotidiana praxi, viſitandiſque Ægris me in diverſa trahentibus, improbumque illum laborem poſcentibus, quem meis in deliciis eſſet ſaltem dividere, mediamque ejus partem ſtudiis, & calamo tradere.

Præterita hyeme in hac noſtra Brixiana regione dira febrium catarrhalium, coryzarum, gravedinum, & rheumaticarum fluxionum in pectoris arce præcipue ſævientium epidemia vexati fuimus, quæ dein per totum Venetum imperium longe lateque graſſata eſt; quæque tantis ſtipata fuit ſymptomatibus, totque diverſos inter ſe peperit effectus, ut libellus potius, quam epiſtola occurreret conſcribendus.

Finiente Octobri 1742 corus ab occaſu, auſterque ex meridionali plaga afflare Brixianam terram cæperunt; hinc humefacto ſolo, tepente aere, & atmoſphera cum perpetuis ſubinde pluviis enormiter vitiata, ex præpedita tranſpiratione deſtillationes a capite, earundemque excretiones cum tuſſi per os, aut methaſtaſes ad pectus pleuriticum morbum ſimulantes, aut intercepto, vel obſignato ſanguinis commeatu revera efficientes.

Nonnulli ſola ephemera, plures tribus, vel quinque paroxyſmis, minus fortes plurium dierum intervallo, multi per ſudores feliciter liberabantur.

Fere omnes ex improviſo laborarunt, morbumque quamvis levem, identidem animo deficientes, ſtando ferre non poterant. Et ſane tunc temporis ſtatutum, & confirmatum ab omnibus eſt, quantum poſſit vis aeris in ſublunaria animata. Etenim ut plurimum in ſanguine, in viſceribus nulla præexiſtebat labes, ut venæ ſectæ, & cathartica fruſtra adhibita docuerunt, & tamen morboſa aura quaſi nemini pepercit. Qui tamen præexiſtens aliquod in internis ſolidis vitium patiebantur, aut antiquæ ſanguinis dyſcraſiæ erant obnoxii, & valetudinarii, ad plures iter facere debuerunt.

In primo epidemici hujuſce morbi ingreſſu, quo non unus, vel alter de tota familia, ſed fere omnes eodem momento lecto decumbere debuerunt, & quo communitates, monaſteria, ipſique Medicinæ Profeſſores congredi cum diro hoc hoſte coacti ſunt, non levis timor invaluit: unde ſemper magis invigilando, diebuſque dies docentibus, diverſos quidem vidimus effectus, & morbos ſecundum recipientium organorum prædiſpoſitiones, ſed fere omnes ſuper deſcriptum habuerunt characterem, & pediſſequum catarrhalis amurcæ proventum, quæ ſi feliciter non matureſcens, non concocta per os, & nares non exivit, in ſanguine ſubſiſtens, plures excitavit, & voluit febriles paroxiſmos, quinta vel ſeptima finientes, antequam attenuaretur, ſolveretur, & per inferiora naturæ emiſſaria ſecederet.

Sin vero in hoc febrientis, & morbidæ naturæ anfractu, aut ex perpetratis in victus regimine erroribus, aut ex emiſſariis minus apertis, & patulis, aut ex obortis, ob internas fermentationes, malignis qualitatibus, aut bile ad ſummum ſulphureæ activitatis gradum evecta, majores in ſanguine effferveſcentiæ excitatæ ſunt; tunc ſane a coryza ad pleuritides, a gravedine ad peripneumonias, a cephalalgia ad phrænitides, ab anhelitu ad ortophnæas, ab errabundis, & intermittentibus ad ſynochas, ad acutas, petechiales, atque malignas, & pernicioſas tranſitus factus eſt.

Et quamvis multorum prima, faciliterque abſque remediis recuperata ſalus, morboſæ ærumnæ benignitatem quodammodo præſeferret, periculoſi tamen caſus, qui vitam hominum ponebant in ancipiti, & frequentiora plus ſolito in urbe totaque Brixiana regione funera, & meſtos reddiderunt cives, & artem excitarunt, ut unuſquiſque Hippocratis aſſecla pro noſcendo morbi genere, proque tollendis humanæ machinæ præjudiciis, pro viribus incumberet, juxta illud Hippocratis (1). Quare *ad principia*, *ad matutina*, *ad acceſſiones*, *ad continuationem*, *ad annorum*, *annive tempus*, *ad tempeſtates* mens adhibenda eſt.

Decrepita ſenectus, ruſtici, pauperes, & arcto viventes bene multi periere. Viri, & mulieres mediæ ætatis laborarunt. Infantes uſque ad pubertatem potius præſervabantur.

Ad cauſas vero, quæ ad hujus fati productionem conſpirare potuerunt, cum ſupervacaneum ſit peculiares querere, ubi fere omnes laborarunt, ſic de univerſalibus agendo, retroeundum nobis eſſet, & attenta indagine perquirendum, num ſirii ardores, qui illico poſt vergiliarum occaſum inceperunt, & tota præterita æſtate, nimis longe abſque pluvia flagrarunt, noxiam ſiccitatem in Brixianorum membranis, & fibris induxerint, aridaque, & exſucca, proindeque noxia reddiderint vegetabilia, non ſolum hortenſia, fructuſque horrarios, quibus veſcimur, ſed etiam pratenſia, ceteraque alimenta, ex quibus ſtrigoſum factum beſtiarum genus, caroque bubula, & vitulina ſuccoſo, vitali, lacteoque ſucco orbata, in humanam eſcam morboſe faceſſeret.

His poſitis principiis, & probabilibus ægritudinum primordiis, & ſtaminibus, non leve acceſſit incrementum ab infenſa vinorum aciditate, quæ elapſo anno potare debuimus. Adverſa ſiquidem temporum conſtitutione, frigidiſque pruinis factum eſt, ut tardius uvæ maturaverint, unde acidum embamma in muſtaceis ipſis fermentationibus non bene ſubactum, & ſanguineæ dein maſſæ nuptum, ejuſdem circuitum retardavit, coagulationes promovit, ſeparationes præpedivit.

Huic liquidorum ataxiæ, acceſſeritne aliquod in ſolidis criſpamentum, & rigor, ob quæ oſcillationis neceſſaria facilitas perierit, & junctas morboſæ cauſæ manus dederint, ſummopere dubitandum; cum ſupradictarum qualitatum proprietas ſatis pateat, & pars quæ præcipue affecta fuit, thorax ſcilicet, & interna ſpiritalia viſcera, id ſatis doceant: ubi ſiccus inſpiratus aer ſuas vires exerit, ubi facilius, ob pulmonalium lobrum

(1) De Epidemiis Libro quinto.

brum laxitatem materiæ decumbunt, & acidum implantatur.

Præter has cauſas una, & effectus, quos tibi tumultuarie retuli, Vir Clariſſime, ut tranſactæ noſtræ calamitatis tutiora haberes indicia, ſignanter ulterius explicanda eſſet peculiaris illa aeris qualitas, quæ irrepſit, perduravit, totque mala effecit. Sed ſi veritatem, eamque indubiam, & quidditativam petis, tibi, ut mei moris eſt, libere dicam, poſt multa examina, atque doctorum virorum, & amicorum conſilia, eam me latere.

Poſſem equidem tibi repetere, quæ mox innuebam, auſtrinas conſtitutiones, ex torrida provenientes zona, ipſi Hippocrati (1), & Cornelio Celſo (2) fuiſſe ſuſpectas, ut in Diſſertationibus noſtris tibi, biennio ab hinc, dono miſſis, pagina duodecima ad Brixianam terram quod ſpectat, exaravimus, aut ſaltem tetigimus: circium Italiæ inimicum (3) ab occaſu ex Gallia provenientem, qui aliquando dominatus eſt, morbos exaſperaſſe. Ab inſueta frigoris abſentia terræ ſuperficiem non congelatam fuiſſe, ideoque infinitam animalculorum, vermium, & inſectorum congeriem, non humatam, non abſconditam, neque in terræ viſcera compenetratam, ſed in aere libero, molli, tepido, humecto, ideoque ad prolificandum aptiſſimo, fermentantem, cubantem, corruptam, putrefactam noxias qualitates auxiſſe, ideoque merito magnum Hippocratem ſcriptum reliquiſſe (4): *Cum autem autumnus, pluviæque cæpiſſent, lethales erant, plurimique peribant.*

Ventos etiam ceteros meridionales, calidos, humidos per totum Octobrem, Novembrem, & Decembrem a Mantuano ſolo, Gallia Ciſalpina, Pado, imiſque illis locis exeuntes ſemper ſufflaſſe, qui ſuſpecti ſunt, tam ratione ſuæ originis, quam ratione tranſitus per Brixianum humilius planum, ubi paludes, nebulæ, caligines, & uliginoſi vapores tranſeuntem aerem ſemper magis inficiunt. Quo quidem aquoſiore, & ponderoſiore facto, quis inficias ibit, in perpetuo inevitabili, & voluntario reſpirationis negotio, immenſam cum aere gravitatem non abſorberi, eandemque, & pulmonicis non adhærere tunicis, & lobis, medioque circuitu omnia adire viſcera, ipſas tranſverſum fibras repere, moras ducere, extenſiones, & compreſſiones ciere, & totam ſanguinis maſſam infarcire? quod apprime exinde probarunt perennes deſtillationes, & expectorationes, necnon exundantes ſudores, quibus mediis ægri a morbo interdum critice liberabantur.

Poſſem tibi proponere, ad multum tempus defuiſſe aquilonem, juxta illud Hippocratis *Septentrio parum ſpiravit* (5), qui contaminatas has aeris humiditates, & gravitates diſſiparet, optatamque temperiem produceret; uno verbo defuiſſe ſuda, adumbratum, obſcuratumque fuiſſe ſolem, a quibus ſicuti totius orbis, ita & Brixianæ terræ beatitas conſurgeret, & populorum incolumitas in perpendiculum reſtitueretur. Hæc, inquam, omnia, ſi inquirerem, & funditus introſpicerem, atque examinarem, nec abſre eſſet, neque ab exemplo, & documentis clariſſimorum virorum in pari pulvere deſudantium, ne latum quidem unguem diſcedere, aut diſtare mihi viderer, meæque diſceptationis argumentum probabilioribus conjecturis, & ratiociniis fultum niſi laudem, ſaltem veniam fortaſſe obtineret. Sed quia, qui rem acu tangere cupiunt, non acquieſcerent, lubens superſedeo, & quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, peculiarem, indubiam aeris qualitatem, quæ hiſce morbis producendis conſpiravit, ſtatuendum relinquo.

Notatu tamen dignum fuit in barometro Mercurium, cujus ſumma altitudo viginti octo pollicibus menſurabatur menſe Novembri, & Decembri, parvis factis mutationibus, per decem, & ſeptem lineas, plus pollice, & dimidio ſcilicet, deſcendiſſe, ibique durante epidemicæ conſtitutionis vigore, ſubſtitiſſe, ubi jam antea nunquam declinaverat, & ubi tempeſtates, & procellæ notantur. Signum evidentiſſimum, quod tanta latebat aquoſarum, & ſupradictarum infarcientium qualitatum in aere quantitas, ut ſuffocatis principiis elaſticis, & nitroſis viribus, inferior in adaperta phiala Mercurius non augeretur, nullaque compreſſione excitaretur ad hoc, ut in Torricelliana fiſtula poſſet aſcendere: ſique tanta diverſitas evenit in vitreo tubo, qui diaphanus quidem, ſed ſine ſenſu eſt, arguet quiſque, quid evenire potuerit in tubis vivis, in fibris motricibus, in utribus membranoſis, ubi omnia unum, ubi infinitus conſenſus, ubi inſitus æther, & aura in omnibus permeaculis diſſeminata ab externo aere, ſi puro, & homologo connutritur, ad vitamque revocatur: ſi ætherogeneo, opprimitur, ſuffocatur. Quæ omnia a Chriſtiano Johanne Langio, Lipſienſis Archilycęi Profeſſore olim celeberrimo, tractatu de Homine Barometro, graphice jam pertractata ſunt.

Interim, quia non ultimas rerum differentias, quæ ut plurimum imperſcrutabiles ſunt, quæque fortaſſe deinceps in puteo latebunt, ſed quæ juvarunt, Medicus amplecti debet, ſic, aliquibus exaratis phenomenis, examinatis cauſis, & lædendi modis, necnon ſymptomatibus in medium productis, ut de pari morbo arguendum ſit, & exempla proximo proſint; nonnulla delibabo circa executas in toto Epidemicæ conſtitutionis curſu a Brixianis Medicis curationes, & adhibita remedia, ut conſtet, qua via eiſdem in caſibus eundem ſit. Tam enim interdum inter ſe differunt Epidemici morbi, ut ait Sydenhamius (6), ut qua methodo

(1) De Epidemiis Lib. I.
(2) Lib. II.
(3) Ut voluit Plinius lib. 2. pag. 47.
(4) In ſtatu Tertio de Epidemiis.
(5) De Epidemiis Libro primo.
(6) De Morbis Epidemicis, capite ſecundo.

thodo hoc anno ægrotos curabis, altero occidas.

Illi idcirco, in quibus *deſtillamenta rheumatave tenuja*, *acria defluebant* (1) quique, *nihil tamen guſtantes*, leviter laborarunt, quorum denique ægritudo lento paſſu, cum apyrexia omnimoda, & benigna, licet fere omnes impetens, coryzæ, gravedinis, & lymphaticæ febris gradus non prætergrediebatur, licet abſceſſus circa dentes, & læſionem vocis paterentur, vel ſine remediis, vel tenui diæta, abſque cortice Peruviano, qui in hac Epidemia indicatus non videbatur, lecto tamen decumbentes, & puſtulato prius interdum ore, priſtinæ incolumitati reſtituti ſunt. Leviter interdum pertractati, aut oleo amygdalarum dulcium, ſi pichrocoli erant habitus, & ſiccæ temperiei, vel decoctionibus calidiuſculis frequenter ſorbillatis ex pectoralibus, præcipue floribus papaveris erratici, theè, ſyrupo capillorum veneris, hyſſopi, iviubis, dactylis, malis apianis, ficubus inſolatis, & ſimilibus.

In vetulis vero, aut quocumque alio præcedenti morbo, præcipue circa pectus ſignatis (2), & valetudinariis res plena fuit difficultatibus, & non unica methodo, ſed ſecundum diverſos impreſſionis, & effectuum gradus agendum nobis fuit.

Quando ſiquidem anteeunte prius rigore cum concitatorum, & per ſpaſmodiam coarctatorum pulſuum duritie, inæqualitate, cum dolore lateris punctorio, gravativo, aut corporis pondere ſoporifero, cum inflammatione rubebant (3), & pervigilabant, cum interna moleſtiſſima perturbatione ad veſperum æſtuabant; licet adhuc non ſe prodierint tuſſis, & ſputum ſanguinis, illico præcipue in plethoricis de ſanguinis miſſione agebatur; & quidem, ut plurimum cum levamine: quamvis fere ſemper in uno cruſta alba ad altiorem ſanguinis ſuperficiem concreſcens, & obdurata emerſerit, in altero ſerum a craſſamento ſeparatum, colorem vel viridem, vel flavum præſetulerit. Etenim laxata fibra, & dempta plenitudine vaſorum, vis oſcillationum reſurgebat; ſtagnanſque circa partes amurca facilius ad trachealia ora, internumque guttur aſcendebat, & expuebatur; & confirmatis quoad agendi lumen pleuritidis, aut peripneumoniæ ſignis, Medentium mentes magis doctæ, & determinatæ, aut apophlegmatiſmatis, & calidiuſculis potibus ex hædera terreſtri, helenio, pulmonaria, imperatoria, angelica, ſcabioſa, althea, ſpermate ceti, rapis, hordeo paſſulato, pomiſque dulcibus repletis thure maſculino, ſpeciebus pleuriticis Mynſicht, oleo ſeminum lini, in gracilibus, aut ex ſanguine hircino, ſtibio diaphoretico, ſpiritu fuliginis, oxymelite ſcillitico, ſyrupo de nicotiana, bezoar, & camphora in pinguedinoſis, habituſque plethorici, altum emiſſarium pro pectoris levamine promovebant.

Tibi inſuper non ſilebo, Vir ornatiſſime, hiſce in caſibus comprobata vidiſſe documenta Bagliviana in illis, qui imum dolorem veluti deſcendentem circa mendoſas coſtas accuſabant, in quibus levioribus interdum catharticis excretiones acres, vellicantes pingues ultra inteſtina in meſentericis etiam tubis ſtabulantes, ad anum ſollicitare debuimus, & quidem utiliſſimas.

Ab emeticis, quæ Germani, & Angli in epidemicis etiam morbis collaudant, abſtinuimus; licet aliquando adeſſent ventriculi labores, & chardialgiacæ paſſiones; tum quia conſentientibus Brixianis omnibus Medicis in hac noſtra cœli conſtitutione, & temperamentorum idioſyncriſia raro uſuveniunt; tum quia initio morbi, quando materia in venis turget, ſtimulos in conſentientibus fibris, & membranis excitare, idem eſt, ac convulſiones, & vaſorum rupturas ciere, aut ſaltem ad caput, ad pectus, quæ hujuſce epidemiæ ſedes fuere, methaſtaſes producere.

In cura, ut ajunt, coacta, & uno eodemque actu perdurante phræneſi, & convulſione cum ſpaſmodicis artuum abbreviationibus, necnon febri malignantis naturæ, ſemper acuta, ſemperque cum pulſibus exiguis, parvulis, ſuſpenſis, interdum intermittentibus, homotona, cum lotiis decoloribus, & crudis ad exhibitionem Mercurii ventum eſt. Quod remedii genus nuper Joannes Baptiſta Moreali Saſſolenſis Medicus Regii Lepidi propoſuit, & doctiſſimus Vir, meique amiciſſimus Andreas Roſſeti, in Veneta urbe ſummo cum plauſu Medicinam faciens, mihi oretenus multoties probavit; ſed eventu votis non reſpondente. Ut inter ceteros ipſe vidi in Collegii Nobilium Convictore quatuordecim circiter annorum, qui ſupradicta ægritudine detentus, & adſtante Nobili ſapientiſſimo Profeſſore Medicinæ Aloyſio Garbello, nobiſque in conſilium vocatis, licet contrayervæ, & mercurii decoctio fuerit in uſum poſita, attamen periit atrophus, & convulſus.

Interdictis vero, aut ab alicujus convulſionis obſtaculis, liquidorum commercio, & ſpirituum animalium tranſitu, & recrudeſcente, ut interdum evenit, morbo, aut tacto irritatove diaphragmate, ut dolor circa ſternum, & cingulum manifeſtavit, aliqui cum jactationibus, & linguæ nigredine aphoni mutuerunt, & deliria (4) cum univerſa corporis laſſitudine paſſi ſunt. Ad quorum curationem non raro juvarunt veſicantia, & ſinapiſmi infernis partibus applicita. Tranſactis vero primis diebus, dempta plenitudine, ægriſque ad debilitatem properantibus, cruſtulum vino Cyprio humectatum interdum, & quidem utiliter, permiſi, ſecutus documenta viri celeberrimi Pauli Valcarengi (5) qui ſemimortuam malvatico meraciore vino curavit. Præter quæ, quid profuerint tot cordialia, tot ſpecifica, totque alexipharmaca

variis

(1) Hippocrates de Epidemiis, Libro primo.
(2) Juxta illud Hippocratis: *Tabifici peribant*.
(3) Hippocrates de Epidemiis, Libro primo.

(4) Vigente autumno, *inſaniæ*. Hippocrates Aphoriſmo 21. ſect. 3.
(5) In Medicina Rationali, ſectione 1. cap. 3. pag. 23.

variis modis adminiſtrata, vix poſſum dicere, & tibi aperire.

Scio ſolum, ſemperque magis invaluit notitia, in totam ferme Italiam dirum morbum invaſiſſe, adeo ut nulla provincia nunc cito, nunc ſero intacta remanſerit. Hiſce oculis vidi Mediolanum, quando epidemica conſtitutio menſe Novembris 1742 incępit, & quando Eminentiſſimus Archiepiſcopus Cardinalis Stampa ineffabili ſua humanitate multis honoribus me proſecutus eſt, meamque opinionem circa adverſam valetudinem ſuam ſiſcitavit. Vidi dein Venetias toto Decembri, & Januario 1743, & pluribus Medicis conſiliis accitus interſui, & in ambabus magnis urbibus, licet centum, & octoginta milliaria diſsitis, eadem ſymptomata, eundemque afficiendi modum obſervavi, & undique lugenda methaſtaſi thorax ſemper affectus erat; a catarrho quidem præcipue, ſed impedito in ſuo motu ſpiritali viſcere, pręſto erant inflammationes cum vitæ periculo. Tam Mediolanenſes, quam Veneti Medici in medendi methodo pares procedebant: ſique aliqua interceſſit diverſitas, fuit primorum in remediis circumſpecta parſimonia; ſecundorum vero ad uſum chinæ chinæ, quæ Brixiæ, ut dixi, ſuſpecta erat, proclivitas.

Circa remedia tamen confirmavi, quod mihi, in medica multorum annorum praxi ſollicito, & obſervanti pluries jam ſuaſeram: nempe tantam remediorum farraginem, tantamque nartheciorum ſupellectilem, quibus, ut aliquid agant, utuntur Clinici vulgares, eſſe crumenæ ruvinam, & fortaſſe, ubi in ventriculum, & cruorem fuerint adacta, impedimentum, ob quod natura optatas concoctiones, & maturationes moliri non poſſit. De facto, in toto epidemicæ conſtitutionis curſu, quoties in conſilium advocatus, de difficili curatione agebatur, vix conſuetam remediorum cantilenam proponere audebam. Quamvis enim graviorum Auctorum longa ſeries ea ipſa promoveat, & adminiſtranda moneat, atque Medicorum multitudo, gaudentibus Pharmacopolis, aſtipuletur; nihilominus poſtquam centies, & ultra vidi illud remedium illum effectum non peperiſſe, quæro abs te, vir optime, nun pecudum more proponendum, & executioni mandandum ſit. Ego, quæ in primo Medicinæ faciendæ curriculo, ut Auctoribus, & Magiſtris morem gererem, feci, jam in præſens abominor. Cumque poſt tot labores, poſtque tot curationum diſcrimina, adhuc deſiderem victoriam de ægro, qui mediis inſipidis lapidibus, fermentatis, & corruptis ſyrupis, aut ſpecificis, & falſo decantatis tot ſimpliciorum viribus, convaluerit; per conſequens Baglivi, Lanciſi, & Redj documenta ſeligens, naturam, ſequor, ſimplicitati ſtudeo, & ſummis laudibus extollo Fridericum Hoffmannum, ubi ait, duodecim tantummodo remediis totam Medicinam poſſe adminiſtrari.

Hic autem vaſtus pateret campus excurrendi, ſi ſporadicas omnes adjunctas epidemiæ cauſas, ſi confluentes in toto Brixiano agro variolas, ſi omnes toleratæ viciſſitudinis gradus vellem exponere; multo magis denique ſi antiqua documenta cum neotericis inventis, ſique diuturnæ obſervationes cum lydio experientiæ lapide eſſent conferendæ; ſed mihimet præſcriptos epiſtolæ cancellos prætergredi, & paulatim nolens, ſed tecum agere gaudens, humanitatem tuam laceſſere jam animadverto.

Illud tamen unum, quod efflagitaſti, doctiſſime Philippe, ſilere non debeo; nimirum me in præſentiarum incumbere operi, in quo hodiernam multarum regionum Medicinam examini ſubjicio; in ea potiſſimum parte, quæ per remedia homini prodeſt, & praxim illuſtrat. Tu, qui undique, & præſertim Viennæ Auſtriæ fuiſti celeberrimus, qui cum Regio, atque Electorali Principe tot provincias peragraſti, qui demum nunc ſub Auguſti Regis protectione flores, ſi obſervationes tuas, operibus noſtris colligendas, cum iiſdemque cudendas trades, utilitatem eodem momento augebis, & ornamentum.

Interim quia nihil novum in præſens ex meo habeo, Opera omnia Joannis Baptiſtæ Mazini Brixiani, Profeſſoris Patavini, quem ſummo reipublicæ Medicæ detrimento præteritis diebus, heu! dira mors rapuit; nunc primum typis Ricciardanis hoc anno recuſa, tibi dono paravi, quæ in proxima expeditione ad te tuto ut perveniant, diligenter agam. Id etiam conſulto feci, ut videas duos illuſtris Auctoris tractatus, de Pulſibus, ſcilicet, & Urinis, noviter elucubratos, & ſuperadditos, qui hactenus lucem non viderunt. Utinam hæ temporum viciſſitudines, belli diſcrimina, & itineris difficultates frequentioribus meæ in te obſervantiæ teſtimoniis non obſtarent. Sic enim de mea animi propenſione certior fieres, ipſe vero de concupita, ſemperque magis confirmata neceſſitudine magis gauderem. Vale interea tuorum Auguſtiſſimorum Regnantium ſoſpitati, & me inter tui addictiſſimos, te comiter annuente, poſitum ſerva.

Brixiæ 1 Junii 1743.

P. S.

Dum in eo eſſem, ut epiſtolam clauderem, tuas obſervationes benigne tranſmiſſas accipio, quæ, ut mihi pergratæ fuerunt, ita neque poſteros tam præſtanti munere defraudandos eſſe cenſeo. Perge tua hujuſmodi beneficia aliis, quæ mihi polliceris, aliiſque, quorum me avidiſſimum eſſe intelligis, cumulans. Sic me tibi devinctum habebis, ut nihil poſſit eſſe ſupra.

Illuſtriſſimo, Doctiſſimoque Viro

Co: Francisco Roncalli Parolino

Academiæ Scientiarum Bononienſis Merito Socio

PHILIPPUS DE VIOLANTE

NEAPOLITANUS

S. P.

Quanta lætitia humaniſſima Epiſtola tua, decimo tertio Calendas Julii mihi reddita, me affecerit, ex eo facillime, Vir Clariſſime, cognoſcere potes, quod magno deſiderio genuinam epidemicorum catarrhorum hiſtoriam, præterita hyeme, per totam fere Italiam graſſatorum ſcire cupiebam; atque a te eamdem expectabam: etenim tunc temporis, hic in Saxonia, tam diverſimode, tamque confuſe narrabatur, ut ex aliorum dictis nihil certi, firmique concludere unquam potuerim: avidiſſime idcirco, maximaque cum voluptate eam perlegi, nec minus tuas in eadem adductas, contentaſque doctiſſimas, ſapientiſſimaſque reflexiones admiratus, pro tanta tua erga me humanitate, & benevolentia gratias iterum atque iterum refero.

Ceterum ſatis, ſuperque ego etiam cenſeo cauri, notique afflatus validiores eſſe ad perniciem humanæ machinæ inferendam, dum aeris conſtitutionem tepentem, humidamque ipſi efficiunt, cum (ut Ariſtotelicis verbis utar) in calido, & humido qualibet valida corruptio reponatur: mirum igitur non eſt, flante Auſtro, & Coro, ob aſſiduas pluvias, atque aeris teporem, catarrhorum epidemiam inſurrexiſſe, atque ita invaluiſſe, ut iis, qui in ſolidis, vel fluidis vitium aderat, ultimam attulerit perniciem.

Scribis equidem, Clariſſime Vir, tunc temporis ſtatutum, confirmatumque ab omnibus fuiſſe, quantum in ſublunaria animata vis aeris poſſit; quæ ſententia communiter ab omnibus ſapientiſſimis Scriptoribus cognita, ac amplexa eſt: in aere quippe varia ſubtiliſſima corpora miſcentur, quæ non tantum varios in humana machina effectus producere poſſunt, verum etiam inanimatis corporibus varias alterationes, mutationeſque inducere valent: videmus quippe, continuo ab uno, eodemque aere, tum in liquidis, tum in ſolidis corporibus modo rarefactiones, modo condenſationes fieri, nunc uno tempore uno modo herbarum plantas, floreſque movere, nunc alio, atque alio; equidem oculis cernimus, veſpere herbas plurimas ſua folia ſimul unire, floreſque claudere, mane vero aperire, & e contra: videmus ab aere, decurſu temporis, plumbum in pulverem redigi: aurum a deauratis rebus aeri expoſitis abradi: ferrum, ad auſtralem regionem directe intuens, virtutem magneticam, poſt multum ætatis ſpatium, acquirere: fructus, vinum, & cetera ſimilia, juxta loci aſpectum, melius in uno loco, quam in alio aſſervari, prout vel in parte Boreali, vel Auſtrali collocata ſint, nec non; atque plurima alia ab aere fieri videmus: inſuper, & gallum aeris mutationes, cantu ſuo oſtendere: & homines, ob corporis mutatam conſtitutionem, aeris effectus ſentire, atque prædicere continuo videmus; necnon innumeras ſimiles alias res, quæ ab uno aere omnia dependent, dum enim nunc aliquibus ſubtiliſſimis corporibus refertus erit, nunc aliis, atque aliis. Et quo plus in aere aliena corpora, ſive ſubtiliſſimæ etherogeneæ admiſcentur ſubſtantiæ, eo magis ipſe ſuam naturalem vim, atque elaſticitatem amittet: & quo magis hoc in imis aeris partibus terræ proximis adveniet, eo magis varium, incoſtantem, mutabilemque ipſum eſſe videmus; tunc enim maximam vim corporibus in telluris ſuperficie exiſtentibus imprimet; ac etiam aer ipſe multa ſuſtinere debet, ab aliis fluidis corporibus, e terræ viſceribus exhalantibus. In hoc ſtatu aer conſideratus, hominibus talem, vel talem ægritudinem (juxta corporis humani diſpoſitionem) inuret; aliis vero corporibus inanimatis talem, vel talem mutationem, alterationemve efficiet, ut ſapienter ea Clariſſime Vir, cum Barometro tu explicaſti, atque ſimul aerem pluvium, calidum, humidum, & cetera adnotaſti, quæ damnum vindemiæ, terræ fructibus, herbiſque, necnon animalium carnibus attulere. Ex quibus deducitur, quod ratione mutationis, atque aeris incoſtantiæ, corporibus ſubjectis, atque ipſi telluri aliæ etiam mutationes, alterationeſque tribuuntur, ex qua tunc temporis variæ, diverſæque exhalationes, vaporeſque erumpendo, & in metipſius aeris ſinu converſæ, magnum aeri, per ſe jam noxio, atque intemperato reddito, momentum addunt; omneſque mutationes, quæ ab anni temporibus, æſtivo ſcilicet, autumnali, hyemali, ac verno eveniunt, ſicuti etiam omnia, quæ a Lunæ phaſibus, atque ab ortu, & occaſu Syderum cauſantur, aeris mutationibus majorem vim, efficaciamque addunt; nam modo aerem algere, modo tepeſcere, modo vaporibus, ceteriſque mutationibus alteratum experimur, quarum injuriarum ex ita alterato aere provenientium, homo particeps neceſſario fit, & a naturali ſalutis ſtatu diſcedere debet, atque ægrotare cogitur.

Cum igitur tot, tantæque mutationes hoc in elemento, tunc temporis obſervatæ, adjuncta tota illa impuritate, quæ ab incomparabili vi Solis è terra extrahi ſolet, ac in aeris ſinum colligi, opeque Cori, Auſtrique afflatus, Brixiam, aliaſque ad Italiæ regiones advecta, quod talem, tantamque Epidemiam induxerint, valde probabile redditur. Adnotas etiam, ventus meridionales calidos, atque humidos per totum Octobrem, Novembrem, & Decembrem a Mantuano ſolo, Gallia Ciſalpina, Pado, atque imis circumjacentibus regionibus

ſufflaſſe

ſufflaſſe, qui ſuſpecti ſunt; afferunt quippe, quidquid impuri a dictis paludoſis locis emergit, quique validiſſimi ſunt non tantum Epidemiam verum etiam contagium procreandi.

Prudenter etiam adnotas diverſitatem effectuum, ab eadem Epidemia provenientem; ſcripſiſti enim, ſecundum recipientium organorum diſpoſitiones *morbos illatos fuiſſe; cum enim tota humanæ machinæ concordia ex diſcordibus conſtet humoribus, de diverſis Epidemiæ effectibus non miror, eo fortius, quia ab aere tam alterato (ut ſupra jam dixi) facile lympha alterationem aliquam ſuſtinere debuit, ut de catarrhali Epidemia, hic Dreſdæ anno 1742 graſſante, ſcripſi. Ceterum egomet ejuſdem ſum ſententiæ, nos minime cognoſcere poſſe, quid natura humana tot, tantiſque aeris alterationibus, ac mutationibus vexata facere valeat, ſed tantum quid fecerit. Nec etiam miror illos, qui aliquod in internis ſolidis vitium patiebantur, aut antiquæ ſanguinis diſcraſiæ erant obnoxii, & valetudinarii, ad plures iter facere debuerunt, cum nos corpuſcula nugatoria ſimus, non magna molitione pendenda.*

Depoſitiones, methaſtaſes, ac ſeparationes a natura factæ, & pulmonum lobis tranſmiſſæ, tum ob viſceris mollitiem, flacciditatemque, tum ob qualitatem materiæ craſſæ, ac viſcoſæ difficulter ſuo a loco deturbantur, per ipſius materiæ inertiam, quæ materiæ inertia tantam vim in pulmonum lobulis exercet, ut vix quandoque ab impetu medicamentorum pectoralium deturbari poſſit; ideoque vel difficiles evadunt curationes, vel lethales morbi producuntur.

Hæc pauca, præ temporis anguſtia, valetudineque mea, ad votum me occupare non ſinente, pro acceptiſſimæ tuæ reſponſione, ornatiſſime Vir, tibi remitto; rogando, ut ſi pro tempore (& ſecundum tua tibi permittet praxis, atque valetudo, quam conſtantem tibi, ex toto corde, apprecor) aliquid aliud ſis in Reipublicæ literariæ beneficium elaboraturus, ne id communicare mihi differas: maxima quippe cum voluptate docta tua, eruditaque Opera lego; e contra, modo podagra, Regiumque ſervitium aliquantulo me applicare permittant, tuis amiciſſimis obſequendo invitationibus, diſſertatiunculam de intermittentibus febribus parabo, ut de ea pro libitu poſtea diſponas, judiceſque an tuis cum operibus, prout optas, typis committi mereatur. Vale igitur, tuiſque ſtudiis, amiciſque ſinceris incolumem, longævumque te ſerva.

Dreſdæ decimo Calendas Julii 1743.

DE
BOUM EPIDEMIA
EPISTOLÆ

Clariſſimo, eruditiſſimoque Viro

COMITI FRANCISCO RONCALLIO PAROLINO

MARTINUS GHISIUS

S. P. D.

Quam nuperrime Viro Clariſſimo Carolo Mazzuchelli, ex Illuſtriſſimi Domini D. Joſephi Trecchi Equitis Cremonenſis conſilio, currentis bovillæ peſtis hiſtoriam cum anatomicis obſervationibus animadverſionibuſque nonnullis conſcripſi; eamdem ad te mittere in obſequii mei teſtimonium, & rei, de qua agitur, ſubſidium, duxi, ornatiſſime, atque doctiſſime Roncalli. Spero utique, ut illo, quo tu polles, mirabili ingenio, & in re Medica exercitatiſſimo, cum laudati Mazzucchelli doctrina experientiaque conſpirante, ex utriuſque meditationibus tanto morbo ſuppetiæ tamdiu optatæ conſurgant.

Quamvis enim iſtum in illorum morborum cenſum haud revocare poſſimus, qui novi ſint (pluries ſiquidem multæ Europæ provinciæ eodem miſerrime conſumuntur, Italia vero noſtra ſæpiſſime) hunc tamen adhuc inter illos computare cogimur, quorum ignoramus præſidium. Id autem etſi inventu difficile, deſperare nihilominus non debemus. Tantæ namque miſericordiæ eſſe Deum noſtrum experientia compertum eſt, ut eorum etiam, quos ad puniendos hominum mores, novos morbos inducit, medicinam ſæpe invenire permittat.

Exemplum ſuppeditat Gallica lues (merces peccato debita) cujus poſtquam regnum multo tempore adeo invaluit, ut eadem afflicti deſperarentur; triumphans denique remedium medicis inquiſitionibus patuit, in analogico (1) *primum, deinde in vere rationali* (2) *mercurii uſu. Quid ni igitur eadem a clementiſſimo Domino in hoc etiam morbo non ſingularis peccati fœtu, ſed communium delictorum pœna expectemus?*

Hac igitur ſpe nutriti, vigilias noſtras in hoc ſolertiſſime impendamus. Et quia morbi, ut ajunt, conſtitutiva primordia latent, effectus omnes quam diligentiſſime ſcrutemur, ut his probe intellectis incognitæ cauſæ multa experientia medeamur. Hi ſiquidem tanta conformitate in quibuſdam infirmitatibus apparent, tantaque veritate anatomicis obſervationibus conſtare poſſunt, ut de illis haud liceat opinari.

Utinam

(1) Aſtruc de Morb. Vener. lib. 2. c. 6.

(2) Joſeph. Bertin. de uſu mercur. pag. 17.

Utinam doctiſſimorum hominum jam publicis obſervationibus in hujuſmodi morbis, aliquid addat mea de inflammata aſpera arteria fortaſſe nova obſervatio, quam epiſtola continet; atque ex ejuſdem conſtantia (dum inveniretur) aliquid utile metiri poſſimus. Gauderem, inſperatam mihi occaſionem, meamque curioſiorem inde inquiſitionem nonnihil boni attuliſſe: adeoque ſperarem futurum, ut onus lectionis, quod tibi etiam imponere auſus ſum, hoc ſaltem uno fructu aliquatenus levaretur. Conſueta igitur benignitate tua in meis ſcriptis excipiendis, utere, Vir Clariſſime, & obſervationibus tum tuis, tum amicorum tuorum rei caput nitere, ſi cadaveribus inſpiciendis commodum miſerrima hæc tempeſtas etiam iſtic ſuppeditabit. Vale interim, & me tui addictiſſimum crede, & dilige.

Dabam Cremonæ die 11 *Decembris an.* 1745.

DELLA CORRENTE EPIDEMIA BOVINA

LETTERA DEL DOTTORE MARTINO GHISI DIRETTA ALL' ILL. SIG. DOTT. MAZZUCCHELLI MEDICO DELLA SANITA' DI MILANO

Illuſtriſs. Sig. Sig. Prõn Coll.

I*O non ſapeva riſolvermi a mettere ora ſotto gli occhj purgatiſſimi di V.S. Illuſtr. queſta mia Lettera, giacche non ha molto, ch' ella avra avuta la ſofferenza di leggerne un altra riguardante l' oſſervazione di un raro vomito; ma la materia ne è sì degna, e sì intereſſante, e la benignità ſua è tanto grande, che io m' induco a deporre ogni timore, ò dubbiezza, che trattener mi poteſſe dallo ſcriverle.*

Queſta è intorno la corrente epidemia bovina, ſulla quale col Sig. Dott. Andrea Fromondi giovane di gran ſapere, e Genero degniſſimo dell' Inſigne Sig. Profeſſore Carlo Franceſco Cogroſſi, io fui altra volta ricercato del mio parere dall' Ill. Sig. D. Giuſeppe Trecchi Cavaliere Cremoneſe, al primo attacco che ei ſentì nelle ſue Vacche a Maleo Territorio Lodigiano. Il quale vedendo riuſcir vani i noſtri primi conſigli preſervativi, e curativi (laſciati per altro correre ſulla ſemplice relazione degli aſſiſtenti) volle che io ſolo per comodo della maggior vicinanza, eſſendo già allora ritornato di ſtanza a Crema il Sig. Fromondi, mi traſferiſſi ſul luogo, perche oſſervaſſi ad agio gli andamenti della malattia, e fatto lo ſcrutinio delle parti de' cadaveri mi faceſſi più ſicura la ſtrada a penſare al rimedio; perſuaſo che egli era il ſaviſſimo Cavaliere non poter l' uomo ſapere (1) Quomodo morbos curare conveniat, qui unde hi ſint ignoret, *e perciò eſſere neceſſariſſima coſa incidere* (2) corpora mortuorum, eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari.

E queſto appunto a me ſembra degno ſoggetto, ſu cui intertenere V. S. Illuſtr. non ſolamente per la Carica, che ella tanto degnamente copre di Medico della Sanità della noſtra Metropoli, ma altresì perche ella ſteſſa rendendo pubblico il celebre ſuo trattato della paſſata epidemia bovina, ha moſtrato col ſuo ſempre ammirabile eſempio nulla coſa più convenire ai veri indagatori de' ſecreti della natura, quanto di ſtudiare attentamente le ſue vie, per giugnere ad intenderla, unico mezo da cui la ſcienza medica riconoſce i ſuoi aumenti, e da cui, la Dio mercè, può ſperarne degli altri ancora.

Riceva ella dunque colla uſata ſua bontà queſte mie ſinceriſſime oſſervazioni, come contraſegni del deſiderio mio d' imitare benche da lunge le onorate impreſe e ſue, e de noſtri maggiori; ne le rincreſca di intermettere per breve ora le più ſerie ſue occupazioni per donare a me, che ne la prego, l' onore di volerle leggere, e di correggerle; giacche non le credo da tanto, che non poſſano meritarſi il vantaggio di eſſere da lei conſiderate, come opportune a portar le noſtre menti a formare una in parte nuova idea di un' inſulto tanto dannoſo, con cui ne' morti viventi Iddio miſericordioſamente caſtiga i ſuoi figliuoli, i quali nell' abbandonare i ſuoi precetti, ſi ſono fatti ſimili a loro; acciò almeno in viſta de ſuoi flagelli riſveglino in ſe medeſimi quella grazioſa ſcintilla, per cui ſono ſtati creati ſimili a lui; e queſta rivolgano a ſervire umilmente il ſuo Santiſſimo Creatore, e Conſervatore.

Giunto nel dì 18 *dello ſcorſo Novembre a Maleo ritrovai già malate quattro vacche condotte per maggior comodo dell' oſſervazione in caſa del Sig. D. Giuſeppe. Una di queſte pregna, abbenche vecchia, gracile, e ſoggetta naturalmente alla toſſe, era già ſul guarire, come in fatti guarì, avendo eſſa al dire degli aſſiſtenti avuto minor male dell' altre vedute da loro a morirſene. Le altre tre pure pregnanti, ma giovani, e ben paſciute, ſtavanſi veramente aggravate. Due ſecondo la relazione erano in ſeconda giornata, l' altra ancora nella prima. Quelle, una delle quali era pregna di ſei meſi, l' altra di cinque, ſtando ſempre in piedi, e quiete, avevano il capo e gli occhj iſtupiditi, il muſo alquanto rialzato, un pò di bava alla bocca, inumidite di grondante tenue mucicaglia le narici, le corna, e le orecchie dalla radice in ſu fredde, e 'l corpo tutto appena calduccio; andavano di corpo, ed orinavano naturalmente, ma reſpiravano con gran difficoltà, anzi il lor reſpiro era ſempre con gagliardo ſtertore, e a foggia di ſtentato lamento, e il loro polſo, che alle caro-*

(1) Cornel. Celſ. lib. 1. pag. 13.

(2) Pag. 15.

carotidi eſterne ſi ſentiva beniſſimo, era grande e ripieno, ma non tanto frequente, ne punto ineguale. La terza poi pregna di otto meſi comparve in tutto ſimile all'altre, ſe non che il di lei reſpiro in vece di ſtertore portava ſeco un grandiſſimo anelito, per cui le era forza il cacciar fuori l'aria appena inſpirata.

Così col ſuo ſtertore le prime due, e col ſuo anelito la terza fatteſi inquiete, dimenando frequentemente il capo, aprendo la bocca, e dibattendo i denti più in piedi, che corcate, orinando pochiſſimo, cacciando fuori per ſeceſſo delle materie fluide, verdaſtre, e puzzolenti, colli occhj rimpiccioliti, e come diceſi incaſſati, colle orecchie ſpoſſate, le eſtremità ſudette ſempre fredde, e'l corpo tutto appena tepido, con mormorio di flati, che ſovente montavano loro ſino alle fauci, col polſo picciolo, ed ineguale, con delle convulſioni viſibili ai muſcoli delle coſce, e coll'inteſtino retto alquanto ſpinto in fuori, morirono in quinta le prime due, e in terza appena l'altra, non oſtanteche tutte e tre foſſero preventivamente purgate con medicina lodata da non ſo chi al Cavaliere, e nella malattia ſteſſa radiciate, come uſaſi coll'elleboro, ventoſate col ſolito ferro rovente, e per fino curate col mercurio, da noi la prima volta (1) conſigliatogli; non già in riguardo ai vermicelli, ma per alcune altre non iſpreggievoli ragioni, che poi eſporrò ſuccintamente al ſtimatiſſimo mio Sig. Mazzucchelli.

E così preſſapoco maſſime col mentovato continuo ſtertore ſe ne morì in quinta un manzo ſeparato in poca diſtanza dalle ſudette vacche, e laſciato, come ſuol dirſi, alla providenza della natura.

Ciò che io con tutta la più poſſibile attenzione ho conſiderato in queſte vacche, è parimente accaduto alle altre morte in que' contorni, ſe non che ſentendoſi non di rado tal una egualmente riſcaldata per tutto il corpo, e ſembrando ben vegeta, ed inchinevole al mangiare, ingannava ſovente nella conceputa ſperanza di guarigione que' poveri Paeſani. In fatti anche una delle due da me deſcritte morta collo ſtertore, cioè la pregnante di cinque meſi, pareva ſtare sì bene un dì, che era il terzo di ſua malattia, che vedendola noi cogli occhj belliſſimi, con pochiſſima difficoltà di reſpiro, colle eſtremità del capo tutte riſcaldate, col ſeceſſo naturale, e con buoniſſimo appetito, ci luſingavamo almeno, che il di lei male non foſſe da tanto per ammazarla; ma in verità, che dopo ſei o ſette ore di cotal miglioramento tornò ad aggravarſi di febbre, di ſtertore ec. e provò la medeſima fatalità della compagna. Sicche l'inſtabilità de' ſintomi coſa ordinaria anco nelle malattie ſporadiche, ed epidemiche degli uomini non fà grande ſtato pel buon pronoſtico; mentre da quel che io ho potuto diſcoprire da un bravo boaro ſtato oſſervatore di molte vacche già perite, e da quel poco, che ho veduto io ſteſſo, poſſo dire a V. S. Illuſtriſs. che ſe è grande la difficoltà di reſpiro, con cui ſi danno ſul bel principio a divedere già tocche dal male, e ſe loro ritorna (abbenche per qualche poco di tempo ſiaſi arreſtata) e paſſa in ſtertore, o anelito, ſicuramente periſcono. Laddove ſe quella è leggiera, e non s'avanza gran fatto, per lo più in otto, o dieci giorni ſi riſanano, toccando ordinariamente la ſorte della guarigione piutoſto a'buoi, che alle vacche, e fra queſte alle più gracili, e vecchie, e tal'ora cagionevoli, come nella ſtrepitoſa epidemia del 1711 oſſervò nella ſpecie bovina il Signor Ramazzini (2), e qualche altro Scrittore.

Com'è dunque da conſiderarſi fra tutti i ſintomi il reſpiro nelle ammalate beſtie, così è grande indizio dell'imminente malore la toſſe nelle ſane, le quali al dir degli aſſiſtenti, dopo alcuni tocchi di toſſe ceſſano di mangiare, o di ruminare, dimenano leggiermente il capo, non danno più latte, non vanno di corpo, eſſendoſi loro arreſtato, indurito, e quaſi impietrito lo ſterco nell'inteſtino retto, ſi veggono sbigottite, indi reſpirando con qualche pena, ſi raffredano alle orecchie, alle corna, e per tutta la circonferenza del corpo, e ſucceſſivamente paſſano a provare i più funeſti già deſcritti ſintomi del corrente epidemico morbo; non avverandoſi mai in queſto quella tal mutazione di freddo in calor acre, e veemente, che ci adittarono nelle ſcorſe epidemie que' celebri uomini (3); giacche le corna, e gli orecchj dalla lor baſe, e tal volta dalla metà all'insù non ſi riſcaldano mai, ne dir ſi può ſe non appena calduccio il corpo tutto, ſpecialmente nelle più aggravate.

A quelle poi che riſananſi, non ſo ſe avvenga qualche ſpurgo, o decubito all'eſterno del corpo, come fu oſſervato in altre epidemie (4). Sò bene che quelle della preſente tramandano dalle narici non poca biancaſtra, e aſſai addenſata linfa, che non ſoggiacciono a gran difficoltà di reſpiro, che mandano fuori dalla direttana parte una materia ſoda, e quaſi naturale, che orinano moltiſſimo, e che danno a ſentire più calde le eſtremità ſudette, e la circonferenza tutta del corpo ec. così io vidi a guarirſene la prima delle quattro vacche da me oſſervata, e in ſimil guiſa ſi dicono da que' boari riſanate alcune altre poche.

Ed ecco eſpoſti a Voſtra Sign. Illuſtriſſima tutti gli andamenti di quel maligno contagio, che và tuttavia ſpogliando a man baſſa del ſuo più caro, ed utile pegno la Provincia Lodiggiana,

(1) Il noſtro conſiglio fù per l'unzione mercuriale, ma in queſte il Sig. D. Giuſeppe ſi valſe del mercurio coll'infonderlo nella vena jugulare, ſembrando a lui, che doveſſe così più ſpeditamente, e meglio operare il mercurio.

(2) De Bovil. peſt. pag. mihi 793.

(3) Ramaz. pag. 787. Lanciſ. pag. 117. Mazzucchel. pag. 4. ec.

(4) Ramaz. pag. 796. Lanciſ. pag. 134.

na, dove la morte più che in ogni altro luogo ſi fa vedere.

Diſpietata, e rea,
Pallida in viſta, orribile, e ſuperba. (1)

Ora mo ſi compiaccia ſentire, ciò che m'ha dato a divedere l'oſſervazione anatomica di que' cadaveri, che all'occulare mio eſame furono commeſſi per ordine dal Cavaliere.

Frà le tre vacche adunque già mentovate ſi fece primieramente ſpaccare da un eſperto macellaro quella che diſſi eſſer morta in terza giornata ſenza ſtertore sì, ma con grandiſſimo anelito pregna di otto meſi. L'eſterno tutto del ſuo corpo, abbenche ella foſſe morta da ſe, e rimaſta per 15, *e più ore ſteſa in terra, dove morì, era belliſſima ſenza macchia alcuna, o puſtola.*

Aperto il ventre baſſo, e ſtaccatone l'utero, che col ſuo contenuto morto feto puzzava (il che mi pare degno di molta conſiderazione, e in queſta, e nelle altre) le inteſtina tutte, ed i ventrigli ſi viddero ſani; ſe non che quello, che da latini chiamaſi omaſo *comparve gonfio, e pieno zeppo d'una materia indurita arida, e neraſtra, che rappreſentava beniſſimo al naturale la figura di ciaſcheduna, dirò così cameretta di eſſo, formata, e diſtinta dalle moltiſſime interne villoſe membrane, da cui eſſo va corredato, eſſendo per altro queſte tutte, e le eſterne ancora naturaliſſime.*

La milza, le reni, e 'l fegato parimente ſani, abbenche la veſcicheta del fiele ſuperaſſe di molto l'ordinaria ſua mole per eſſere rigonfiata, e ripiena di moltiſſima giallaſtra liquidiſſima bile.

Spaccato il petto, il cuore era ſano, e li polmoni, eccetuatane qualche piccola parte aderente ai bronchi veramente infiammata, ſi trovarono belliſſimi. Ma la trachea dal ſuo interno principio fino alle più viſibili eſtremità bronchiali era affatto infiammata, illividita, corroſa, & imbrattata di marciume, e al di fuori pure, maſſimamente in alcuni muſcoli, che ſervono pel movimento dei di lei aneletti alquanto infiammata, e livida, come erano, avvegnache più leggiermente, tutte le circonvicine parti, cioè la laringe, e l'eſofago in parte, l'oſſo yoide, la baſe della lingua ec.

La ſeconda che ſi aprì fu quella, che s'ammalò, e morì col ſuo non mai interotto ſtertore gravida di ſei meſi. Aveva ancor queſta le carni belle, il feto morto, e mezzo fredicio, il fegato, le reni, e la milza naturali, l'omaſo ſomigliante all'altro, e così il rimanente delle viſcere, ſe ſi eccetui l'inteſtino ileon, *che videſi quaſi tutto infiammato.*

Li polmoni in uno de lobetti del lobo deſtro erano un poco infiammati, e così il cuore verſo la ſua punta, o ſia l'apice.

La trachea pure tutta offeſa d'infiammazione, ma non tanto illividita, e corroſa, come la ſudetta, e a differenza di quella tutta era ripiena di bianca ſpumoſiſſima linfa, che imbrattava per fino gli ultimi bronchi parimente infiammati.

Al capo tutto ſi vidde bello, e ſano.

S'oſſervò la terza pregna di cinque meſi morta pure collo ſtertore ſebbene con qualche intervallo di miglioramento; e queſta non fu punto diſſomigliante alla ſeconda ſua compagna, a riſerva della mentovata ſpuma, che non era bianca, ma roſſiccia, e dell'eſofago molto bene dal ſuo principio fine alla metà infiammato.

Fù per ultimo veduto a caſo, già che ſventrato all'impazzata da que'Villani, che lo dovevano ſeppelire, il manzo morto da ſe ſenza alcuna prova di medicina; e tanto la trachea, ripolita dalla ſpumoſiſſima bianca linfa, che ricopriva l'interna ſua ſuperficie, quanto l'inteſtino ileon, *comparvero marcati d'infiammazione.*

Non mi isfuggì poi la conſiderazione del ſangue, che anzi volli diligentemente oſſervarlo, e in una delle mentovate vacche ancor vivente, e in tutte l'altre già morte.

Preſi per tanto in un bicchiere circa ſei oncie di ſangue della vena jugulare aperta per l'infuſione del mercurio, a quella vacca che morì di poi col ſudetto continuato ſtertore. Si vide toſto addenſato il ſangue, e roſſeggiante, come il più ben lavorato cinabro. Oſſervato dopo quattro ore era fortemente attaccato d'intorno al bicchiere, e non aveva fatta alcuna ſeparazione. Dopo otto ore laſciò un poco di ſiero, che appena poteva peſare un'ottavo d'oncia; dopo 24. *ore ſeparoſſi un'oncia in circa di ſiero limpido, e gialletto; conſervando tuttavia il ſangue la conſiſtenza, e 'l color di prima, reſiſtendo beniſſimo al taglio d'un coltello ſenza punto disfarſi, ne ſquagliandoſi gran fatto laſciato per qualche tempo nell'acqua ben calda.*

Così quello che oſſervai ne' cadaveri, cioè ne' loro vaſi grandi venoſi, ed arterioſi, era nericcio sì, ma denſo, e rappreſo ſenza però alcuna concrezione linfatica, o pſeudopolipoſa *ſoſtanza, che il più delle volte ſi trova nelle orecchiette, ne' ventriglj, e vaſi grandi del cuore ſomigliante a quel glutine linfatico detto ſcorza pleuritica, che ne' mali inflammatorj di petto s'incontra familiariſſimamente alla ſuperficie del ſangue tratto dalla vena.*

Che ſe V. S. Illuſtriſs. voleſſe anco ſapere coſa io abbia con sì bella opportunità d'eſaminar vacche pregnanti rifletuto intorno il loro utero, in riguardo di quella gran queſtione, che tutt'ora ſi agita dai più rinomati notomiſti, molti de quali acremente ſoſtengono, che la di lui ſoſtanza in iſtato di gravidanza ſi aſſotiglj, e molt'altri, che più toſto s'ingroſi; le dirò con tutta la ingenuita, che in tutte e tre ho ritrovato le membrane formanti l'utero aſſai tenui, e ſottili, e alquanto più

(1) Petrar. trionf. della fama cap. 1. v. 4.

più nella vacca pregnante di 8 meſi, che nell' altre due; di maniera che l'altezza, o ſia la groſſezza loro era a mio avviſo inferiore a quella delle membrane, cioè della ſoſtanza del più grande ventricolo delle medeſime vacche. E tale appunto era, anzi ancor più aſſotigliata la ſoſtanza uterina d'una vacca gravida di ſei meſi, che tempo fà, per vederne le placente, ed il feto oſſervoſſi nel noſtro Spedale di Cremona, preſente il celebre Sig. Valcarenghi allora mio Maeſtro; mentre prima ancora di tagliarſi l' utero, tutte quaſi le parti del rinchiuſo vitello, e molto più le placente dette cotiledones *ſi diſtinguevano a meraviglia. Così li due uteri, che eſaminai lo ſcorſo Autunno in mia caſa, d' una lepre groſſa erano tanto ſottili, e diafani, che non ſolamente io vidi diſtinte le membra tutte dei due contenuti lepretti, ma facevami d'uopo una gran deſtrezza in maneggiarli, perche non mi ſi ſquarciaſſero. Onde ſu queſto punto io mi ſento più inclinato ad abbracciare il ſentimento del Sig. Mauriceau, Dionis ec. i quali nelle gravide vogliono aſſotigliata la ſoſtanza uterina, che quello dei per altro inſigni Anatomici Santorini, Litrio, Eiſtero ec. che s' ingegnano di provarla ingroſſata.*

Ma torniamo a quello che ſpetta l' epidemia bovina, giacche dopo averle eſpoſte le oſſervazioni Anatomiche da me fatte colla maggior diligenza oſo di dirle anche qualche coſa di più.

Io non sò in vero ſe le ſcorſe bovine peſti ſieno ſtate a puntino in quanto alla maniera di ſorprendere le povere beſtie, come è la corrente; mentre alcuni ſegni diagnoſtici furono notati in quelle, i quali in queſta non ſcorgonſi, e tal'uno ſe ne vede nella preſente non toccato punto nelle paſſate. So bene che in quelle tutte, che io ho potuto leggere dinotaſi la difficoltà di reſpiro, l'anelito, e tal volta anco lo ſtertore, onde io dubito molto, che la medeſima offeſa, o ſia cagione interna del male, che in queſta epidemia io ho incontrato foſſe anco nell' altre. Le oſſervazioni Anatomiche però intrapreſe, e deſcritte ſenza dubbio diligentiſſimamente da que' dottiſſimi Scrittori me la fanno notare. Scrivono di fatti alcuni di non eſſerſi ritrovato, talvolta altro vizio, che quello dell' omaſo (1) *ripieno, e rigonfiato di ſecca, e indurita materia, altri fiſſano* (2) *il principio fatale al capo, e ai polmoni, altri* (3) *alle fauci ec. e niſſuno, che io ſappia, all' aſpera arteria principalmente.*

Checche ne ſia però io ſarei troppo ardito ſe voleſſi imaginarmi eſſere isfuggito un ſimil vizio a quegli avvedutiſſimi oſſervatori, abbenchè ne' cadaveri da loro eſaminati foſſe per avventura tale, qual'è in quelli da me oſſervati, perſuadendomi piuttoſto, che ſiccome tutte le epidemie variano a miſura dell'attività di que' principj, che le producono, e a ſeconda della diſpoſizione dei corpi, così poſſono anco variare in quanto ai prodotti effetti, ed alle parti da eſſi offeſe. Il che confermano colla loro ſempre venerata autorità, i Sig. Valliſnieri, e Muratori (4), *ſcrivendo non darſi mai in quanto agli effetti ò ſintomi una peſtilenza affatto ſomigliante all' altra.*

Nel caſo noſtro però mi convien dire, che ſe l'infiammazione dell'aſpera arteria può paſſare per un' effetto variabile riſpetto alle deſcrizioni delle epidemie dateci fin' ora, egli dovrebbe dirſi nuovo, e particolare della preſente; giacchè, come ho detto, di queſt' organo neſſuno ha parlato direttamente fin' ora. Vaglia per tutti il ſilenzio tenuto dal commendatiſſimo Lanciſi ſopra l' offeſa della trachea, ch' egli non nomina punto, e che anzi (ſe io non m'inganno) non ci laſcia luogo di ſoſpettare, eſſerſi da lui ritrovata con qualche alterazione: Quæ intereunt animantes (*dice* (5) *egli*) pleraſque omnes non tantum febris æſtu confici, quantum mandendi, deglutiendi, ac reſpirandi difficultate. Unde in earum cadaveribus linguam, fauces, pulmones, primæque concoctionis officinas tumore, ulcere, inflammatione, ac ſphacelo labefactatas animadvertimus. *Certo che ei quì non parla a dirittura dell'aſpera arteria, e quando ne aveſſe parlato à me ſarebbe bensì mancato il motivo d'incomodarla con queſta mia, ma non già quello di ſempre più affezionarmi al ſoſpetto, che mi pare d' aver potuto formare ſulla più ſpecifica qualita del principio fatale, o ſia della interna cagione, e ſede del mal corrente de' buoi.*

Ritenuto pertanto per infallibile quanto mi inſegnano nelle loro epidemie que' ſapientiſſimi Scrittori, io credo di poter aſſerire, che la preſente epidemica malattia ne buoi (qualunque ſiaſi quel velenoſo principio, che n'è l'unica, e pur troppo feconda ſorgente) riconoſce l'interna ſua fatale cagione nelle vie dell' aria alterate, infiammate, e guaſte, e particolarmente nell' aſpera arteria, che più d'ogni altro organo è deſtinato dalla natura à ricevere, e valicare fino al più intimo de' polmoni l'aria in grazia della tanto neceſſaria reſpirazione, di maniera, che ſembra a me coſa ragionevoliſſima il dire, che le noſtre malate beſtie ſoggiacciano ſpecialmente ad una fiera ſcheranzia, overo ad una gagliardiſſima infiammazione di tutte quelle parti, che la ravviſata aſpera arteria formano, per cui elleno ſopraggiungendo loro la febbre, e diminuendoſi, anzi appoco appoco togliendoſi la via libera del reſpiro, reſtino, dirò così, miſeramente ſtrozzate.

Diſſi già nelle vie dell' aria, perſuadendomi beniſſimo, che anche le fauci, l'eſofago, e tutti i canali

(1) Così V. S. Illuſtriſs. alla pag. 5. e 6.
(2) Ramaz. pag. 793.
(3) Lanciſ. pag. 134.

(4) Tom. 2. giunt. pag. 25. Govern. della Peſte lib. 1. cap. 1. pag. 2.
(5) Pag. 134.

canali degli alimenti ogualmente ſoggetti all' amico che al nimico contatto dell' aria, ne provino in sì fatta occaſione il cattivo effetto. In fatti la ſaliva in primo luogo, e ſuccesivamente gli altri ſughi gaſtrici, e chiloſi ne danno a divedere la propria offeſa all' omaſo primieramente in generale (come ella pure ſaggiamente (1) *oſſerva) ed all' inteſtina in particolare nell' ammaſſato arido ſterco ſpeſſe fiate ſull' incominciar del male nel retto inteſtino delle malate beſtie ritrovato, e cavato a forza di mano, che poſcia ingagliarditaſi la malattia con ſtrana metamorfoſi ſi fa vedere cangiato in tutte le inferme in liquidiſſima putrida feccia. Effetto in vero, che ſpaventa perchè appunto in qualunque beſtia inſorga, viene quaſi ſempre ad eſſerle fatale. Ma cotal offeſa a mio parere (ſe ſi eccettui lo ſcarico delle ravviſate ſciolte materie, che ſembrami un nuovo ſintoma del male già fatto in una delle principali parti vitali, o in qualche altra delle naturali, il quale vie più mette in iſcompiglio il ſangue, e altera gl' umori tutti) può ben diſporre, o far ſoggiacere ad un cronichiſmo, le povere beſtie, ma non può valer tanto da ammazarle, in sì brieve tempo abbenchè robuſte, e ſane, come lo può una fiera infiammazione della trachea, che negli uomini pure al dire di tutti i pratici, è l' angina più pericoloſa, e precipitoſa d' ogni altra, avvegnachè queſta non ſi manifeſti co' ſegni eſtrinſeci, e non offenda tal volta alcuna delle circonvicine parti.* ſi ſola laborat pulmonaris fiſtula (2) *Scriſſe eggregiamente Boerhaave*, ill ęſis alijs in interna ſua membrana muſculoſa, tum oritur ibi tumor, calor, dolor, febris acuta calida, ceterum externa ſigna nulla; inſpiratio acute dolens, reſpiratio parva, frequens, & recta; cum ſummo molimine: eſtque hæc una: ex iis (*parla dell' angina*) quæ funeſtiſſimæ, nec externe dant ſigna. *E qui Boerhaave non ha cred' io ſi francamente parlato di ſua ſola ſperienza, ma coll' autorità, ed ammaeſtramento, de' più celebri antichi oſſervatori, che sì a fondo inteſe.*

Aveva egli ſenza dubbio appreſo dal divin (3) *Vecchio, che* periculoſiſſima eſt, celeriterque enecat angina, ſi neque in faucibus, neque in cervice quicquam apparet, ſi dolor vehemens, ſi vix ſpiritus trahitur; etenim eodem die jugulat, licet interdum uſque ad 2. aut 3. aut etiam 4. protrahatur. *Aveva pur letto in Areteo:* (4) Alteri autem generi contraria eveniunt, inſtrumentorum collapſio, & ſingulorum naturæ inſignis macies, & ſtrangulatio vehemens, ut ipſimet in pectore latentioribuſque partibus circum cor atque pulmones abdita eſſe inflammatione videatur. Anginam hanc appellamus, quaſi interius urgentem atque augentem! *E poco dopo*, hujuſce ſpeciei ſtrangulatus longe quam prioris violentior; quippe cum in pectore malum ſit, ubi ſpirandi initium ponitur eodem die moriuntur qui celerrime. *Sapeva finalmente per tacer d' altri quanto intorno a queſt' angina ſcriſſe Cornelio Celſo.* (5) Interdum neque rubor neque tumor ullus apparet, ſed corpus aridum eſt, vix ſpiritus trahitur &c.

E queſte autorità ſono vie più conſiderabili nel caſo noſtro per eſſere avvalorate da una gran ragion fiſica portata dalio ſteſſo Boerhaave per darci a divedere, come venga ad eſſere ſi pericoloſa, e funeſta, la mentovata infiammazione della trachea. Hinc enim (*ſcrive* (6) *egli*) circulatio ſanguinis per pulmones difficilis, pulſus mire, & cito vacillans; anguſtiæ ſummæ, cita mors. *Alla qual morte nel caſo noſtro non poco aumento, e ſpinta, avranno certamente dato e la univerſale inflammatoria diſpoſizione del ſangue delle malate beſtie, e la rammentata ſpumoſiſſima linfa quale mentre ancor vivevano gli animali, di gran lunga più rarefatta, e rigonfiata eſſendo, avrà fatto non poco oſtacolo all' ingreſſo dell' aria tanto neceſſaria per mantenere la dovuta circolazione del ſangue, per i vaſi polmonari.*

Ma per tornare alle autorità, che provano ad evidenza quanto poſſa la ſcheranzia, di quella ſpezie che contemplarono tanti valenti Uomini, ſembrerebbe che elleno foſſero inſerite fuor di propoſito, ſe nelle beſtie da me oſſervate, e nelle altre delle quali ebbi la relazione da alcuni di que' cuſtodi, non concoreſſero i ſegni diagnoſtici di queſto impetuoſiſſimo male. Quanto a quelle da me eſaminate anatomicamente, ella è certa l' infiammazione della trachea. Quanto poi a quelle che io vidi morte, egli è di fatto per voce comune che incominciano a toſſire ancora ſane, e appena malate, ſoggiacciono alla difficoltà di reſpiro, la quale, avvegnachè non ſia tanto gagliarda la febbre, continova loro, anzi paſſa ſucceſſivamente, in anelito, o in ſtertore, che le accompagna cogli altri conſimili ſintomi perfino alla morte: indizj certiſſimi dell' offeſa recata agli organi della reſpirazione.

Ne mi ſembra troppo ragionevole coſa il penſare che gli accenati ſintomi poſſano dirſi egualmente parto d' una febbre, eſſentialmente maligna, eſſendo io più inclinato a credere, che la febbre in materia di peſte, ſia piuttoſto ſintoma, che vera cagione, o eſſenza del male: Così

(1) Colla riffeſſione dell' eruditiſſimo Sig. Gio: Sonſis Medico della Sanità di Cremona.
(2) Aphor. de cognoſ. & cur. morb. cap. de angin. Sec. 801.
(3) Præſag. lib. 3. aphor. 18.
(4) Lib. I, cap. 7.
(5) Lib. IV. cap. IV.
(6) Ibid. ſect. 801.

Così par che l' intenda il Diemerbroechio, (1) anzi non mancano Scrittori, che ci rammentano delle fiere peſtilenze ſenza punto di febbre (2) oſſervate. Così ſe la conferma l'analogia tratta dai particolari conoſciuti veleni (avvegnache per (3) più titoli queſti non ſi accordino nel loro modo di nuocere co' veleni peſtilenziali), e ſpecialmente da quello, che forſe è il più fiero del can rabbioſo, pel di cui morſo quando (4) viene in ſcena la febbre, ella è prodotta dalle varie, e grandiſſime (5) infiammazioni, colle quali egli attacca, e guaſta le viſcere de' miſeri morſicati. Oltre di che, dandoſi quì per eſſenziale la febbre, ſarebbe queſta la prima a comparire, e anzi che diminuirſi, o quaſi ſvanire, come addiviene per più ore in parecchie inferme, ſi accreſcerebbe vie più in peggio, ſeco portando o buboni, o puſtola, o petecchie, o ſimili altri travaſamenti, e riſtagni all' eſterno del corpo, ſoliti a ſpuntare in cotal razza di febbri. E poi non guarirebbono quelle poche, che del male ſcampano, per averne, come accade, e diceſi per fino dagli aſſiſtenti, provata meno fiera l' impreſſione agli organi del reſpiro, ma bensì per qualche viſibile eſpulſione, o ſcolo eſterno, come nella ſua Epidemia (6) oſſervò il Ramazzini, non ſi vedrebbono a ſtare piutoſto in piedi, che a giacere in terra, non comparirebbe sì bella, e ſana la loro carne, e per fine non ſarebbe sì ben colorito, conſiſtente, e direi quaſi naturale il loro ſangue. Il quale ſe in qualche modo è diffettoſo, lo è ſolamente nell' eſſere troppo denſo, e ſpogliato d'umido per mancanza di quella linſa, che a bel principio s'arreſta, e ſi travaſa in altre parti, in vece di portarſi a ſcorrere con eſſo pei ſanguigni vaſi; e nel moſtrarſi più del dovere roſſegiante, e per conſeguenza più riſcaldato nelle ſue particelle roſſe troppo frà di loro accozzateſi per lo ſtrabbochevole inteſtino di lui movimento.

E quì appunto mi ſi fa luogo a conſiderare, quanto di ſopra toccai leggermente intorno ai feti trovati puzzolenti, e mezzo fracidi nell' utero delle loro madri, paſſate appena 15 ore dopo la morte di eſſe. Il quale ſtato de feti ci fa ragionevolmente penſare, che eglino morti ſiano ancor viventi le vacche, provando eſſi (oltre le continue, impetuoſe nemiche ſcoſſe fatte ne' loro corpicciuoli dalle viſcere, e muſcoli del baſſo ventre delle madri anſanti) provando, diſſi, come teneri, gracili, e dotati di vaſi anguſtiſſimi, aſſai più ſenſibile, e fatale l'effetto della mancante, o almeno aſſai diminuita circolazione del ſangue, così viziata dalla ſudetta diſpoſizione di eſſo troppo ſpogliato di quella linſa, che lo tiene fluido, e atto a ſcorrere per i ſuoi canali, e troppo vicino a quell' univerſale lentore inflammatorio, che tanto ſi oſta alla naturale circolazione. Vizj certamente cagionati da quel veleno peſtifero, e fatale alla bovina ſpezie, introdotto che ei ſiaſi inſieme con l' aria nel ſangue degli Animali, medianti i pori cutanei, le vene latee, i forami del cranio, le eſtreme boccuccie de vaſi ſalivali ec. (7)

Ecco dunque meſſo pure ſotto gli occhj di V.S. Illuſtriſs. quanto mi è venuto alla mente ſecondo il mio ſoſpetto intorno la ſede del mal corrente, e della cagione intrinſeca della morte de buoi, che io ſuppongo principalmente prodotta dall' angina, ſe queſto per avventura s'incontra col di lei ſentimento, giacche ella avrà facilmente fatte maggiori, e più peſate oſſervazioni di quelle, che abbia ſaputo far io, non dubito che le ſarà qual nuovo argomento, per cui V.S. Illuſtriſs. penſi, e forſe trovi il rimedio, che io non ho incontrato fin quì ne' ſuggerimenti preſervativi, e curativi. Poſto però queſto principio crederei, che il più proprio tra i preſervativi (oltre il difender le beſtie ſane da ogni benche leggiero ſoſpetto contagioſo) doveſſe eſſere il profumar loro ben bene il muſo co' valenti profumi, e ſtropicciar mattina e ſera la bocca, e la lingua colla famoſa miſtura d' aceto, aglio, e ſale, facendo loro anco tracannare una volta il giorno ſei oncie in circa di buon' aceto tanto lodato da Ippocrate per le infiammazioni.

Per curarle poi ammalate, ſembrami il più acconcio rimedio il cavar loro ſangue al primo tocco del male dalle vene della lingua, e rinnovarne la cavata a vicenda degli inſorgenti ſintomi, e di più tener inumidito, e molle l'eſofago co'ſorſi frequentiſſimi di decozione fatta coi ſemi di lino, colle foglie di vinca pervinca, farfara, altea, e co'fiori di ſambuco; e all' eſterno addolcire l'aſpera arteria tutta co' fomenti ammolienti, e anco coll' impiaſtro di mele, farina, canfora, ed olio di zucca, ſuggeritoci con gran lode nelle ſcheranzie dal Sig. Rotari (8).

Ma ſiccome l'eſterno rimedio non può fare da quel ch'egli è, pel duriſſimo cuojo bovino, e l' interno non và dove lo eſiggerebbe il maggior male, io ho motivo di ſperar poco, o nulla di giovamento da tutti inſieme.

In tanto ho ſtimato bene di conſiliare il ſavio Cavaliere a non curarſi punto di più tormentare le ſue vacche co' barbari rimedj troppo agevolmente

(1) De peſt. frid. 1. Alten. d. pag. 65. ec.

(2) Sydrach. de febr. peſtil. pag. 119. ec. e molti altri.

(3) Si veg. la dott. prelez. del Sig. Profeſsore Carlo Franceſco Cogroſſi: *de peſtis natura*.

(4) Veramente preſso gli Scrittori dell' Idrofobia s'oſserva un gran ſilenzio in riguardo alla febbre, ma chi non vorrà negare le belliſſime, e veridiche oſservazioni del ſotto citato Sig. Paſquali, dovrà ſicuramente ammetterla qual ſintoma delle infiammazioni, che porta un sì fatto male.

(5) Così il Sig. Paſquale colla ſcorta d'altre ſimili oſservazioni fatte, e ad eſso comunicate dal Sign. Gio. Bianchi, e dal celeberrimo Sig. Antonio Cocchi, che inſieme col dottiſs. Sig. Bertini è ſtato mio Maeſtro di Medicina in Firenze. Si vegga la ſua Lettera ſtampata in Firenze, e diretta al Sign. Bertini,

(6) Pag. 796 e preſso il Lanciſ. pag. 134.

(7) Lanciſ. pag. 134. de bovil. peſte, & lib. 1. part. 1. cap. XVI. de nox. palud. effur.

(8) Avvert. 3. lez. 1. pag. 218.

uſati da maniſcalchi, e a non tenere più dirette le ſue ſperanze alle moltiſſime inutili ricette da eſſi ſuggeritegli, diſſuadendolo eziandio dall' infuſione del mercurio crudo nella vena jugulare, a cui egli da ſe penſò per avergli io ſcritto dopo il primo ſuggerimento dell' unzione mercuriale, che era da tralaſciarſi l'unzione, poiche da quel che ſcorgevo da una ſua lettera, la celerità del male preveniva, e non poteva godere l'azione, da noi la prima volta chiamati a conſiglio pel ravviſato male, ſperata nell' uſo ſudetto del mercurio.

E quanto a queſto attiviſſimo, e mobiliſſimo minerale le dirò ora, che non fu egli in quella occaſione da noi propoſto, come antelmintico *rimedio ſull' idea di que' vermicelli, che ſi vogliono da molti inſigni Scrittori per vera veriſſima ſorgente delle peſtilenze; ma affine ſolo (giacchè gli altri tutti riuſcivano vani) di tentare ſe egli per ſorte unito alla canfora foſſe ſtato valente ad iucontrare, ed abbattere ſulle prime moſſe quel tal velenoſo principio, che inſinuato ne' buoi gli ammazza finalmente, come diceſi, di peſte. E ciò ſi penſò ſull' analogia di molti altri velenoſi ſemi, i quali, o ſi cerca da vincerli con sì fatto antidoto, come nel vajuolo per eſempio ce lo fà dubioſamente ſperare il gran Boerhavve; (1) o ſi credono facili a vincerſi per non dir vinti; come pel vajuolo ſteſſo ce ne aſſicurano i Signori Carlo Spieſſi, Paolo Gotlieb Werlohf, e Gio: Battiſta Moreale (2); pel morſo del can rabbioſo il Sig. Paſquali (3) Fiorentino con ſua ſperienza, e con molt' altre del Sign. James Ingleſe, e dei Signori Deſault, Bovillet, e Bertrand Franceſi; e per la peſte ancora il Signor Screiber (4) per prova felicemente fattane nella peſte di Ucrania nel 1738 e 1739, così forſe ammaeſtrato dal celebre eſempio di quel gran Ceruſico Giovanni di Vigo, il quale (a detta del Signor Bertini) fù il primo, che nel ſecolo decimoſeſto preparato l'ordinaſſe per bocca contro la peſte.*

In oltre noi penſammo al mercurio in riguardo d'eſſer egli un corpo quanto per ſe innocente (5) altretanto grave, mobile, e diviſibile in arciminutiſſime parti, attiſſime ad inſinuarſi in ogni benche menomo canaletto per eſſer l'aſſe delle di lui particelle, o sferette ſempre minore d'ogni qualunque ſiaſi piccoliſſimo diametro dei più anguſti vaſi (6); di maniera che ſe l'azione del velenoſo contagio bovino foſſe primieramente ſtata diretta, come ſembravaci probabile, ad arreſtare dal ſuo corſo la linfa, e farne degli incagli ne' linfatici canellini, e nelle glandole, e ſecondariamente produrre dei ritardi, e riſtagni inſtammatorj nel ſangue ſteſſo, coſtretto a traviare dal ſolito ſuo ſentiero della circolazione; egli ſolo per la nativa ſua gravità, mobilità, e ſottigliezza a noi pareva proprio, e poſſente per impedire, o togliere effetti sì pernicioſi; riflettendo noi inſieme, che ſe a qualche giovevole ſeparazione, o eſcrezione foſſe ſtata per avventura diſpoſta la beſtia, l'averebbe il mercurio, che le ſeparazioni tutte, e le eſpulſioni *facilita, ed accreſce, felicemente promoſſa.*

Finalmente ci venne maggiormente confermato il penſier del mercurio dalla ſperienza fatta nella ſteſſa bovina ſpecie dal Sign. Morandi (7) Medico nel Finale di Modena, il quale in ſimile epidemia col ſaggio conſiglio dell' avveduriſſimo Signor Valliſnieri adoperò felicemente il mercurio in cinque ſuoi buoi, e in tre vacche in un ſol giorno ſorpreſi dall' epidemico morbo.

Ma con tutt i noſtri penſieri del mercurio già ſono morte le vacche medicate coll' unzione mercuriale, e forſe più preſto dell' altre curate diverſamente, o non curate punto.

Miſer chi ſpeme in coſa mortal pone,
Ma chi non ve la pone? e s'ei ſi trova
A la fine ingannato, è ben ragione.

Sebbene a dir vero io non ſono troppo contento di queſto mercuriale ſperimento, ne ho depoſto ancora quella tal fiducia, che ho nodrito, e nodriſco tuttavia per sì fatto rimedio: mentre s'è fatta, certo, l'eſperienza nelle ammalate beſtie, ma chi ci aſſicura, che ella ſiaſi fatta in tutto, e per tutto in guiſa tale da poterne trarre argomento capace di laſciarcene formare un peſato, e ſano giudizio; giacche ſi dovette affidare l'eſperimento a ſemplici, e rozzi Contadini? Molti valent' uomini, come ella sà beniſſimo, lodano, e propongono il mercurio nelle epidemie bovine. Ma niſſuno, che io ſappia ci ha inſegnato di propria lunga prattica il vero metodo di adoperarlo (9) ne buoi, cioè la giuſta doſe, la qualità, il tempo ec. Ella potrà toglier di mezzo queſto dubbio, che forſe inquieterà più d'un Medico amante del pubblico bene, e render me ſoddisfatto ſu queſto importantiſſimo punto col fare e rifare tutte quelle ſperienze intorno l'uſo del mercurio, quali le verranno agevolmente ſomminiſtrate dalla Carica onoratiſſima, che ella eſercita coſtì: Sapendoſi ormai di certo, *per dar fine a queſta mia Lettera con uno degli oracoli di Valliſnieri (10), che* le ſperienze, e le oſſervazioni ſono a' Medici, ed a' Filoſofi naturali, come una ſpezie di ferventiſſima preghiera allo ſteſſo grande Iddio, alla quale ſuole benignamente corriſpondere col manifeſtare le ſue leggi.

La

(1) Aphor. 1392.
(2) Così il Sig. Bertini, pag. 32.
(3) Gior. de Letter. Tom. 3. part. 1. art. 6.
(4) Bertin. 32.
(5) Baerh. de lue aph.
(6) Queſta dottrina la devo ſpezialmente al lodato Signor Bertini.
(7) Così egli in una ſua Lettera ſcritta al Signor Valliſnieri.
(8) Trionf. della mor. cap. 1.
(9) Eſperien. del Sig. Moranti è buoniſſima, ma non ſi può affatto ammaeſtrare in tal materia.
(10) T. 2. de Vermic. peſtilenz. pag. 24.

La ſupplico di ricevere con qualche compatimento ciò che non ho ſaputo bene eſporle in una materia sì rilevante, e di volermi conſiderare per ſempre qual mi pregio d' eſſere
Di V. S. Illuſtriſs.

Cremona 10 Decembre 1745.

Umil: ed obblig: Servitore
M. G.

VIRO CLARISSIMO

MARTINO GHISI

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

SECUNDIS literis tuis, ab egregio viro Joanne Dominico Baſciocchi hoc noſtro in Xenodochio Chirurgicæ artis Magiſtro, & Brixianæ juventutis in Anatomicis diſciplinis Inſtitutore optime merito, mihi traditis, perdifficilem quæſtionem enodandam proponis; urgeſque, ut quid ipſe ſentio de cauſa & remediis Bovillæ peſtis, qua Pedemontanæ regiones Mediolanenſis Ducatus vexatæ fuere, quæque nunc in Laudenſi, Placentino, & Cremenſi ſtatu graſſatur, ponam in propatulo.

Licet magnum opus, quod elucubro (ſic illud voco ratione molis) ſuſceptumque pro utili & decenti ejuſdem ornatu, cum præcipuis Europæ viris literarium commercium, me nunc diſtineant, & Venetias proficiſci in animo habeam; attamen, dummodo tractatum numeris omnibus abſolutum non ſumas, & probabilibus conjecturis, mediocritati meæ conſonis, contentus ſis, ſaltem laconice, nutibus tuis obtemperabo, ut videas, quanti te faciam, habeaſque repetita meæ in te benevolentiæ, gratique animi teſtimonia. Cum probe ſim conſcius, non dedecere ad hæc viliora explicanda deſcendere, præeuntibus ſummis Pontificum & Monarcharum Archiatris, nec non primi ſubſellii Profeſſoribus, cum quibus una hoc in ſtudio decurrere, atque pro publico bono in arena ſudare, glorioſum atque conveniens eſt.

Hæ res, ne dicam humani generis punitiones (quas ipſe Pharaon Rex Ægypti tulit. Scriptum quippe in Exod. c. 9. v. 3. *Ecce manus erit ſuper agros tuos, & ſuper Equos, Boves & Oves peſtis valde gravis*) veniunt ab alto, mi Ghiſi: quas primum, ſolumque fuſis in Deum Optimum Maximum precibus tolli poſſe, perſuaſum habeo. Quia tamen & ars, quam experientia fecit, exemplo monſtrante viam, quamque Medicinam dicimus, a Deo poſita eſt; non incongruum erit videre, num ad Bovillam peſtem avertendam, vel profligandam utiliter extendi queat.

Neque vero, dum ad philoſophica cogitata & diſſerendi rationes accedimus, vellem peteres, ut ego primo in limine, in immenſurabili pelago vela pandens, de duobus poſtulatis rationem redderem, nimirum num peſtis origo ab immenſa inſectorum productione animata dici mereatur; ſique non animata, quo nomine indigitari debeat. Uno verbo quænam ſint cauſæ, ut ajunt, proximæ, conſtitutiva primordia. Hoc quippe eſſet ab agendis potius diſcedere, & apud Auctores præexiſtentia ad nauſeam uſque repaſtinare. Proſtant jam ditiſſimæ productiones in hoc argumentum exaratæ a celeberrimis Muratorio, Valliſnerio, Cogroſſio, Curtio, Richa, & Saguens Toloſano, inſignis Magnan diſcipulo: cujus tamen quinta Propoſitio excipi non poteſt ſine admiratione, ajentis, *naturam peſtis, & illius proprietates explicari recte tantummodo per inſecta poſſe*. Dum etiam concedendo infinitam animalculorum congeriem in morbidis circa os, aures, & anum, aut denatis intus aliquando fuiſſe viſam, non inde ſequitur, unicam extremi fati cauſam eſſe potuiſſe. In hoc valde timeo, ne apud viros, alioquin clari nominis, nupta mentis præjudicia in errores adducant. In ejuſdem ſententiæ examine, ab ineunte uſque adoleſcentia fuimus etiam nos Troes, aliquidque meruimus, quando ſæviente tunc temporis in Bubulo pecore epidemia, una cum doctiſſimo Bernardino Bono Brixienſi, clari nominis Medico, oculis vitro armatis, non pauca fecimus experimenta, præcipue in ſero ſanguinis boum, non longe ab urbe functorum: cujus minima particula, punctum calami ſcribentis vix æquans, die 2. Januarii 1714., vermicularis viſa eſt; adeo ut plura animalcula, ovalis figurę, albi coloris, cum capitulo acuto, reticulari dorſo, abſque cauda & pedibus (aut ſaltem non viſis) figuræ, cimicis inſtar, agiliſſima, piſciformi motu, in gyrum, & quaquaverſum reptantia apparerent. Quę omnia altera etiam die viſa ſunt. Tertia vero aliquatenus craſſefacto, & rubeſcente ſanguinis ſero, ſupradicta automata evanuere. Hæc ſub ſenſu noſtro ceciderunt: & tamen in Adverſariis, pluteiſque fuere repoſita; utpote non ſatis probantia, & mihi metum relinquentia, num animalculorum loco, atomi, particulæ vorticali motu in gyrum actæ, varias inſectorum figuras, motuſque repræſentarent. Ex quibus omnibus arguere potes, me non eſſe tam in proclivi, ut credam, a vermiculis contagia pendere; & controverſiam adhuc in puteo abſcondi, ſaniora ſincipita expectantem.

Ad cauſam vero proximam morboſæ apocriſis, quod ſpectat, neque lubet libros evolvere, neque certatim credita epidemicarum conſtitutionum principia ad examen vocare; tanto magis, quia quodvis ſuppoſitum mihi non ſatisfacit. Unde fateri potius volo, me illud principium latere, quam te ambiguis tricis laceſſere; ad claritatem dicendorum ſolum admittendo, illud eſſe activiſſimum ſummeque virulentum, ipſiſſimam lethiferi veneni vim habens.

Videns meam ignaviam, ne te contorqueas, & quaſi ſcripſiſſe pæniteat, repetendo ſententiam Cornelii Celſi, quæ proſtat in Epiſtola tua: *Quo-*

modo

modo morbos curare conveniat, qui unde hi ſint, ignoret. Dum, pace tanti viri, hoc non eſt ſemper verum; quia, non cognita cauſa, multi morbi curantur; & Empirica ſecta, auſpice Heraclione, & docente Alexandro Macoppe, in Prælectione, Patavii 1716. cuſa, interdum ſupra dogmaticam & rationalem Theoriam, invito Hippocrate, triumphat. Quis unquam ſcivit febris originem, quam tollit chinachina; quis dyſentherici fluxus, quem Hypechacuanna coercet; quis Aphrodiſiacæ peſtis, quam lignum ſanctum, & hydrargyrum feliciter depellunt? Sileamus ergo neceſſe eſt: in toto rationali Hipocratico-Galenicæ, & Mechanico-Theoricæ Medicinæ chaos, tria paria remedia, quæ in aliis morbis æquipolleant, invenire. Empiricæ igitur & manus jungamus noſtras; & ſic ſperemus, aut nos, aut alios, vel originem, vel remedium abſque cognitione originis, vel utraque tandem aliquando eſſe reperturos.

Ad rem vero propius accedentes, relectis adamuſſim obſervationibus omnibus, quas graphice tua in epiſtola inſtitutas profers, tam in morbidis, quam denatis, media extorum inciſione, bobus, & quas hic tædioſe non repeto; te pronum video ut credas, primariam mortis ſcenam agi in regione pectoris, ſed præcipue faucium, & aſperæ arteriæ. Hanc opinionem fulcis ob tuſſim, ſtertorem & anhelitum, quæ fere ſemper fuere adventantis contagii (contagionem a peſte non nimis diſtinguimus, cum peſtis per contagium, vel mediatum, vel immediatum, ſed præcipue per aerem, propagetur) pathognomonica, ut ita dicam, primordia; proindeque confirmas, ob reperta pharingem, oeſophagum, & linguæ radicem, leviter inflammata; tracheam vero in omnibus lividam, corroſam, corruptam, pureque coopertam: quæ ſatis probare videntur, primarium illud viſcus læſum, labefactatumque fuiſſe.

Concedo, hoc eſſe philoſophari cum ratione; mortiferumque morbum reducere ad illud eſſentiæ ſuæ genus, quod Synanchen, ſeu anginam dicunt. Id inter probabilia poſſumus ponere etiam ob rationem illam, quæ deſumi debet ab immediato occurſu illarum partium, irruenti veneno magis expoſitarum; tanto magis ſi caput, ſi cor ſana, ſanguiſque parum a ſtatu naturali abſcedens reperta ſunt.

Adde inſuper, non ſolum quæ tu vidiſti in diſtrictu Laudenſi, ſed etiam nonnulla, quæ nuper contigerunt in extremitate Brixianæ provinciæ, ubi dicitur *Caſaze*, prope Sanctum Gervaſium, ſi non omnibus, quaſi iiſdem ſymptomatibus proceſſiſſe; ut mihi retulit nobilis & ſapiens collega noſter Aloyſius Garbellus, qui, cum aliis patriæ Patribus, Brixianæ ſaluti præſidet, & illas regiones primo afflatu morbi tactas peragravit. In ſtabulo quippe ſexdecim animalium, quatuor tantummodo, eaque adhuc morbida, ſervata ſunt. In illiſque ſtypticitas, dyſuria, tremor, frigus, frigida cornua, lacrymationes, demiſſum caput, anorexia, proſtratio. Sectis vero, lienis corruptus, jecur bili plenum, echinos, quem omaſum dicunt, dura nigricante materia turgidum. Arteria vero aſpera in bronchiales productiones ſe ſe extendens, livore, & puriformi ichore perfuſa. Quæ omnia cum aliunde venientibus, aut conquiſitis collata, ſicuti aliquem timorem contagii naſcentis incutiunt; ita videntur comprobare ſententiam tuam.

At non ita tamen res eſt in vado, quin adhuc de hac hypoteſi, licet rationibus, & factis fulta, dubitandum ſit: tum quia læſio vix aſperam arteriam excedebat, pulmones ſani videbantur; deglutitio, reſpiratio non erant præpedita, ut in angincſis videmus, neque ulla paraſynanche, quæ ſtaſim humorum in colli & proximarum partium venis indicaret. Præterquamquod vitium illud ad corruptionis gradum non pervenerat, ut animal abiret ſtatim: ſi phthiſici pedetentim colliquati durant. Sique libere vis loquar, non tam viſcus thoracicum, ſed neque cætera omnia in cadaveribus a te obſervata, mihi videntur ita læſa fuiſſe, ut brevi perirent. Ergo aliqua alia cauſa non ſatis develata latuit. Porro etſi læſa, & in exceſſu vitiata, quis audebit dicere, fuiſſe ſedem morbi, aut cauſam mortis? Cum fortaſſe in proxime morituro, ne dicam mortuo, id tantum evenerit, effectuſque potius, quam cauſa dici mereatur. Sumus in caligine, tum medemur hominibus, qui loquuntur, & quos habemus præ manibus toto tempore vitæ noſtræ. Reliqua tu argue.

Apud ſcriptores de hiſce morbis vidi olim infinitam propemodum eſſe ſymptomatum & effectuum ſeriem, quin imo toto, ut ajunt, Cœlo diverſam, quæ in uno vel altero evenit. Referunt enim in aliis epidemiis boves affectos dentibus ſtridere, mugire, linguam fieri atram, ſtriis variegatam, tumores ad ambitum exoriri, interdum nigros, interdum ſaniem fundentes, urinam vero turbidam, ignitam, & alia: ſignum evidens quod quamvis eadem cauſa ſit, attamen ſecundum organa recipientia, ſecundum præexiſtentem viſcerum aggreſſarum ſtatum, hic febrit, alter humi jacet, tertius anhelat.

Quomodocumque igitur ægrotent, quando contagii ſuſpicio adeſt, ad aliquam partem, aut viſcus magis affecta reſpiciendum eſſe, non negamus. Sed mens, oculi ictu percurſata Medicina tota, ante oculos habens penetrantiſſimam, inviſibilem, volantem lethiferi peſtilentialis veneni vim, per patentia foramina, & cutis poros, vel animæ, vel cordis thalamum inſtantanea pernicitate, & pernicie ſubituram, cogitet de curatione, de præſervatione.

Ad curationem quod attinet, ne hilum tibi loqui volo, utpote a multis propoſitam, parum proficuam, ſero pervenientem, raro tutam, ſemper cruciantem. Qui ſanati ſunt, naturæ viribus connitentibus, quod ſciam, evaſerunt.

Totus rei cardo ſtat in præſervatione, ob quam

1 Optandum, ut metus invaleſcat magis, ajebat Archiater Regis Sardiniæ, Fantonus. Timor ſiquidem in proximos populos diffuſus, facit, ut ca-

caveant, expellant, vitent ea omnia, quæ inimicum ſecum vehere poſſunt; ob quem finem, ſi rei familiaris, ſuarumque fortunarum grave damnum pati æquo animo volunt, & tamquam ſaxa in lacrymabili adeo eventu non commoventur: illis obtrudenda, quæ graves ſcriptores referunt, ſcilicet interdum ab animalibus in homines epidemicum morbum tranſiiſſe.

2 Contra advertendum ne avaritia, aliquorum animorum, & præcipue villicorum domina, prævaleat; quippe quæ fuit ſemper præcipuus fons a quo, velut hydra, multa mala progerminarunt.

3 Quamcumque rem, quæ veneficum tabum in armentorum ſtabula vehere poterit, intercipere.

4 Quando lues epidemica in primo principio eſt, & aliquem locum alicujus regionis aggreditur, non diu cogitandum, non conſulendum (quia interim Saguntum expugnatur) ſed ad ſubitaneam infectorum internecionem properandum eſt.

5 Neque in ſolis denatis experimenta facienda ſunt, ſed gradatim vivi boves cultro ſubjiciendi, hoc eſt, prima dum ægrotant die, ſecunda, tertia; ita ut in omni morbi ſtatu videantur, & conſtent interni effectus, & progreſſus; pateant tacta, & pedetentim vitiata viſcera. Idque non ſolum in bobus, & tauris, ſed etiam in ſordis, vaccis matricibus, & vitulis pertentanda ſunt, ubi interna molliora albicantia, neque adeo ob vetuſtam ſoliditatem reſiſtentia, quæ indicabunt magis ubi venenum agat, quas partes primo lædat, quibus non noceat. His autem omnibus adminiculis, & circumſtantiis inſtructus ſedulus obſervator, tutiora argumenta concipiet, & publicam utilitatem promovebit magis.

6 Ob aliam etiam rationem ſuſpecta, levique maligno afflatu tacta, de medio tollenda ſunt. Quid enim aliud eſt, iiſdem mederi, quam peſtis ſeminium fovere, & alere, ut inde reſurgat? Quid Veterinarii, Bubulci, dum diu noctuque adminiſtrant & exequuntur, niſi laneis ſuis indumentis nunquam mutatis abſorbere contagioſum fomitem; alio, heu, deponendum?

7 Ulterius peto abſte ipſo: quando ſectionibus boum præfuiſti, eras ne extima ſerica, vel cerata veſte indutus? Poſt fuiſti ne unguento oblinitus, odoramentis, & ſuffimentis perfuſus? Si nequaquam dicis: conſequentiam vides.

8 Bone Deus, facienda non fiunt, & Boves non præſervantur. Hi timores, hæ opiniones adeo mihi vim faciunt, doctiſſime Martine, ut non ſolum morbidorum ſuſpectorumque animalium, ſed totius armenti ſtabulique excidium cogitem, quaſi dixero, opportunum. Iterum repeto: quando lues in uno tantum, vel altero loco incipit, meæ legis (Moſaicæ ſimilis quæ domum lepra pollutam radi jubebat) furor ad ſcintillam extinguendam reducitur, nonque ad auctam jam flammam, luemque illam, quæ ſerpit & late vagatur. Dicens inſuper, num proximi & finitimi, in quorum utilitatem, & præſervationem propoſita cedere deberent, illatum damnum ſolvere teneantur.

9 Mercurius vero, te jubente, adhibitus, quoniam non ſatisfecit; quia quoad curationem tempus agendi non habuit, fortaſſe multa polleret in præſervatione, quando proxima lues pertimeſcitur. Non crudus, quia interdum talis tranſit; non in hypothimiaſim elaboratus, qui eſſet aptior; at cuſtodibus, & bubulcis noxius, ſed in panaceam propinatus, &, ut Pharmacopolæ dicunt, dulcificatus, aut glabrata, & depili reddita cute, ab extra aptatus, ut excitatis ad motum lymphis, & per palatina vaſa exeuntibus, peſtilens ſeminium non poſſit figi. Cum de facto, nullum aliud remedium hoc in anfractu rationi & experientiæ magis conſonum ſit, quam illud, valens ad augenda fluidorum fere omnium momenta, ita ut quoties a contagioſo afflatu ipſorum motus intercipitur, aut corrugatis, & in axim coactis ſolidis ſufflaminatur, illa vis, ope mercurii, corpori animali accedat, ob quam in vaſorum, & glandularum utriculis concreſcentia morbi ſemina loco moveantur, & exeant.

10 Antimonium, ſulphur, æs, ſapo, allium, cæpa, mel, acetum, oleoſi ſucci præcipue ob omaſum obſtructum, ſal ammoniacum, camphora, vini ſpiritus, China china, cum tota vegetantium aromaticorum caterva, partim intus exhibita, partim extra per frictiones, per ſuffitus adminiſtrata, laudem mereri poſſunt: itemque tot ferri, & ignis tormenta, quæ veterinarii in lue correptos adigunt, ut aliquid agere videantur.

Sed vela colligenda ſunt; cum jam animadvertam me, tecum alloqui gaudentem, præfixos cancellos prætergredi. Da veniam tumultuarie ſcribenti. Et fine, ut gratuler de cæptis tuis. Summopere laudo ſuſceptum conſilium, eo quia, in re magni momenti, confugeris, & epiſtolarem Diſſertationem direxeris Mediolanenſi oraculo, nimirum Præſtantiſſimo Carolo Mazzucchelli, in Ticinenſi Univerſitate primario Anatomes Profeſſori, quem, ſi reſcribis, peramanter meo nomine ſalutabis. Tu interim perge, & veritatem quærere ne deſinas; dum hac ſola via Medicus perficitur, & pervenit ad honores. De Vomitu Cremonenſis Mulieris plura non addo. Vidi enim & præ manibus habeo Diſſertationem nunquam ſatis laudati Valcarenghi, quæ jubet, ut omnes ſileant. Vale, & me, licet ceteris minus aptum, tuis tamen mandatis paratiſſimum puta.

Brixiæ 31 Decembris 1745.

XE-

XENODOCHIUM MAJUS

AUCTOR SUI ITINERIS EVENTUS REFERT, ET EXCITAT GUADANEUM, UT RESCRIBAT CIRCA HODIERNUM IN BRIXIANO XENODOCHIO PRACTICÆ MEDICINÆ STATUM.

VIRO CLARISSIMO

JOANNI FRANCISCO GUADANEO

Bononienſis Academiæ Socio

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

NOTITIAM tibi do, melius eſſe in Muſæolo libros volvere, morbos inter & ægros Medicinam factitare, in umbratili domeſticæ pacis otio filiolos ſuos amplecti, & deoſculari, aut ſi mavis fumantes coronatos caffè crateres tecum interdum bibere, quam hyemalibus adverſis tempeſtatibus itinera ſuſcipere. Relicta vix Brixia, totam regiam viam, quæ ducit ad Venetam Metropolim, invenimus adeo profunde lutoſam, & ſtagnantibus aquis undique coopertam, ut equi, non ſuccuſſantes, ſed ne quidem pedetentim gradientes incedere potuerint. Hæc nihil.

Ubi ad Montembellum, vicum Vicentini diſtrictus, ventum eſt, crevit rumor, quem antea jam ſubolueram, proximum Torrens, *L'acqua* dictum, ab eliquatis nivibus, & a perennibus pluviis adauctum, & turgidum repagula, aggereſque fregiſſe: hinc exlex, exundans, & præcipiti curſu vortices agens, tranſeundos, ſubjectoſque agros, & viam adeo vaſtaverat, ut iter facientes non pauci, cum ante me ad locum illum, periculique ripam perveniſſent, hærerent in ancipiti, num ſtare, pedemque tenere debuiſſent.

Veſperaſcente itaque die, & conſilio in arena capto, in adaperta caupone nos expectante, ne dicam, de hiſce infortuniis gaudente, taberna pernoctare ſancitum eſt; proindeque ab omnibus percontari, quid eveniat, & evenerit aliis, circa rapidiſſimi fluminis tranſitum. Hic referebat alicubi in alveo abſconditas latere lacunas, atque ab aquarum decurrentium motu, & ſedimentis immutari foveas, & deſinentias, in quas equi interdum ad caput uſque profundebantur. Alter exclamabat, vidiſſe ruſticum currum, pluribus viatoribus onuſtum, a violenta torrentis rapacitate, cum bobus, magno periculo longe tranſlatum, & per accidens tandem magnæ plantæ adhærentem; ſuper quam homines, aſcendendo, proximam mortem vitarunt. Nec deerant, qui dicebant, alios viatores ob timorem redeuntes ab itinere abſtinuiſſe, alios vero adeſſe, quos, quaſi ſemimortuos, tranſiiſſe pœnituit.

Hoc in anfractu, quaſi reditum in patriam jam ſuadente, finge tibi quæſo, Compater optime, quæ fuerit cœnandi, quæ dormiendi voluntas; depluentibus inſuper tota nocte aquis, pejora mala ominantibus. Summo itaque mane expergefactus, ſeu potius dixero, vigil adhuc ſurgens, equitantem hominem trans turbidum fluentum mittere optimum duxi, meis oculis, ut viderem, quænam fuerit periculi facies, quæque minitaretur inſtabile lutoſum alvei fundum. Et licet hoc clare non poſſet dignoſci; quia non unico, ſed pluribus ramis, & ductibus aquæ divaricatæ expatiabantur, & magnam ſoli partem tenebant; attamen ſufficietenus vidi, pluribus in locis aquarum altitudinem equi miſſi ventrem non ſuperare, ſi unum excipias, poſtremo tranſeundum; ubi, accedente continentis declivitate præceps, & ponderoſior unda tranſeuntes magis vexabat.

Hinc ab aliorum exemplo excitatus, prætio ductis quibuſdam aquaticis ſeminudis hominibus, ad equorum, & rhedæ latera nos indeſinenter comitantibus, animumque facientibus, tranſitum pertentavi, & quidem feliciter, dum ſpatio aliquot minutorum ad optatam ripam evaſi.

Ut vero ad rem, artemque noſtram veniamus, Tibi, tuæque virtuti a nobis concreditam egregiam Monialem Luzzaghi, ab hyſtericis inſultibus, & convulſivis affectibus iterum angi, non ſine animi mærore intelligo. Nec pluribus repeto a me facta, dum adſtabam; poſt reſignatam pluries venam, vix quidpiam aliud inveni, quod juvaret. Opus totum natura, & tempore perficiebatur. At velim adverteres, Virginem illam nimis cito, & attenta animi contentione, ſuis obſervantiis ſe ſubmittere; ideo non ſatis valens, iterum ad invaletudinem properat. Hæc dicebam, quia anteacta, & tibi fortaſſe non ſatis nota. De cetero illuſtriſſimæ ægrotanti, cui meas ſalutationes enunciabis, & mihi gratulor, te agendis præſidere, a quo multa bona expectanda ſunt.

Si aliquod momentum a domeſticis negotiis ſupereſt, illud & hic literis, ſtudiiſque trado; quæ animum meum mirum in modum erigunt, ac prorſus beatum efficiunt. Heſternam totam diem tranſegi apud Sapientem Virum Marchionem Aloyſium Sale, bonarum artium in Vicentina Provincia protectorem præſtantiſſimum. Aderat Joannes Maria Pilati, juvenis altæ ſpei, & Medicus doctiſſimus, quibuſcum nonnulla ad Matheſim, ad ſeriem inſignium hujuſce regionis hominum, atque ad hiſtoriam naturalem ſpectantia excuſſa fuere. Idque conſulto feci, ut præſertim ſupradicto Profeſſori animum adderem ad ſcribendum de patriis rebus, & medendi modis pro ornanda Europa noſtra.

Imo & tu (pluries animus id tibi coram dicendi geſti-

geſtivit, & ſiluit; nunc audet, quia litera minus erubeſcit) ſi ſcriptis noſtris, Brixianam Medicinam, ut humeri potuerunt, illuſtrantibus, fulgentem jungere facem, tuiſque plumis nuditatem meam conveſtire vis, concinna in epilogum ea omnia, quæ obſervaſti utilia, & peculiaria in majori Xenodochio, tuæ curæ commiſſo. Quamvis non indigeas, atque adeo ut abundes, conſule, ſi tibi lubet, ſeniores, ideſt Naſſinum, & Suardum, nobiles, & doctos collegas tuos: exige aliquid luminis etiam a Joanne Dominico Baſciocchi; Hetruſcis quippe diſciplinis, & fundamentis vir ille præditus eſt, & interdum Chirurgia Medicinam docet. Quod fuſius conſtabit in Vindiciis, Criticiſque animadverſionibus noſtris contra celeberrimum Andry, Decanum Collegii Pariſienſis; quibus omnibus in ſanguinem veluti converſis, maturo examine digeſtis, jamque diviti venæ tuæ ſuperadditis, ad nobis favendum, te etiam nolente, via faciliima ſternetur.

Inſuper adhuc. Si Praxis Medica, in qua jure merito flores, & Brixianis civibus charus, immortalem famam acquiris; necnon uxor tua, de te nocturnis horis abſente muſſitans fortaſſe, & querula, ſinunt, ſupplices meas preces porrigerem, ut unica vice videas ſcenicos actus, qui poſtremis bacchanaliorum diebus repræſentabuntur in Theatro Collegii Nobilium; ſcirem quippe libenter, quando reſcribes, quomodo ſe geret meus Carolus, ibi convictor.

Poſt hæc. Cave ne tam facill negotio credas, quæ in Creſcini officina circumferuntur, & tamquam tuta ad ravim uſque venditantur; quia non in Medicis tantum, ſed in ceteris quoque rebus unicæ germanæ veritati litandum. Vale.

Parolinæ in Vicentiæ ſuburbiis 21 Januarii 1746.

Nobili, Sapientiſſimoque Viro

COMITI FRANCISCO RONCALLIO PAROLINO

JOANNES FRANCISCUS GUADANEUS

S. P. D.

Si tardum humaniſſimæ tuæ literæ reſponſum vides, ne me vel ignaviæ, vel ingratitudinis, quod pejus eſſet, notes velim; id ſolum in cauſa fuit, ut quæ commiſiſti adimplerem, ut primum ſcilicet certiorem te facerem de optima Comitis Caroli gnati dulciſſimi valetudine, poſtmodum de ſumma ipſius in recitando habitudine. Vera fateor, nec ut Amicus Parenti loquor. Ejus pars non inter majores eſt reponenda, ſed ita a theatro non terretur, ut cum coram populo recitet, quaſi inter ſocios confabulatur, a juvenum cantilena alienus.

Ceteroquin ita tuo periculo quod graphice, atque elegantiſſime deſcribis, ſum commotus, ut dolerem quammaxime, & angerer, quod tibi firmo animo dubiæ viæ experimentum facere volente amicam manum prorrigere non poſſem, ſicque in tuto ponerem

L'ornamento, e ſplendor del ſecol noſtro

Sed omnia tibi meritiſſimo ad votum ceſſere; quapropter gratulor quammaxime

Poſt tantos caſus, poſt tot diſcrimina rerum,
Quorum, olim meminiſſe juvabit.

Tu interim vel Parolinæ tuæ villæ, ſtudia inter & libros, otio fruere, vel Clariſſimorum Vicentiæ hominum doctiſſimis colloquiis, vel magno Principe dignis Venetiarum ſpectaculis.

Nobilis monialis Luzzago mediocri fruitur valetudine, iiſdem tractata, quibus tu ſolebas, remediis; ceſſit convulſio, ſed nondum rediere vires, nec ſtomachus ſui eſt in integrum compos officii, nec ſine febre, licet tenui, pulſus. Mecum jam ſanciveram, non multis illam torquere medicamentis, ſummopere vero mea in ſententia tu firmaſti, ea admonendo, quæ in tua epiſtola habui.

Sed ut ad rem Medicam veniamus, tum Naſſino, tum Suardo nobilibus doctiſſimiſque Viris, quæ optas, expoſui; uterque nihil ad manus habere reſponſum dedit, ſecum vero reputaturus, ut ſi quid ſuppeteret, tibi communicarent. Baciocchus experitiſſimus idem dedit reſponſum, & petitionem lætiſſimo animo excepit.

Quæ vero ego habere poſſum vel tanto Auctore, vel tanto libro digna! maxime cum vel artis defſectu, vel artificis ignorantia, vel parentis naturæ imbecillitate me potius in rebus Medicis ad dubitandum, cum Leonardo a Capua in hiſt. Med., quam ad definiendum paratum habeas: nihilominus tamen ne erga te obſervantia mea deficere videatur, quæ clariora in noſtro cœlo invenire potui, ſi non multum utilia, vera certe, paucis habe.

Et ut primo de Xenodochio, a quo in Medicina facienda major lux mutuari poteſt, verba faciamus: molis eſt quammaxime ampliſſima, & civitate digna principe. Crucis brachia (a puncto interſectionis inchoata menſura) 85 cubitorum longitudinem adæquant, altitudo eſt 32 cubitorum, 24 latitudo. Feneſtræ in parte ſuperiori latiſſimæ magnam luminis vim admittunt, & inter plodia, ſeu roſtra ferrea eleganti forma concinnata, quæ per omnes excurrunt, adeuntur juxta neceſſitatis exigentiam reſerandæ, vel claudendæ. Circa quælibet brachiorum latera pergulæ clauſæ exporriguntur peculiaribus morbis, puta hecticis, gallicis, capitis vulneribus &c. deſtinatæ, quæ quidem omnia non ad complementum adhuc ſunt perducta, perducentur vero breviter, quia operi acriter incumbitur. Sed hæc magis nobilium Preſidum auguſtum animum, urbis dignitatem, & magnum ægrotantium affluxum, quam praxim medicam, de qua eſt quæſtio, reſpiciunt.

Difficile propemodum in uno non dicam urbis agro, ſed regionis territorio, quemadmodum in no-

ſtro, tantam aeris varietatem invenire. Ad ſeptentrionem enim altiſſimos, nivoſoſque montes habemus, ad Corum, & Cæciam Sabinum, Benacique lacum, ad orientem, occidentem, & meridiem planitiem ſatis amplam. Aer eſt ad montes ſubtiliſſimus, & nitroſis particulis auctus, ad corum, & cæciam, orientem, & occidentem ob aquarum, & fluminum a lacubus tum dictis, tum minoribus provenientium curſu ſaluberrimus; ad meridiem vero ob eaſdem aquas vel ibi ſtagnantes, vel nimis copioſe ſalientes craſſus, & ob cachecticum habitantium colorem infandus. Verum cum hæc a te doctiſſime in celeb. Tract. de Fontibus noſtris medicatis, & de purgantibus in aere Brixiano deſcripta fuerint, tantum libo ad ea, quæ ſunt dicenda.

Ob talem itaque aeris diverſitatem diverſiſſimi in Xenodochio obſervantur morbi. Qui enim a meridie veniunt infirmi, hi fere ſunt quartanarii, tertianarii, vel cachectici, vel hydropici, ob lienis maxime obſtructionem, difficillime quovis etiam validiſſimo remedio curandi. Quibus morbis deiciendo, deobſtruendo, vel chinæ chinæ uſu, & ſi non ita prompte intereant, vitam tamen miſerime trahunt, & facile recidivant.

Qui montes habitant, urbemque noſtram ad montium pedes ſitam, phthyſim (non minus ac Londinenſes referente Mortono ob mineralium carbonum halitus) ſputa ſanguinea, rheumatiſmos, organica pectoris vitia, narium hæmorrhagias, aliaque hujuſmodi patiuntur. Ceteri incolæ ſi pectoris inflammationes veris tempore epidemicas, & febres quaſdam pernitioſas pariter epidemicas æſtivo tempore recurrentes excipias, ſatis ſalubriter vivunt. Quæ quidem febres cum penes nos aliquibus ab hinc annis ſint recurrentes, non abs re erit fortaſſe de ipſis verba facere.

Pulſus nec durus, nec magnus, nec admodum velox niſi in morituris, reſpiratio gravis, lingua non admodum arida, ſed alba, urinæ non vehementer ſaturatæ, mens non ſui compos, ſed non in integrum delira, proclivitas ad ſomnum, inapetentia, primis diebus alvi ſtypticitas, declinante morbo laxitas crudarum bilioſarumque materiarum. Extractus ſanguis fere ſemper inflammatorius, nec tantum prima, ſed ſubſequentibus ad vicibus; quamobrem poſthabito Celſi conſilio, qui ait: Numquam utile poſt diem quartum eſt ſanguinem mittere. Cum ſpatio ipſo materia; vel exhauſta eſt, vel corpus corrupit, utebar methodo, qua ſolent Practici, dum febres vere inflammatorias curant, ſanguinem mittendo quandoque non tantum primis morbi diebus, ſed poſt decimam quartam, & decimam ſeptimam. Quod maxime fiebat in conſtitutione æſtatis anni 1743; habebant enim febres anni illius id peculiaris, ut præter ſanguinem ſummopere inflammatum fere omnes per hæmorrhagias narium, poſt etiam parotidum expulſionem judicarentur.

Qua in re notandum eſt, cum tres ſimus in Xenodochio Medici, bini ſapientiſſimi, non ita frequenti, nec larga ſanguinis miſſione, quemadmodum ego, utebantur, & tamen tum illorum, tum mei infirmi, vel poſt vigeſimam, vel poſt trigeſimam hæmorrhagia ſanabantur, quæ tamen in meis moderatior erat, in aliis copioſiſſima.

Quæ ſit mea in his febribus curandis methodus, paucis habe: poſt ſanguinis miſſionem, eamque vel pluries, vel ſemel repetitam, juxta virium tolerantiam, poſt enemata, adhibeo ſerum lactis deſtillatum, & paucis ſpiritus nitri dulcis guttulis alteratum larga manu, & per plures dies donec ad morbi ſtatum ventum ſit (quem quidem Medici frequenter nominant, & difficillime, ego certe, cognoſcunt) Quandoque etiam pulviſculos, ut vocant, abſorbentes, & præparantes, ſed rarius (ſunt enim apud me incertiſſimæ fidei) in uſum revoco. Poſt hæc vel diuretica, vel diaphoretica, natura monſtrante viam, ſequuntur. Si vires tantiſper labantur, mens vacillet, pulſus minuatur, volatilibus parca doſi, diaphoreticiſque validioribus, & veſicantibus ipſas ſuſtinere intendo, donec ſi res bene ceſſerit, corpus vel per ſe, vel blandiſſimis lenientibus purgetur.

Frequentiſſimæ ſunt apud nos verno, ut dixi, tempore pleuritides, & peripneumoniæ ardentiſſimis febribus ſtipatæ, quæ difficilis ſunt curationis, quæque frequenter in tuberculoſos pectoris morbos, & phthyſim degenerant, morbi ceteroquin per ſe frequentes maxime apud divites, & Magnates. Quibus ſi quæ opem tulerunt, ad mortem ſi non fugiendam, ſaltem diſtrahendam, præter lac omnibus notiſſimum, apud me ſunt pilulæ balſamicæ Mortoni ſedulo, & mature adhibitæ; ſequentes meæ rotulæ eo præcipue ſtudio concinnatæ, ut, dum opiatis tuſſis ſiſtitur, quæ eſt maximum conſolidationi ulcuſculorum obſtaculum, ulcuſcula ipſa incraſſantibus, & balſamicis claudantur.

♃. Pulp. radic. althеæ per ſetac. traject. Pulv. Hal. Abb. ana ℥ 5 Gumm. Arabic. ʒ II Laud. Nepen. Q. gr. XVIII Balſam. Peruv. ʒ I Cinamom s.p. ℈ 5. Sacchar. aq. hæder. terreſt. lot. q. ſ. m. f. rotul.

Notandum tamen, ubi multa, & viſcida abundat materia, me his non uti rotulis. Tandem ſanguinis miſſio etiam in confirmatis, ſed non reſolutis manu valde parca adhibita, & ſtatis temporibus repetita. Sanguis autem ſemper fuit inflammatorius, quod quidem arguit tuberculoſam conſtitutionem. Propoſitionis difficultatem vides, vir omni numero abſolutus, ſed illam enodare literæ limites, & tua fortaſſe jam fracta patientia non ſinunt.

Peculiares etiam morbos juxta peculiare vitæ genus mihi obſervare viſus ſum. Qui enim incidendis ſcalpro marmoribus, prope Boticinum, Rezatum &c. incumbunt, hi frequenter in aſthmaticas fluxiones cadunt, ob infarctum ſcilicet a lapidoſo pulvere pulmonem difficillime ſanandum. Qui telis linariis, vel ſericis texendis vitam alunt

ſputis ſanguineis, pectoris doloribus, vel tuſſibus, quemadmodum furnarii ſunt obnoxii, illi ob affrictum coſtarum ad telarium, hi ob frequentem a calore ad frigus tranſitum, inflammationibus pectoris inſuper frequentiſſime tentati, quæ quidem ante me Lanciſium obſervaſſe credo.

De cetero, ſi qui vivunt ſaniſſimi, ſunt qui vel a mineris extrahendo ferro, vel in fodinis eliquando, vel quovis alio modo concinando ſunt deſtinati; halitus ferrei ſcilicet, vel fundendo craſſiora adaucto ſanguinis momento, ut ajunt mechanici, vel abſorbendo acida, ut malunt Chimici, & conſequenter ſanguinem defecando, eorundem temperamentum in optima craſi conſervant. Sed quia ſanguinis incidit ſermo, circa ipſum obſervationem hanc accipe.

Poſt Harvejum, Ceſalpinum, Sarpum (vel ſi quis alius illam invenit) poſt Pariſienſis, atque Londinenſis Accademiæ experimenta, quæ ad oculum vel in ranarum pulmone, vel in cauda piſcium demonſtrant, de ſanguinis circulatione dubitare piaculum foret, nihilominus mihi frequentiſſime contigit, alium a brachio, alium a pede ſanguinem extrahere (quod quidem circulanti ſanguini non convenit) maxime in hyſtericis mulieribus. Etenim pedum ſanguis ſæpius fuit rubicundior, magis inflammatus, & ſine, vel cum pauco ſero; fuit alter obſcurior, & aliquantiſper ſeroſior. Scio equidem, in inflammatoriis morbis per repetitas ſanguinis miſſiones, vel hæc ſint a brachio, vel a pede, non ſemper eundem ſanguinem egredi, ſed magis, vel minus inflammatus, non ea qua dicit ratione Riverius, Cap. de Infl. licet illam magni faciat, verum prout ceteris paribus morbus adaugetur, vel imminuitur.

Verum nunc agitur de ſanguine non inflammato, utque hac de re certior fierem, ſanguinem a brachio, & pede, a brachio, & a manu fere eodem tempore miſi, & res ceſſit ut ſupra, ſanguis ſcilicet manus, & pedis magis rutilans fuit cum pauciore ſero, ſanguis brachii minus rutilans cum copioſori ſero, quod tamen perpetuo eveniſſe non affirmo.

Cum itaque mecum ipſe meditarer, qua ratione fieri poſſet, ut denſior in pede ſemper ſanguis appareret, licet ob ejuſdem circulationem, quæ ad ſummum quinque minutis perficitur, idem ubique eſſe debeat, nonniſi vaſorum anguſtiæ, tribuendum eſſe cenſui; cum enim quantitas motus ſanguinis ſit directe in ratione compoſita maſſæ, & velocitatis, & reciproce in ratione compoſita reſiſtentiæ fibrarum canales cunei-formes componentium, & earumdem anguſtiæ, ſeu affrictus, quo itaque major erit, & vaſorum anguſtia (quæ in canali cunei-formi tripla eſt) & affrictus, minuetur quantitas motus ſanguinis, a quo cum fluiditas dependeat, hæc pariter minor fiet; quapropter cum vaſa pedis minora ſint vaſis brachii, in illis ſanguis erit craſſior. Verum hæc ſanguinis denſitas cum frequentius in mulieribus hyſtericis, & ſuppreſſis obſervetur, quid ni aliquid debeat uteri fermentis? Quid ni ejuſdem infarctus premendo obſtent ſanguinis circulationi? Quid ni plethora, quæ in ipſis frequenter reperitur? Sed hæc tantum libamus a te determinandi an ulterius acriori examini ſubjiciamus.

Sit interim pro corollario, ſi quæ notavimus vera ſunt, non amplius ſanguis craſſior e majori vaſe quemadmodum crediderunt Medici, emittitur, ſed e vaſe minori; quare in inflammatoriis morbis potius pedes, & manus, quam brachia ſunt pertundenda.

Tu ſcis, Vir optime, quemadmodum ſcis omnia, veſicantia cantharidibus compoſita, parum vel nihil fuiſſe Antiquis cognita remedia; adeo ut & ſi Hippocrates cantharidum internum uſum commendet, de eiſdem externe nihil loquitur, nihil illius ſectator, & immitator egregius Celſus. Rariſſimus fuit, & pauca in quantitate apud Galenum, Areteum, ceteroſque antiquos Medicos externus illarum uſus, adauctus poſtea in præſentium veſicantium more Arabum tempore, quique Fernelii, Ollerii, & Dureti temporibus magis confirmabatur. Tandem magna fuit quæſtio inter Maſſariam, & Saxoniam de veſicantium utilitate; mallens primus cum Galeno prorſus, ut fatetur, errare, quam cum ceteris bene ſentire, tanquam nova, & crudelia remedia proſcribebat; prædicabat alter quandoque utiliſſima, maxime in peſte, cui his remediis Mercurialis obſtitit anno 1575, & quæ anno 1590 denuo graſſabatur. Utraque pars ſuos habuit ſectatores, & habet hoc ipſo tempore. Quæ ego hoc ſuper medicamine obſervare potui, paucis habe. Vel feliciter, vel miſere cedat morbus, pulſus ſemper poſt illius uſum fit vegetior, & amiſſæ vires reſurgunt, duraturæ, ſi æger convaleat, relapſuræ, ſi ægro cedendum ſit. Reſpiratio ubi in inflammatione, vel catharro torquetur, fit facilior. Oculorum, vel capitis fluxiones, vel morbi nucæ appoſito minuuntur; experimentum illius in hydrope, ut Fernelius laudat, non feci de mortificatione timens, quemadmodum etiam neque in convulſionibus, ut commendat Williſius, illud adhibui, irritationem cavens. In appoplexia licet omnes probent, non magna ab ipſo elicere emolumenta potui. Ex his colligo, generaliter loquendo, utiliora inter remediorum genera hoc apud nos eſſe reponendum, & ſi aer, vel ſubtilis, vel acer, quo dominamur, obſtare videatur.

Bononienſes a me quotidie præmuntur, ut tibi ſatisfaciant. Abbatiſſa ſoror tua, & Comitiſſa Lelia optime valent. Tu interim, Vir Clariſſime, fac ut cito ad nos redeas. Te Amici, te optant infirmi. Cura ut valeas, & me ames.

Brixiæ idibus Februarii an. 1746.

PLANTARUM
IN AGRO BRIXIANO
SITUS, ET VIRES

SI Joannes Jacobus Rogeri de plantis in Romano ſolo vegetantibus ſcripſit, earundemque natalium locum ſignanter indigitavit (1) ſi Floram Pannonicam (2) Lapponicam (3) celeberrimi Viri Fridericus Loevv, necnon Carolus Linnæus commentati ſunt, ſi denique præter inſignem noſtrum Profeſſorem Patavinum Julium Pontederam, totque alios Clariſſimos de re Botanica optime meritos Viros, Sebaſtianus etiam Vaillant, veſtigiis Tournefortii præceptoris ſui inhærens Botanicum Pariſienſe edidit (4) (5) cur hæſitabimus, ne bonam in partem accipiatur labor noſter, aliqua de Plantis, ſuique ortus locis delibaturus? Alibi quidem, etiam in hoc opere, memor ſum dixiſſe vegetabilium energias eſſe ſuſpectas, & interdum aut non veras, aut nimium jactatas; ſed non ita eaſdem proſcripſi quin multa fides præſtari debeatur. Quandoquidem principio temporum cum ברא אלהים השמים והארץ herbis ipſis, in humani generis commodum, virtutem impertitus eſt; & licet planta alicubi virens ſempiterna non ſit, & præter alias cauſas cum hyeme multoties pereat: tamen vel occultis terræ glebis, poſitu, & ſolis facie conſpirantibus, vel redivivis ex conſtanti radice ſurculis, vel ſeminibus iterum ibique deciduis, & a ventorum potentiis, vel fluidorum, & aquarum motu adportatis, vegetabilia perenni lege in determinato loco vireſcere, & florere frequenter videmus. Ideo in Concivium meorum, Philiatrorum, & quaſi dixero Pharmacopolarum gratiam in nonnullarum Brixianæ provinciæ plantarum locum, interdum vernacula lingua ad majorem intelligentiam indigitatum, præſertim inquirere animus fuit. Opus quia a nemine, quod ſciam, factum; ſique veritatem teneo utiliſſimum. Et data occaſione, ſine tamen aſſumpta lege, & vires, & ſpecificam potentiam, ut plurimum adjiciemus.

A

ABIES oritur ad ſeptentrionem in locis ſiccis, & altis montium, præcipue Vallis Camunorum. Vires habet attenuantes, atque vulnerarias, balſamicas, antiſcorbuticas: ejuſdemque lacryma abiegna quantum polleat in plagis, & ulceribus cuique notum.

ABROTANUM ex ſurculis plantatis potius, quam ſemine creſcens, frequens eſt ad boream in monte *Dragone*. Aromaticum, ſtimulans, veneno reſiſtens, poros cutis aperiens, & obſtacula removens, ut capilli naſcantur.

ABSYNTHIUM Ponticum, & latifolium, græco vocabulo hiera picra dictum, undique in hortis, & vaſis proſtat: aromaticum, ſtomachicum, anthelminticum.

ACANTUS ſativus, qui Brancha urſina dicitur; apud Patres M. Reſſormatos. Emolliens, reſolvens.

ACARNA, Carlina ſylveſtris. In montibus vallis Triumplinæ, præcipue in eorundem ſummitate; ſudoriſera.

ACETOSA, cujus multæ ſpecies. In Pratis: cordialis, veneno reſiſtens, diarrhæam pacans.

ACONITUM cœruleum, ſive napellus in confinio vallis Triumplinæ, prope vallem Camunorum. Pardalianche vero Theophraſti in montibus Montiſplani, in loco ubi dicitur *Vallone*. Prope quæ tamen aconita, anthora adhuc reperta non eſt. Adhiberi poteſt in unguentis, & fomentis, ſed intus ſumptum venenum eſt.

ADIANTUM, capillus veneris. Undique prope fontanas, ſed ad boream præcipue, ſupra vicum Navarum in valle *Liſtrea*. Quod referunt non madefieri, neque ejus foliis deſcendentia e cœlo ſtillicidia inſidere:

Αχραὲυ τ' ἀδιζάντον, ὁ ὐκ ὄμβροιο ῥαγέντος
Λεπταλέη πίπτυσα νοτὶς πετάλοισιν ἐγίζει.

Pectorale, diureticum.

AGNUS caſtus, apud Patres Minores Reſſormatos Corporis Chriſti. Urinam movet, & mulierum menſtrua, lienis duritiem emollit.

AGRIMONIA. In ſepibus, viis, lociſque incultis, deobſtruit.

ALCEA. In monte *Dragone* ad boream, ſupra plebem antiquam Navarum. Inſuper reperitur etiam ad occidentem prope Vicum *Travaliati*. Emollit, & ſanguinem ſiſtit.

ALCHIMILLA. Italis *Stella erba*. In Valle Triumplina, prope vicum *Sim*. Vulneraria, deterſiva, adſtringens.

ALKEKENGI. In ſepibus, pone domus rurales, & etiam in montibus Vallis Triumplinæ, vulgo *Coſtoro*. Urinam movet, in nephritide, & calculo veſicæ utilis eſt.

ALLIARIA, prope ſepes, in ripis agrorum, attenuat, detergit.

ALOE, in Benaci lacus riperia: purgat, menſtrua promovet vermes enecat, ſolvit humores pituitoſos.

ALSINE, in agris tritico etiam ſatis. Refrigerat, moderat hæmorrhoidum fluxus.

ALTHEA, ad meridiem in locis declivibus, & imis. Prope Dellium, & pontem Gatelli. Emollit; humectat, morbos renum, & urinæ juvat.

ALYS-

(1) Catalogus additus eſt Operibus Donzelli Neapolitani.
(2) Vide Acta Curioſorum Germaniæ, Tom, 5. pag. 147. in Appendice.
(3) In Lapponia Svecica.
(4) Lugduni Batavorum.
(5) Opus perfectum dici poteſt, quia ad illud efformandum adſtitit, & præfuit immenſa Regis munificentia, adiuvantibus precibus Dom. Fagon Archiatri, ideoque Hortus Pariſienſis Regiis impenſis inſtructus fuit.

ALYSSON: ad orientem in ſummitate montis Denni, Divæ Magdalenæ dicti. Viſus eſt etiam verſus occidentem, ſecundum flumen Mela, prope pontem Burgi Sancti Joannis. Specificum contra morſus canis rabidi, ut Galenus ait; quæ planta eſt parva, & tenuis, brevi languens.

AMARANTHUS: colitur in hortis, & viridariis: humectat, refrigerat.

AMBROSIA: prope flumen Mela; ad pontem, vulgo *delle Crotte*: lætificat cor, & cerebrum.

ANACAMPSEROS: inter ſaxa, prope *Coſtalonga*: humectans, refrigerans.

ANAGALLIS terreſtris: undique, præcipue in locis incultis: detergens, vulneraria.

ANAGYRIS: arbor præcipue in Valle Triumplina, parvi uſus in Medicina: folia reſolvunt, ſemen vomitum ciet.

ANCHUSA: in latiſſimo campo Montiſclari, exſiccat plagas antiquas.

ANDROSÆMUM: in montibus *Fontanelle*; apud Malgaredam, vulnerarium, reſolutivum, anthelminticum.

ANEMONE: ſativa in hortis, ſylvatica in primo monticulo, extra urbis januam *delle Pile*, detergit, aperit, incidit.

ANETUM hortenſe, contra flatus, movet urinam.

ANGELICA: in montibus ad boream, prope Montemplanum; cordialis, ſtomachalis, cephalica, aperitiva.

ANTHORA a nobis adhuc viſa non eſt, ſaltem in Brixiano agro collecta; adeſt in monte Baldo Veronenſi.

ANTIRRHINUM: ad radices montis *Denno*, parvi in Medicina uſus; ajunt fluxionibus mederi.

AQUIFOLIUM: ibidem, emollit, reſolvit.

AQUILEGIA: circa medietatem montis *Dragone*; aperitiva, vulneraria, detergens, obſtructiones reſerans.

ARISARUM: extra januam *Pile*, qua itur ad divum Bartholomæum.

ARISTOLOCHIA rotunda: ad orientem in monte *Denno*. Longa in agris, in locis ſaxoſis, & præcipue in urbe, ſupra Sanctum Urbanum; ad latera viæ, qua ad Divum Petrum in Oliveto itur; aperit, reſolvit, detergit, & in pulverem redacta doloribus abdominis medetur.

ARTEMISIA: in ripis, ſepibus, & incultis; menſtrua movet, hyſtericas juvat.

ARUM: extra januam *Pile*, contra oppidum Brixianum, ad radices montis; penetrat, attenuat, purgat.

ARUNDO: extra januam Divi Nazarii, ubi excolitur; menſtrua movet.

ASARINA: ſupra vicum Navarum, prope & ſubtus Eccleſiam *Conche*; aperitiva vulneraria.

ASARUM: prope Inzinum in valle *Fruſcanera* purgat humores ſeroſos, aperit, obſtructiones tollit.

ASPERUGO: in incultis, planis tamen, etiam ad radices *Coſtalonga*: ſanguinem purificat.

ASPERULA: in montibus Montiſplani prope *Quintazo*; obſtructiones tollit; urinam movet, & mulierum menſtrua.

ASPHODELUS: verus non reperitur: pſeudo aſphodelus in montibus *Coſtalonga*, prope *Fontanelle*, & ceteris locis frequentior in montibus Salarum Maraſini, inter lacum Sebinum, & vallem Triumplinam; incidit, aperit, urinam movet, veneno reſiſtit.

ASTER: ad radices montis *Denni*; aperit, reſolvit, detergit.

ASTRUNTIA: in montibus Navarum, & Montiſplani in vallibus, & locis umbroſis. Hipochondriacos, delirantes, ipſoſque inſanos mirabiliter juvat.

AURICULA: Judæ Fungus membranaceus; Italis *Orecchio di Giuda*: adhæret truncis ſambuci; venenoſa eſt.

AURICULA leporis: in ſaxoſis, ſoli meridionali expoſitis, ſupra Navas; promovet expuitionem.

AURICULA urſi: in ſummitate montis Gulielmi, inter ſaxa; lapidem movet, & tuſſim curat: adeſt etiam ſativa in hortis.

B

BALLOTTE, marrubium nigrum, in locis imis hortorum: in ripis fluviorum parvorum undique proſtat: Vulneraria, detergens, ulcera antiqua mondificat.

BALSAMINA: ſativa in ortis, ex ſe nullibi oritur, vulneraria, detergens, balſamica.

BARBA capræ, in ſolo humiliori Brixiano, prope Dellum, & pontem Gatelli, in aquarum fluentium ripis; ſudorem movet, adſtringit, cordialis, vulneraria, veneno reſiſtens.

BARBAREA: oritur in agris, ſativa etiam in hortis; detergens, vulneraria.

BARDANA; apud domos, muroſque etiam in urbe; diuretica, ſudorifera, detergens, utilis in aſthmate, ſanguinis ſputo.

BECCABUNGA: extra januam Turris longæ prope angulum Mombelli, in foſſis, pone, & etiam in fundo aquarum; detergens aperiens, vulneraria, antiſcorbutica, utilis in ſupreſſione urinæ, & menſtruorum.

BELLADONNA: ſolatrum ſomniferum; in ſummitate montis Dragoni; ſomnifera, dolores pacat: externe tantum adhibenda: etenim ſi ſolis manibus brevi tractetur, dolorem capitis promovet.

BASILICUM: ſativum in ortis.

BELLIS minor: undique prope vias, & ripas; refrigerat, adſtringit, conſolidat, præcipue in diarrhæis.

BERBERIS: in valle plana ſupra montem Dragonis, & etiam prope Nundinas, & Melam extra januam S. Joannis, cordialis, adſtringens, ſiſtit fluvium ſanguinis, & ventris.

BE-

BETA: ſativa in hortis. Emollit.

BETONICA: undique, ſed præcipue ad boream: capitalis, cordialis, vulneraria.

BEBULA: in montibus ſupra divum Onophrium, & alibi præcipue in valle Triumplina. Cortex detergit, aperit.

BISTORTA: ſuper vallem Triumplinam in pratis, ſupra vicum *Sim*. adſtringit, veneno reſiſtit, diarrhæam moderat.

BLATTARIA: extra portam *Pile*, ad radices montis, contra oppidum Brixianum: anthelminthica, aperiens, ſed parvi uſus in Medicina.

BONUS Henricus: in montibus vallis Triumplinę, Camunorum, & montis Gulielmi, præcipue prope ſtabula vaccarum. Vulneraria, aut anthelmintica, curat ſcabiem.

BORRAGO: in agris, & ſativa in hortis. Sanguinem dulcificat.

BOTRYS: in ſummitate montis Dragoni. Sativa etiam in hortis: utilis in aſthmate, & pro eccitandis mulierum menſtruis, necnon fętu mortuo ex matris ventre.

BRASSICA: ſativa in hortis: emolliens.

BROMOS: in ripis hortorum prope aquas extra januam Divi Nazarii ad meridiem: exſiccat, detergit.

BRUNELLA: undique in incultis, detergit, conſolidat.

BRYONIA: ad meridiem undique ad ripas aquarum aſcendit, & reptat ſuper proximas arbores; purgat ventrem, movetque urinas, menſtrua, & lochia.

BUGLOSSA: ad orientem in agris arenoſis præcipue in loco vulgo *Puſterla*. Humectat, pectori prodeſt, ſanguinem purificat, cordialis eſt.

BUGULA, ſive Conſolida medica: extra urbem, in Burgo S. Joannis ad occidentem, in pratorum ripis; aſthmati, & ulceribus pulmonum prodeſt.

BULBOCASTANUM: in agris Montiſplani ad radices montis; adſtringit, ſanguinem ſiſtit.

BULBOCODIUM: in *Coſta Longa* ad radices montis Magdalenæ, potius tamen ad occidentem ipſius montis: parvi uſus.

BUPHTALMUM: in monticulis Cobiati, detergit, emollit, reſolvit.

BURSA paſtoris: In cultis, & incultis, ad meridiem in extremitatibus agrorum; adſtringit, exſiccat, vulneraria.

BUTOMUS: ad boream, extra urbem contra Caſtellum, atque præcipue in foſſis paludibus; detergens, aperitiva.

BUXUS: in hortis, & montibus Montiſplani.

C

CACALIA: tuſſillago alpina; ſupra & ultra montem Gulielmum, dum itur ad vicum Pezaciarum: emollit, dulcificat.

CALAMINTA: prope Boticinum, in ſaxoſis, & aridis; capitalis, veneno reſiſtit.

CALCATRIPPA: in ſegetibus, adſtringit, conſolidat, vulneraria eſt.

CALCEOLUS: ad boream in monte dicto *Golet*, in locis umbroſis, & præcipue in nemore D. Caroli Cluſoni; detergens vulneraria, externe adhibita.

CALTHA: ſativa eſt in hortis; cephalica aperitiva, diuretica, ſudorifera, veneno reſiſtit; floret primo menſium die per totam æſtatem, ideo calendula dicitur.

CAMPANULA: in ſummitate montis *Coſta Longa*, Dominorum de Rufonis; adſtringit, detergit, vulneraria eſt.

CAMPHORATA. Vide Abrotanum.

CAPILLI veneris. Vide Adiantum.

CAPPARIS: ſuper muris viridariorum, limoniorum, & aurantiorum in urbe, & Benaci lacus riperia; apetitum movet, ſtomacho prodeſt, lienis ægritudines tollit.

CAPRIFOLIUM: undique, in ſepibus; aperit detergit, exſiccat.

CARDAMINE: in fluviis, paludibus, & ripis ad meridiem; aperit, antiſcorbutica eſt, & lapidem e veſica protrudit.

CARDIVA: extra januam Sancti Alexandri, in ripis, & ſepibus: cardiaca.

CARDUUS benedictus: ſativa in hortis; ſudorifera veneno reſiſtit.

CARDUUS Marianus: in monte Denno ſuper pratum D. Magdalenæ; aperit, reſolvit, incidit.

CARDUUS vinearum repens: in agris infra vites; aperitiva, ſanat hæmorrhoides.

CARLINA: ſuper montem Gulielmum, & *Conche* ſudorifera, aperit, veneno reſiſtit.

CAROTTA: in trefoliis ſatis: aperit, menſtrua promovet.

CARPINO: in ſepibus ad oriens, ultra vicum S. Euphemiæ, & etiam alibi in montuoſis; adſtringit, parvi in Medicina uſus.

CARTHAMUS, ſive crocus ſylveſtris: colitur in hortis; purgat, pituitam evacuat.

CARVI: in montibus vallis Triumplinæ, pratis montium Buveni; incidit, aperit, carminativus eſt.

CARVIFOLIA: ſupra vicum Navarum, in montibus pratiferis: aperit.

CARIOPHYLLATA: prope domos in *Coſta Longa*: in umbroſis, cephalica, cordialis.

CARIOPHYLLUS hortenſis: in montibus præcipue *Odenno*, prope parvam eccleſiam Sancti Galli: cordialis, cephalicus.

CARIOPHYLLUS Indicus: colitur in hortis, & vaſis: inflammationes oculorum juvat.

CATANANCE: non adhibetur in Medicina.

CAUCALIS: verſus Conceſium: aperit, menſtrua promovet.

CELTIS: vulgo *Romilia*: hæmorrhagias ſiſtit.

CENTAURIUM minus: undique, ſed præcipue prope vicum *Virlarum* ad orientem, necnon

non circa Ollii ripas; detergens aperitiva, vulneraria; utilis in febribus intermittentibus, & etiam antiſcorbutica.

CEPA: ſativa in hortis: emollit.

CEREFOLIUM: in viridariis; obſtructiones tollit: febrifugum eſt.

CETERACH: in muris, ſaxoſis locis, præcipue vallis Triumplinæ, prope vicum Polaveni.

CHAMÆBALANUS: panis porcinus; undique in vico Mezanarum; ſanguinem ſiſtit.

CHAMÆBATUS: vulgo *Ampome*, ſeu rubus ideus, in hortis, ſed etiam in valle Triumplina, & Camunorum: deterſivus, adſtringens.

CHAMÆCERASUS: in monte *Dragone*, circa ipſius medietatem; vomitum, & ſedes movet.

CHAMÆDRYS: in montibus ſaxoſis Boetii, & Conceſii; inciſiva, aperitiva, ſudorifera, artetica, vulneraria; & hoc præſertim ſæculo Brixiæ pro magno antipyretico uſurpatur.

CHAMÆDRYS montana: in ſummitate montis Gulielmi; majoremque fortaſſe ceteris habebit vim pro fugandis febribus, quod Medicis experiendum ſuademus; tanto magis, quia ſumme adſtringens eſt, licet multi diverſam vim foliis, & ſemini tribuant; ait enim Theofraſtus τῆς δὲ χαμαίδρυος τὰ μὲν φύλλα πρὸς τὰ ῥήγματα, καὶ πρὸς τραύματα ἐν ἐλέῳ τριβόμενα, πρός τε τὰ νεμόμενα ἕλκη. τὸν δὲ καρπὸν καθαίρειν χολὴν, ἄγαθον δὲ καὶ ὀφθαλμοῖς. πρὸς δὲ τὰ ἀργέματα προσάγειν τὸ φύλλον τρέψαντα ἐν ἐλαίῳ, ἔχει δὲ τὰ φύλλα οἷάπερ δρυός. τὸ δὲ ἀνάστημα τῆς ὅλης ὅσον σπιθαμιαῖον, εὔοσμον δὲ καὶ ἡδύ.

CHAMELÆA: ſuper montem Gulielmum, prope vicum *Peſor*; parvi uſus, quia nimis violenter purgat.

CHAMÆMELUM: undique; emolliens, digerens, carminativum, anthyſtericum.

CHAMÆNERION, Lyſimachia: ad occidentem extra januam Sancti Joannis, prope Abbatiam in pratis, ſed prope ripas: vulneraria, deterſiva, aglutinans.

CAMEPYTIS: undique in agris, in incultis, præcipue in monticulis *Puſterla*, extra januam *Pile*; incidit, aperit, arthritidem curat, juncturas juvat, ſanguinem purificat.

CHELIDONIA: undique ſuper muros veteres, præcipue apud Rev. Patres Reformatos; humectat, refrigerat, reſolvit, aperit; antiſcorbutica eſt.

CHONDRILLA: extra januam *Pile*, prope flumen, & in ripis Garza; humectat, dulcificat, aperitiva eſt.

CHRISTOFORIANA: ſuper Boetium, & Sanctum Onuphrium, ad boream, in umbroſis; curat ſcabiem, & enecat pediculos.

CHRYSANTHEMUM: inter ſegetes, & in hortis.

CHRYSOPLENIUM: in montibus Sancti Onuphrii; aperit, obſtructiones tollit.

CICHOREUM: undique ſativum, ſed ſylveſtre in locis aridis, & incultis; aperit, detergit, obſtructiones tollit.

CICUTA: ad occidentem extra januam Sancti Joannis prope Nundinas, ad ripas fluvii proxime tranſeuntis; reſolvit, ſcirrhos tollit, præcipue Bronchocelem, & quoſvis tumores, ſed intus non adhibenda, quia venenum eſt.

CINARA: in hortis; cordialis, aperitiva, ſudorifica.

CIRCÆA: undique, præcipue extra burgum *Pile*; reſolvit, detergit.

CIRSIUM: in montibus *Coſta-longa* in loco qui dicitur *Scorpione*.

CISTUS fœmina, extra januam Turris longæ, in monticulis ad meridiem; adſtringit.

CITRULLUS: anguria; ſativa in hortis; humectat, refrigerat.

CLEMATITIS: in ſepibus, reptat ſuper proximas arbores, præſertim in *Botonaga*.

CLINOPODIUM: in monticulis, prope Cobiatum; adſtringit, exſiccat, reſolvit.

CLYMENUM: Brixiæ in horto Dom. Bartholomæi Guelfi.

COCHLEARIA: ultra montem Gulielmum, ad boream, deſcendendo, & eundo ad vicum *Shu*, in locis umbratilibus, prope aquas; & etiam ſativa in hortis, & vaſis: antiſcorbutica.

COLCHICUM: ad orientem, verus Benacum lacum, prope vicum Serlarum; in podagra externe adhibetur.

CONVOLVULUS: in locis cultis, extra januam Turris longæ, in via ad Divum Franciſcum de Paula; detergit, aperit, reſolvit, ventrem movet.

CORCHORUS Dalechampii: undique in incultis, prope aggeres; præcordiis utilis: inflammationes juvat.

CORONA imperialis: in horto Domini Bartholomæi Guelfi Brixiæ: emollit, dulcificat, reſolvit.

CORONA ſolis: extra urbem prope Divum Antonium, & ſativa in hortis: nutritiva, riſtaurans.

CORONOPUS ſylveſtris: ad orientem ſuper montes Sanctæ Euphemiæ; adſtringit, urinas movet.

CORRUDA: in montibus *Quintazi* ad boream: aperit, ſed parvi uſus in Medicina.

COSTUS hortorum: ſativa, cephalica.

COTINUS: in montibus *Cortinarum*, qua ad vicum Navarum itur, & alibi: utilis in oris, & gulæ ulceribus.

COTULA fœtida. Vide Chamæmelum.

COTYLEDON: in montibus Sancti Virgilii, in ſummitate ad Boream: refrigerat, detergit, repercuſſiva eſt.

CRISTA Galli: in montibus Sanctæ Euphemiæ ad orientem, in loco qui dicitur *Buren*, & etiam in imis locis, inter meridiem, & occidentem, prope vicum Turbularum. Parvi uſus in Medicina.

CRUCIATA: ſuper montibus Divæ Magdalenæ, & prope Divum Gothardum: adſtringit, vul-

vulneraria, utilis in herniis, intus ſumpta, & extra adhibita.

CUCUMER: ſativus in hortis: aperiens, dulcificans, humectans.

CUCUMIS aſininus: prope Divum Franciſcum de Paula, ad orientem, in apricis admodum vegetat; purgat violenter ſeroſitates, hydropicos juvat, menſtrua movet: externe in herniis, duroque ſcroto adhibitus, reſolvit.

CUCURBITA; colitur in hortis, & agris, humectat, refrigerat, dulcificat.

CUPRESSUS: undique colitur; adſtringit; dyſenteriam, & gonorrhæam moderat; utilis in febribus intermittentibus.

CUSCUTA: in trifoliis pratenſibus, & etiam in ripis magnæ foſſæ, urbem Brixiam ambientis, præcipue inter januam Sancti Alexandri, & Sancti Nazarii; aperit, detergit, ſanguinem purificat.

CYANUS minor; in ſegetibus, præcipue frumentis; adſtringit, refrigerat.

CYDONIA: undique colitur; adſtringit, ſtomachum, & pulmones juvat.

CYMBALARIA: ſuper muris veteribus, & ruderibus, præcipue prope Divum Antoninum ad boream: humectat, refrigerat, adſtringit, ſiſtit hæmorrhagias.

CYNO crambe: in montuoſis, etiam pone ſepes, præſertim in *Coſtalonga*; laxat, emollit, reſolvit.

CYNOGLOSSUM: in montibus *Conche* ſupra vicum Navarum; refrigerat, nutrit, dulcificat, fluxum ſanguinis ſiſtit.

CYNORRHODOS: ad occidentem prope vicos *Oſpitaletti*, & *Travaliati*, & in multis locis, præſertim ſepibus, ab eademmet *roſa canina* efformatis; adſtringit, gonorrhæas ſiſtit.

CYPERUS: ad meridiem, in locis imis, & paludibus prope vicum Leni: adhibetur in ſuffumigiis.

CYTISUS: undique in monticulis urbi proximis; ſed magis in valle Camunorum, in loco, qui dicitur *Palod*.

D

DAMASONIUM, ſive Plantago aquatica: ad occidentem burgi *Pile* in foſſis, aquis, & paludibus: detergit, adſtringit, refrigerat.

DAUCUS: in monte *Dragone*, verſus ſummitatem ad occidentem: aperit, movet menſtrua, flatus excutit.

DELPHINIUM: conſolida regalis; in ſegetibus, & etiam colitur in hortis: adſtringit, conſolidat, vulneraria, partum promovet.

DENS canis: in montibus *Serlarum*, verſus Benacum lacum: reſolvit, digerit, emollit.

DENS leonis: inter occidentem, & boream, prope vicum *Guſſagi*, & ubique; aperit, ſanguinem purificat.

DENTARIA: in ſummitate vallis Triumplinæ ſupra *Peſor*: detergens, exſicans, carminativa, vulneraria.

DICTAMNUS Creticus: colitur in vaſis: proſtat Brixiæ apud Dominum Carolum Cluſoni aromatarium; cordialis, menſtrua mulierum movet; num vero tela e corpore humano, ſaucio, & vulnerato extrahere poſſit, ut veteres Græci (1) canebant, credat quiſque, quod poteſt ac velit.

DICTAMUS albus ſuper montes Conceſii, & etiam in montis *Bodelone* Gavardenſi fundo, ad meridiem, ſuper ſaxa, & bona Nob. Emilii Emilii.

DIGITALIS: in colle, *Sanzeno* dicto, vallem Triumplinam, a valle Camunorum dividente: detergit, laxat.

DIOSANTHOS: in pratis ad meridiem, prope Sanctum Paulum, vulgo *S. Pol*: cephalica, veneno reſiſtit.

DIPSACUS: in valle Triumplina, prope Sarezzium; aperit, ſudorem movet.

DORONICUM. Vide Aconitum.

DRABA: ad meridiem extra januam Turris longæ, præſertim in ripis aquarum, & viæ, qua ad vicum Caſteneduli itur; carminativa, inciſiva, aperitiva.

DRACUNCULUS; ſerpentaria, ad meridiem in nemoribus Cegularum; & colitur etiam in hortis; ſtomachalis, cordialis, inciſiva, antiſcorbutica; ſi in ore teneatur, pthyaliſmum promovet.

DULCAMARA: ubique, prope vicum Virlarum: exſiccat, digerit, detergit, obſtructiones hepatis tollit.

E

EBULUS: undique circum urbem in ripis; purgans idragoga.

ECHIUM. Vide Bugloſſa.

ELATINE: in agris cultis, & incultis: detergens, vulneraria.

ELICHRYSUM, ſeu chryſocome: in montibus Montiſplani, ubi *Quintazo*: incidit, aperit.

EMERUS: ad boream in monticulis ſupra Sanctum Rochinum: laxat.

ENDIVIA: undique ſativa; humectat, aperit, detergit, refrigerat.

EPIMEDIUM: in ſummitate vallis Triumplinæ ſupra *Tavernole*; humectat, refrigerat.

EQUISETUM: cauda equina: ad occidentem, ultra flumen *Mela*, prope Abbatiam in pratorum ripis, & locis humidis, paludoſis: detergit, adſtringit, conſolidat.

ERICA: ſupra montem Brioni, & alios montes; urinam movet, morſibus venenatorum animalium reſiſtit.

ERU-

(1) Καὶ ἐν Κρήτῃ φασὶ τὰς αἴγας τὰς ἀγρίας ὅταν τοξευθῶσι, ζητεῖν τὸ δίκταμνον. δοκεῖ γὰρ τοῦτο ἐκβλητικὸν εἶναι τῶν τοξευμάτων ἐν τῷ σώματι.

ERUCA, in ripis fluminis *Mela*, ad occidentem: incidit, attenuat, pituitam ſolvit.

ERUUM: In pratis Navarum. Aperit, dulcificat,

ERYNGIUM: Prope vicum Rezati ad orientem; ſed ubique; ſabulum, & menſtrua movet.

ERYSIMUM; ubique, etiam in urbe, ſed præſertim extra portam Turrislongæ, ubi *Puſterla*.

ESULA minor: ubique ſed præcipue prope vicum *Cobiate*. Purgat violenter: periculoſi uſus in Medicina.

EUONYMUS: prope Boticinum: in ripis viarum venenoſa eſt.

EUPATORIUM: ad occidentem prope viam Caſtegnati; ſed ubique in humidis locis, foſſis &c. Aperit, attenuat, adſtringit.

EUPHRASIA: in montibus *Virlarum*: detergit adſtringit:

F

FABA: ſativa in hortis, & campis: detergit, adſtringit, emollit.

FABAGO: prope vicum Celaticæ. Anthelmintica.

FAGO PYRUM: Frumentum Saracenicum. Colitur in agris. Eſt frumenti ſpecies, quo ruſtica gens panem conficit.

FESTUCA: Lolium. In Frumentis. Digerit, reſolvit.

FILAGO: In locis aridis; prope Divum Franciſcum de Paula, ad orientem: Exſiccat, adſtringit.

FILIPENDULA: in monticulis ad Boream, diuretica, detergens, attenuans.

FILIX: in Valle Sabbia, in locis humidis: aperit, urinam movet.

FILICULA Fontana: in locis humidis, in rimis murorum veterum, in rupibus, ſignanter prope ciſternam montis Denni Magdalenæ. Pectoralis, aperitiva, utilis in tuſſi, in renum lapide.

FLOS Conſtantinopolitanus, ſeu Lychnis. In hortis colitur; ſignanter in illo Dominarum *Maſe*, in *Coſta longa*.

FÆNICULUM: ſativum in hortis, & Sylveſtre in monticulis ſupra Divum Franciſcum a Paula, & Sanctum Gothardum. Detergit oculos, & ſtomachum juvat, ſanguinem purificat, & flatus diſcutit.

FŒNUM Græcum: Sativum, alicubi viſum. Excutit, emollit, digerit. In Emplaſtris etiam, & unguentis

FRAGARIA: in Monteplano. Humectat, cordialis, cephalica; urinam, & tranſpirationem promovet.

FRAXINELLA: vide dictamnum album.

FUMARIA: in hortis, & agris, etiam ſuper muros ubique. Sanguinem purificat, urinam movet.

G

GALEGA: ubique in ripis, in agris humidis: ſudorifera: veneno reſiſtit.

GALEOPSIS: Ad meridiem; extra portam Divi Nazarii: ſiſtit fluxum ventris: antepileptica.

GALLIUM: in pratis.

GENISTELLA: in vico Boticini: detergens, aperiens

GENTIANA: in ſummitatlbus montis Gulielmi, & vallis Triumplinæ ab boream. Alexipharmaca, aperitive attenuans; contra morſus canis rabidi, & animalium venena.

CENTIENELLA: in Pratis montis Gulielmi; curat morbum regium.

GERANIUM: ad occidentem extra januam Divi Joannis, & ubique: detergens, adſtringens, vulnerarium.

GEUM: in umbroſis in valle Sabbia: detergens, conſolidans.

GLADIOLUS: in ſegetibus: incidit, aperit,

GLOBULARIA: in valle Sabbia prope Odolum: detergit, reſolvit.

GNAPHALIUM: in locis ſiccis ad orientem, prope S. Franciſcum de Paula. Detergit, exſiccat.

GRATIOLA: in pratis Navarum. Incidit, attenuat, aperit, violenter purgat ſuperius, & inferius.

GROSSULARIA: in hortis: aſtringens refrigerans, antifebrilis.

H

HARMALA: in locis altis, ſiccis. Attenuat digerit, exſiccat.

HEDERA arborea ubique in ſepibus. ſuper muros antiquos, nec non ſuper arbores. Aperit, detergit, vulneraria eſt.

HEDERA terreſtris: ad meridiem, & ubique: pectoralis.

HEDYSARUM: in collibus, & etiam inter planum, & montem. Incidit, attenuat, aperit.

HELENIUM: colitur in hortis. Oritur ex ſe in Brixiani agri finitimis locis prope oppidum Urceorum Novorum: deterſivum, ſudoriferum, utilie in aſthmate, & in ulceribns pulmonum.

HELIANTHEMUM in montibus *Rezati* ad radices: ſanguinem ſiſtit, vulnerarium.

HELIOTROPIUM minus: in agris apud vias. Cancrenæ reſiſtit, ulcera putrida detergit. movet urinam & mulierum menſtrua.

HELLEBORUS niger; in valle Sabbia prope vicum Caini; deſuper & infra purgat; ſolvit humores melancholicos.

HEPATICA: extra januam *Pile* in locis humidis, etiam apud muros, fontanas: detergit, aperit, hepatis obſtructionibus medetur.

HERBA PARIS: In montibus Montiſplani in *Renada*: contra peſtem, & morbos contagioſos.

HERBA TRINITATIS: in vico Celaticæ; penetrans, ſudorifera, vulneraria, inciſiva, in ulceribus pulmonum & obſtructionibus uteri.

HERMODACTYLUS: radix bulboſa ab Ægypto, aut Syria adveniens. Sed illi in officinis ſubſtituitur Colchicum, in *Conche*, ſupra vicum Navarum oriens. Purgat humores pituitoſos cerebri, confert in arthritide, & podagra, fluxionibuſque omnibus.

HERNIARIA: prope Quintianum in arenoſis: in herniis adhibita; urinas movet.

HESPERIS: ſativa in hortis. Antiſcorbutica, in tuſſi, convulſionibus, urinam movet.

HIERACIUM: ubique, ſed præcipue in incultis, & in agrorum ripis; humectat, refrigerat.

HIPPOCASTANUM: in Monteplano apud Nobilem Gentem de Caranzonis.

HIPPOLAPATHUM: extra januam Sancti Nazarii, ad meridiem, precipue apud fimum & ſtercorationes: detergit, aperit, purgat.

HISPIDULA: pone oppidum Brixianum: vulneraria, dulcificans, pectoralis.

HOLOSTEON; ultra montem Gulielmum, ubi via deſcendit, & qua ad *Peſorum* itur; detergit, adſtringit, conſolidat.

HORMINUM; prope Beatam Virginem *Conche*, ſupra pagum Navarum: reſolvit, detergit, ſtomacho prodeſt.

HYDROCOTYLE: vide cotyledon.

HYOSCIAMUS: in ſummitate montis Dragoni prope quoddam Navarum ſtabulum. Narcoticus, dolores moderatur.

HYPECOUM; ad meridiem, in lamis Turbularum.

HYPERICUM; in ripis agrorum, in monticulis etiam ſupra Sanctam Euphemiam, ad orientem.

HYPERIUM majus, ſeu Androceum Baciferum in horto RR. Capucinorum, & in monte Divæ Magdalenæ.

HYPOCISTIS, ſeu Orobanche, in trifoliis. Adſtringit, agglutinat, vomitus, & ſanguinem ſiſtit.

HYSSOPO: in monte *Dragone*, circa medietatem, ad occidentem ipſius montis. Aperit, digerit, corroborat.

I

JACEA; in agris cultis, fere ubique. Detergit, adſtringit.

JACOBÆA; ſecundum vias, & in monticulo ab boream S. Rochini extra urbem *Pile*: aperit, emollit, reſolvit, detergit.

IBERIS: Colitur in hortis. Proſtat in Viridario Xenodochii majoris: detergit, aperit, incidit, antiſcorbutica eſt.

ILLECEBRA: ſempervivum minimum. Super muros in urbe, & viis. Vomitus producit, utilis in febribus intermittentibus.

IMPERATORIA: in valle Camunorum, & etiam finitimis locis vallis Triumplinæ; in humidioribus, & prope aquas. Incidit, penetrat, detergit. Satur etiam in hortis.

JONTHLAPSI: inter colles, & agros ad boream: detergit, aperit, vulneraria eſt.

IRIS noſtras: in montibus *Cobiate*; humores purgat deſuper, & infra.

ISATIS, ſeu Glaſtum: Italis Guado; ſeminatur nunc in agris, ut videre eſt ſubtus Conceſium ſupra *Stoccheta*. Exſiccat, adſtringit.

JUNIPERUS: in Riperia Benaci Lacus, prope montem *Sanctiſſima* Patrum Divi Dominici, & alibi

K

KETMIA: vide Alcea.

L

LABURNUM: vide Anagyris.

LACTUCA: ſativa in hortis. Sylveſtris. Ad radices montis Denni, & alibi in collibus. Humectat, refrigerat, dulcificat, auget lac in mammis nutricum, inflammationes coercet.

LAGOPUS; ubique potius in umbroſis, ſed præcipue prope vicum Rezati. Adſtringit, diarræas ſiſtit.

LAMIUM: prope vicum Flerii, prope vias, in ſepibus, ſuper muros. Flores maio florentes exſiccant, adſtringunt, diarrhæas ſiſtunt.

LAMPSANA: in agris, ſegetibus, & prope vias. Ventrem ſolvit.

LAPATHUM: in hortis cultis prope Brixiam, præcipue in ripis, & non longe interdum ab aquis. Relaxat, aperit, obſtructiones tollit. ventrem ſolvit.

LARIX; in valle Triumplina, & Camunorum.

LATHYRIS, Tithymalus, Catapucia dictus. Ad occidentem extra januam Sancti Joannis, in ſepibus, & ripis, preſertim incultis, prope, aut non longe a ponte Mela Burgi S. Joannis. Depilatorium, violentiſſime purgat, & quaſi venenoſum.

LAVANDULA: ſativa in hortis. Cephalica, antinervina, antapoplectica, utiliſque in paralyſi, lethargo, epilepſia, & catarrhalibus, fluxionibus.

LAUREOLA: ad occidentem in Valle *Fredda* montis *Denno*, ſubtus Divam Magdalenam; purgat pituitam, & humiditates.

LAURUS: ubi ponitur; adſtringit, capiti, ſtomachoque prodeſt.

LENTICULA paluſtris: ſupra burgum *Pile* in ſtagnis, aquis, & paludibus; refrigerat, ſanguinem temperat: externi uſus in ſcabie.

LENTISCUS: referunt vegetare in Benaci lacûs riperia, atqne etiam in monte *Donzelle* non longe a Gavardo, in fundo Domini Joannis Bertueti, ſed a me in locis ſuorum natalium non viſus: adſtringit, veneno reſiſtit, alexipharmacum eſt.

LEPIDIUM: in locis umbroſis; incidit, penetrat, aperit.

LEUCOJUM: colitur in hortis; detergit, atenuat.

LEVISTICUM: in hortis; incidit, aperit, vulneribus prodeſt.

LIBANOTIS: in montibus Inzini; aperit menſtrua mulierum movet, & urinas.

LICHEN. Vide Hepatica.

LIGUSTICUM: in monte *Dragone* ad meridiem; ſtomachum corroborat, veneno reſiſtit.

LIGUSTRUM: præſertim in ſepibus; detergit, incidit, exſiccat; utilis etiam in affectionibus ſcorbuticis.

LILIASPHODELUS. Vide Aſphodelus.

LILIUM: in hortis convallium, etiam in montuoſis, prope vicum Caini in monte *Dragone*: emollit, digerit, reſolvit, & capiti prodeſt.

LINARIA: ſemper in locis potius humidis, & aquoſis: diuretica; adhibetur in hydrope, icteritia, morbiſque urinæ.

LINGUA cervina: in locis humidis, umbroſis, præcipue vallis Triumplinæ circa aquarum fluentiam ripas; adſtringens, pectoralis, vulneraria.

LITHOSPERMUM: prope Verzianum, & etiam prope ripas fluminis Mela, præcipue ad meridiem; pellit renum lapides; urinam movet, & menſtrua mulierum.

LOLIUM: in ſegetibus; detergit, attenuat, reſolvit.

LONCHITIS: ſupra montem Gulielmum: aperiens, vulneraria, urinam movens.

LOTUS: multis in locis, ſed præcipue ſecundum flumen Mela; vulneraria, aperiens, reſolvens, corroborat.

LUNARIA Botrytis: in ſummitate montium vallis Triumplinæ, & etiam in hortis implantata, ſed parum durat.

LUPINUS: ſativus in agris; expellit vermes a corpore; impetiginem, & ſcabiem curat.

LUPULUS: frequenter in ſepibus, ſed præſertim prope vicum Flerii; utilis in obſtructionibus hepatis, lienis, & hypochondriorum.

LYCHNIS; ubique, ſed præcipue in montuoſis. Quæque habet florem rubeum in monte Dragone, ſignanter in ejuſdem ſummitate.

LYCHNIS ſylveſtris magna: in iiſdem locis.

LYCOPODIUM: muſcus terreſtris in monte Denno, potius ad ipſius montis occidentem: attenuat lapidem renum, urinam movet; ſcorbuto prodeſt: admodum utile in epilepſia, ſi ϑ.s. omni mane ejuſdem pulvis ſumatur.

LYCOPSIS: cynogloſſa; ubique, ſed præcipue in locis montanis, ſupra colles Rothyngi potius in humilioribus, prope foveolas; detergens, vulneraria, conſolidans.

LYCOPUS: marrubium aquaticum; in ripis prope aquas ad meridiem *alle Fornaci*.

LYSIMACHIA: apud *Roncadelle*, & alibi prope aquas.

M

MAJORANA: ſativa in hortis, & præcipue apud RR. PP. Capucinos: reſolvit, vulneraria eſt, nervina, cephalica, carminativa.

MALVA: undique; emollit, dulcificat; aperit.

MALVA hortenſis: apud RR. PP. Carmelitanos: humectat: utiliſque in ſanguinis fluxu.

MANDRAGORA: ſativa in hortis; & etiam in montibus Salodienſis Riperiæ; refrigerans, ſomnum inducens.

MARRUBIUM: ſativum in hortis; in muris antiquis, hoc eſt ruderibus: incidit, detergit, aperit.

MARUM: colitur in vaſis; proſtat apud Dominum Carolum Cluſoni, Pharmacopolam prope Divos Philippum, & Jacobum; cephalicum, ſtomachale, ſudoriferum, veneno reſiſtit, & ſpecificum contra morſus animalium venenatorum.

MATRICARIA: frequenter in hortis; faciliter multiplicat, & vegetat; apta in morbis uteri provocat mulierum menſtrua.

MEDICA: ad boream, ſed ad occidentem montis Magdalenæ, in quaſi planis colliculis; temperat ſanguinis ardores.

MELAMPYRUM: in frumentis, ubi terra fertilis, parvi uſus in Medicina.

MELILOTUS: *Alla Sorbana*, ex Mela alveo proveniente: *in Bottonaga*; emollit, diſcutit, reſolvit.

MELISSA: in hortis; & etiam in monte Dragone, necnon prope ripas *Boticini* proximas; cordialis, cephalica, ſtomachica; menſtrua movens; in apoplexia utilis.

MELONGENA: apud Dominum Carolum Cluſoni: externi uſus in inflammationibus, & cancris.

MENTHA: ubique, cephalica, cordialis, ſtomachalis.

MENTHA Græca, ſive *coſto ortenſe*, vulgo herba *Caſonzela*: earundem virium.

MERCURIALIS: extra januam *Pile*, potius verſus occidentem, prope ripas magnæ foſſæ, ſed verſus agros; emollit, laxat, aperit.

MEUM: ut plurimum in monte *Dragone* ad orientem, & etiam *Denno*; aperit, incidit,

cidit; utilis in aſthmate.

MILLEFOLIUM: ubique; detergit, adſtringit, exſiccat.

MOMORDICA. Vide Balſamina.

MUSCUS arboreus: ubique corticibus arborum adhærens; adſtringit, diarrhæam ſiſtit.

MYRRHIS: in valle Triumplina, verſus vallem Camunorum; menſtrua mulierum provocat, partum ſollicitat; cachecticis, hecticis utilis.

MYRTILLUS: in valle Camunorum.

N

NAPELLUS: in valle Triumplina, & Camunorum; venenoſus eſt.

NARCISSO leucojum: In ſepibus *Coſta Longa*, & locis nemorum umbroſis; reſolvit, conſolidat.

NARCISSUS ſativus in hortis: aglutinat dulcificat, atque ſi vera ſunt, quæ ſcribit Plutarchus (1) ſtupefacit, & capitis gravitatem producit.

NASTURTIUM: aquaticum in foſſis, & aquis fluentibus; incidit, attenuat, aperit, obſtructiones tollit; menſtrua movet; anteſcorbuticum eſt.

NEPETA: ubique; veneno reſiſtit, menſtrua movet.

NERIUM: colitur in hortis: extat apud Patres Reformatos *Corporis Chriſti*; reperitur interdum prope flumina; venenoſum eſt hominibus, & animalibus.

NICOTIANA: colitur; purgat, aſthmati prodeſt.

NIGELLA: ſativa in hortis; incidit, aperit, reſolvit.

NOLI ME TANGERE, ſive herba impatiens Durantis; inter vallem Triumplinam, & vallem Camunorum ſupra *Peſor*; reſolvit, vulneraria eſt, & aliqui vomitivum dicunt.

NUMMULARIA: præcipue in foſſis Navarum, in locis humidis prope viarum ripas; adſtringit, ulceribus pulmonum prodeſt.

NUX metelli: in Monteplano apud Dominum Joseph Zinelli.

NYMPHÆA: in Lacubus, Sebino præcipue, & etiam in Ollio; humectat, refrigerat, aliquatenus narcotica eſt.

O

OCIMUM: præcipue in vico Flerii; urinam movet, & menſtrua mulierum.

OENANTHE: ſupra vicum Navarum, præcipue prope parvam Eccleſiam Divi Antonii, & etiam in montibus *Coſta Longa*; Deterſiva, aperitiva, carminativa.

OMPHALODES: in hortis; condenſat, conſolidat, agglutinat.

ONOBRYCHIS: ubique, potius verſus montes; detergit, aperit, ſudorifera eſt.

ONONIS: ubique, ſed præſertim in locis macris, & præcipue prope vicum Turbularum; detergit, aperit, ictericis prodeſt; diuretica eſt.

OPHIOGLOSSUM: ſupra vicum Navarum; in uno tantum plaludoſo loco, quinquaginta circiter paſſibus, a parva Eccleſia Divi Antonii diſtante; exſiccat, reſolvit, conſolidat, fluxus ſanguinis ſiſtit.

OPHRIS: in locis montanis, & umbroſis, ad ſeptentrionem, extra portam *Pile*; vulneribus utilis, conſolidans.

OPUNTIA: ficus Indica; in viridario, noviter inſtructo a Nobili Vincentio de Averoldis: humectat, agglutinat, conſolidat.

ORCHIS: ad orientem præcipue in montibus Serlarum; teſtium, & uteri morbos juvat.

ORIGANUM ſylveſtre: in monticulis Sajani, & Rothyngi; cephalicum, ſtomachale, carminativum.

ORNITHOGALUM: in ſegetibus ubique: ſputum movet, & urinas.

ORNITHOPODIUM: in montibus Nebulenti, & Rezati; potius in umbroſis ad ſeptentrionem; aperit, attenuat, calculum pellit.

OROBANCHE: in trifoliis præcipue, ſed etiam in locis montanis ſupra Dragonem, & etiam in ſegetibus; calefacit.

OROBUS ſylvaticus: ſubtus vicum Navarum ad meridiem: detergit, aperit, reſolvit.

OSMUNDA: in locis montanis, & opacis, & etiam in nemoribus ad auſtrum prope vicum Cegularum, ubi viſa eſt in ripis fluviorum: aperit; colichæ prodeſt.

OXYACANTHA: in ſepibus, & etiam ſuper montem *Dragone*; adſtringit, diarrhæam ſiſtit.

OXYTRIPHYLLON: in montibus Boticini, & etiam alibi in valle Sabbia ſubtus Cainum; ſitim moderat, febris ardores tollit, refrigerat, humores purificat.

P

PÆONIA; ad ſeptentrionem præcipue ſupra montem Boetii, & Sancti Galli: in morbis cerebri utilis, præcipue apoplexia, epilepſia &c.

PAPAVER: ubique in ſegetibus; pectorale, narcoticum.

PARIETARIA: præſertim ſuper muris: aperit, detergit, mollificat. & morbos renum tollit, aut juvat.

PASTINACA: in pratis; aperit, vulneraria eſt, menſtrua movet, flatus pellit.

PEDICULARIS: in pratis prope vicum Turbularum; hemorrhagias ſiſtit. dicitur etiam fiſtularia eo quia pro curandis fiſtulis apta ſit.

PELESINUS: in *Coſta longa* agris, præcipue poſt collectas ſegetes: urinam movet, obſtructiones tollit.

PEN-

(1) Καὶ τὸν νάρκισσον οὕτως ὠνόμασαν, ὡς ἀμβλύνοντα τὰ νεῦρα, καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις. διὸ καὶ σοφοκλῆς αὐτὸν ἀρχαίων μεγάλων θεῶν στεφάνωμα, τουτέστι τῶν χθονίων προσηγόρευκε.

PENTAPHYLLOIDES: ubique in cultis, & incultis; præcipue ad occidentem prope *Fiumeſello*: adſtringit; diarrhæam ſiſtit.

PEPLUS: in locis montanis, & etiam prope vineas; purgat, reſolvit.

PERFOLIATA: ad meridiem in agris Burgi Saturi: adſtringit, reſolvit.

PERSICARIA: ubique in locis humidis; aperit, detergit.

PERVINCA: in ſepibus, & ubique; adſtringit, vulneraria, ſanguinem purificans.

PETASITES: in magna foſſa circa urbem, verſus januam S. Joannis, & etiam alibi in aquaticis, paludoſis; ſudorifera, vulneraria, reſiſtit malignitati humorum.

PEUCEDANUM: ſuper Navas, ſubtus Sanctum Onuphrium, in via qua itur in *Conche*, & etiam in aliis montanis locis; incidit pectoris phlegmata, expulſiones reddit faciliores, reſpirationem coadjuvat.

PHALANGIUM. Vide Aſphodelus.

PHELLANDRYUM: ſeu cicutaria paluſtris, ſupra Inzinum, non longe a radicibus montis Gulielmi, & etiam alibi; urinam, menſtrua, & calculos movet.

PHILYREA: dicitur vegetare circa ripas Cliſii; ejuſdem flores fronti appliciti moderantur dolorem capitis.

PHLOMIS, ſeu verbaſcum; ubique circum urbem, in aggeribus, & incultis; detergit, exſiccat, adſtringit.

PHAENIX: ubique, ſed præcipue ad meridiem extra januam Sancti Alexandri; detergens, adſtrigens.

PHYLLON: in monte Divæ Magdalenæ pone Eccleſiam inter ſaxa; emollit, ventrem ſolvit.

PHYTEUMA: referunt vegetare in monte *Dragone*, ad orientem potius in apricis; detergit, aperit, reſolvit.

PILOSELLA: ubique in incultis, & arenoſis, ſed præcipue extra urbem contra oppidum Brixianum; detergit, adſtringit, vulneraria eſt.

PIMPINELLA: ubique; refrigerat, detergit.

PINGUICULA: in valle Sabbia, & ſupra *Zappelli di S. Oſſeto*, potius in humidis; vulneraria, detergens, conſolidans.

PLANTAGO: ubique; vulneraria, adſtringens.

POLIUM montanum; in montibus ſuper vicum Virlarum; cephalicum, ſudorificum, aperiens.

POLYGALA: ad ſeptentrionem, ad pedes montis *Malgareda*, in apricis; excitat lac in nutricibus.

POLYGONATUM, ſeu ſigillum Salomonis: ad meridiem; extra januam Turris longæ *a S. Pol*, & etiam in montanis; detergit, adſtringit.

POLYGONUM, ſeu centinodia: ubique in viis urbanis; detergens, vulneraria, adſtringens.

POLYPODIUM: in vico Mezanarum, & etiam prope Sebinum lacum, in ſaxoſis locis; relaxat, aperit, obſtructiones tollit.

POLYTRICTUM, ſuper muros civitatis; ubique; aperiens, pectorale, deterſivum.

POPULAGO: circa medietatem montis Gulielmi, in locis humidis, & aquoſis; refrigerans, vulneraria.

PORTULACA: ubique.

POTAGETON: in paludibus, præcipue prope lacus, & Nymphæas.

PRIMULAVERIS: ubique; cerebro, & nervis prodeſt.

PRUNUS ſylveſtris; ubique in ſepibus; adſtringens, & pro curatione dyſentheriæ aptatus.

PSEUDO-ACACIA: in domo Nobilis Petri de Sala prope Sanctam Agatham; emolliens, relaxans, reſolvens.

PSYLLIUM; rarum in agro Brixiano, & nondum de certo repertum; oritur in locis montanis, detergens, relaxans.

PTARMICA, apud Sanctum Rochinum ad boream in horto D. Caroli Cluſoni, & etiam alibi Brixiæ; dentibus attrita ſputum movet.

PULEGIUM: ad meridiem apud vicum *Del*, atque ſuper parvum collem dictum *Codemonte* ultra Fornaces; & reperitur etiam ad ſeptentrionem quatuor milliaribus ab urbe, in loco ubi dicitur *Prada* Nobilium Dominorum de Malvetiis; aperit, attenuat, reſolvit.

PULMONARIA: in hortis Brixiæ; ſed etiam extra, in montuoſis, & opacis, prope Boticinum; humectat, detergit, vulneraria eſt, præcipue in morbis pectoris.

PULSATILLA: in quodam colle Montisplani, ad radices montis Magdalenæ, ſignanter in villa, & prope aucupium Dominorum de Morariis; detergit, reſolvit, ſcabiem pellit.

PYRACANTHA. Vide Oxyacantha.

PYRETHRUM: nondum a nobis viſum; alii quærant; incidit, attenuat.

PYROLA: quaſi in ſummitate montis Magdalenæ, ſubtus pratum, & non longe ab Eccleſia; adſtringit, refrigerat, vulneraria eſt.

Q

QUADRIFOLIUM: nondum viſum; detergit, humectat, refrigerat.

QUINQUEFOLIUM. Vide Pentaphylon.

R

RANUNCULUS: in hortis, in pratis ubique; externe ad tineam adhibetur, tanquam depilatorium.

RAPHANUS ruſticanus; in horto Domini Bartholomæi Guelfi, & etiam extra in agris; aperit

aperit, detergit, incidit, reſolvit, lapides renum attenuat.

RAPUNCULUS: in monte *Dragone*, prope Eccleſiam Sancti Galli: detergit, aperit, refrigerat.

RHABARBARUM: colitur in hortis, & vaſis: purgat, ſtomacho prodeſt, obſtructiones tollit.

RHODIA radix: in valle Triumplina prope Collem, & alibi non longe; reſolvit, dolores placat.

RIBES: in hortis: adſtringit, refrigerat.

RICINUS: in ortis urbanis; ſemina in Medicina abhibentur, & purgant.

ROS ſolis: aderit fortaſſe, ſed nobis inviſa: referunt vegetare in montibu Collis: cordialis, pectoralis, phthyſicis utilis.

RUBIA tinctorum: colitur in hortis agri Vicentini, abundat apud nos prope Gavardum in ſepe proxima Cęnobio R.R. Patrum Franciſcanorum, reperta a diligenti, & experto illius loci aromatario, & chymico Joanne Paulo Loffi, &, curante docto Medico Hieronymo Oſmarino amico noſtro, Brixiam tranſmiſſa; urinas movet, & menſtrua mulierum.

RUBUS: ubique in ſepibus, detergens, pectoralis, adſtringens.

RUSCUS: ubique in lamis ad meridiem, & etiam ad ſeptentrionem in montibus; aperit, morbos renum, & veſicæ juvat.

RUTA: in hortis, muraria ubique, muris adhærens in & extra urbem.

S

SABINA. In hortis: incidit, aperit, menſtrua mulierum promovet.

SALICARIA: extra urbem in locis humidis, & in aquarum fluentium ripis; detergit, adſtringit, vulneraria eſt.

SAMBUCUS: ubique in ſepibus; cordialis, carminativus, reſolvens.

SAMOLUS. Vide Beccabunga; aperiens, anteſcorbutica, detergens, vulneraria.

SANICULA: in quadam valle inter *Briò*, & *Polaen*, & etiam ſuper Navas in monte Magdalenæ; adſtringit, conſolidat.

SANTOLINA, ſive Abrotanum fęmina in Viridario Nobilium de Averoldis, prope Moniales Sanctæ Crucis; anthelmintica.

SAPONARIA: ad ſeptentrionem ad ripas fluminis Salati, & prope predium egregii D. Galanti Galante: attenuat, humores detergit; aſtmati prodeſt.

SATUREJA: ſativa in hortis: aperit, penetrat, attenuat.

SATYRIUM: in pratis, & montibus; ſemen provocat, & conceptionem coadiuvat.

SAXIFRAGA; circum urbem in ripis magnæ foſſæ, & etiam extra januam *Pile*, vulgo *la Spianadina*; aperit, calculum movet. Proſtat etiam in montibus vallis Camunorum: optimum Rupicaprarum alimentum. Hinc repertæ in earundem ventriculis pilæ, filamentis intertextæ, quod probat magis ſaxifragia, quam doronico rotundiore nutricari, licet fermentatio nova entia producere poſſit.

SCABIOSA: in montibus præcipue S. Euphemiæ ad orientem, & alibi in apricis; ſudorem movet, cordi prodeſt.

SCANDIX, ſeu pecten veneris: in ſegetibus; reſolvit, aperit, urinas movet.

SCLAREA, ſive horminum; ubique, ſed tamen in montanis, incultis, prope aggeres ſaxoſos; aperit, menſtrua movet, & partum.

SCOLYMUS: in ripis, in dumetis, præſertim prope vicum Chortinarum; aperit, ſemen provocat.

SCORDIUM: in ripis fluminis Ollii, atque in paludibus prope Sebinum lacum, & etiam in vico *Provai*; detergit, adſtringit, vulnerarium eſt.

SCORODOPRASUM: in monticulis, ad orientem, contra Brixianum Caſtellum, ultra, & ſuper Eccleſiam Sancti Gajetani, quaſi ad ipſius monticuli ſummitatem.

SCORPIUS, in locis montanis, etiam Montisplani, ubi dicitur *Tel*; aperit, detergit, exitum arenularum promovet.

SCROPHULARIA: in montibus, etiam in plano ad meridiem, ſed in locis humidis, in magna foſſa circum urbem, & ripis proximorum hortorum; vulneraria, reſolvens, apta ad ulcera, ſimpathica, adhibetur pro hæmorrhoidibus.

SECURIDACA: in ſegetibus, & etiam alibi in agris. Vide Peleſinus. Stomacho prodeſt, obſtructiones tollit.

SEDUM; ſuper domus in urbe, & etiam in montibus, intra ſaxeas rupes, præcipue ſi aliquid terræ fruſtulum adſit; refrigerat, adſtringit, apta in inflammationibus pro compeſcendis doloribus.

SEDUM minus: ubique ſuper muris in urbe; ejuſdem activitatis.

SENECIO; ubique, major in ripis, in incultis, in aggeribus, & etiam in montibus, ſed humidis locis; minor vero fere ſemper in plano, agris, & prope vineas; emollit, humectat, refrigerat.

SERPILLUM; ubique in ſaxoſis, & muris prope Sanctum Petrum in Oliveto; aperit, ſtomaco, & cerebro prodeſt.

SERRATULA; in monte Carvanni, & etiam alibi; vulneraria, contuſionibus medetur.

SESELI; ad ſeptentrionem, prope vicum Inzini, in via qua itur ad montem Gulielmum; incidit, diſcutit, aperit.

SIDERITIS; ubique, potius in aquoſis, & prope vicum *Roncadelle*; detergit, adſtringit, herniis, & vulneribus aptatur.

SILIQUASTRUM; extra jannam Turris longæ,

gæ, in valle, qua ad Beatam Virginem Patrocinii itur; adſtringit.

SISYMBRIUM: in locis humidis aquarum fluentium, & quieſcentium. Magna ejuſdem quantitas adeſt extra januam Sancti Nazarii, ultra Botonacam, ubi dicitur *la Sorbana*, non longe a flumine Mela; aperit, detergit, urinam promovet.

SISYMBRIUM vero hortenſe tractu temporis in mentham degenerare, Græca docent exemplaria. (1)

SISYRINCHIUM: ad ſeptentrionem, non longe a Navarum vico, *in Prada*; doloribus medetur.

SIUM: in locis humidis, præcipue riparum, & fundo aquarum fluentium, quibus ſupernatat. Viſum eſt etiam in magna foſſa, in angulo Mombelli. Attenuat, frangit lapidem renum, & veſicæ.

SMILAX aſpera: nondum a nobis viſa; illi vulgares ſubſtituunt vitem ſylveſtrem, ſed error eſt.

SMYRNIUM; in pratis, & ripis; aperit urinam movet.

SOLANUM; ubique, etiam in hortis urbanis, prope vineas; humectat, refrigerat, reſolvit, aliquatenus narcoticum eſt.

SOLDANELLA: in monte Gulielmo, circa medietatem; ventrem movet, & hydropicis prodeſt.

SONCHUS: ubique; humectat, refrigerat, dulcificat.

SORBUS: in monte *Dragone*, in valle plana; adſtringit, refrigerat, vomitum ſiſtit.

SPARGANIUM: extra januam *Pile*, in locis humidis Fullonum, & Lotricum; ſudorem movet, & contra morſus ſerpentum utile eſt.

SPARTIUM: in monte Magdalenæ nonnulli putant illud vidiſſe. Violenter purgat, & quaſi hellebori activitatem habet.

SPERGULA. In arenis.

SPICA Celtica: in montibus Mezanarum; urinam movet.

SPINA alba: in prato Divæ Magdalenæ, ſuper montem Denni; aperit, reſolvit, carminativa eſt.

STACHIS: ubique in agris, ſed præcipue in plano ad meridiem; urinam movet.

STÆCHAS: ultra Montemplanum prope *Teſe del Senter Lochet*; attenuat, detergit, aperit.

STRAMONIUM: nux Metel; in Monteplano, in horto Domini Joſephi Zinelli. Narcoticum eſt.

SUCCISA: ubique in montibus, ſed præcipue in *Coſta Longa*, ultra parvam Eccleſiam Dominorum de Luchi; ſudorifera, cordialis, veneno reſiſtit.

SYMPHONIA: colitur in vaſis; adſtringit.

SYMPHYTUM: in pratis, & in eorundem ripis, etiam extra januam Turris longæ; conſolidat, & in morbis pulmonum adhibetur, etiam in dyſentheria.

SYRINGA: in hortis; nullius uſus in Medicina.

T

TAMARISCUS: in Brixiano agro rarus; dicunt tamen vegetare in vico Rudiani; circa ripas Cliſii, & etiam Ollii, ſed potius in adverſa parte Cremonenſi; obſtructiones tollit, menſtrua promovet, & humores craſſos melancholicos attenuat.

TAMNUS; vitis nigra; undique, ſed in montibus præſertim; aperit, purgat.

TANACETUM: ſativum in hortis; ſed etiam in monte *Arenada* ad orientem Montiſplani; incidit, penetrat.

TAXUS: in monte Gulielmo, & locis ſaxoſis. In vico Montiſplani etiam, imminens fonti, & origini aquarum, quæ peculiari ſubterraneo, & multis expenſis antiquitus elaborato ductu, in urbem ad perpetuandas fontanas vehuntur; venenoſus eſt.

TEREBYNTHUS: ſuper vicum *Cobiate* in monticulo. In ripis oppidi Brixiani, ex latere Sancti Petri in Oliveto; necnon prope Gavardum; adſtringit; diarrhæas ſiſtit.

TERTIANARIA: in monte *Dragoncello*, prope ſtabula vaccarum; adſtringit, vulneraria.

THALICTRUM: in pratis ubique, ſed præcipue extra januam Sancti Joannis, prope Abbatiam; vulneraria, veneno reſiſtens.

THLAPSI: ubique in ſegetibus, & in ripis, extra januas urbis; incidit, attenuat.

THORA: in monte Gulielmo; venenoſa eſt.

THYMBRA: in hortis; attenuans, cephalica, aperitiva, anthyſterica.

THYMELÆA: in montibus *Conche*; oculorum fluxionibus prodeſt.

THYMUS: ubique in hortis: incidit, penetrat, aperit, cephalicus eſt.

THYSSELINUM: prope flumen Gartiæ in urbe; incidit, penetrat, aperit.

TILIA: in valle Sabbia; flores cephalici ſunt; folia urinam, & menſtrua movent; ſemen hæmorrhagiam narium ſiſtit.

TITHYMALUS: in ripis, extra januam Sancti Alexandri, prope vineas; & vicum *Volta*; violenter purgat, & venenoſus eſt.

TORMENTILLA: in locis montanis, præcipue

(1) Ἡ δὲ τοῦ σισυμβρίου εἰς μίνθαν δι' ἀργίαν γενομένη. συμβαίνει γὰρ ὅταν μηδεὶς ἐξεργάζηται, μηδ' ἀποδιδῷ τὴν οἰκείαν θεραπείαν, ῥιζοῦσθαι μᾶλλον εἰς τὸ κάτω, ῥιζούμενον δὲ; καὶ τὴν δύναμιν ἐκεῖσε τρέπον πᾶσαν ἀσθενέστερον εἴωθε γίνεσθαι, καὶ τὴν δριμύτητα ἀποβάλλειν τῆς ὀσμῆς, ὥσπερ ἐξ ἀμφοτέρων ἡ ὁμοιότης τῆς δὲ βλαστῆς, καὶ τῆς ὀσμῆς. τῆς γὰρ δριμύτητος ἀφαιρουμένης, ἡ καταλειπομένη ὀσμὴ μαλακή τις οὖσα, καὶ ἀνειμένη, προσεμφερὴς τῇ μίνθῃ γίνεται.

cipue umbroſis, fere ubique, ſed præſertim ſupra vicum Rezati; adſtringit, vulneraria, in hæmorrhagiis ſanguinem ſiſtit.

TRACHELIUM maius, extra januam Turrislongæ, in pratis *S. Pol*. Inflammationibus colli, & faucium prodeſt.

TRACHELIUM petræum minus: in montibus *Mezanarum*, non longe ab Eccleſia Sancti Æmiliani in ſaxorum rimis; adſtringens eſt.

TRAGOPOGON barba hirco: in pratis ubique, ut vix ullum excipi poſſit; aperit, ſtomacho, & pulmonibus prodeſt.

TRAGOSELINUM. In aggeribus præcipue incultis ad ſeptentrionem, potius extra januam *Pile*; aperit, detergit, ſudorem movet.

TRAGUM: colitur in hortis; aperit in morbis renum, præcipue a calculo adhibetur.

TRIBULUS terreſtris. Prope vicum Pontisvici, non longe ab Ollio.

TRIBULUS aquaticus in viridario Nobilium de Averoldis; adſtringit, refrigerat, reſolvit.

TRIFOLIUM pratenſe: ubique: detergit, humectat, refrigerat.

TRITICUM vaccinum. In frumentis, & aliis ſegetibus: reſolvit.

TURRITIS: in montibus *Conche* ſuper Sanctum Onuphrium: incidit, aperit, ſudorem movet.

TUSSILAGO: ubique in monticulis Celaticæ, & in via qua in vallem Triumplinam itur: pectoralis, utilis in ulceribus pulmonum, & morbis thoracis.

TYPHA: undique in paludibus ad meridiem extra januam Sancti Nazarii, & in lacunis a flumine Mela productis: detergit, refrigerat.

V

VALERIANA: ubique in pratis, & eorundem ripis, & etiam verſus Nundinas; cordialis, ſudorifera, vulneraria, veneno reſiſtens.

VALERIANELLA: potius in magis montanis quam valeriana; interdum in pratis montis *Dragone*; ejuſdem activitatis.

VERATRUM. Vide Helleborus.

VERBASCUM: ubique circum urbem in aggeribus, prope Gartiam extra januam *Pile*; detergens, anodinum, adſtringens, reſolvens.

VERBENA: ubique etiam in urbe, in vallo, muris, & propugnaculis; purgat, pituitam evacuat.

VERMICULARIS. Vide Sedum minus.

VERONICA: mas ad ſeptentrionem, & ad dexteram Montisplani: in parte montis *delle Marene*; inciſiva, attenuans, deterſiva, ſudorifera, ſanguinem purificans.

VERONICA frequenter ſupra montem Magdalenæ.

VERONICA petræa virens: in iiſdem locis, ubi Trachelium petræum in montibus Mezanarum.

VIBURNUM: in ſepibus, & locis montanis; ultra Nundinas, & Burgum Sancti Joannis, etiam prope flumen Mela; adſtringit, refrigerat.

VICIA: in ſegetibus &c. Heu? etiam nimis; adſtringit, reſolvit.

VICETOXICUM: in montibus, & nemoribus ſuper Guſſagum, & alibi; ſudoriferum, veneno reſiſtens: (1)

VIOLA: ubique, & in hortis; pectoralis, cordialis, dulcificans.

VIRGA aurea: in monticulis *Padergnone*, & ubique apud Brixiam, ad ſeptentrionem tamen; detergens, vulneraria, aperitiva.

VISNAGA: extra januam *Pile* in monticulis, ſupra locum Zappetti; in quadam parva via; aperiens, præcipue in morbis renum in calculo.

ULMARIA: in montium locis umbroſis, extra januam Turrislongæ ad ſeptentrionem; ſudorifera, adſtringens.

UNIFOLIUM: in confinio vallis Triumplinæ, & Camunorum, in monte *Vivazo*; vulnerarium, alexipharmacum contra bubones peſtilentiales.

URTICA: ubique; incidit, detergit, aperit.

VULVARIA: ubique prope ſtabula, & fimum. In urbe, & illico extra urbem: vapores hyſtericos pacat: & cholicæ prodeſt.

X

XERANTEMUM. Vide Ptarmica.

XIPHION: in ſegetibus: emollit, reſolvit.

XYRIS: ſativa in hortis: purgat, aperit.

Z

ZEA: extra januam Pile: verſus Divum Antonium. Detergens, reſolvens.

PLANTÆ RELIQUÆ.

MULTA & fortaſſe innumerabilia alia proſtant utiliſſima ſimplicia, tam in agro Brixiano florentia, quam in urbanis locis & vaſis, etiam Africana, & Americana, non ſolum apud Nob: & optime meritum Virum Vincentium de Averoldis, qui ære non modico, a remotis uſque terræ finibus conquiſita ſtirpium ſerie, hortum inſtruxit, ſed etiam apud Monaſteria, atque D. Antonium Tonolinum expertum Chymicum, in majori Noſocomio Lithotomum, & alios, qui de re Botanica delectantur. Quorum omnium cathalogum diligentiorem neceſſe eſſet, ut aliquis, longiore otio dives, poneret in meliori luce.

BAGO-

(1) Refert Joannes Sigiſmundus Elsholtius in peculiari tractatu, præcipuum eſse Scrophularum remedium.

BAGOLINUS

FRANCISCUS Ricciardus centum circiter ab hinc annis, ſcilicet 1647, libellum conſcripſit, & edidit, in quo febres populares autumni, & ſequentis hyemis graſſantes in Vico Bagolini, ad mentem præcipue Hippocratis commentatus eſt. Optima methodo, ad cauſas diſponentes quod ſpectat, procedit in examine multarum pluviarum, quæ transacta ęſtate ceciderunt, ad ſiccitatem, quę Julio, & Auguſto vegetabilia omnia, humanaque corpora aduſſit, ad pluvias denique, quæ noviter toto durante autumno terram humectarunt. Hinc præeunte cephalalgia, vomitibus, deliriis, ſomno, ſurditate, doloribus, diarrhoeis, peticulis, interdum e veſtigio evaneſcentibus (1) manuum, & linguæ tremore, febres exaſperabantur, cum pulſu debili, frequenti, inæquali, formicanti, damnumque non modicum Scriptor autumat eveniſſe ex damnabili uſu, ruſticis familiari, aucto jam morbo, Medicos ad curationem vocandi, ex quo fit, ut nimis ſero Medicina paretur.

Aſtrologię inſuper ſcientiam Medico utiliſſimam Ricciardus poſſidebat. Loquitur enim de eclipſi Lunæ, de Solis ingreſſu in primo libræ puncto, de conjunctione Jovis, & Martis, deque aliis obſervatis tunc temporis phoenomenis, ex quibus morboſa conſtitutio arguenda eſt.

DUÆ UTILITATES A BRIXIANO SUPRADICTO AUCTORE, AD REM NOSTRAM, ET PRÆCIPUE AD AGRUM BRIXIANUM QUOD SPECTAT, EXCERPENDÆ

PRIMUM documentum ſumendum ab exclamatione, eo quia in ſummo febrium vigore ægri nimio cibo alerentur. Quod quidem ſicuti damnoſiſſimus mos eſt, ita vereor ne, ſummo mortalium, præcipue ruſticorum detrimento, adhuc perduret, noſtris neque diligentiis poſſit exterminari.

Secundum pendet ab animadverſione (2) circa eandem popularium morborum Bagolinenſem influentiam, pari ordine & ſymptomatibus, ut tempore magni, divinique Medicinæ principis Choi, deſæviſſe, ut aperte probatur (3) (4) (5). Ducenda idcirco conſequentia eſt, morborum conſtitutiones poſt tot annorum periodos in humanum genus iterum bacchari, & revertere. Ideo, ut olim dicebamus, invaleſcentibus morbis patrii præſertim Scriptores præ manibus habendi, ut collatis exemplis, & doctrinis, alienis periculis juvet didiciſſe.

(1) Ut obſervat Hippocrates 1 Epid. Papulæ parvæ nigræ eſſent excernendis morbis, ſtatimque evaneſcebant.
(2) Cap. 19. pag. 58.

CAMUNORUM VALLIS ET TRIUMPLINA

MONTANÆ Gentes illarum Vallium cum morbo laborant, non Medicum ſed radicem gentianæ quærunt, & faciliter reperiunt, utpote a fere omnibus in domo ſua aſſervatam, eamque nonnulli in ſero lactis, alii in vino infuſam illico ſumunt, & repetunt, tanquam univerſale ad quaſcumque ægrotationes alexicacon, præſertim ſi cum febribus conjunctæ ſint.

In Triumplina preſertim, ad curandum paſſiones cholicas, iliacas, dolores, & ventriculationes ſiler montanus adhibetur. Sique morbus perſeverat, ad imperatoriam, & carlinam confugiunt.

Quia vero in ſtabulis jumentorum frequenter jacent, ſubjecti ſunt morbis, bubile genus vexare aſſuetis, bubonibus nempe nigris, qui vere peſtilentiales dici non poſſunt, ſed tamen ſolo igne curabiles, præcipue ſuper Brenum in vico, qui dicitur *Cerve*

PLEURITIDES

IN inflammationibus pectoris, & membranæ coſtas ſuccingentis, præcipuum remedium oleum ſeminum lini eſt.

ISCHIADICI RHEUMATICI DOLORES

CURANTUR oleo juniperi, ab extra adhibito.

AQUÆ BOGIARIANÆ

PLURA dicenda eſſent de Acidulis Bogiarianis in Camunorum Valle ſcaturientibus. Verum quoniam multis ab hinc annis id a nobis abunde factum, in pręſentiarum ſuperſedemus. Solum notando, & confirmando, quæ diximus circa ſuſpectam ipſarum activtatem, præcipue quando æſtas impluvia præceſſit: quia tunc a minus ſolutis ſemimineralium inſitorum, nitroſorumque ſalium potentiis occulti latices magis pollent, etiam ob ibi dominans vitriolicum gas, quod prope fontem interdum conſpicuum eſt, & potens corrugare ſolida, coagulare fluida, hinc non ſemper promptus Medici, Ægrique genio obſecundans aquarum tranſitus; inde ſtaſes in animato corpore loco non moventur, & pereunt intentiones, & executiones illæ, quibus ſtantibus, medicati vallis illius latices fuerunt potati. Has inter difficultates, ob nunquam ſatis cognitum remedium, Ægri interim pęnam luunt.

(3) Comment. 2. Text. 60.
(4) Text. 61.
(5) 62.

CARPENETULUS

Illuſtriſſimo, ac Præſtantiſſimo Viro
Regis Poloniæ Comiti

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

STEPHANUS CALLEGARI
S. P. D.

NON *ea eſt vis excogitandi, ſcribendique facultas, Ornatiſſime Vir, ut Medicinam Brixianam, quam tu pro ea qua polles ingenii acie, & in Clinica arte peragenda felicitate, diu exornas atque auges, illuſtrare ego valeam, eoque minus digna conſcribam, ut magno illi operi, quo prout apte loquitur acerrimi ingenii Philoſophus P. Anſaldi* (1) non ſine numine Divum, hunc uſque ad diem tibi ſervato, Medica ars a præjudiciis omnibus vindicata in univerſi Orbis emolumentum, *ac decus reſurget*, & concurrente per immenſa terrarum ſpatia, animorum conſenſu, & ſocietate ſuper ſtabilius fundamentum *erigetur, annotentur. Spei tamen blanditiis illectus, plus mihi in tua erga me humanitate, morumque ſuavitate præſidium fore, quam timoris in acerrimo judicio, ſtudiumque veritatis approbatum iri, morem tibi gerere haud renuo, Epidemicoſque, necnon Endemicos, atque per tranſennam Sporadicos morbos, noſtro ſub cœlo graſſatos, paucis exponere ſuſcipio.*

Antequam vero ad rem noſtram accedamus, præſcias oportet Carpenetuli pagum a Brixiana urbe ſexdecim millibus paſſuum diſtantem, prope agri Mantuani fines ſitum eſſe. Ad hujuſce loci amœnitatem plurima contulit natura; utriuſque enim ad latera conſurgunt colles Baccho gratiſſima vina ferentes, atque ſpatioſa circum planities innumeris arboribus conſita, & cerealibus donis abundans, diffunditur. Hinc nitidiſſimi ſparſim irrigantes rivuli, & cryſtallini laticis crebræ ſcaturigines, quæ in fluvium coeuntes, mediam interfluunt regionem, non tam incolarum delicio, quam ædificiorum uſui, & utilitati.

Si læta igitur ſolo facies, quis non clementiſſima pari cœli temperie perfrui exiſtimaret? Verum qui recte aimadvertit, quot quibuſque, quam variis, crebriſque, atque omnis ferme generis morbis, ſtatis præcipue temporibus affligentur incolæ, aliter profecto judicabit, atque tum victus rationem, tum aeris craſſitiem, inertiam culpabit, quæ ſicuti omnibus ferme inferioribus regionibus communis eſt, ita hic incumbere, & quandoque ad majorem perniciem adaugeri, rationi conſonum eſt. Si quis vero hujuſcemodi craſſitiei, atque inertiæ rationem expeteret, præter ea, quæ villicis locis ſunt obnoxia, quæque Clariſſimus Ramazzinus (2) *agricolis infeſta comprobat, ex aquarum copia, deſidium præcipue repeterem, atque ex lutoſis, æſtate præſertim uliginibus, vel lini maceratione halantibus, vel putridis ex lymphis, paſſim a mulierculis ſericum nentibus, per calles projectis, quæ deleteriis aerem fœdare corpuſculis, nemo ibit inficias. Quid vero, cum arborum inſit copia quæ ventos perflare ſalubres, domos radianti ſole illuſtrari, tellurem ſiccari humentem, ac circumfuſum vivificari aerem obſiſtunt? Quid, cum ad occiduam partem, non procul Cliſis flumen, hinc inde raris nemoribus ſtipatum, & ſcrobibus frequens occurrat, unde nebuloſæ exhalationes emittuntur? Quid denique, cum ex Mantuanis oris perflantes venti, atque inſuper qua Boreas, qua Eurus, & Auſter limoſas, cœnoſaſque plagas, unius circiter milliari ſpatio ab hinc diſſita, permeent, qui noxia afferentes effluvia, pluvioſis vel maxime tempeſtatibus, aerem coinquinant, ruriculas non minus faſtidio, quam labe afficiunt. Ut igitur noxios iſtius aeris effectus, ſeu morbos epidemicos inprimis attingere incipiam, ſcias, ineunte anno* 1736, *primo meæ praxis anno, ſtatim atque boreæ, aquilonares perflare venti, atque tellus horreſcere incæperint gelu, cœlo permanente ſereno, incolas, ac præcipue ſe ſe exercentes homines pleuritidibus, peripneumoniis, vel potius pleripneumoniis, iis potiſſimum, quas lymphaticas, & lymphatico-bilioſas appellamus cum præſtantiſſimo* (3) *Valcarengo, correptos fuiſſe, earumque genuinam facile aſſequimur cauſſam, ſi frigore ſolidorum corrugari fibrillas, rectum ſolidorum tonum ſufflaminari, in lymphaticas collaterales arteriolas purpureos protrudi globulos, atque exuberantem in laborantium præcipue corporibus lympham frigoriferis, tum per patulos cutis porulos, tum per tracheas irruentibus corpuſculis, veluti in gelu concreſcere perpendamus.*

Oppoſitis tamen haud vero de cauſſis paluſtrium regionum accolas, agricolas, & mulierculas præſertim in ſtabulis commorantes, ſæpius, ut inquit Hippocrates (4), *hujuſcemodi, aliiſque pulmonum morbis oppugnari conjector; ſiquidem pneumonicæ veſiculæ parum inerti vere expanſæ interjectos pulmonum tubulos pertranſeunti liquido obſiſtunt, aqueis infarciuntur corpuſculis, lymphatici laticis copia in pulmonum ductibus congeritur, ſimulque inſpirati aeris tepore lympha rareſcens, nunc continentium vaſculorum oſcula præter modum expandit, nunc dilacerat, aditumque rubentibus globulis aperit. Præ nimia ne laterum expanſione criſpantur canaliculi, tunc progreſſivo lymphatici humoris curſu impedito, refluit humor, in ſacculis veluti dilatantur tubulorum valvulæ, diametrum occludunt, refluentem eo magis lympham impediunt, ac in ſacculis intercluſa, ejuſque craſſioribus moleculis quamdam involucri ſpeciem elabor-*

ran-

(1) De forenſi Judeorum buccina.
(2) De Agricolarum morb.
(3) Med. ration. ſect. 2. cap. 2.
(4) De aere, aqu. & loc.

rantibus, quot infarcti ſacculi, tot hydatides, ut ingenioſe confixit ſcientiſſimus Morandus (1), *quas in peripneumonia, pectoris hydrope, aſthmate mortuis conſpicimus, ſuboriuntur.*

Curam pertractanti, præmiſſis olei amygdalarum dulcium recenter ſine igne extracti, cum ſpermate ceti aliquot unciis, tutius diffluentis ſanguinis obices per bis, terve, quaterve repetitas ſanguinis miſſiones, pro ægrotantium ætate, atque viribus, ex majoribus venis, magno patenti foramine, ut ſapientiſſimus animadvertit Verna (2); *deinde per ſanguinem hircinum, nitrum depuratum, ſpermatem ceti, raſuram camphoræ, cum diaſcordeo, quandoque cum opii granulo immixta, contemperantibus potitatis emulſionibus, mihi tolli videbantur, quam per tot actuoſa medicamina, tum in concitatiorem tumultuarium curſum fluida, tum validiorem in ſiſtalticam vim ſolida concitantia, inter quæ minerale kermes clariſſimi viri* (3), *reluctantibus aliis* (4), *enumerantur.*

Camphoram quidem volatilibus ſcatere moleculis, analyſi compertum eſt, & vix intra corporis canaliculos perducta in immenſam veluti volatilium corpuſculorum nubem diſſolvi, quæ fulguris inſtar ſanguinem prætergreſſa, minimos canaliculos blande pandant, lymphaticaſque arteriolas luſtrent, abditoſque nervorum receſſus attingant, & e veſtigio per cutis foraminula diffluentur, unde cæſpitantes liquidorum moleculæ æquabilem, ordinatumque reſtituantur in motum, ſtaſes diſſolvantur, ac ſolidorum criſpata laxentur ſtamina, quin minimum excitetur caloris (3), *ratione, atque authoritate firmum eſt, opiumque fere hujuſcemodi conſtare principiis, non minoris famæ ſcriptores* (4) *arbitrantur.*

Camphoram igitur, ac opiata ſumme in hujuſcemodi conferre morbis, non eſt cur in dubium revocemus, iiſque immixta diaphoretica, pulverem ſcilicet cancianum, lapidem contrayervæ Bat. mirrhæ granulos, aut antimonium diaphoreticum, aut bezoar orientale decoctionibus ex emollientibus, & papaverinis herbis de frequenti potitatis, adeo prodeſſe experientia probavit, ut plerique lymphatica potiſſimum pleuritide ſimplici correpti, effuſa ſudorum copia, quin ullum impenſum fuerit opus ad ſputum eliciendum, aliquid ſanioſi laticis effluxerit, quod temere aliqui irritantibus, volatilibus expectorantibus provocare contendunt, convaluerint; jamque in ſermonem incidens de anacatharſi cum expectorantibus, ut ſpermate ceti, floribus benzoi ad eam augendam, cui haud raro rigentes, corrugatæque bronchiorum fibrillæ, teſte aſpera diraque tuſſi, obſiſtunt; opium, atque camphoram immiſceri, clariſſimis præcitato Valcarengo, ac Santorini (4) *innixus commendo, & lambitiva, ut ægrotantibus indulgeam, nonniſi ex aqua papaveris erratici, violariæ, ac decoctionibus rerum pectoralium, cum ſyrupo papaveris rheados, ſed præſertim recenti oleo amygdalarum dulcium præſcribo.*

Quum vero, torpentibus, ut ita dicam, fibrillis anacatharſis, ſtrepitu in pectoris cavo perſonante, ſumma cum reſpirandi difficultate, ſupprimeretur, ad pectorales immortalis Baglivi (5) *decoctiones, additis ſpermate ceti, ſpiritu fuliginis, aut ſalis ammoniaci, atque ſyrupo de peto frequenter, ac calidas ſorbillandas confugiebam, atque præcipiente Hippocrate* (5) *ad veſicantia; tunc certe raſura camphoræ, quæ iniquas cantharidum moleculas caſtrat, obtundit, ut Greinvelt teſtatur, exhibita, coxis applicanda, progredi non verebar. Ea tamen omnia, quæ famigeratiſſimus Baglivi* (6) *de veſicantibus tradit, prius meditabar, atque ea omnia præferenda ego cenſeo, quæ tutiora veſicantibus in ſublevando, mitiora in agendo percipimus, in quorum ſane cenſu collocari ſuffumigia ex gummatis balſamicis ad craſſos incidendos humores, ac torpida excitanda ſolida peridonea, atque ex mere emollientibus aquis, ſeu decoctionibus, ſi criſpatæ laxandæ fibrillæ, ut ſummus nobis tradit Boerhaave* (7), *ac Tu ipſe* (8) *magni nominis, per vitreos tubulos inſtituenda, affabre exponis, minime dubitarem. Facta vero liberiori anacatharſi ſub fine morbi, traumaticas decoctiones ſyrupo balſamico edulcoratas, ac bolos ex hederæ terreſtris extracto, myrrha electa, butyro ſulphuris, balſamo Tolutano, guttulis aliquot balſami copaiue inſtillatis, & ex terebinthinæ pilulis, quæ intactis viribus ſanguini immiſcentur, ſolutos detergit, ſolidat tubulos, propinandos proſequebar.*

Quoad externa vero præſidia, quæ ad pulmonum morbos ſupervacanea pluribus recenſentur, & C. Hoffmannus (9) *dorſo, & coſtulis applicanda commendat, unguentum pleuriticum a Fullero* (10) *propoſitum, veſiculas bubulas oleo ſeminum lini calefacto, cum nitro depurato, raſura camphoræ, aut lacte, aut aqua ebullitis floribus ſambuci, chamæmillæ, verbaſci, meliloti, quandoque ſemine papaveris albi ſemirepletas mirando cum levamine, ut toties adhibuiſſe teſtantur Hoffmannus, ac Heiſterus* (11) *ad dirum leniendum dolorem, lateri aptari dolenti, totiuſque abdominis regioni calentes fotus mandabat.*

Hiſce remediis perſpiciens ad priſtinam redactos ægrotantes ſalutem, qua gloriola junior non perfundebar, quid virium arti alumnus non prædicabat? Sane & gloria, & medicæ artis fides, qua par erat, major mihi inerat, quid valeat ars, quid in acutis moliatur natura, animalis ſcilicet

(1) De Pleuritidis curat.

(2) Quæſtio Med. Petro Azevedo, an in inflammationibus Kermes mineral. Hecquet Hippocratis Aphoriſmum xxviij.

(3) Quæſt. Medic. Adrian. Helvet, an in tonſill. tumoribus Kermes mineral. diarrh. Litterato Ultonienſ. 131., & 32.

(4) V. Frideric. Hoffmann. de pecul. camph. natur., atque uſu intern. ſecur. Tralles.

(5) Hecquet Novus Medicin. Conſpect. P. I. c. xv. Fr Emend.

(6) Valc. ſect. 2. c. 3. n. 168. Saut. nella iſtruzione delle febri.

(7) De Pleuritide.

(8) In Prognoſticis.

(9) Ex Pharmacop. Fuller, & Hoffm.

(10) De uſu, & abuſu veſicant.

(11) De Peripneumonia vera.

authomatis ſtructura æque penſitat præcitatus Hoffmannus, (1) *quidque nobis illa ſuppeditat, ſatis ſuperque dolore perculſi in epidemicis experti ſumus, ac ne in me objicias, quæ protulit acutiſſimus Piſoni:* (2) narrantur ſecunda, ſupprimuntur adverſa, atque infelicibus alienis periculis præeuntibus, clinica ars firmiori talo progreditur, *palam facio: labente anno 1739. cum diuturna fuerit ab autumnali tempeſtate ad hyemalem uſque aquarum illuvies, moxque alternatim madidis auſtris, & gelidis boreis irruentibus, magna aeris inæqualitas foret, endemica morborum conſtitutione divexatos fuiſſe homines, eo crudeliori, quo majores parabantur neces; eo magis pertimeſcenda, quo magis implicita ſignorum ſyndromes extiterat. Febris cum frigoris rigore intermittentiam quamdam, at per accidens mane præſeferens, dolores obtuſi adinſtar pſeudopleuritici, nunc ad ſiniſtrum, nunc ad dexterum latus, infernum verſus ventrem pervagi, levis tuſſis, ſputum aliquando cruentum, & ſubflavum, nulla vero reſpirandi difficultas, ſed multa virium imbecillitas, & capitis dolor priora erant ægrotantium incommoda. Lingua pariter, cui magnam fidem in morbis præbendam inculcant clinici, ſemper ſalivali latice humectata, & albicante in aliquibus materie obducta conſpiciebatur, pulſus molles, ac parum videbantur aſſymetri; urina adinſtar naturalis, liberæ dejectiones alvi, ac aliquando flavæ, & vermiculis erant immixtæ.*

A quarta vero, quinta, aut ut melius loquar, incerta die (non enim ſemper morbus pythagorica ſequebatur imparium dierum myſteria) labefactatis humani corporis functionibus, ac deperditis prorſus viribus, immanitatem ſuam morbus exerens, ægrotantibus extremum diem minitabatur. Quidam inopinato comate ſomnolento correptus, quidam in læthargum detruſus, in ſudores ſolvebatur, ſubitoque inclamante voce, ac ſtimulis expergefactus, eundem in lethalem ſoporem recidebat; quidam obtutus in adſtantes ita conjiciens, ac ſi venefico, ut vulgo credebatur, lamiarum ſortilegio faſcinatus eſſet, aphonia maxillas convulſione fortiori coarctante, totumque corpus contorquente conflictabatur; quidam tandem frigidiori ſub aere peripneumonia impetitus, ad phrenitidem prolapſus, ſplendentibus oculis, rubore undique ſuffuſis genis lectulo exilibat, & in adſtantes veluti ſibi infeſtos irruebat.

His ergo commemoratis ſymptomatibus, ſed variis pro ægrotantium varia corporis habitudine, mortales libitina adoriebatur. Laxiorem, & cacochymum, aut obeſum geſtantibus corporis habitum, ſopores, lethargi necem afferebant; ſanguinem mobiliorem, & bilioſum alentes cum graciliori ſolidorum textura, jactationibus, & convulſionibus (protuberantibus oculis) de medio tollebantur; plethorici vero magna fluentium liquidorum copia ditati præſertim meracioris vini abuſu, ac nimia voracitate primo ætatis flore phrenitide capti extremam diem obibant. Nec demum defuere ii, qui fortioribus apoplexiis correpti, e vivis excedere cogebantur.

(1) De natur., & art. effic. in medend. Differt. I.
(2) Differt. 4. de regim. auxil. in morb. cur.
(3) De Apopl.

Tam triſti, diroque graſſantium morborum aſpectu, ut verum fatear, horrebam, contremiſcebam, cuique, ut ita dicam, Æſculapii tabulæ naufragantes ægrotantium vitæ forent fidendæ, neſciebam; mente tamen præfixo Hippocratis *admonitu,* ſi non proſis, ſaltem ne noceas, *ac a primis artis medicæ dictatoribus edoctus, quam noxia in pernicioſis morbis purgantia valida habeantur, quotque turbæ in idraulico-pneumatica humani corporis machina iiſdem eleventur, ne principio quidem, adverſante virium imbecillitate, propinare auſi, blandis tantummodo dejectoriis clyſteribus fœces, corruptoſque humores in primis viis ſtabulantes eliminare contendens.*

Sanguinis quoque miſſionem in malignis morbis, viperei dentis adinſtar phlebotomi lanceolam pertimeſcens imperare verebar; at perpendens, hujuſcemodi graſſantes morbos in ſoporoſas capitis affectiones tranſgredi, lethargis, convulſionibus terminari, quibus in curandis, ita & in evitandis ſanguinis miſſiones prodeſſe, tum ratio, tum clariſſimorum Pitcarnii (3) *& Vernæ* (4) *accedit authoritas, eamque jure hic, celebratiſſimo Joſeph Pilotti, in conſilium vocato, ſuadente, in tuto ægrotantium vitam, & medentis nomen collocari in animum induxi, ſi ſecandas venas pro ſymptomatibus, temperamentis, viribus, & ætate imperaſſem. Inciſa itaque in plethoricis brachii ſiniſtri vena, per quam ad cerebrum minor fluentis ſanguinis copia ad examen celeberrimi perſcrutatoris Silvæ* (5) *derivatur, ſanguis effluebat, moxque ut plurimum ſubflavo molli glutine obductus, & vapidus adinſtar pulticulæ conſpiciebatur. Aliis in pede, aliis tam brachiali, quam ſaphena ſecta, ſi tenax exiſteret in ſanguinis ſuperficie adinſtar pleuritici cortex, ut cuidam adoleſcentulæ, jugularis quoque ſectionem a C. C. Freind, Lanciſio, Hoffmanno, & Hecquet quam ſummopere prædicatam commiſi, nec venas ſublinguales incidi, naribus hirudines applicari, occipiti alte inciſo, cum ferreus urgeret ſomnus, dorſoque cucurbitulas admoveri omiſi. Res tamen aliter, ac ratio quodammodo promiſerat, diu ceſſit, ſtagnantibus enim in canaliculis fluidis, ac omnimode otiantibus ſolidis ægrotantes extremam diem obibant, & commemorata adoleſcentula, quantumvis firmiſſima cruſta in extima ſanguinis ſuperficie conſpiceretur, qua excreſcente ſanguinem duci audacter ſcientiſſimi Practici inculcant, adventante quinta die, de repente aphonia, dein tonica convulſione abrepta interiit. Quid inde erat faciendum? Phlebotomiam rejeci, & ſpe omni orbatus ad alexipharmaca, & ſpirituoſa cephalica, quin in ſegni, phlegmaticoque temperamento ad veſicantia ſuris, & in ſoporum actu, nuchæ admota confugi. Contra vero in iis bilioſo temperamento, graciliori corporis textura, mente fervida inſtructis, parcius me gerebam, atque ſtimulantibus rejectis, reficere vires blandis analepticis, & veneficos, ut ita dicam, ſuccos, & diſſolutum ſanguinem bezoarticis fixis cum nitroſis acidis, atque diluentibus mulcere, & compeſcere ſtudebam. Neque anthelminthica intentata dereliqui, aquas enim,* odori-

(4) De Phlebotom.
(5) Traite de l'uſage des differentes ſortes de ſaignees principalement de celle du Pied.

odorifera efluvia, ſubtilia corpuſcula emanantes, aliaque hujuſce generis, & oleoſa aliquando vermiculorum tracheas obſtruentia, mercurium vivum, æthiopem mineralem ſæpius exhibui, non ad curandas ægrotantium lumbricorum infirmitates, eorumque enervatas fibras corroborandas, ut ingenioſus vir nobis comprobare nuper conatus eſt: quin imo, ut ſphærulis jugiter huc, & illuc diffluentibus, in omnem etſi minimam ſolidorum fibrillam irruentibus, vermiculorum ſubſtantia molli, & diſtractili vaſorum fœdere copulata, leviſque eorumdem organorum textura, tum pondere, tum impetu comprimeretur, conquaſſaretur, atque omnigenis filamentis confoſſis prorſus diſſolveretur. Unum pariter ſupereſt recenſendum, quod caput raſum ſpiritu vini camphorato ſale ammoniaci, & oleo de lavendula immixtis confricavi, utpotequæ activis corpuſculis per cranii ſuturas compenetrantibus, torpeſcentes liquores diſcutiunt, inertes membranas ſtimulant, viſcera recenter mactatorum animalium, emplaſtra in eumdem ſcopum collimantia cranio imponi, & naribus ſpiritus applicari non prætermiſi; aſt quacumque tractata methodo, adhibitis etiam quandoque purgantibus, in capitis affectiones, ſopores, lethargos, convulſiones, exceptis duobus adoleſcentibus, qui per alvum rejectis vermiculorum tum viventium, tum mortuorum faſciculis evaſere, omnes irruerunt, & nihil ad furentem libitinam coercendam præter temporum mutationem, veris ſcilicet adventum, ut de quadam epidemia ingenue alloquitur divinus Chous, (1) præſtitit.

Ex hiſce expoſitis præſidiis, atque medendi mihi propoſitis ſcopis, quæ hujuſcemodi morborum cauſſa repetatur, facile eluceſcit; verum ut ad ea explicanda, quæ de hujuſce regionis incolarum morbis, eorumque cauſſis mente revolvo, viam aperiam, verba facere operæ pretium duco.

Itaque cum a divino ſene Hippocrate auditum, caput gravantes, caliginoſi, ſegnes, diſſolventes auſtri vocitentur, & talia ſub morbis, ſi eorum fuerit dominatus, expectanda animadvertat, non temere opinarer, laxatis pollente auſtro quam maxime in corporis ſuperficie fibrillis, ac laxis ſanguinis habenulis, quæ ſerum, & rubicundos plano-ovales globulos a Levenoecchio per dioptricum vitrum detectos complectuntur, unitatem everti, nexumque deperdi, & æquilibrium, adeoque pereunte æquabili maſſæ ſanguinis mixtione elementorum, & æquipollente fluidorum, ac ſolidorum momento, aſſymetros motus, & febrium anomalias ſurrexiſſe. Tanta vero actionum, & reactionum inæqualitate, febrili ſcilicet vi reticularibus eo magis fibris diſſolutis ſympaticam partem, rubroſque globulos ſeparatim veluti e compedibus expeditos diffluxiſſe veri conſonum arbitrarer, ut proinde intra duræ, & piæ matris canaliculos, inductis ſanguineis filaminibus, cæteriſque moleculis, borealium præcipue adventu concretis, cerebri comprimerentur hemiſphæria, ſopores, apoplexiæ progignerentur, ac identidem compreſſis tantummodo nonnullis cerebri tubulis, nunc major, nunc minor ſpirituum copia exprimeretur in muſculos, hi vel illi ſubito contraherentur, & animalis machinæ membra convulſivis motibus diu quaterentur. Verum cum melius erudita phiſiologia, ſic ait eruditiſſimus Hecquet (2) revelet cerebri affectus, mentiſque hallucinationes, quæ a fœda pituitæ copia omitti vulgatum fuit, veras eſſe fibrarum cerebri perverſiones, & ataxias, vitiataſque illarum directiones, vibrationes, quis ignorat, aſſymetro fluidorum curſu per rubeos, atque albos cerebri tubulos, unam, quam alteram ex minimis ejuſdem fibrillis magis diſtrahi, & incurvari poſſe, unde pereat earumdem parallelismus, anguli invertantur, quis ſi proxime duram matrem per aures, per cranii foramina contingat aer, ſi per ipſos olfactorios nervos cerebri ventriculos aere progreſſo, totius cerebri maſſa in motum excitetur, ut ſtrenue acutiſſimi ingenii contendit inſignis Chevalier (3), imminuto madidis auſtris elaterio, cerebri motum debilitari, ſpirituum effluxum diminui, & curvas præcipue calloſi corporis fibrillas enervatas in diſtractionibus, atque homologis contractionibus peragendis, quarum gradus in Matheſi æque, ac in re Medica ſedulo perpendit ſcientiſſimus Mazini (4) delinquere, adeoque ſenſationes vitiari, vitalia munia depravari, inficiabitur? Hinc quæ emergat ſub aere aqueis ſaturato corpuſculis degentibus, atque hujuſce regionis hoſpitantibus, corporis temperies, vultus color, ingenii, animique indoles, ſi cerebrum primum aeris interpretem, ſapientiam autem ipſo ab aere exhiberi præfatus quoque eſt Hippocrates, (5) tu verum naturæ ſagaciſſime judica, atque determina; latentem tantummodo lubet expromere cauſſam, cur tot gravantibus capitis doloribus, ſoporibus, apoplexiis, melancholiis, deliriis conflictentur, atque ægrotantes, pluvioſo Cœlo, depreſſo in tubo Torricelliano mercurio, in deterius hic irruant, atque toties e viventium numero tollantur.

En pariter ratio, qua ad circumpellentis inertis aeris normam leviter diſtractis, ac proportionaliter contractis, uno verbo oſcillantibus cavis totius corporis fibris, tardigradus, vapidus, elaſticis in areolas contextis fibrillis, ac cæteris activis maſſulis inops ſanguis elaboretur, fluidorumque omnium motus, ſecretiones, ſenſibiles, atque inſenſibiles præcipue excretiones reddantur, unde Arthritides, Rheumatici affectus, abdominalium viſcerum emphraxes, cachexiæ, chloroſes, humidi hydropes, & alienigena gliſcunt ſcorbutus. Ventriculi vero, inteſtinorumque præcipue torpentibus membraneis fibris, quæ morborum copia non excitatur? Anorexiæ, apepſiæ, pravæ chylificationes, choleræ, intermittentes febres, meſentericæ potiſſimum, cæliacæ paſſiones, ſeroſæ diarrhææ, cruenti enervatis tubulis fluxus, imo lienteriæ, hipocondriacæ affectiones, tympanitides, ut putat C. Littre (6), iliacæ paſſiones ipſæ, non ab iis tantummodo cauſis a celeberrimis Chirac, Haguenoto, & ſecus Berolinenſium actorum Authore (7) excogitatis, ſed ab inteſtinorum atonia derivatæ, ut ſcientiſſimus detexit Ruviſchius,

(1) 6. Epidem. ſect. 7.
(2) De purgand. Medicin. C. 24.
(3) Quæſt. med., an a diverſa cauſa moveantur Cerebrum, & dura meninx. Diarr. Litter. Ult. T. 179.
(4) Inſtitut. medic. Diſſert. 19.
(5) Lib. de Morb. Sac.
(6) Hiſtor. Acad. Pariſ. v. 17
(7) Decad. 11. Volum. 4.

viſchius. Inerti aere in pneumonicas decidente veſiculas per intertextos pulmonum tubulos ægre perfluunt, intercipiuntur liquida; hinc aſthma, ſyncopes, cordis palpitationes, in dexteris ejus cavis polypi, ni ſapientiſſimo Andreæ Paſta (1) poſt mortem fieri excogitanti, aſſentiri velimus, eorumque cum patognonomico continuo fluctuantium jugularium ſigno dilatationes, aneuryſmata, ut toties celebratus detexit Lanciſius (2), ac pluries ego oculis obſervavi, exurgunt, ſæpiuſque diffuſis per pulmonum glandulas tuberculis, ſanguinis fluxus, & phtyſes illæ ſcrophuloſæ a Mortono, & Deſault (3) præcipue nobis conſcriptæ proficiſcuntur. Verumtamen inficiari non auſim, comata, ſopores, ſpaſticum partium tonum arguentes, ut cum Hippocrate, & prælaudato Hecquet alloquar, aliorumque ex recenſitis morbis cauſſas e tubulorum corrugationibus quandoque cieri, iis imprimis, qui vividioribus liquidis, ac tenſis, & ſupramodum ſeſe prompte contrahentibus ſolidis inſtructi ſunt, atque meracioris vini bibaces, fluidis craſſitiem, ſolidis veluti oſſeam comparant duritiem (4). Certo tamen certius eſt, me eo plures a laxatis corporis membris, quam ab idiopathica eorum rigiditate, hic tametſi campeſtribus excitatos laboribus vitæ ſubeuntes diſcrimina obſervaſſe, atque Lamarum Mantuanum agrum attingentium accolas, priuſquam per rivulos deductis aquis quamplura exſiccarentur ſtagna, diuturnam febrium, chronicorumque morborum copiam divexaſſe, quin ipſa corripuiſſe armenta.

Poſſem hic in medium afferre extranea, atque humanæ naturæ infenſa, tum organica, tum inorganica corpuſcula ab auſtralibus præcipue delata ventis prope haſce lacunas, ſterquilinia paludoſas perfluentes aquas, quibus impuri ſulphuris male olentis narcoticæ, atque acres fere cauſticæ elevantur particulæ, quin animalcula, & vermiculorum deferuntur ovula (5), unde videas prope paludes Accolas fertilibus, fœcundis ſcatere lumbricis, quippe vermiculi cum aere, cum cibis ingeſtis ſaginantur, nutricantur; poſſem incuſare frugum naturam, quæ humidius corpori, ut inquit Galenus, alimentum præbent, aliaque culpare in rebus non naturalibus peccata, ac varia poſſem producere argumenta, tum aliis, quæ nobis ſuppetunt, morborum conſtitutionibus, tum philoſophicis deſumpta conjecturis, ſed ultra mihi propoſitos epiſtolæ limites progrederer.

Silentio tamen præteriiſſe, quæ majoris cenſentur ponderis, ſi hic quæ ad profligandos hujuſcemodi morbos tentantur, prætermittens finem ſermoni imponerem, facile me, Ornatiſſime Vir, coargueres; hinc pauliſper protrahere liceat, atque frequentius hic occurrentium ægritudinum medicamina paucis habe. In pernicioſis intermittentibus febribus, ac per ſubingreſſum continuis proportionatis, præ cæteris malignitati ſuſcipienda aptioribus propulſandis, ne crambem ad nauſeam recoquam, eadem plane methodus mihi eſt, quam cordatiſſimi viri Mortonus, Torti, Zendrinus, Galeratus, innumeris aliis ſilentio prætermiſſis, tradidere: nec minimum inſiſtit mihi ſcrupuli, ut principio quidem ægrotantibus pernicioſis febribus correptis, etſi obſtructionibus afficiantur, præmiſſis, ſi fas eſt, ſanguinis miſſionibus, quinquinnam exhibeam, ſiquidem tantum abeſt, ut præcoci corticis uſu morbificum figatur virus, & obſtructiones augeſcant, ſicuti aliqui præjudiciis capti opinantur, quin potius cortice cito exhibito, & iterato, immixtiſque præſertim, ut mos eſt, aperientibus, prorſus diſſolvatur, deſtruatur, & ad novos excitandos paroxyſmos, atque obſtructiones adaugendas ineptum plane reddatur.

Stypticitate Peruvianum corticem pollere, haud ignoro; at abſorbenti, & amara quoque proprietatibus eſſe inſtructum, unde abſorbens acida retundat, eorum actionem impediat, fluiditatem conſervet humorum, qui acidis coagulantur, ſtypticus elaſticam fibrillarum vim, & firmitudinem reſtituat, adaugeat, atque amaros humores attenuet, majorem fluiditatem iis impertiat, ut lenteſcenti viſcido attrito, per cutis foraminula inſenſibili perſpiratione adaucta, vel felleo exaltato humore, intermittentes febres, atque alia periodica mala tollantur, quin humorum coctione, criſi ſcilicet proritata, febres malignæ ſubleventur, aliique diuturni, & lethales morbi curentur, tum ſenſus, tum authoritas, (6) ratio, & experientia nos plane evincunt.

Humido vero aſthmati, cachexiæ, aſciti, anaſarcæ, atque tympanitidi morbis fere hic popularibus, non ea præſtari poſſe præſidia validioribus purgantibus, quæ Martinus Liſter (7) elaterii coryphæus decantat, quin detrimenta plura jam a C.C. Cratone, Etmullero, Mangeto expreſſa deferri diureticis, iis præcipue, quæ vegetantia, animalia, ſalino-alkali volatilibus inſtructa corpuſculis nobis ſuppeditant, inſiſto; ac levia tantummodo purgantia ex manna, rhabarbaro, cui ſumma quoque ineſt urinas proritandi efficacia, aut ex ſale amaro Anglico cathartico, exhibeo, ubi maxima urgeat neceſſitas exuperantem ſeri copiam evacuandi.

Nunc itaque decoctiones ex radicibus, frondibus, ac fructibus; nunc ſalia lixivialia, nunc extracta, nunc cineres, quibus medicantur vina, parantur lixivia, ac perutile componitur medicamen, quod elixirii parvi ſapientum vires æmulari aſſerit præſtantiſſimus Boheraavius (8), in uſu ſunt, ac prodeuntes arboribus lacrymæ, & gummata, ut terebynthus, terebinthina, gummi ammoniacum, & ex hiſce compoſita, terebinthinæ ſcilicet ſpiritus, julapium ſcilliticum, & balſamum Pereiræ bravæ, una ſimul cum millepedibus præparatis, eorumque humorum expreſſione, buffonum pulvere, nitro depurato, aliiſque ſæpe ſæpius adhibeantur.

Excretis

(1) Epiſtola 2.
(2) De Aneuriſm. in gener: propoſit 57.
(3) Diſſertation ſur la Phtiſie.
(4) Hiſtor. Acad. Pariſ. 1706.
(5) Lanciſ. de nox palud. effluv. l. 1. pag. 1. c. xij., & xiij. Frideric. Hoffman. de venen. in aere content.
(6) Hiſtor. Reg. Scient. Acad. Pariſ. ann. 1713. Tranſact. Acad. Anglic. anno 1731., & 32., atque Societ. Edimburg. Obſerv. t. 2. & 5., quæ vel ipſas gangrenas ab interna cauſſa profectas, & ipſam variolarum febrim imminui puſturatis, quinquinna curari teſtantur.
(7) Diſſert. de Hydrope.
(8) Element. Chymiæ, tom. 2. Part. 1. In vegetant. d ag. 150. Vid. Freind Emend.

Excretis inde exuberantibus liquidis, ut firmam acquirat texturam, novam induat craſim purpurei liquidi, ac fluidorum omnium maſſa, ſolidorumque firmetur moles, ad martialia confugio, inter quæ tinctura martis tartarizata, crocus ejuſdem martis, ceruſa, quæ ſpecificum Poterii ſtomachicum creditur, pulvis cachectius Arnoldi, ſi præcipue præjerint hæmorrhagiæ, ac ipſa limatura magis mihi arrident. Congeneres ſpirituum indoli moleculæ ſulphureæ arbitrarer, quibus effluit mars, uberrimam animalis ſpiritus copiam ſufficiunt, atque alia adſtringentia, terrea, & vitriolica corpuſcula, quibus conſtare oſtendit analyſis, contentas ſolidorum fibrillas contrahunt, ſtringunt, hinc vividiori vi in tubulos impelluntur liquores, in latera canalium urgentur, ac pari reſilientia, conatu, verſus axim repellunt, eorumque componentes moleculas ad majorem contactum reducunt: uno verbo, ſalubrem purpureo liquido, nerveoque ſucco craſim impertiunt, ut apte concludit ingenioſiſſimus De la Metrie, (1) *atque chronicarum ægritudinum vinculis vindicantur ægroti.*

Hæc ſunt, quæ raptim, deſidi quidem animo, ac rudi calamo ſcriptitabam, erratiſque involuta expurges, aut una litura emendes obteſtor; in poſterum, ſi hæc accepta tibi fore perſpiciam, ac mihi dabitur otium, ſucceſſivas morborum epidemias una cum variis practicis caſibus conſultationum methodo expoſitis, tibi ſiſtam, atque hoc levidenſi in te, ornatiſſime Vir, obſequii pignore, in Patriam amoris, & ſtudii majora in hanc præſtanda ſagaci mente derelinquens, multum laborioſum, parum fructuoſum (2) *medentis munus conficiam. Vive tibi, humanoque generi Neſtoreos annos, ac Cęlites faxint meæ obſervantiæ teſtimonia totidē duratura.*

Carpenetuli idibus Julii anno 1746.

CELLATICA

QUO HISTORIÆ MORBORUM DONO
MITTEBANTUR ITA INSCRIPTÆ

NOBILI AC PRÆSTANTISSIMO VIRO
HIERONYMO COVI
BRIXIANÆ CATHEDRALIS CANONICO
ORDINIS S.STEPHANI EQUITI COMMENDATARIO
QUI
ACTORUM LIPSIENSIUM PARAGRAPHOS
DOCTE ÆQUE AC HUMANITER
EX GERMANICA IN ITALICAM LINGUAM TRANSTULIT
FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS AUCTOR
OB QUEM SCRIPTA EDITAQUE ERANT
PLURIMUM DEBENS
IN GRATIARUM ACTIONEM
ET LEVE QUIDEM
SED NUNQUAM INTERITURUM
OBSEQUII MONUMENTUM

FRANCISCO CO: RONCALLI PAROLINO
HIERONYMUS COVI
S. P.

ETSI me brevi in urbe futurum ſperabam, tibique coram pro præſtantiſſimo Libri tui munere gratias acturum, id tamen malui per literas facere, ne ſi in aliud tempus transferrem, cum tale, ac tantum munus tu miſeris, illud viderer parvipendere. Habeo igitur, atque ago quammaximas, paratus & illas, ſi poſſem, referre. Statim ac mihi allatæ ſunt Hiſtoriæ tuæ Morborum, illas avidus arripui, ut pueri mammas, ut fœminæ uniones ſolent; nec potui, quin huc, illucque diſcurrens, ſummis licet labiis, multa ex illis libarem. Ex quibus tamen & præſtantiam Operis facile intellexi, illudque cum tua ſapientia, & eruditione, tum Majeſtate Principis digniſſimum eſſe, ſum arbitratus. Quare, Vir clariſſime, etiam atque etiam te hortor, ne aliud, quod paras, præclariſſimum in lucem edere differas, ne propterea literariæ Reipublicæ, totiuſque Europæ tam utilitati, quam ornamento parum conſulere videaris. Quod ad me attinet, quodve unum ſupereſt mihi, adero tibi ſemper, ni opera, ſtudio certe, ac obſequio, ut videlicet argumenta amoris erga te mei perſpecta habeas. Vale.

Cellaticæ IV. non. Julii MDCCXLV.

GUSSAGUS

Illuſtriſſime, ac Sapientiſſime Comes

CUM eximium Virum Patrem D. Crivelli, Rothyngi Theologiæ Lectorem, tuoque conſilio ad affectionem ſcorbuticam corrigendam lactea dieta ſe nutrientem, levi febricula, & ructuoſa ſtomachi preſſione laborantem deprehendiſſem; eumque vetito lactis uſu, ut a te imperatum fuerat, & magiſtrali manna lacteis reliquiis ſtomacho, ceteriſque inteſtinis fęcalibus ſaburris leviter purgatis, ad teſtaceos pulveres cum decoctione cichoreæ, fumariæ, endiviæ, ac abſinthii ſe conferre ſuaſiſſem, alterum abs te conſilium meis hiſce literis, Comes eruditiſſime, mihi juſſit expetere, ac ea, quæ ſentio de ipſius morbo, humiliter tibi communicare. Eliminata igitur febricula, ac ſtomachi gravitate ipſe ſolum de ſanguinis e dentibus eruptione, & de quodam in ore pruritu conqueritur, maculis nigro-liveſcentibus, ac pauliſper elevatis hinc illinc ſtagnantibus, & in volis manuum, & circa thoracem ſicca, lataque ſerpigine, ut & in collo defœcatur, illiuſque pertractatis viſceribus

omnia

(1) Traite du Vertige chepitre xi.
(2) Si divitias, famamque quæris, fuge cane pejus, & angue luctuoſam in oppidulis, ſervilemque praxim publico conducto pretio, corpus labore, mentem dolore laceras, magni ſine ope præmii. Anonim. Admonit. prudent. Medic.

omnia inſuntia, præter hepatem aliquantiſper elevatum, ac ſine dolore tumidum apparent; nullis convulſivis effectibus, nulla articulorum torpedine, nulliſque membrorum doloribus torquetur: ſed quamvis urinæ, ac cetera excrementa naturaliter conſtituta, atque hilaris modo, floriduſque faciei color profundam morbi, ſolidamque radicem indicare non videantur; inſolita tamen gracilitas, ac ſicca ipſius cutis timenda aſperitas, aliaque effrænatarum ſalium conſtantia ſigna ſuſpicionem inducunt, ne vires morbi augeantur, ejuſque poſtea difficilius poſſit ferocia comprimi, & profligari. Quare decoctum radicis chinæ, ſantalorum alborum, cum pauca ſalſa, & ebore in ſero lactis, addita quarta parte unius viperæ, foliis naſturtii aquatici, cochleariæ, endiviæ, cichoreæ, & abſynthii quotidie propinandum, & quovis ſeptimo, aut octavo die leni dejectorio aluum ſubducendam præſcriberem. Abdomen, & præcipue hepaticam regionem fomentationibus tepefacerem, oleoque lumbricorum illinirem. Adventante vero Canicula, ad Lucenſes Thermas, vel artefactas, aut ſaltem ad minerales aquas dulces potandas adire ſuaderem, ut obtuſis acrium particularum ſpiculis, ſalibuſque ſolutis, ac eliminatis, felicior naturalis chyli diſtributio, puriorque membrorum omnium nutritio peragatur. Diætam autem ex humectantibus, & incraſſantibus, omiſſis omnibus ſolitis calefacientibus, & vino niſi diluto, & pauca quantitate inſtituerem.

Hæc ea ſunt, quæ ruditer ac breviter pro tanti Viri incolumitate exarare, Tibique, Ornatiſſime Comes, Tuoque judicio ſubjicere non dubitavi: hiſce duobus potiſſimum de cauſis, ut quam primum priſtinæ valetudini inſignis moribus, ac doctrina Patiens noſter (quod te mediante ſperare fas eſt) feliciter reſtituatur; deinde ut meum erga Te obſequium, ac obſervantiam humiliter ſignificarem. Vale.

Tuæ Dominationis Illuſtriſs.

Guſſagi Kal. Maii 1745.

Addictiſs: ac Obſ: Servus
Stephanus Gigola.

LEONATUS

Viro Celeberrimo

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

PETRUS DE MAGISTRA

S. P. D.

QUORUMDAM Morborum Arti reluctantium ea eſt conditio, quæ non tam meam, quam aliorum clinicorum mentem adeo perturbat, ut dimiſſo vultu, ſtupore ſuffuſi ad ægrotantium lectum accedere cogamur: & licet Hippocratis effata enunciando, tueri nos metipſos ſtudeamus: Divinum nempe quidpiam aliquando in morbis ineſſe: ſanos equidem omnes facere Ægrotos impoſſibile eſſe: *lib. Prænot:* Non in Artem, aut in Artificem, ſed in morbum, & cauſæ morbi pertinacem cauſam referendam eſſe: Tunc Medicum functum eſſe ſuo officio, quando omnia ea peregit, quæ Ars ſuppeditat, longuſque uſus ei ſubminiſtrat: *lib: de Affection:* nihilo tamen minus hæc, & alia ſat non ſunt, ob inhibendum, ne Medicinæ ſplendor obſcuretur, medendi ratio damnetur, & quod pejus, Medicus ipſe atro calculo notetur. Quapropter ut impoſterum, ſi unquam alias eadem ferret occaſio (quam Deus avertat) tales ſedentur ſtrepitus, ac detractiones, comprobatam tuam doctrinam me fore conſulturum decrevi.

Tum intus igitur, cum extra hanc regionem, necnon in aliis finitimis, hyemali, vernoque tempore, poſt auſtrinum prius, boreali inde ut plurimum flante aere, ſæpe ſæpius quidam dolores pleuritici deſcendentes, præcipue in agreſtibus Hominibus excitantur, ob quos deprimendos, Hippocratis doctrina uti, eamque negligere, nihil prodeſſe diligenter expendi.

Doceor enim a Praxi, hoſce dolores in extenſivos, & non extenſivos diſpeſci. Dolores deſcendentes non extenſivi partes tantum ſub diaphragma obſident, abſque eo quod ultra extendantur: hiſque febris acuta, pulſuum aliqua durities, dolor pungens, tuſſis, ſanguinis ſputum, reſpirandi difficultas, agrypniæ, inappetentia, intenſaque ſitis annectuntur, quamvis lingua non aduſta, ſubflava tamen appareat; neque dolores iſti ad partes ſuperiores, claviculam ſcilicet, brachium, aut mammam unquam pertingunt. Dolores autem deſcendentes extenſivi non ſolum ſub diaphragmate exiſtunt, verum etiam per totum imum ventrem ſe ſe extendunt, donec quinta, aut ſexta die plus in hepatis regione, quam ulla alia firmiter ſedem ſuam ſtatuant: qui tactu excandeſcunt acuti, iiſdem accedentibus nuper expoſitis ſymptomatibus, cum hac tamen adiectione: tuſſim frequentiorem eſſe, necnon ſputa flava copioſa eici.

Hoc poſito, cum nec lingua, neque pulſus ſint ſigna ſatis apta ad nobis indicandum, haſce affectiones vere inſtammatorias vocari poſſe, in eas quoque medendo, venæ ſectionem omittentes, Hippocratis præcepto in lib. de vict. rat. in morb. acut. n. 12. expreſſo, inniti conſulebamus: Si vero ſub thorace fuerit dolor, & valde diſtendat, pleuritico medicamento alvum ſubpurgato: & revera ſicuti ipſe divinus Senex ſcriptis prodidit, uti legi poteſt in ſupra citato lib. n. 12. in doloribus pleuriticis aſcendentibus phlæbatomandum eſſe: At ſiquidem dolor ad claviculam de ſe ſignificationem prebeat, aut gravitas ad brachium, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſverſum, venam ſecare prodeſt in cubiti

flexu-

ſlexura internam, &c. (idque repetit etiam n. 52) ita eam quoque in deſcendentibus ſub diaphragmate percepiſſet. Sed quia de illa nunquam loquutus eſt, credendum probabiliter pariter eſt, ad effectum nunquam adducendam eſſe, veluti noxiam ſemper in animo habuiſſe. Cujus intentiones ut perſolverentur, primis diebus ſolventi ex ſyrupo roſ: ſol: &c. ſecundum mentem Baglivi, aut ol: ſemin: lini, adjunctis inde antipleuriticis, gelatinis C. C. fomentationibus, iteratis clyſteribus, necnon interjectis potionibus ol: amygd: dulc: prout monet Verna, utebamur. Quonam autem eventu, certe ita infauſto, ut præmiſſa prius fere ſemper ſexta, aut ſeptima die, totius imi ventris inflatione, ac tenſione, nona, aut undecima ægri morte extinguerentur: ſervatis tantum paucioribus, quibus ſponte bilioſa diarrhœa, circa ſeptimam apparens, eaque uſque ad decimumquartum, aut vigeſimum diem ſe extendens, ſupereminebat, eæque criſes erant, quæ inceptam nos ſequi methodum, animum noſtrum eo magis, quamvis incaſſum, erigebant.

Talia ego videns, mente volvere cœpi, an ab eo remedio, quod nobis primitus temerarium, ac noxium (phlebotomia nempe) videbatur, id præſtaretur, quod ratio non poterat. Antequam tamen executioni mandaretur, Hippoc: primum conſulturus adivi, ex quo cum perceperim; in lib: de vict: rat: in morbis acut: n. 35. Verum in acutis venam ſecabis, ſi vehemens morbus appareat, &c. *noſtris etiam morbis, utpote acutis, ſententiam hanc aptari poſſe non hærebam. Secabatur itaque vena, non tam in partibus ſuperioribus, verum etiam in inferioribus, apparente ſanguine, modo cum, modo ſine ſebacea cruſta obducto; ſed omnia ſemper in deterius ruebant; immo ſicuti ante ſanguinis eductionem, niſi nona, aut undecima; citius ea admiſſa, ſexta videlicet, aut ſeptima die, cum eadem abdominis tumefactione, ac tenſione, mors ſequebatur: uno tantum inter hos ſuperſtite infirmo, cui quarta die imus venter cum dolore elevabatur; ſed vervecis omento vix extracto, ſedato, bilioſaque ſpontanea facta diarrhœa, venter ipſe feliciter detumeſcebat.*

In hoc rerum ſtatu, ad cadaverum diſſectiones devenire ſanciebatur; ſed cum hæ interitus ſolum, non vero morbi cauſam detegerent (viſcera enim hepatis, & pulmonum cum pleura tumida, nigroque colore tincta conſpiciebantur); ideo nullum ægrotantibus levamen attulere: quos ſphaceliſmos, præſtantiſſimo Viro Franciſco Nicolini, elapſa hyeme, mihi monſtrare placuit, cum & ipſi ſimiles morbos tractare contigerit, licet in ejus, quam noſtris ægris, affectum thoracem, præter abdomen, indicantia ſymptomata patentiora notarentur.

Hiſce expoſitis, cum accurate perpenderim, cujuſnam indolis tam pervicax morbus eſſe poſſit, nullo alio quidem, quam inflammatorio nomine, mixto tamen ex hepatitide, & pleuropneumonia, inſigniendum eſſe cenſebam: & ſicuti illa ex dolore, & tenſione, in dextero hippocondrio exiſtentibus, nobis indicatur, ita pro hac ſputum flavum, ac ſanguineum, tanquam epiphœnomena non deſunt, quanquam ex jam peracta anatome id luculentius eluceſcat: Morbos partim ex diætis, partim ex aere, quem attrahentes vivimus, fieri, *nobis Hippoc: lib: de Natur: Homin: tradidiſſe, novum non eſſe certe ſcimus. Utrum autem hæc duo ea eſſe poſſint cauſæ, quæ ad populares haſce inflammationes promovendas aptæ valeant, quoad me, non ambigerem. Quum enim poſt auſtrum, inde aquilone regnante graſſari ſoleant, conjiciendum ſimiliter eſt, ita conſentiente Hipp: 3, & 5 Aphor: r. non tantum ſpirituum vires adimi, ſolidorum oſcillationes enervari, fluidorum motus remitti, verum etiam omnes excretiones, ſed maxime inſenſibilem tranſpirationem imminui; uſque dum rigidiori aere accedente, ab eaque cutis cortice criſpato, aut compreſſo, pluſque in dies eadem deficiat; cumque intus retineatur id, quod extra ferri neceſſe erat; immo cum ex pravis ingeſtionibus male ſubactus, vapiduſque chylus gignatur, non poteſt, quin ſanguineus humor magis, magiſque inquinetur, totque particulis diverſæ molis, figuræ, ſuperficiei, ac gravitatis imbutus, tandem lenteſcat, necnon in minimis vaſibus, pleuram, pulmonem, ac hepar texentibus, eadem ſtagnatio inflammatoria, ſimul cum febre, aliiſque ſymptomatibus ſequatur: licet facilius in ipſo hepate, in quod, cum totus ſanguis a viſceribus naturalibus refluus, parciori vi impulſiva inſtructus, influat, aptiorem etiam eſſe ad ſtagnandum, nemo non videt; ideoque pleuropneumonia, cum hepatitide conjungatur, hæcque veluti protopatica judicetur.*

Quæ cum ita ſint, cumque phlebotomiæ, ac purgationis vires, ob morbum vincendum inanes, nulliuſque momenti experiamur, prorſus tamen deſperandum nobis non eſſe, immo laborandum, ut probatius remedium deprehendatur, non adhuc animo deficio. Quod ut obtineatur, ſi unquam poſſibile foret, venæ ſectionem rejiciendam eſſe, prius autumarem; nam quamvis ab eadem fluidorum copiam, necnon ipſorum reſiſtentiam ad motum imminui negandum non ſit, nihilo tamen ſecius, cum ſuſpicari nobis liceat, haſce inflammationes, potius ex vaſorum laxitate, quam eorumdem tenſione foveri, eorumque ſiſtalticas, ac oſcillatorias vires a valida preſſione ipſius ſanguinis ſtagnantis, adhuc magis adimi: quam jacturam a phlebotomia eiſdem eſſe ablaturam, minuſque ad ipſum ſanguinem ſtagnantem propellendum, valentiores reddi, nunc ego prævideo. Quia vero catharticum agere non poteſt, niſi in liquidum aptum ad ſeparationem, in organis ſecretoriis, hæcque cum in inflammationibus jam corrugata ſint; ideo timor eſt, ne ab eadem vi ſolventi fibrarum corrugatio, conſequenter etiam ipſa inflammatio augeatur. Quæ damna ut evitentur, validioribus Artis præſidiis deſtituta affectione, cum indicationes ſint, fluido ſtagnanti motum præbere, necnon ſolidorum vires ſyſtalticas, ac diaſtalticas excitare: inter convenientiora remedia, volatilia minora: ſpiritus nempe ſalis ammoniaci C. C., fuligine, ſanguine human:, lumbr: follicul: ſerici, eſſe eligenda mihi viderentur: aut lixivioſa fixa, & ſaponacea: ſap:

Venet:, ſap: chym: ex ſale tartar: fixo, cum oleo thereb:, aniſor:, juniperi; ſaponacea volatilia: ſal vol: oleoſ: Sylvii, vel aliud quodcumque compoſitum ex ſpiritibus urinoſis, cum oleis aromat: deſtill: lixivioſa fixa: ſal card: ſancti, tart: ciner: clavel: hiſque omnibus ſæpius in die adhibitis, non omittendo traumatica alkalina, decoctiones veluti herbarum alkaleſcent:, cardui ſancti, ſcabioſ:, botrid: eryſimi, ſatureiæ, naſturt: oleoſa, oleum amygd: dulc: lini, pinearum: balſamica, ſyrupum balſamicum, & ex therebint: ad cochlearia pro lambitivo. Hippocratica fomenta, tam humida, quam ſicca, ex emollientibus, ac diſcutientibus, clyſmata tandem ex epiceraſticis mihi arriderent.

An vero hypotheticum hoc meum ratiocinium, futiliſque medendi methodus probari poſſit, necne, acriori tuæ menti dijudicandum eſſe relinquo; eodemque tempore, ut errata corrigere minime dedigneris, te maximopere precor.

Hinc rheumaticarum etiam febrium epidemicam conſtitutionem, quæ hyemis elapſæ initio, humidiori aere ſpirante, nemini pepercit, hac capta occaſione, tibi aperire non alienum duco. Veſpertinis enim horis ut plurimum, præmiſſis horroribus, ægrotantes hæc febris aggredi obſervabatur, quam inde capitis dolor gravativus, vigiliæ, oculorum lacrymæ, pectoris gravis arctatio, raucedo, tuſſis ſicca, dein humida, pauca, aut nulla ſitis, ciborum faſtidium, urinæ parum accenſæ, alvique ſtipticitas comitabantur; & licet media nocte, aliquo ſudore emanante, miteſceret, ac fere ad naturalem rhythmum pulſus mane redderentur, attamen eadem ſymptomata permanebant, donec circa Solis occaſum, cum iiſdem horroribus, augeretur febris, eaque, matutinis horis, non multo fuſo ſudore, ad nihilum quaſi redigeretur: quæ acceſſiones cum ipſis cutaneis excretionibus, non ultra quintam diem ſe extenderent, abſque ullo Artis auxilio ſanabatur æger: & ſi, in aliquibus, ceſſata febri, tuſſis adhuc lymphatica ſupererat, ex ſeipſa quoque de die in diem ſedabatur.

Non tamen ſemper res ita fauſte gerebatur; nam nonnullos, præter jam dicta phœnomena, ad inſtar ſynocharum, febris ipſa corripiebat, ob quam compeſcendam, phlebotomia, etiam iterata, uti opus erat, non omiſſis diapnoicis, cum diaphoreticis fixioribus, cuticularis excretio ſequeretur. Quod ſi ſanguinis eductio negligebatur, pulmonum inflammatione moriebantur ægri, præſertim ſenes, iique, qui aſthmati, aliiſque pectoris chronicis morbis ſubjacebant. Sed tempus eſt, ut hiſce meis ineptis verbis finem imponam, agnoſcens equidem tibi multum tędium me attuliſſe: ignoſce, quæſo.

Vale Doctiſſime Vir, Teque rogo, ut Hiſtorias tuas Morborum, cum obſervationibus auctas, pro languentium levamine adhuc augeas, & praxim medicam magis, magiſque exornes.

Leonati, octavo Idus Auguſti 1743.

PONSVICUS

Scribente, Opuſque ornante

Clariſſimo Viro

JULIO CICOGNINO

Reſponſio eſt ſequentis, atque ad Salodium ſpectantis Epiſtolæ, quæ ordine alphabetico anteponitur.

S'Io mi preſento tardi al convito, al quale m'ha fatto l' onore V. S. Illuſtr: di chiamarmi perſino l' Ottobre ſcorſo, Ella può agevolmente comprenderne la cagione: avuto riguardo all'aſpetto infelice delle ſcorſe ſtagioni, alla gran copia degl' infermi, e per conſequenza a' miei doveri, per adempiere i quali non baſtano talvolta l' intere giornate: onde ridottomi a caſa, e ſtanco, e con l'animo diſtratto nella moltiplicità delle cure, fammi d' uopo cercar quel ripoſo, che è l' unico, e neceſſario ſollievo per poter reggere al faticoſo mio impiego. Ora però me le offero con pronto volere, aſſai più per pagare queſto debito alla di lei prezzata richieſta, che per trovarmi in ſtato di compierla come vorrei. Ma avendo a toccare alcuna coſa intorno al caratteriſmo dell'aria, in cui ſembra, che ſiavi la ſorgente di queſti guai, mi ſi fa incontro ciò, che non ſenza ragione dicea un antico: Si neſcimus, per quæ vivimus, multo minus per quæ ægrotamus. *E più chiaramente ciò, che il Sidenam dice intorno le febbri epidemiche, che allora regnavano nell' Inghilterra, confeſſando di non ſaperne la cagione:* At vero quæ, qualiſve ſit illa aeris diſpoſitio, a qua morbificus hic apparatus promanat, nos, pariter ac complura alia, circa quæ vecors, atque arrogans philoſophantium turba nugatur, plane ignoramus.

Dalle apparenze non pertanto aſſai manifeſte di eſſa, io mi do a credere, che pecchi ſoverchiamente nell' umido: nè altrimenti può eſſere, riguardandoſi l' acque ſtagnanti in certe cave chiamate abuſivamente laghi, ove non avendo corſo, fanno lezzo, e ne' foſſi lungo l' Oglio, creſcendone la piena, che diſciolgonſi dipoi lentamente, con fetida eſalazione: e i venti boreali, che più d' ogn' altro valevoli ſarebbono a depurarla, qui ſoffiando rare volte, o mai, ſnervati forſi dall'ampio ſpazio della pianura, e dalle tante reſiſtenze delle picciole palle dell' aria, non arrivandoci, che illanguiditi, e lenti. Sono però aſſai frequenti le nebbie, e più tempeſtive le rugiade, che in altri luoghi, e più copioſe aſſai.

Ciò pertanto, che rende cagionevole la ſanità degl' abitatori, ſi reputa l'umido: ſciolte, ed inflaccidite le particelle nitroſe dell' aria, faſſi lento

eziandio

eziandio il corſo de' liquidi, che dall' attività di eſſeloro dipende, viziandoſene per tal cagione la craſi.

Egli è perciò forſi, che s' infermino i bevoni pur di rado; ſupplendo il vino all' umido dell' aria, colle particelle ſulfuree, delle quali abonda, dando moto a' fluidi, e forza, ed elatere alle ſolide parti, che per altro di fibbra laſſa anno il teſſuto. E ſtendendoſi ſul Cremoneſe lungo 'l fiume, anno que' Contadini, poco men che tutti, ò nel fegato, ò nell' epiploon, o nel meſenterio, ò nella milza, infarcimenti, e durezze; eppure reggono aſſai bene a qualſivoglia lavoro, a cagione, cred' io, del vino, che uſano ſempremai in abondanza, del quale la provida Natura, e 'l ſollecito penſiero per l' eſigenze de' loro naturali anno reſa ſufficientemente doviziosa, ed abondevole la provincia.

Ma oltre l' umido, che d' ogn' intorno ci circonda, hà queſto clima varie altre appendici, che ſono al pari, e fors' anco più nocive. Nel macerarſi de' lini, la puzza, che ne eſala, e la gran polvere, che s' eleva per le ſtrade, ſe' l terreno non viene nella calda ſtagione bagnato da pioggie, ſi fà tanto compreſſa la ſuperficie de' corpi, che l' aria interna meſcolata co' noſtri liquidi, non hà luogo a dilatarſi, nè ad eſpanderſi per ſollecitarne il corſo: oltrecchè quegl' aliti puzzolenti dell' acque, e que' globuletti più minuti di queſta, involti nelle ſpire dell' aria ſteſſa, ſdrucciolando ſeco nell' inſpirazione, non ponno, che cagionare irritamenti, ò rilaſſi, a miſura dell' impreſſione, che fanno ne' piccioli filamenti, che toccano.

Qui perciò anno luogo i ſolventi, ed i purganti ancora, eſſendovi ſempre nelle prime ſtrade amaſſi di materie vizioſe, ed indigeſte, le quali, ſe evacuate non fuſſero, alterarebbono la perfezione del chilo, e l' economia del ſangue. Nè l' oſſervazione d' Ippocrate: Si quid movendum videtur, in principio move, dummodo materia turgeat; ſæpe vero non turget. *Nè, diſſi, l' oſſervazione, che* ſæpe non turget *può reggervi a fronte; il clima eſſendo più caldo, l' ambiente più puro, la traſpirazione più libera, più temperato allora l' uſo del viver fra' Greci.*

Per le ſteſſe cagioni i lavativi altresì ſono ſempre di riuſcita felice, checchè ne dica il Sidenam *ſull' aſpettazione della criſi, quaſi avolar poteſſero nella cavità degl' inteſtini le particelle ſpiritoſe, che mettono il ſangue in azione: le tante machinette glandulari introſperſe ne' ſottili, e graſſi inteſtini, li due groſſi canali, che le irrigano, la copia del ſangue, che vi affluiſce, dando a divedere eſſer tutti apparati per una neceſſaria mecanica diviſione, e val a dire, perchè ſi depuri la maſſa nelle glandule numeroſe, per le quali ſi filtra. Se ciò avviene nello ſtato di ſalute, ſembra ragionevole il farſegli incontro, eziandio al maggior uopo, rilaſciando le picciole fibrilline inteſtinali, perchè ſeco gli anuli delle glandole ſi rilaſſino, incontrando perciò i liquidi, che le inaffiano, le traccie di minor reſiſtenze, vi colino maggior abondanza di ciò, che avvi d' eterogeneo nel lor compoſto, e così di mano in mano ſi depurino, ò più forſi, fatta, per così dire, un' amputazione della materia, più vigoroſa perciò l' elaſticità de fluidi, e men preſſe le oſcillazioni de' ſolidi, ſi eſpelli, e ſi getti al di fuori in un ſol colpo più agevolmente il reſiduo delle particelle morboſe in forma di criſi, che da prima ſeco erano sì confuſe, avvincolate, e ſtrette, che ne facevano unitamente un ſol corpo.*

Parlo però con tutto 'l riſerbo, ſtandomi inanzi il ſentimento preſtatomi da Celſo: Aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. *Ma è ormai ſtagione, che chiuda una lettera, che forſi ſorpaſſa i limiti dell' oneſto, tratta ne' tempi poco felici, pe' l deſiderio d' ubbidire VS. Illma: acciò mi conſideri qual ſono, e ſarò ſempre con piena ubbidienza, e riſpetto.*

SALODIUM

Viro Sapienti, & Medico Doctiſſimo

JULIO CICOGNINO

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

Agitur non ſolum de Salodio, ſed etiam Ripa Tridentina, & reliqua Benaci lacus Riperia.

SI civilis ceremoniæ amans, Vir optime, reſponſionem eruditiſſimis literis tuis expectas, quæ ſæculi hujus genio conferre videatur, in ipſo limine gratias ago de ſingulari humanitate, qua ſalutationes, meo nomine tibi porrectas, acceperis; quodque inſu per a me ſemper concupitam neceſſitudinem tuam benigne impertieris. Sin vero jubes, aut ſinis, ut libere pandam, quæ tumultuarie in corde meo ſurrexerunt, illico poſt lectam avidiſſime epiſtolam tuam, fuerunt, ira, dolor, incredulitas.

Primum: quia, cum in præſens adlaborem in examine Medicinæ, quæ pluribus in regionibus uſuvenit; aut, ut melius loquar, a bene multis provinciis Europæ medicinales floſculos, criticas interdum inſerendo animadverſiones, delibem, per conſequens multum de rationali methodica praxi tua ſciens, animo conceperam, & mihi promiſeram, ut ad Pontemvicum quod attinet, ſi non omnia, ſaltem aliqua circa ſporadicos, & endemicos morbos, explanares, quibus noſtra elucubratio aucta, & ornata ſplendeſceret. Hinc a tuis notis mihi factis difficultatibus eluſa ſpes mea, & veluti correcta, internum peperit ſubſultum.

 Secun-

Secundum: diſcimus a neoterico Scriptore (1) *Licitum non eſſe Medico Chriſtiano remedium, quod tutum, & efficax ſit, ſilentio ſupprimere in ægrotantium quamplurimorum damnum.* Quid ergo tibi mali fecit medica gens, qui tam ſevere agis, ne diſcant? Siccine curtus eſſe vis, ut poſt tot ſudores, poſt comparatam tot laboribus difficillimam artem, uni vel alteri proſis, remotorum oblitus, poſteritati inimicus? damnum igitur proximi non ſine dolore cerni poteſt.

Parce denique, ſi difficulter mihi ſuadeo, tibi non ſuperfuiſſe momentum quo meis quæſitis ſatisfaceres; dum ego pro te, niſi diem ægris ſacratum, aliquam ſaltem noctis horam lætus, & libenter impenderem. Sed quid ago, & rationes refrico, ſi unam vel alteram paginam popoſceram, ſi duo vel tres lineæ mihi ſufficiebant, quæ dicerent: Hoc remedio, in talibus circumſtantiis, illum curavi. Mihi credas amice, in omnibus rebus, ſed præſertim in medica arte, niſi uni ſcopo adlaboremus, qui hominem ſervet, oh nos miſeros!

Jam te audio objectantem; Roncallus nimis typis addictus eſt; quæque ipſe amat, in amicis etiam ſuis videre vellet. Eſto. Hæc vera ſint; non ideo tamen excuſationem mereris, quia potius uterque deficimus, & in oppoſito extremo diſtamus a perfectione, quæ in medio ſtat. Quamquam, ut clare loquar, & privatas res meas amico, multum merenti, communicem, productorum Operum non pœniteat. Poſtquam enim Summus Poloniæ Monarcha ob eadem nos, & familiam noſtram multis honoribus, Regioque ſtemmate condecoravit, & poſt quam Sereniſſima Venetorum Reſpublica Regi Auguſto III. conſociata ipſamet confirmavit; ad nova iterum molienda potius animus excitatus eſt: illud ſemper punctum mente tenens, ut non theorica ſophiſmata, ſed veritas, & quid hominem inſtauret, quærantur.

Imo quando etiam rebus cudendis vacare non velis, paucis, & familiariter tange mihi, quid in tibi ſubdita provincia obſervaſti, vel a methodicis Choi ſemitis abſonum, vel hodiernam praxim illuſtrans. Perge, quod opto; & admone, num declive tuum ſolum aliquibus lamis, paludibus, vel Ollii diverticulis conſpurcatum, aeris puritati obſtet; numque, dum lina macerantur, provincialis aliqua ægritudo ſevire incipiat. Una cogitemus, quodnam præſervationis, & curationis regimen inſtituendum ſit. Et proinde a privatis tuis conſiliis erectus, ipſe præibo, & publicam lucem ſaltem minus formidabo.

Sed jam non ſine mœrore animadverto, & timeo, ne tui Præſulis veſtigia ſequens, ab hiſce rebus alienus ſis. Proh fatum, & ſummum Reipublicæ literariæ præjudicium? Jam fortaſſe vidiſti querimonias meas in Hiſtoriis Morborum pagina 237. ſignatas, ubi ampliſſimum virum Philippum Garbellum convenio, & rogo, ut concredita a D. O. M. talenta, ut profundam doctrinam ſuam, tot ſtudiis conquiſitam non adeo celare curet; ſed Brixianorum decori, & publicæ utilitati quaquaverſus diffundi ſinat. Et quoniam fœliciſſima ſors tibi, adhuc juveni, illum propinquum, amicum (humaniſſimus ſiquidem eſt) dedit, ab actis, ab ore, a moralium omnium ornamentorum complexu tibi non arduum erit rapere, & ditari; Quæ furta tuis virtutibus inſitis, & adſcitis addita, hominem perficient; ſed illud unum vita, quod monui, ſcilicet non edendi conſilium.

Interim ne me credas ſerotinum, & tibi debitæ reſponſionis immemorem, ſcias neceſſe eſt, epiſtolam tuam in Benaci lacus Riperia, in Limoni ſcilicet vico, ad me perveniſſe, quo gerendarum rerum neceſſitas me traxit per aliquot dies, & a muſeolo, nec non a viſitandorum ægrorum labore ſeparavit.

Quia tamen ſtudia cum homine ruſticari, & peregrinari debent, non potui, quin eodem momento argumentum, quod præ manibus habeo, recolens, in Benacenſis lacus riperiam inquirerem, & aliqua circa aliquos circumſtantes vicos carptim attingerem.

Ripa Tridentina.

Favorabilem, hoc noſtrum molimen ad actum reducendi, occaſionem nobis porrexit egregius vir, & doctus medicus Joannes Baptiſta Bergamaſchi, in Ripa Tridentina Principis locum tenens, & militiarum arcis rector, qui nobiſcum Limoni, quinque tantum miliaribus a Ripa remoti, in præſentiarum degens, retulit, præterita hyeme catarrhorum epidemicam conſtitutionem eo non perveniſſe; ſed potius in montanis ſuperſtantibus locis, & vallibus, præcipue in quatuor Plebibus Tridentinis interdum ſævire ſpurias pleuritides, febreſque malignas ſporadicas, raro cum peticulis, quæ ſanguinis miſſione, & veſicantibus curantur. Et quamvis multo lacte atque caſtaneis, & pauco vino populi illi utantur, tamen morbis acutis, & peracutis eſſe ſubjectos. Quod fortaſſe proveniet a ciborum amurca, vivos tubos infarciente, ab aquarum in flumen Sarcam decidentium cruditate, viſcerum digeſtiones effeminante, atque a duris laboribus, quibus ſanguis in vaſa majora urgetur, & ipſa interdum ſolida violantur.

Ripæ vero quod attinet, non modicum dixit imminere quotannis præjudicium, præcipue menſe Martio, a meridionalis venti (vulgo *ora*) frequentia, quo perenni interdum impetu afflatur. *Qui madidis evolans alis*, cum inferius oriatur, totumque Benacum radendo percurrat, per conſequens ubi ad Ripæ littora pervenerit, totas illas regiones adeo humectat, ut in vicis, in plateis, in ædium atriis, in ipſiſque cubiculis, niſi feneſtræ ſint clauſæ, pluviſſe videatur. Hinc incolæ capitis

(1) Aſtruc de Morbis Venereis lib. vj.

pitis gravedine frequenter tunc temporis corripiuntur; quam alio modo, niſi aerem illum vitando curari poſſe, quis non videt? de cętero, quia excepto noxio illo vulturni, plerumque ſubveſperi afflatu, inibi potius viget aeris ſubtilitas, phthyſis pulmonica aliquando graſſatur, & erraticæ ſæviunt febres tertianarium rhythmum præſeferentes, ad quarum curationem china china adminiſtratur.

Limonus.

Limoni pariter, ubi nunc ſcribo, & oretenus de medicis rebus, atque ad incolumitatem ſpectantibus, erudior, catarrhorum epidemia graſſata non eſt; vel quia Benacus ſuis flaminibus amicæ, apricæque terræ favit, vel quia montes Riamollis, *Nembra*, *Mughera*, *Gaz* circumquaque ex parte boreali Limoni vico ſuperſtantes, & imminentes, ſeptentrionales ventorum incurſus impediverunt; vel quia denique auſter ipſe interdum libonotus, interdum procelloſus, qui Italicæ, ne dicam Europeæ catarrhorum cladis auctor fuit, recta lacum ſequens, mechanica lege non potuit in ſiniſtrum latus, & Limonenſem abſconditum ſinum divertere. Et hæ potiſſimæ rationes ſunt, ob quas regio illa etiam ab aliis influentiis, cœlique infortuniis præſervetur; & plus quam alibi citrangula, limoniorum viridaria, & olivinæ mirum in modum, cæteris meliora, fruticeſcant; imo ipſa nix nunquam videatur, aut parum duret. Hic verificatur effatum Hippocratis: qui raro ægrotant, graviter ægrotant; dum interdum Limonenſes incidunt in febres malignas, frequenter cum peticulis, ad quarum curationem vocant medicos aliunde. Ordinarium ſiquidem loci raro conducunt; & quidem prudenti conſilio, quando ob ſoſtrorum anguſtiam minus aptos debeant eligere.

Aloe planta undique per totam riperiam germinat, & aliqui illam florentem viderunt. Adhibenda tamen lucida, & ſuccotrina, quæ ex Socotora, inſula Orientis adfertur, utpote ſua ſponte ſtillans, & Solis calore condenſata, & omnium optima. Quomodo autem in minori quantitate magis alvum purget, aliis, qui majori gaudent otio, diſputandum, & ſtatuendum relinquitur: Admittendo rem eſſe inter illas quæ evenire poſſunt, & a nobis aliquando circa purgantia viſas.

Boliacus.

Illuſtriſſime Vir,

Epiſtolium, quod heri mihi tradidit Illuſtriſſimus Dominus Julianus Girardi Parentinus, inquirit primo notitiam, num Gargnani, & Boliaci ſævierit catarrhorum epidemia. 2. *Quibus morbis magis ſubjaceant.* 3. *Quo tempore Benaci Lacus venti ſint noxiores.* 4. *Quodnam remedium magis conveniat pro recuperanda valetudine, eaque præſervanda.*

Quoniam vero illius ſchedulæ auctor fuit Comes Franciſcus Roncalli Parolinus ſydus ſplendens in Brixiano cœlo, Socius Academiæ ingenioſiſſimæ Bononienſis, & Collegii Nobilium Medicorum Prior; ideo ſingulari Viro, in ampliandis Medicæ reipublicæ confiniis unice intento, cum ipſi multum debeam; per conſequens omnes movere lapides debeo, ut tanti Mecænatis niſi dignus, ſaltem memor appaream.

Elapſa hyeme, dum noſtra hæc regio perflata fuit a frigidiſſimis ventis, qui tales reddebantur a pruinarum quantitate, quibus imi agri, & amplæ planities operiebantur, & hanc riperiam ob anguſtum ſitum percutiebant, apparuere multæ febres inflammatorię, cum dolore lancinanti in coſtis legitimis, in aliquibus vago, in aliis aſcendenti, aut fixo, cum dolore capitis, ſiti, ferina tuſſi, pulſu duro, virium languore, & aliquo ſputo cruento flavo. Hæcque omnia prima die decubitus; in aliis poſt quartam. Par influentia hic, & vicinis locis viſa fuit anno 1716, & 1720 *Malſeſeni, cum quantitate vermium in ventriculo, a quibus morbi exacerbabantur. Sique Medicus anthelminticis illico non agebat, & ſucceſſive pacativis laxantibus, digerentibus, morbidi peribant.* 1727 *apparuit nova ępidemia pleuritica, ita &* 1737, *non ſolum Boliaci, ſed Tuſchulani, & Matherni, cum vermibus teretibus pariter in ventriculo, qui multum attulerunt laboris, ut domarentur, quia deludebant remedia. Illa autem fuere ſuperius expoſita: ſanguinis miſſiones iteratæ; in aliquibus veſicantia; occaſione ſputorum, camphorata interna, & externa, præcipue quando dolor ſedabatur ante tempus. Hic frequenter pariter in motum ponuntur febres putridæ vermicoſæ, ob craſſa alimenta, quibus nutriuntur; & curantur fere ſemper minorantibus, lenientibus, ſanguinis miſſione, incidentibus, ſtomachicis, &, dato tempore, diaphoreticis. Utiliterque adhibetur, præcipue in tertianis, ipecacuannha.*

Venti a Gardæ vico provenientes, aliquod damnum inferunt tempore hyemis, quando aſcendunt ab imis planitiebus, & adſunt nubes, & pruinæ.

De cetero clima ſalutare eſt; & populi præclaris in rebus induſtriam ſuam exercent. Pejus malum ſtat in cacochimia humorali, & vermicoſa ob alimenta; & Medicus nunquam debet obliviſci anthelminticorum. Hæc carptim ſcripſi circa poſtulata. Et in omnibus, quæ potero, paratus ſemper ero juſſibus tanti Auctoris, cui me commendo.

Boliaci 25 *Octobris* 1743.

Umilliſſimus, Addictiſſimus famulus
Joannes Petrus Bondonus.

Inter cætera a ſupradicto egregio Viro indicata plurimi in practica Medicina faciendus eſt uſus hypecacuannhæ, cujus laudes, & promerita pro curatione dyſenteriæ jam notiſſima ſunt. Sed ab ejuſdem activitate, & in humanas fibras potentia, non eſt extra rem alia, atque alia feliciter ominari. De quo fidem faciunt Acta

Trevoux

Trevoux Aprilis 1705 pag. 651, ubi referente Dalineau Medico Monſpellienſi, ejuſdem foliorum utilitas pro morbis pectoris, ſtomachi obſtructionibus, ſanguinis colliquatione, necnon pro excitandis menſtruis, mirum in modum celebratur. Quia vero eodem actu & noxios humores catharri vomitu expellit, necnon fibras erigit, & corroborat, ut hinc minus in ſanguinem noxii humores excitentur; ideo ab illius uſu felix fermenti diſſolutio, aut ſaltem chinechinæ, obſignatio, ſperanda eſt, uſque dum dato tempore, quieſcente a tumultu natura, paulatim poſſit reſurgere. Oretenus idcirco poſtea ob hanc rem idem Bondonus interrogatus nobis aſſeruit, nunquam turgente materia, & in principio morbi pertentari uſum ipecacuannhæ, ſed poſt primum catharticum, & intromiſſis ſalibus digeſtivis, puta ex abſynthio, centaurea minori, tartaro, & ſimilibus. Paucis: uſus hic, alibi etiam amplectatur, in illis quippe debemus inſiſtere, quæ aliquid poſſunt, & agunt: quæque talem effectus novitatem, & motum in fermento febrili, in latentibus amurcis, in continentibus fibris inducunt, ut proinde morbifica cauſa vel vomi, vel figi, vel domari, & exterminari debeat.

Salodium.

Salodium, excepto Tridentino, & Veronenſi, caput totius Benaci riperiæ eſt. Ibique Ars Medica ſemper floruit. Illam quippe elapſis temporibus, inter ceteros, illuſtrarunt optime meriti Salodienſes ſcriptores, nempe 1548 Joannes Paulus Gallucius (1); 1554 Nobilis Socius (2) 1580 Andreas Gratioſus (3); 1596 Hieronymus Briſianus (4), & Bernardinus Paternus (5), quibus præſens ætas neque invidet, neque eſt ſecunda. Omnes enim, quotquot adſunt, aut in Patavino, aut in Piſano Lycæo Medicinæ, & Anatomiæ elementis imbuti ſunt, illaſque vias tenent, quas hæ ſcientiarum matres illis inſuderunt. Omnis tamen regio aliquid peculiare requirit, quod a præconceptis legibus diverſum eſt, quodque præcipue pendet a locorum poſitu, a Solis facie, ab alimentorum qualitatibus, necnon a ventorum flamine, præcipue ſi regiones in lacuum ripa poſitæ ſunt.

Salodienſis idcirco Patria, cum aliquatenus in amplum ſinum divertat, per conſequens a cardinalibus ventis aſcendentibus, & deſcendentibus quodammodo defenſa eſt; imo a ſurgentibus circumquaque apricis collibus, & monticulis, theatrali veluti conſpectu ita defenditur, ut altani provinciales, & ſeptentrionales aeris incurſus accedere non poſſint. Hinc aeris puritas, & ſalubritas, vitæ longæ, mentis perſpicacia, & morum ſuavitas; adeo ut a longinquis provinciis Principes, Magnates, & alii bene multi ad Salodienſem riperiam accedant, ſi convaleſcentes, ut priſtinam acquirant valetudinem, ſi ſani, ut ſemper magis præſerventur. Quia tamen in ſublunaribus felicitates raro ſunt penitus perfectæ, illud unum poſtremis hiſce temporibus evenit, quod ſalubrem Salodienſis aeris indolem conſpurcat. Satio leguminis, oryzarum nempe, quæ fit in agris Veronenſibus, ultra lacum, contra Salodium poſitis, ubi orientalis quidam ventus (vulgo *Vinezza*) tranſit, & poſtquam fermentaceas, variaſque qualitates, in uliginoſis, & paluſtribus illis locis combiberit, e directo Salodienſem regionem percutit. Ex quo duo morbi præcipue producuntur, lentus unus, nempe hydrops; acutus alter in pectore ſæviens, & pleuritides, alioſque pectoris morbos, efficiens, & ſimulans. Primi reſolutionem promovent Medici Salodienſes aperitivis, decoctionibus, diureticis, & fibras inſtaurantibus. Secundi vero venam multoties, ſi opus fuerit, reſignando. Quod remedii genus habent familiare, ob facilem ſanguinis inflammabilitatem, in quam incurrunt populi illi ob vina ſulphurea, & ſpiritibus turgida; quæ tamen quia feliciter, & prompte tranſeunt, neque damnanda veniunt; ſed potius animadvertendum, ut moderate, & temperata potentur.

In montanis pariter ſuper Salodium locis eadem eveniunt, & a Solis faciliori, vel impedito aſpectu magis, aut minus ſalubriora redduntur. Quia tamen Cliſis flumen a lacu *Idro* reſtitutum, per convalles deſcendens, varios vicos humectat, aut non nimis procul ab ipſis decurrit, Gazanum puta, Voburnum, Vulcianum, &c. evenit, ut illius aquæ de ferrea crudiſſima minera participantes, illorum populorum ventriculis non nimis aptentur; hinc aliis etiam concurrentibus cauſis, capite Mediolanum fuſe deſcriptis, circa guttur bronchocele emergat, & protuberet, & pallidus, lividuſque aliquorum color oſtendat, roridas, rutilantes, & homogeneas particulas in incolarum ſanguine deſiderari.

Patingulæ, Maguzanum.

Eædem leges, idem medendi uſus perſeverat. In vico tamen Patingularum, quo me contuli, & domo dilectiſſimi amici, & compatris mei Laurentii Zadei exceptus poſt lautam cœnam pernoctavi, ut ſummo dein mane navim conſcenderem, in me ipſo expertus ſum illam vinorum ſulphuream potentiam, quæ jam antea indicata fuit etiam ab egregio illic Medico Chriſtophoro Amiſtani, neceſſitatem in illis locis frequenter ſecandi venam mihi deprædicante. Ut ad evidentiam arguo etiam ab ipſius conſultatione, dum ſcribo, accepta; & admonente, atque explicante ægritudinem Rev. Patris Alexandri Boſſi-

(1) Scripſit de Temporibus ad medendum accomodatis.

(2) Præcertatio ad veram Medicinam, pro Arabum, & proborum Medicorum tutela.

(3) De Univerſalibus Medicinæ Præceptis.

(4) Naturæ miracula explicat. Ejuſdem inſuper extat Nova Medicina.

(5) Profeſſor fuit Patavinus, ubi Hippocraticam, & Galenicam diſciplinam ſumma cum laude interpretatus eſt.

Boſſini hipochondriaca affectione doloribus abdominis, & renum laborantis; ubi præter diluentia alkalia, & lenientia, duas jam factas ſanguinis miſſiones refert. Quod medendi genus in textura gracili optime mihi nota, probat, & ſupponit viſcerum abdominalium & ſanguinis æſtum; præcipue a vinorum qualitatibus productum.

De Maguzano non eſt ut loquar. Cum in totam Europam liquor *vino ſanto* inibi elaboratus exportetur, nec alibi oriens ad illius perfectionem perveniat.

Desenzanus.

In Deſenzanum vero irrepſerunt elapſa hyeme catarrhi, coryzæ, & morbi pectoris, univerſali prius, & ſæpius præeunte algore, tribus, interdum quinque horis perdurante. Hinc dolor plerumque auctus ad mammam, qui ad mendoſas coſtas deſcendebat, cum calore, tuſſi, ſiti, diarrhoeis, vigiliis, & crudo lotio. Pulſus erant parvi, veloces, frequentes, & inæquales. In aliquibus vermes exibant; alii quarta die delirabant; & quinta vel ſeptima aut moriebantur, aut ſigna coctionis, & ſalutis apparebant. Prima remedia fuerunt ſanguinis miſſio, cum lenienti medicamine. Deinde pectoralia, diuretica, diaphoretica, & veſicantia quibus ſputa ſupprimebantur. Quinta die, qui turbida, & ſedimentoſa mingebant, præſervabantur, ſecus qui cruda. Benacus lacus de more Deſenzanenſibus incolis nullum affert damnum; paludoſæ quippe quietes non adſunt, ubi corrumpatur, & aerem inficiat. Negari tamen non poteſt, ventis eſſe expoſitum, & violenter perflatum, præcipue a ſumme frigido *Vinezza* inter orientem, & meridiem orto, qui dolores capitis gravativos, & febres tertianas infert. Vina, vulgo *di Lugana*, quibus populi illi utuntur feliciter tranſeunt, quamvis ſpiritibus turgeant. Raraque, & fœlix res eſt neminem calculo, & morbis urinæ laborare, fructuſque ceteros inibi eſſe ſapidiſſimos.

Benaci lacus ripa Veronensis.

Epiſtolæ limites prætergrederer, ſi Veronenſem regionem Benaco finitimam ad examen vellem reducere. Ex Peſcheriæ poſitu ab aquis undique circumſcriptæ, & hyemis tempore ſtagnantibus, & nubeculas cedere, & ſolvi neſcias efficientibus, a deſuper memoratis ultra Laziſium, & Gardam planitiebus frequenti oryza ſatis, a Baldi, pluribus in locis tonſi, perpetuitate, & altitudine verſus Tridentinas alpes porrecta & borealibus inſultibus expoſita, colligere potes, quid ab aere pertimeſcendum ſit, quæ a ſolo ſperanda. Vina tamen in Veronenſi collecta, aquæ miſcellam reſpuunt, & non adeo ſulphurea ſunt. Hinc minor ſecandi venam neceſſitas. In pauperibus tamen vicis, ubi deeſt plerumque vinum, lac, nec non eryſimum nigrum inopum alimenta ſunt, vermicoſæ producuntur ægritudines laterali dolore ſtipatæ, ad quarum curationem vocatus anno 1719 doctus Bondonus, exhibere debuit in vico Malſeſeni mercurium dulcem in quantitate ſemidrachmæ pro qualibet vice & quidem feliciter, lumine ducto a vermibus vomitu ejectis.

En, doctiſſime Cicognine, libero animo adapertas querimonias noſtras, & fortaſſe ad nauſeam uſque relata meditamina, & medicas notitias, quas, ut ſtudiis meis faverem, hac in riperia colligebam. Nec mireris, me videns hodie epiſtolarum legem præterlabentem, & multa ſine ordine, cum titulis etiam, conſarcinantem. Sic res vadit, quando unus properans ſcribit, & duobus dominis ſervire vult. Futuram editionem mente cogitabam, dum tibi morem gerere cupiebam. Nec timeas, videns partum hunc non ſatis ad umbilicum perductum, formidans fortaſſe, ne ceteri pares ſint. Mihi credas adlaboravi ſubciſivis horis, & ſine libris momenta rapui inter litigioſos adverſarios, & rabulas, in quos cauſam habebam, & cum quibus res non modici prætii agebantur. Adde timores ob adverſam procellam perpeſſos, adeo ut ad inſulam Patrum Franciſcanorum confugere & appellere in quadriremi tremens debuerim, & ſubinde prandium quæritare. Adde moram hic decem dierum vix cum literis amicorum, & filiolorum meorum. Adde parcitatem luminum circa tractanda argumenta. Adde demum amorem tuum, quo mea reſpicis, nec dubito, quin ignoſcas, & meæ in te fiduciæ teſtimonia bonam in partem ſuſcipias. Igitur vale, & me optatorum tuorum juſſuum compotem redde.

Dabam Limoni in Salodienſi Benaci Lacus Riperia, 28. Octobris 1743.

URCEI NOVI.

Illuſtriſſ: Sig: Sig: Pron: Colmo:

Alcune mie occupazioni non mi anno permeſſo più ſollecito il piacere di ubbidire a' cenni di VS. Illuſtriſſ. Preſa per mano la materia, e dovendo ſignificarle, quali ſiano i mali ſoliti vigoreggiar in queſta fortezza, e ſuoi contorni; ſembrami non inutil coſa proceder con diviſion de' tempi, in riguardo ſpecialmente di un' epoca, laquale ha partoriti effetti lodevoliſſimi di ſalute. Queſta fu l' elevazione dell' alveo, che attornia la fortezza, fatta l' anno 1703, avanti la quale, ſtagnandovi l' acqua, da putridi vapori riſentivaſi notabilmente l' aria, e paſſava il vizio anche ne' pozzi degl' abitanti; onde frequentemente inſorgevano febbri croniche, oſtruzioni, cacheſſie, idropi, ulceri alle gambe, e ſimili paludoſe miſerie.

Alzato

Alzato poi l' alveo, e coſtrutto il foſſo eſteriore, che riceve l' acque ſcolatizie del medeſimo, preſero eſſe libero il corſo, e purgate quelle de' pozzi, rimaſero gli abitanti eſenti da tante infermità. L' aria preſentemente, benchè alquanto groſſa, non è perciò di qualità cattiva, venendo cuſtodita da regole tanto ſalubri, che non può eſſer offeſa, nè da Riſare, nè da miſſe di lini, nè da paludi, nè da qualunque altra coſa, che ſia forſe pernicioſa. E ſe rimaſero alcune reliquie delle prime endemiche malattie, crederei doveraſſi piuttoſto attribuir la cagione alle acque, le quali derivando dal fiume Oglio, non ſi purgano ſufficientemente ne' corti loro ſotterranei. Teſtimonio di un tal ragionamento ſia la popolazione accreſciuta; nel mentre dove prima non contava la fortezza, che 800 anime, ora ne numera più di mille, non compreſe le milizie. Una curioſa oſſervazione mi cade qui in acconcio, ed è, che il Tamariſco, il quale ſoleva naſcere in copia ſulle ſpiaggie dell' Oglio, ora non più vi ſi trovi in tanta abondanza, quaſi che il Sovrano Medico Iddio Signore abbia proveduto il paeſe d' una pianta, la quale fra i rimedij deoſtruenti, ed aperitivi non è di sì poca conſiderazione, adattando la quantità alle occorrenze reſpettive de' tempi.

Adempito al primo punto di non eſſervi per la Dio grazia particolari endemiche malattie, compariſcono le ſporadiche, ſecondo che il mal uſo delle ſei coſe non naturali hà forza di produrle. In eſtate le febbri terzane, le diarree, le diſenterie, le coliche; in autunno le terzane, le quartane, le croniche; nell' inverno le febbri linfatiche, gl' affetti aſmatici, e catarrali; nella primavera le angine, le pleuritidi, e gli altri mali inflammatorii. E finalmente l' epidemiche, alle quali anche gli altri paeſi ſono ſoggetti, come ſarebbero i raffreddori, le febbri maligne, le infiammazioni di petto, ec. Tra queſte conſiderabile fù quella dell' anno 1734, in cui le febbri maligne erano così longhe, che duravano ſino a ſeſſanta giorni. Le pleuritidi ſogliono accadere nella primavera, quando maſſime il precedente inverno ſia ſtato freddo oltre il ſolito, attaccando per lo più i villici obbligati al lavoro della campagna.

De' virgulti, ò d' erbe particolari non ſaprei dargli contezza, ſenon di quelle s' attrovano qui in maggior abondanza. Il tamariſco, li berberi, l' altea, la valeriana, la felitide, la brionia, l' enula campana, il ruſco, la tormentilla, la biſtorta, l' aſſaro, l' eſula, e tutte le uſuali; con cui facendo fine, gli faccio umiliſſimamente riverenza.

Orzi Novi 30 Nov. 1743.

Umiliſſ: Devotiſſ: Obligatiſſ: Serv: Antonio Gualtieri Medico.

COLLEGIUM

NOBILIUM MEDICORUM

ANtiquis uſque temporibus, Brixiani Senatus Conſulto, ex Nobilibus Medicis Collegium inſtitutum fuit, ejuſdemque Caput Prioris nomine inſignitum, qui ſtatim publicæ valetudini imminere, ac vigilare cœpit, multaque ſtatuta ſucceſſivis temporibus reformavit, cum internum, futurumque Collegii ſtatum, tum externas vaſtæ Provinciæ utilitates reſpicientia. Cumque a Summo bonorum omnium Datore pendeat humana ſalus, & felicitas, illam ſtatutariam, inter alias, legem ſibi ipſis impoſuerunt, ſcilicet, *Ut quilibet de Collegio debeat, & teneatur viſitare infirmos pauperes, & mederi illis gratis.*

Deinceps vafra videntes Pharmacopolarum quorumdam artificia, vel mucidas pilulas, vel antiquatos ſyrupos, vel tineoſa, & carie exeſa aromata ſuis in nartheciis habentium, opportunum duxerunt, quotannis, cum ſuis miniſtris, & famulatu totum Brixianum territorium peragrare; hinc inde in pagis, vicis, & ſubjectis oppidis excerpendo, corrigendo, & damnando etiam, ſi opus fuerit.

Laboribus inſuper, & ſumptibus nunquam pepercerunt, quoties increbuit rumor naſcentis in finitimis locis humani, bovilli, vel alterius generis contagii. Statim enim ſolliciti, & prompti pro Patria propriam vitam poſuerunt in ancipiti, & exteros etiam ſtatus percurrere, & redire docentes quid urgeat, ictu oculi, quod dicitur, conſueverunt.

Glorioſa, utiliaque hæc, ſemperque majora de ætate in ætatem Brixiani Collegii acta fecerunt, ut Officium Salutis ex Septemviris Deputatis, in re magni momenti, qualis eſt vita hominis, fere nunquam, & in præſens decernat, & ſtatuat, niſi habeat unum, vel alterum ex eodem Collegio Deputatum, pariter, ut ceteri, a Concilio Generali electum, qui de exequendis, utpote fere ſemper in phyſices latifundio latentibus, ſapienter diſſerat, & rem collocet in meliori luce.

Plurima vero publicæ felicitatis fata ab eodem pendere, illique committenda eſſe, patet ex duobus decretis, ſeu potius dicam ad Medici Collegii decus monumentis.

Primum eſt 5 Junii anni 1593, proclamatum ex ordine Illuſtriſſimi, atque Excellentiſſimi Brixiæ Poteſtatis Vincentii Guſſoni, inter cetera, ſic habens; *Che alcuno di qual condizione, e grado ſi ſia, non dottorato nelli pubblici Studij, non ardiſca in modo alcuno proponere, ordinare, nè dar medicine, ò altri ripari per qualunque infermità, che s' aſpettaſſe alla cura delli Eccellentiſſimi*

lentiſſimi Fiſici, ſe eſſi non averà fede in ſcritto d'eſſer ſtato licenziato dal Magnifico Priore, ed Eccellenti Conſiglieri del ſudetto Eccellentiſſimo Collegio.

Secundum recens, quod emanavit 6 Septembris 1731, a Viris Principibus, & rei literarię Reformatoribus, edicit, ut quivis in Patavino Lycæo laurea inſignitus, exercere non poſſit Artem Medicam, niſi ſe exhibeat Urbium, & Collegiorum Prioribus, illiſque conſtare faciat de obtento legitime Doctoratu, de tranſcriptis autenticis requiſitis ex libro Patavii hanc in rem aſſervato.

Quibus eodem actu apertum fit, & ſummum Principem Collegia, eorumdemque Caput plurimi facere, & prędiligere, ſi illi, non reliquis officiis, aut publicis perſonis, res tanti momenti concreditas voluit, & neminem ſuſcipere poſſe Medicum curriculum, niſi Magnifico Priori neceſſaria requiſita præſentaverit, aut medendi licentiam habuerit ab eodem, aliiſque Excellentiſſimi Collegii Conſiliariis.

De his, atque aliis juribus, & privilegiis Brixiani Cives ſibi complacuerunt, & quovis ævo, ſtudiis ſemper auſpicibus, & ſcientiarum ornamento prius conquiſito (quandoquidem ſeverum, rigidumque duplex examen, diverſo tempore, a Priore, & Conſiliariis inſtitutum, ſubire debent) certatim Collegium concupire, illiuſque membra eſſe cooptarunt: adeo ut volutis, præſente nobili Cancellario, Actis, reformatione ſcilicet Statutorum, & libro, cui titulus *Proviſioni del Collegio*, regeſtę, olimque Medico muneri addictæ videantur familiæ fere dixero omnes, quę nunc vel ratione comitatuum, & equeſtrium ordinum, vel ratione juriſdictionum feudalium, & priſcarum divitiarum, plurimum in Urbe ſplendent, & primarium tenent locum; quæque, ſi Genus, & Proavos amant ſuos, præſentes etiam patrios ſucceſſores, eodem cultu, iiſdemque ſtudiis ad noſtra hæc tempora propagatos diligerę debebunt.

Tantam ad plura ſæcula felicitatem adauxerunt reliquorum etiam Medicorum non Collegiatorum in urbe, & diſtrictu, mores, ſtudia, cultus bonarum artium, & in neceſſitatibus juvandi non inferior promptitudo: quibus omnibus factum eſt, ut tota civitas, Patriæ Patribus ſancientibus, exultans grati animi teſtimonium totius Provinciæ Medicis dederit, eoſdemque *cum Patribus, Fratribus, & deſcendentibus ſtantibus in eadem Familia, immunes fecerit ab oneribus perſonalibus tantum:* ut videre eſt in volumine Statutorum Civilium Magnificæ Civitatis Brixiæ pag. 107, cap. CCX. Quod municipale Statutum fuit ſemper clementiſſime a Veneto Imperante Principe confirmatum, & probatum.

Clariſſimo Viro

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

SODALI

ALOYSIUS GARBELLUS

S. P. D.

Fateor equidem, Clariſſime Comes, jamdudum magnam apud me fuiſſe ſtudiorum tuorum exiſtimationem; propterea quod aliquo ſemper a Te Medicam Rempublicam publica luce donato fœtu, illuſtratam videam, & auctam; aſt in præſentia ſummam eſſe Tibi perſuadeas velim, cum modo ſcriptorum tuorum tam longe famam, lateque patere videam, ſub prælo nova tua Europæ Medicina *deſudante, ut non inter Italos tantummodo exſpatientur, verum uſque tranſmarinas ad oras tua litterarum ſtudia quam longiſſime peregrinari videantur, ad ſartam, tectamque humanæ incolumitatis integritatem ſervandam. Ecquid pulchrius, quam ſingulorum ſingulos Europæ Medicos, uno veluti intuitu, univerſum Europæ, ac præſentem Medicinæ ſtatum, tuo munere, ob oculos habere? Quid in Arte Medica modo faciant Itali, Galli, Germani, Hiſpani, Poloni, aliarumque diſſitarum Regionum Medicorum principes: quibus morbis afficiantur ægroti, quibuſque curentur remediis. Hoc enim eſt, Vir præſtantiſſime, quod a primis Europæ Medicis efflagitas; quibus equidem multum debemus; namque miſſis undequaque ad Te litteris, ac in unum collectis, habemus, unde omnes abſque labore, modo docere, modo diſcere poſſimus. Quidni? Impoſterum Europæ ægrotantes, non domeſticos tantum, ſed pene omnes Europæ Medicos in conſultationem a Te accitos habebunt. Enimvero qui non Tibi maximum referat acceptum beneficium, de communi bono optime merite Vir ampliſſime; quandoquidem unuſquiſque ſibi frugi tantopere ſentiat eſſe ſtudia tua, ut ipſorum opera, tuoque largo impenſo ære, univerſam Europæ Medicinam ſibi præſto quodammodo ſimul habeat conſultantem?*

Si vero tot celeberrimi Artis Profeſſores propriam medendi methodum, epiſtolis ſuis, Patriam noſtram ditare non deſinunt, cur & Patria ipſa redhoſtire, maxime quam poteſt, non enitatur?

Neque porro imbecillitatis meæ mihi conſcius, tanto me dignor bonore (quod mihi arrogare non auſim) propriam medendi methodum primis Europæ Medicis, tuo volumine ſignificandi: quam tamen, ut Tibi morem geram, libenter exponendam ſuſcipio.

Cum Medicina, etſi rationis quoque fundamento, experientiæ tamen potiſſimum innitatur, ſexdecim abhinc annis, urbe cedens, Pavonum evocatus, ſummo ibi, & in finitimis pagis, per octennium, cum labore, ægris medicam manum admovi, quorum plures, vel paucis, vel nullis medicamentis,

Deo dante, priſtinæ ſanitati reſtitutos feliciter videre contigit, mihique viginti annorum curſu ab experientia artificum omnium, at Medicorum præcipue magiſtra, non contemnendum ſubſidium comparavi.

Multiplicem eſſe morborum indolem vidi. Prima recte operantis naturæ viribus flectitur, nec ulla Medicæ Artis ſubſidia expoſcit. Alteram vidi, repugnante natura, pharmacis reſiſtentem, cui, dum natura repugnat, irrita ſunt medicamenta. Tertia morborum indoles eſt omnium peſſima; hæc enim nullis unquam cedit remediis, & ægrum ubique ſemper occidit. Poſtremam denique videre fuit, cui natura ſine arte mederi non potis eſt. Quibus autem in aere Brixiano natura artis ſubſidiis egeat, nunc operæ pretium eſt exponere.

Prima igitur morborum indoles nullis medicamentis curatur. Hippocrates (1) *interdum namque bonam Medicinam eſſe animadvertit, quæ* tum ad aurem, tum ad cetera multa etiam nulla adhibetur; *natura enim morborum medicatrix* (2) per ſe facere novit, *& id, ex quo quis ægrotat, auferendo, ſanitatem reſtituit.*

Febri maligna multos detineri cognovi ex eo, quod amiſſis viribus, decumberent. Pulſus naturalis, aut tardus, urinæ naturali ſimiles, naturalis quoque calor, ægros non febrire; verumtamen ſpontaneæ laſſitudines, & proſtratæ vires, primis morbi diebus, quædam inſolitæ taciturnitates, linguæ ariditas ſine ſiti, anguem latere, & febri maligna laborare ægrum, in dies magis magiſque palam faciebant. Maligna enim febris, non propatulis, & horrendis, aſt occultis, & mitibus comitatur ſymptomatibus, & ſub ſpecie, ſive nullius, ſive benignioris febris, inſidias moliri callida ejus natura ſolet. Hujuſce cauſam autem, non auram venenatam quorumdam Antiquorum fui unquam ſuſpicatus; ſatius tamen nimiam maſſæ ſanguinis cohæſionem (3) cum defectu proportionalis velocitatis fluidorum, & ſolidorum. *Sanguis enim in febribus non ſemper peccat velocitate, ſed etiam tarditate. Hujuſce generis febres abſque ullo remedio, ſola victus ratione præſcripta, curatas vidi, vel urinis ſponte abunde fluentibus, vel ſudoribus elicitis, vel facta criſi, per alvum, vel per abſceſſus ad femora, & aures, me interim felices recte operantis naturæ motus inſpectante.*

Febri acuta, inde chronica, magno renitente tumore, ſupra veſicam ponderante, laboraſſe memini mulierem annum agentem ſupra quinquageſimum. Prædixi per urinam, excreto pure, mulierem futuram eſſe ſoſpitem. Poſt quatuor menſes, tumor in ſuppurationem venit: pus album per urinam abunde ſex in menſes effluxit. Macie confecta erat mulier; doloribus immanibus circa veſicam laceſſita, die, noctuque ejulabat: irata mulier omnia reſpuere cœpit medicamenta, cum nullum ab iis juvamen recepiſſet, omnigenis cibis, potibuſque indulgere: trium menſium decurſu, naturæ opera, priſtinæ ſanitati reſtituta, ſtupentibus omnibus, viſa fuit anno 1744.

Apoplexia correptos (qui morbus noſtra in regione familiaris), an non mihi viſum, ſuperveniente febri, naturæ vi ſervatos, quos artis forte nunquam vidiſſemus? Medicum agens, nonne ſtupendos alios hujuſcemodi ſalubres naturæ motus perſpexi? Utique; & ſi omnia, quæ perſpexi, naturę opera forent aſſerenda, modum epiſtolę ne moles excederet, pertimeſcerem, negotiumque ſingulis Europæ Medicis faceſſeret.

Etſi, quid foras exeam, ad id genus exempla in medium afferenda, quando in meipſo luce clarius, certoque certius conſtet experimentum. Nonne meipſum mali moris, in medendo, contracta febri, opere naturæ, non artis, undique a me prædicto diffluente ſudore, priſtinæ ſanitati reſtitutum vidi, Medico quodam muſſitante, cujus pharmaca reſpuebam.

Non ſolum, recte cum natura operatur, artis omnia ſuperfluunt, verum eadem reluctante, nulla ſunt adhibenda. Repugnantibus enim ſolidis, ac fluidis, none validiora purgantia nihilum purgare perſpicimus? Quinimo ipſorum vi convulſis inteſtinorum nerveis fibris, magis magiſque ſtrictiorem alvum fieri? Quęque de purgantibus dico, de ceteris velim intellecta medicamentis. Diuretica, obſiſtente natura, tantum abeſt, ut urinas eliciant, ut imo lethales eorum ſuppreſſiones accerſant. Sudorificis, adverſante natura, nunquam vidi ſudores promoveri; ac ſudorifera dumtaxat evadere ſentio, cum (4) corpus ad ſudorem diſponitur. *Nullum igitur extat, reſiſtente natura, medicamentum; id quod Hippoc: animadvertit* (5), in primis natura opus eſſe, qua repugnante, irrita ſunt omnia. *Hoc demonſtrare videtur hiſtoria morborum Thereſiæ Marcaggi, hac in urbe decumbentis, quæ cum ad præſentem rem faciat, puto hic non eſſe omittendam. Repugnante etenim natura, huic ægrotanti ſemper fuerunt irrita remedia, viginti annorum curſu a primis urbis hujuſce Medicis pręſcripta. Hæc virgo annum agit vigeſimum octavum; octavo ætatis anno cœpit ægrotare, novoque ſuperveniente uſque morbo decumbit adhuc. Primum per annos convulſionibus, & motibus vexata convulſivis fuit, quorum uno ipſius apertum os eſt, ut ore ſemper hiante foret; altero oppoſito, tonico muſculorum ſtatu, adhuc triennio elapſo, ore clauſo durat, maxilla inferiore ſuperiori validiſſime connexa. Ne tamen miſella interiret, dentibus extruſis foramen aliquantum aperiendum curavi, qua cibis via, potuique pateret. Jamque annum alitur hoc pacto virgo, cui nihilo tamen minus conſtrictum etiamnum os eſt. Novenos ad menſes, veſicæ urinæ ſuppreſſione laboravit; quapropter cathetere lotium extrahere opus fuit. Ad triennium hydrope aſcite afflictata: per quinquennium elinguis, ſolos per nutus auditur. Eſt in lecto ſedens, nullique mutando ſitui eſt: per integrum quoque annum omnia quotidie vomit, tantiſper horrendo in vomitu ſeſe ore aperiente. Octenis menſibus ceterorum morborum comitem quotidianam habuit febrim*

(1) Hippocrat: de Articulis.
(2) Hippocrat: de Vict. ratione.
(3) Joannes Baptiſta Mazinus T. 1. P. 3. D. 1. pag 194.
(4) Herm. Boerhaav.
(5) Hipp. de Leg.

brim intermittentem: hæc magno frigore, ac tremore ipſam inceſſebat; inde ęſtu ardentiſſimo, violentoque aſthmate convulſivo, duodecim horarum ſpatio pauperculam divexabat, faucibus ſtertentibus, atque undequaque diffluente ſudore. Chinachina febrim hanc profligare incaſſum tentavi: inutilitas febrifugi (quod ſemper in febribus intermittentibus infallibile remedium vidi), convulſiones, & motus convulſivi, quibus virginem ſuperioribus annis laborare pro comperto habebam, anſam mihi dedere opinandi, febrim vitio ſolidorum fuiſſe, qua poſtea alias vidi laborare mulieres vulgo hyſtericis affectionibus obnoxias. Signum hujuſcemodi febrium eſt, non ita vires amittere, non contabeſcere, diuque febres ſuſtinere, nec extenuari. Nullo adhibito remedio, a febri immunes evadunt.

Si nihil, dum natura detrectat, medicinam proficere aſtruitur, quiſnam, obſiſtente natura, medicamenta projiciet?

Miſerrimus alius ægrotantis ſtatus eſt, cui prorſus inutilia ſunt artis molimina; ipſique nulla eſſe præſcribenda medicamenta, præcepit Hippoc: Cous (1) ſub hiſce verbis: Neque iis, qui a morbo victi ſunt, manum admoveas, cum id Medicinam præſtare non poſſe probe conſtet. Profecto morbo victos medicamentis torqueri crimen videtur, ſiquidem nimium per ſe ſit, quod a morbis perpetiuntur.

Quid polypo, quid oſſeę arterię, quid aliis organicis morbis laborantibus auxilii præſtare Medicina poteſt? Si quos poſtremo neque morbus acutus necare potuit, neque chronicus; omnium deploratiſſimus, quę ſenectus, ipſa eſt morbus, univerſos interimit; quid porro ſenibus remedii ſuppetat?

Polypo laboravit quædam mulier. Erat huic magna cordis oppreſſio, inſenſibilis pulſus, facillima inſpiratio. Diſſecto cadavere a Lelio ab Honore Chirurgo, multis coram Medicinæ Profeſſoribus, polypum a me prædictum, in dextero cordis ſinu, arteriæ pulmonaris oſtium obturantem, adinveniſſe, non nihil mihi placere potui.

At mihi quemquam audire videor, ſecum ipſo muſſitantem: cuinam medicamenta præſcribam, ſi neque recte operante natura, neque repugnante, conducant, neque morbo victis utilia ſint? Nonne Artium omnium Medicina nobiliſſima (2)? Nonne Medicam noſſe Artem expedit, cum pręclara ſimul ſit res, & ad vitam conducibllis (3)? Nonne Artis ope ęgrotantes maximis malis, morbis, laboribus, & morte ipſa vindicantur? His enim omnibus Medicinam manifeſtum remedium adhibere, deprehenditur. (4) Cui mihi liceat reſpondere: An non ſummum medendi Artis eſt, recte operantis naturæ motus pharmacis haud turbare, neque iis adverſantem naturam laceſſere?

Solida, & fluida non ſemper iiſdem pollere viribus, & reſiſtentiis, omnibus indubium eſt. Fluidorum quippe quantitas ab exſuperante ciborum copia, vel imminuta corporum tranſpiratione, adeo augetur, ut ſi qui oneri ſuſtinendo canalium parietes impares ſint, ſtagnante in eo, qui cedit, maſſa ſanguinis, inflammationes emergunt. Si in naturæ ſubſidium Ars Medica vocata, imperata ſtatim ſanguinis emiſſione, minime reſponderet, quis non videt, tam gravi, moleſtoque naturam pondere opprimi, ut contra morbum inſurgere amplius nequeat? Dempta igitur nimia ſanguinis quantitate, repetitis, per venam ſectam, ſanguinis emiſſionibus, omnes inflammationes, morboſque, qui ab immodica ſanguinis plenitudine, atque tenacitate originem trahunt, curari feliciter ſolent. Purgantibus ego, nec emeticis, hiſce caſibus, utor; a parte enim inflammata nil demunt (5), & ſano, imo neceſſario educto, ex imbecillitate ſummum periculum impenderet (6).

Febres malignas, eas tamen, quæ ſanguinis coagulationem minitantur, venæ ſectione, primis illico diebus felici eventu aggredior, nullis unquam purgantibus adhibitis medicaminibus.

Febres malignas ex diſſolutione, omiſſa venæ ſectione, pulpa tamarindorum, gelatinis cornu cervi, raſuræ eboris, pedum vituli, emulſionibus ex ſeminibus frigidis, domeſticis decoctionibus herbarum refrigerantium mane exhibitis, vel ſero lactis vaccini clarificato, vel aqua Nuceriæ, & ſimilibus feliciter curavi.

Febri ardentiſſima laborantes, copioſo aquæ frigidæ potu ſervavi, non modo ſudoribus, aſt urinis quoque, alvique fœcibus eductis.

Scorbutus, etſi in noſtratibus familiaris non ſit, haud paucos tamen hoc diuturno affici morbo viſum. Gingivæ namque ſanguinem emittentes, maculæ cutim defœdantes, ſpinalis medullæ dolores lancinantes, ac pertinaces, aliarumque partium, id ſatis, ſuperque docuere. Cum tamen duplex ſit ſcorbuti ſpecies, cujus alteri tabes, hydrops alteri impendeat, hinc eſt, quod contrariam medendi methodum requirit; quandoquidem quod alteri remedium, alteri venenum eſt (7), ſuccus naſturtii aquatici, vel levis ejuſdem, vaſe clauſo, decoctio in ſero lactis, vel perſicariæ acris, cochleariæ, becabungę, raphani ruſticani, ſunt præcipua remedia, quorum longo uſu, felix evaſit ſcorbuti curatio, hydropem intentantis. Uſu vero lactis, aliorumque mitium antiſcorbuticorum, aliam ſcorbuti ſpeciem curavi.

Hypochondriaca affectione multos in hac regione laborare vidi. Hæc moleſtis, multiſque ſymptomatibus ſtipari ſolet, ructibus nempe, acidis vomitibus, ſtomachi doloribus, ventris inflationibus, ac murmure, cordis oppreſſionibus, palpitationibus, tremoribus, ſaltibuſque. Anxietas quoque accedit, ac ſpirandi difficultas; quinimo vertigines, aurium ſonitus, capitis gravitates, timores, e ſomno improviſæ exſurrectiones, nervorumque ſubſultus, vigiliæ. Pulſus varii quoque ſunt in hypochondriacis, modo inæquales, modo frequentes, concitati, modo parvi, & obſcuri, nullam unquam legem ſervantes. Remediis a fonte chirurgico, & pharmaceutico deſumptis, curari non ſolet, & diuturnum eſſe videmus. Aliis

(1) Hipp. de Arte.
(2) Hipp. de Lege.
(3) Democrit.
(4) Hipp. de Leg.

(5) Hipp.
(6) A. Cornel. Celſ.
(7) Herman. Boerh. de Scorbut.

tamen externis remediis curatur, iis ſcilicet, quæ ab animi relaxatione, & motu petuntur. Cum enim trahat ſua quemque voluptas, quod uni remedium eſt, venenum alteri eſt. Aliquos venatio, ac ruſticatio juvat: equitatione, & ſaltatione curantur alii. Sunt, quos ſuavis amicorum conſuetudo ſanat. Cum nunquam viderim impigros ad labores, frugalique victu, ac parco utentes, hoc morbo laborare, hypochondriacos ad motum, & ad cibi parcimoniam adhortor, ſi ſuæ ipſorum ſaluti conſulere velint.

Hyſterica affectione non paucas inviſi (ruri, & Brixiæ, potiſſimum inter Moniales) & diris hercle ſpaſmodicis convulſionibus, atque motibus convulſivis, diuturno temporis intervallo, crudeliter excruciatas. Caput motuum omnium ſedem, potius quam uterum, affectionis vulgo hyſtericæ, ut & convulſionum cauſam eſſe, cum Villiſio cenſeo. Id animi pathemata docent, quibus convulſiones quammaxime ſuperveniunt: Hæc ſiquidem caput, non uterum immediate afficere valent, ſicque totum nervorum genus intendere, ut impetus omnino ſtupendos agere compellant. Memini per ſtaticen mentis virginem curaſſe, ſpaſmodicis nervorum motibus per quaternos laceſſitam menſes, vacuis quibuſvis aliis remediis. Staticen corporis habere, ſine ſtatice mentis, ad bene medendum, beneque vivendum, eſt inutile. (1)

Tetano periodico aliam attamen curavi, quę, cum plethorica eſſet, octenas ſanguinis libras, pluribus vicibus extrahi juſſi, duorum menſium ſpatio. China Chinæ, ſuccus amygdalarum dulcium, opiata, fotus, frictiones, clyſteres, præcipua fuere remedia, quibus violentiſſimam, & æqualem muſculorum omnium contractionem profligare mihi datum fuit.

Opiſthotono indigenam laborantem, mihi viſum, ſilentio præterire nequeo, uſu decocti viperini, & inunctione adjecta adipis itidem viperini curatum, quibuſcumque mediis aliis caſſis, per menſes uſitatis.

Tuſſim immanem convulſivam, trium menſium, uno tantum grano laudani nepentes Quercetani, expulſam repente memini.

Singultum integri anni, granorum decoctione mali punici, mirandum in modum cito ſiſtere ſucceſſit.

Sternutamentum obſtinatum, frequentiſſimumque reſpirationi infeſtum, ſuffocationem intentans, unica ſanguinis emiſſione, & opiatis, ad vota quadam in virgine cohibui.

Tametſi huc non recta veniat, Vir Clariſſime, fauſtas ſingulas morborum curationes recenſere, quæ ruri per octennium, & in urbe, duodecim annorum decurſu, ſucceſſere, peculiares tamen hic referre, operæ pretium duco, ut ſi qui ſimiles morbi accidant, remediis iiſdem occurrere poſſimus.

Morphæam nigram, plus aſpectu, quam re terribilem, quodam in juvene vidi. Huic cutis maculis nigerrimis, rotundis, ubique referta, contemerata videbatur atramento. Mirari omnes hoc morbo affectum ſua munia poſſe obire, & applicitis antiſcorbuticis, convaluiſſe.

Pleuritidem ſuppuratam, paracenteſi Pavoni, me coram inſtituta a Lelio *ab* Honore *Chirurgo expertiſſimo, inter quintam, & ſextam coſtam ſiniſtri lateris, libris duabus puris prima vice eductis, curavi. Per ſex tamen menſes, anacatharſi, plus pondo ſeptuagenis quinis puris libris extractis; novam ratus eſſe puris generationem, a becchicis remediis abſtinui, balſamiſque, ſulphuratis, & exotico-e-milio-polenta, mirantibus omnibus, convaluit virgo, quæ macie confecta, & chronica jugi lenta febri penitus abſumpta, ſpem omnem ſalutis abjecerat.*

Hydrope affectos non paucos vidi; non tamen, qui ab organico morbo, ſive alio mortifero viſcerum vitio traxerit originem; quos purgantibus (quibus Medicina abundat medicamentis), inde diureticis, & uſu carnis viperæ in ſartagine frictæ, integros feliciter feci. Non me præterit, nobilem mulierem, cui urinę defecerant, in hydropem incidiſſe. Hunc a me urinarum defectum, a renum convulſione ſuſpicato, per ſuccum amygdalarum dulcium, per alvum non prolabendo, ſanguinem ingreſſum, laxatis renibus, viam urinis aperuiſſe, eventumque votis reſpondiſſe: quippe cum urinis abunde ſcatentibus, hydrope felix evaſit. Cur vero Antiqui per alvum non ſecedere amigdalarum ſuccum, mali ominis eſſe autumaverint, huc uſque ignoro, cum feliciores ejuſdem eventus, a ſua in corpore mora, quam exitu videantur, ut optabile ſit nonnunquam per alvum excerni non poſſe.

Angina correptum vidi, quem cum ſanguinis miſſio non ſanaſſet, ſideritidis ſextili menſe collectæ, in fontis aqua decoctione, roſato mixta melle, egelidaque, gargariſmatis inſtar accepta, optime curavi, viſcida ſaliva imis faucibus excreata. Veſicantia pariter cervici applicita non inutilia comperi.

Cęcum, oculorum albugine pupillarum tenus adveniente, ſetaceo curatum novi, ceteris inanibus remediis.

Surdus, piſcis oleo thymalli auribus injecto, magna lymphæ copia emanante, recuperavit auditum.

Hemorrhagias, pilulis Helvetii, alumine crudo, & ſanguine dracone confectis, alumine quoque per nares attracto, ſi e naribus ſanguinem ipſum ſiſtere velimus, aliis externis locis circum ipſa applicato, non ſemel evici.

Dyſentherias, ipecacuannha radice ad ſemiſcrupulum exhibita, majorem vomitum hac minori doſi excitante, curatas vidi.

Calculo detentos ſileo, venæ ſectione primum, ſucco amygdalarum, ſeminibus erucæ, ſucco cepæ albæ, balneo liberatos.

Hernia inteſtinali, & volvulo cruciatos ſileo, linteo aqua frigida imbuto, ſuperque appoſito, cunctanter a morte vindicatos. Contractis ſcilicet vi frigoris inteſtinis, ac priſtinum naturalem locum adeptis. Quid plura? Ne prolixior æquo fiat epiſtola, morbis ceteris parco, quos offendi, Deoque dante, curavi. Licet præterire haud queam inventum a me Pavoni remedium, fontem ſcilicet aquarum ſulphurearum, ſanis æque, atque ægris utilem, iſtis ſoſpitati tuendæ, his vero ſarciendæ. Nondum enim fontis in conſpectum veneram, cum eminus fœtidum ſulphuris o- dorem

(1) Georg. Bagliv. Canon 1. de Medic. ſolid.

dorem percepi, quo ſaturas eſſe, inde aquas hauriendo cognovi. Aquarum Milzanelli, a Te, Præſtantiſſime Vir, detectis viribus ſimiles eſſe collegi. (1) *Jejuno namque ſtomacho propinatis, plus minus alvum movent, prout major, vel minor eſt ad deponendum, corporum diſpoſitio, præmiſſo equidem vel levi purgante, majores evacuationes conſequuntur, ita ut interdum vehementiſſime purgare viderim recentes aquas, ad libras duas, a levi pharmaco epotas.*

Anno 1740, *Prioris munere fungens Collegii Nobilium Brixiæ Medicorum, juſſu Illuſtriſſimi Salutis Magiſtratus, præſcripſi, ut moris eſt, medicamenta Pharmacopolis in promptu habenda. Utilia ab inutilibus ſecerni juſſi: medicamenta nimis compoſita abolevi, ne in vaſis nimium reſtitantibus, viribus effœtis, ægrotantium ſaluti omnino inutilia evadant. Profecto quid turpius, quam ægros inanibus pharmacis immorari, dum, ut boni aliquid Medicus apponat, pro viribus, enitendum ſit?*

Non ita tamen Pharmacopolis ſimpliciora remedia præcipit Medicorum Collegium, quatenus, tum ipſis, tum Medicis legem imponat, nullis uti poſſe compoſitis medicamentis: omnes quippe Medicos, quæcumque libuerint, præſcribere ſinit medicamina.

Quatuor morborum naturis igitur perſpectis, unam offendimus, cui proſunt Artis Medicæ remedia; reliquum eſſet alteram morborum indolem afferre, ab Hippocrate recenſitam (2), quorum ſymptomatum quidem vehementiam obtundere Medicina poteſt, *in totum autem a morbis ægros vindicare haudquaquam. Hanc tamen, ut finem epiſtolæ imponam, cenſeo omittendam.*

Hæc pauca illa ſunt, at præcipua medicamenta, quibus curandis expoſitis morbis, in aere Brixiano, exceptis paucis, naturæ ſubſidio, feliciter uſus ſum, Vir Præſtantiſſime, quibuſve, natura comite, plures a morte vindicatos non ſemel videre contigit ægrotantes. Me tamen piget, hic me non poſſe ſummam tuam prudentiam, manumque tuam numeris omnibus deſcribere, atque docere quam ſumma vi, ſimul & dexteritate ſemper in medendo ipſe adhibes, cum vindicandæ ſoſpitati, tum tuendæ. Vale, Clariſſime Comes, Teque Superi ſerum in ævum ſoſpitent, cui jure ac merito, Superorum beneficio, ad ſecretiora Muſarum, interioriſque litteraturæ penetralia mollior ſemper aperitur aditus, quod in commune commodum, Ipſe ſic bene, ac ſapienter litteraria tua quæque molimina conferas.

Brixiæ IX. Kal. Februarias
M. DCC. XLVII.

(1) Comes Franciſcus Roncalli lib. de Aq. Brix.

BRIXIENSIS PRACTICÆ MEDICINÆ

EPILOGUS

IN MORBIS ACUTIS.

ILLICO Brixienſes Medici cogitant de cathartico, & ſanguinis miſſione, & ſecundum evidentius indicans, alterutrum prius ſeligunt, venamque etiam altera vice ſecant ante quartam.

FEBRIS.

Si febris eſſentialis eſt, & continua, majus ad agendum lumen expectant a natura ipſa: & interdum a ſymptomatibus, atque ab excretis. Sin vero patenti periodico ritu recurrit, nonnulli etiam corticem Peruvianum in ipſo morbi principio exhibent, qui, ut alibi dixi, non ſemper febres ſanat, ſed raro damnum infert: ideo illius potius amicus ſum.

CHINA CHINA.

Animadvertendo hoc ſub cœlo, ad ſubigendam febrim requiri ℥ j.ſs. optimi corticis, interdum duas; atque inſuper non ſilendo, melius eſſe poſt fugatam febrim, ad prophilaxim, præſervationem ſcilicet, omni mane, aut alternis diebus unam drachmam Chinæ chinæ ſumere, quam medicaminibus quibuſcumque purgantibus, & commoventibus febrilia fermenta, ut noceant, iterum excitare, dum cortex ipſe purgantibus, & rhabarbaro mixtus, licet indicato ſatisfaciat, & rationi conſonus ſit, tamen raro utilem, frequentius non damnoſum vidi.

IN HECTICIS.

Et habituali febre detentis, ſi periodici inſtent, cum aliqua exacerbatione recurſus, China china exhibetur, ſaltem ad tollendam unam ex morbi cauſis, ſcilicet tumultuantem bilem, dato tempore in ſanguinis tubos exundantem.

Obiter moneo, Brixianum aerem non nimis eſſe hecticis, ad tabemque properantibus favorabilem: quare de loco, de climate, de cubiculo illico cogitandum, atque etiam num mediis ſuffitibus, atque vulnerariorum pectoralium, & balſamicorum effumationibus, vel humidis, vel ſiccis reſpirandus aer medicandus ſit, de quo mentionem fecimus in Hiſtoriis Morborum, & vitra Venetiis in hunc uſum fabrefacta commemoravimus.

Ceterum, tot becchicis, totque ſpecificis pro inſtaurando fibrarum pulmonalium tono, aut pro balſamicis, & homogeneis particulis in ſanguine augendis

(2) Hipp. de Art.

gendis Brixiani Medici parum fidunt. A purgantibus abhorrent. Si in humido temperamento urgeat neceſſitas, ab oleo amyg: dulcium, a manna, a flore caſiæ non diſcedunt. Conſervam roſarum rubrarum, præſertim antiquam, propinant, olibanum, opobalſamum, oculos cancri, croci tincturam, electuarium diaſcordeon Fracaſtorei, pulverem Haly Abbatis, antihecticum Poterii, decoctum Morton, emulſiones, gelatinas, butyrum ſulphuris in ovo ſorbili, tabellas ex corallinis, & gummoſis, apozemata ex dactylis, balſamis; inter quos *Meca* nunc ceteris palmam prεripit: deſtillata ex vegetabilibus, & nutrientibus, ſaccharum lactis, ipſum denique lac, ſine quo, etiam alibi, hecticorum curatio ſemper manca eſt.

Tabidorum contagia.

Ad phtyſeos communicationem quod ſpectat, illius ſum voti, & mecum aliquis Brixianus Medicus, nec minoris famæ, ſentit, periculum incipere, & imminere, præſertim quando ſputa fiunt puriformia, & evadunt purulenta, in quo ſummopere vigilandum eſt. Ipſorum gravitas in aqua, & ad fundum demerſio, evadit ſignum non ſatis probans. Dum quandoque excreantur mucoſitates aqua graviores, & pus non ſunt. Contra vero, pus poteſt eſſe adeo bulloſis ichoribus, a concepto in pulmonibus aere remixtum, ut præſertim in prima immerſione ſupernatet, ex qua diverſitate fallax judicium reſurget. Pus noſcitur a Medico practico, potiſſimum ſi operationibus etiam chirurgicis præeſſe non dedignabitur. De albo, de viridi participat, neque adeo ſibi adhæret, & colligatum eſt, ut mucus, & catarrhus.

Quando igitur tubercula, quibus pulmo conſperſus, adaperta, & ſuppurata ſunt, non amplius ichorem, & ſerum dant, ſed humores purulentos; tunc expirandus aer inficitur ab internis ulceribus, ſique a ſanis, nova, proximaque reſpiratione abſorbetur, noxius eſſe poteſt: præſertim ſi juvenes tenelli ejuſdem agnationis, & ſi eodem lectulo, eodemque cubiculo dormitabunt. Ergo cautio, & circumſpectio in hiſce caſibus laudanda.

Raro tamen, & fere nunquam hunc fatalem effectum vidimus executum. Quum de facto Chirurgi tota die in clauſis cubiculis, & Xenodochiis pus tangant, & naribus, atque ore abſorbeant, & tamen præſervatos gratulamur. Et frequenter ulcera interna ab externis non adeo differunt. Quod dictum ſit etiam in ægrotantium favorem, ut non ſtatim auxilia intercipiantur, & famulatus in promptu ſit.

Animadvertere inſuper debemus, non in ſola pulmonum læſorum, ulceratorumque labe timendum eſſe; ſed etiam in hectica febri totum corpus colliquante, licet peculiare vitium in pectore adhuc implantatum non ſæviat. Qui timor eſt minus ſuſpectus, magiſque remotus: ſed non adeo, quin aliquæ diligentiæ ad præſervandum adhibendæ ſint.

In morbis Monialium

Res plena eſt difficultatibus. Sporadici Endemici, & graſſantes morbi curantur, paucis mutatis, ut in ceteris virginibus. Sed plurimi occurrunt, tot ſibi invicem diverſis ſymptomatibus ſtipati, atque invadendi genio, & torquendi modo adeo multiformes, ut omnimodam ſolertiam, & ſollicitudinem in Medico adſtante requirant, ſi prodeſſe debet.

Neque vero anguſtia pendet ab ægritudinibus cognitis, atque a phyſicis cauſis fluidorum, vel ſolidorum vitio pendentibus; puta 1, Obſtructionum in viſceribus naturalibus, quæ febrim albam efficiant: 2, Imminutionis, aut ſuppreſſionis menſium, quæ totum hæma polluant: 3, Glandularum coaleſcentiam in mammis, aut alibi, quæ atrabilarem ſanguinis indolem indicent: 4, Anorexiæ, quæ de infartis ventriculi plicis dubitare faciat: 5, Nimiæ aciditatis, & activitatis gaſtricorum ichorum, ob quos ingurgitationes nimis frequentes ſint: 6, Anguſtarum venarum, ideo ſanguis ad cor reſiliat: 7, Adhibitorum nimis purgantium, a quibus fibra debilis, & effœta reddita fuerit: 8, Regularis obſervantiæ nimius labor, quando non bene ſe habent, ob idque peſſum iverit amata, & chara ſalus. Quandoquidem his omnibus ſua ſignanter medela aptari poteſt; & Brixiani Medici ut plurimum aſſueſcunt

Primi, & ſecundi morbi curationes pertentare chalybeatis, ammoniacalibus, conſerva florum calendulæ, arcano duplicato, decocto pulegii & artemiſiæ, apio, ſabina, myrrha, dyctamo Cretico, millepedibus, butyro ſulphuris terebinthina mixto, cucurbitulis, borace Veneta, zedoaria, ſuccis aperitivis depuratis, rhabarbarinis, ſale abſynthii, flore caſiæ, aquis medicatis, & aliquot etiam ſpecificis vegetabilibus, quorum nomenclatura proſtat apud auctores, non omiſſo etiam emollientium, laxantium, & balneorum uſu.

Tertii vero, lactis ſero, aquis deſtillatis, oculis cancri fluvialibus; extra vero lactucæ & betæ foliis, ſucco ſempervivi majoris, & linimentis ex plumbo, & hyoſciamo applicitis.

Quarti, incidentibus, & per epicraſim purgantibus; qualia ſunt tartarum album, oxymel, ſtibina decoctio, jus paſſulatum, Tetutiana aqua, prunellæ, & abſynthii ſal, liquiritiæ ſuccus, vegetantia aperitiva, theiformia juſcula, & multa alia, quæ incidendi vim habeant.

Quinti, diluentibus, alkalinis, abſorbentibus, & teſtaceis.

Sexti, incidentibus, atque attenuantibus, deſtillatis, necnon imminuta venæ ſectionibus ſanguinis quantitate.

Septimi, incraſſantibus, lacteis, gelatinis, emulſionibus, viperino libamine, pullorum, & ranarum

narum reſtauris, iure galli veteris, Saxoniæ ferculo, columborum, turturum, aut perdicum brodiis.

Octavi denique, illas abſolvendo ab obſervantiis regularibus, a quibus corpus læditur, ſpiritus vero labefactatur, atque conſumitur. Quomodocumque enim, vel ob narratas deſuper cauſas, vel ob quamcumque aliam excogitabilem rationem ægrotent, illud certiſſimum eſt, & citra dubitationis aleam poſitum, non teneri ad mentis, & corporis labores illos, quos cum clauſtrali vita ſuſcipiendos elegerunt. Quia vero in hoc datur major, & minor morbi vis, & in ægrotantibus ſacris virginibus reſiſtentia; per conſequens Medici prudentia de medio eſt, ut ea obeunda, & facienda tantummodo ſinat, atque permittat, quæ citra noxam, & languentis naturæ damnum fieri poſſunt.

Hoc in anfractu, ſi cogitabimus mentis quaſcumque operationes a ſpiritibus bene ſe habentibus produci, ſpirituum vero qualitates, ope glandularum corticalium cerebri, a qualitatibus ſanguinis pendere, profecto illud erit in propatulo, ut ſtatuamus, nullo modo poſſe ægrotare corpus, & circumeuntem in corpore cruorem, niſi & ſpiritus laboret, atque leviſſimam quamlibet cauſam ſcintillæ vices ſubire poſſe

Cumque tunc præſertim patiamur omnes, quando non ſatis ſani, & vegeti aliquod opus moliri debemus, arguat quiſque, quid erit de delicatis Monialium temperamentis ab obſervantiæ laboribus, a jejunio, a perpetuo precum ſacrarum cantu eo magis læſis: ob quæ & alia a peculiari defectu, & conſtitutione proficiſcentia, corpus aliquando redditur valetudinarium, atque ad ſubeundos morbos facillimum.

Addamus, læſiones has in contentis ſuccis implantatas, frequenter in continentibus ſolidis vitia imprimere; quæ dein effœta, atona, atque ad pareſim prona, difficulter ad primarium vigorem reduci poſſunt; hinc flacceſcunt niſus momenta, oſcillationes languent, & adhibitis remediis, debiles interdum ægrotæ in pejus ruunt.

Nullum ideo ſupereſt utilius refugium, niſi ut & aptiore cibo vires inſtauratæ refocillentur, & vitata pſalmodia ſpiritus animales non diſtracti, non conſumpti, ad promovendas digeſtiones, & fermentationes magis incumbere poſſint.

Itaque ob tranſactum morbum, qui redire poteſt, & vires debilitavit, ob præſentem, qui ſævit, & angit, ob futurum, qui, attentis aliquibus ſignis, & primordiis, poteſt contingere, non ſapiens ſolum, ſed prudens, & diſcreta Medici auctoritas poteſt indulgere, & ægrotantes patientes ad tempus abſolvere. Quandoquidem hoc eſt facere, ut magis orent; quia tali modo priſtino vigori reſtitutæ, ad ſubeunda ſuæ religionis munia alacrius, & facilius redibunt.

Convulsiones hystericæ.

At, ut mox dicebam, anguſtia Medicorum non pendet ab ægritudinibus cognitis, & alio virgineo ſexui ſimilibus: ſed præcipua in medendis Monialibus difficultas ſtat in noſcendis convulſionum hyſtericarum cauſis, ipſarumque ſubigendis ſymptomatibus; quæ adeo protheiformi genio invadunt, & perſonata, omnemque alium dirum morbum ſimulantia, ſæviunt, atque recurrunt, ut hodierna die præcipuus videatur morbus, qui in eaſdem derivatus graſſetur. Quamvis, ut vera fateamur, neque ceteræ virgines, & mulieres ſint immunes, cum per totam urbem tyrannicus morbus, tam nobiles, quam plebeias pari modo metiatur, & utraſque male tractet.

Signanter tamen de ſacris Aſcetriis agendo, illud primum clamant ſcholæ omnes, & ſaniores practici ſuadent, ſcilicet ut ſanguis mittatur ad plures vices, ſi opus eſt: quod de facto & Medici Brixiani fere omnes laudant, & exequendum committunt, ſecundum temperamenti, & morbi vires.

Hoc facto, poſtularet inſtitutum, ut ſecundum diverſos aggreſſionis, reſiſtentiarum, ſymptomatum, & effectuum multiplices gradus, Brixiana praxis exponeretur; ſed hoc eſt nimis arduum, in contraria abeuntibus medentium ingeniis, & quotidie mutato ægritudinis aſpectu, ita ut, quæ hodie facienda, cras damnanda ſint ſepe ſepius. Hinc lex non poteſt ſtatui, neque ulla methodus produci. Tamen, ne miſſis promiſſionibus deficere videamur, unum non ſilebimus nos

Animadvertere in primis, num præter hyſtericum paroxyſmum, & tumultum, aliqua adſit in morbido corpore ægritudo, quæ univerſale, vel peculiare aliquod remedium poſcat, quo caſu aptamus, quæ uſitata ſunt, ea ſemper ſervata ſollicitudine, ut vitatis mucidis pilulis, & antiquis ſyrupis, ſimplicitati ſtudentes, recentibus partibus integrata remedia, de novo ad indigentiam curent elaborari.

Quibus præmiſſis, & dempta primarum viarum, & ſanguinis, ut dicebamus, quantitate, & plenitudine, non ſcriptis a tergo ſchedis opitulamur, non adactis tota die remediorum formulis, & effuſis officinarum nartheciis; ſed potius conſiliis, verbis, & ſpe certæ ſalutis, blandiendo medemur; in apta, & convenienti dięta plurimum confidimus, & animi hilaritatem, illam tamen, quæ in ægris dari poteſt, quammaxime laudamus, totumque negotium potius naturæ, & tempori, quam arti committimus.

Lues venerea.

In primo afflatu, & recepta contagionis vi, plerumque ab ægrotis res traditur Pharmacopolis,

iis, & Chirurgis. Sique gonorrhæa fluit, prompte caſiam, ſyrupos, emulſiones, ipſamque interdum Quercetani aquam; ſin vero bubo ſurgit, aptant emollientia, cataplaſmata, ſuppurantia; tandemque glandis ulceribus medentur vitrioli ſpiritu. (1)

Aucto, magiſque inſculpto venereo miaſmate, tunc Medici conſuluntur, qui ſecundum effectus ſubinde natos diverſimode agunt, totumque opus ſalſaperilla, & guaiaco perficitur, & abſolvitur: prima in nobilibus, ſecundo in pauperibus; & una tamen, & altero promiſcue in omnibus, quando neceſſe eſt.

In gonorrhea virulenta aſſuetus ſum perſcribere pilulas. ♃ ſalſeperill: el: pulv: ℥ 5, cum balſ: de copay: f. bol: xl. invol: pulvere liquiritiæ; poſtque ſufficiens expurgationis tempus, addo balſamum ex Meca, utpote magis adſtringens, coralia rubra, gummoſa, & alia ſtypticis viribus pollentia. Aquæ inſuper minerales vitriolico, chalybeatoque ſapore pollentes, mirabilem, in gonorrheis præſtant operam, preſertim ad ſuperandum habituale, fere dixero, ſtillicidium.

In tertio gradu, ubi venenum venereum, aut fluida in gummeas concretiones coaluit, aut ſolida ipſaque oſſa labefactavit; tunc ad mercurium confugitur diverſimode adminiſtratum. Sed hac ætate tam Medici, quam ægroti amant illum ſumere per os, aut in parva doſi, aut purgantibus additum, ut ſalivationis vitent curriculum. Hæc univerſalia, & cunctis nota. Illud addo, ut abſoluta curatione, deſtillatis, lacte cocto, & ſimilibus, humores interni, non ſiphylide, ſed effectibus, ab adhibito remedio laborantes cicurentur, atque ad homologam, & dulciorem craſim reducantur.

Bronchocele.

Morbus eſt quaſi Endemicus in Brixiana provincia; ſed potius in montuoſo ſeptentrionali ejuſdem latere, ubi glaciei, & nivium frequentia aquas magis crudas reddit; præſertim in convallibus, aut locis meridiei obverſis, & a Sole non lætificatis. De ejuſdem tamen curationis modo hic loqui ſuperſedemus; quia duobus locis hoc in Opere proſtant remedia fuſe deſcripta, primo a preſtantiſſimo Bergomate Viro Andrea Paſta, pag. 229. Secundo: a nobis etiam, ubi agemus de medicina Mediolanenſi, ſignanter in Epiſtola Taurinum miſſa, quo curioſos hac in re remittimus.

Vomitus.

Ut curetur, aut ſaltem miteſcat, exhibent decoctiones ex tormentilla, biſtorta, abſynthio, ligno aloe, amygdalis amaris, ſyrupum de roſis ſiccis, oleum vitrioli ad guttas v. in vino cyprio; externe theriacam cum balſamo Peruviano, oleo nucis myriſticæ.

In Cachexia.

Poſt conveniens indicatum purgans, idemque ſi opus fuerit repetitum, in uſu eſt decoctum, aut vinum ſequens.

Decoctum. ♃ ligni ſaſſafras, cort. tamariſci, rad. enulæ, ariſtol. rot. ari. hyrundinariæ, raphani ſylveſtris, anagallidis, florum roris marini, fol. ſalviæ, pulegii, cent. mi. camedryos, calam. aromat. an. in aq. fontis S. A. Sique Æger conſumptus, & macer eſt, ſupradicta ponenda in ventre columbi turriculi.

Vinum. Abſynth. citrach. cort. rad. fraxini an. m. ii. limaturæ chalybis ℥ii. bull. in lib. iij vini generoſi lento igne. de quo cap. ℥iij omni mane: præmittendo bolum ex extracto gentianæ, ſcolopendriæ, & abſynthii an. ℈i. cum guttis vi. ſpiritus fuliginis. Vinum etiam infuſum in doliolis tamariſci utiliſſimum eſt. Exterius aptant emplaſtrum tabaci, vel de cicuta.

Hydrops.

Præcipue aſcites ut curetur, exhibent purgantia varii generis. Inſuper elaterium, ſeu ſuccum inſpiſſatum cucumeris aſinini ℈j. (2) cum oleo macis, & trociſ. alhandal. ſuccum ireos, oxymel ſcilliticum, jalappæ radicem, guttam Gummi g. xv. cum tantillo ſalis abſynthii, ſyrupum de ſpina cervina, ſoldanellam in pul. redactam ad ℈j. lixivium ex ſarmentis vitis, & fabarum; decoctum album baccarum juniperi, decoctum milii, urinam pueri, ovis, cantharides.

In Apoplexia.

Cogitandum, quę declamabat Rotarius Veronenſis, ut homo præſervetur. Ceterum enato ictu, jamque ſyderatis ſolidis, executaque pluries, ſi opus eſt, ſanguinis miſſione vel emeticum, vel purgans pertentatur, vel denique ſuppoſitorium acre ad nutum Langii ♃ Fellis tauri℥ inſpiſſ. ʒ ſ. ſucc. ruth. ſalviæ an. ℈ ſ. ſal. abſynti ℈i. cum melle f. ſup.

Cujus docti auctoris ipſe etiam multoties adhibui

(1) Irritamenta, inflammationes producere aptus eſt; feliciuſque opus præſtat linimentum ex mercurio crudo, ſaliva malaxato, addito oleo amygdalarum dulcium, & ſucco ſempervivi minoris.

(2) Circa quem nollem, ut Philiatri vera crederent ea, quæ Gręci olim Medicæ Artis magiſtri illis verbis proponebant: πάντων δὲ ὅλως φαρμάκων πλεῖστον διαμένει χρόνον τὸ ἐλατήριον, καὶ τὸ παλαιότατον ἄριστον. ἰατρὸς δ᾽ οὕτις ἔλεγεν οὐκ ἀλαζὼν, οὐδὲ ψεύστης ὡς εἴη παρ᾽ αὐτῷ διακοσίων ἐτῶν, θαυμαστὸν δὲ τῇ ἀρετῇ, δοῦναι δὲ τινὰ αὐτῷ δῶρον, αἰτία δὲ τῆς χρονιότητος ἡ ὑγρότης. διὰ γὰρ ταύτην καὶ ὅταν κόψωσι τιθέασιν εἰς τέφραν ὑγρὸν, καὶ οὐδ᾽ οὕτως ξηρὸν γίνεται, ἀλλ᾽ ἄχρι πεντήκοντα ἐτῶν σβέννυσι προκαγομένον τοὺς λύχνους. Nimirum elaterii illud eſſe optimum, quod vetuſtiſſimum eſt, ducentorum uſque annorum, quandoquidem edax tempus natura, & arte parata interdum corrumpit.

hibui mixturam antipoplecticam. ♃ aq. ciras. nigr. cord. ſax. an. ℥ ſ. ſpir. ſang. human. urinæ an. ʒ ſ. ſal. vol. ſucc. ſyrup. de canell. ʒ iii. m. cap. cochleatim.

Aut, ſal. vol. c.c. longo hauſtu aquæ capitalis infuſi.

Lancisii documento innixi Brixiani Medici, corpora apoplecticorum purgant pulvere cornacchini, cui ſi addantur g. ii. tartari emetici Minſicht, vomitum etiam utiliter conciliat.

Parti affectæ aptant poſt frictiones, & vini ſpiritum, adipem muris montani, & ſpiritum ſalis ammoniaci naribus admovent.

Veſicantia, & cucurbitulam in occipite profunde ſcarificatam non omittunt. (1)

Paralysis.

Tollitur, aut ſaltem imminuitur pilulis de hyera cum agarico: ſubinde decocto roris marini & florum bellidis, atque herbæ paralyſis, lento igne in baln. m. facto, & omni mane jejuno ventriculo in uſum poſito: præcipue ſi exigua portio ſalis volatilis viperarum addatur.

Deinde quinque alia externa.

1. Balſamum Peruvianum cum vitello ovi ſubactum, addito ſpiritu lumbricorum terreſtrium, vel formicarum, præſtantiſſimum eſt remedium, ſi inungatur pars affecta.

2 ♃ Urticæ ma. man. iii. chamæmel. m. i. ſem. cumin. ℥ i. ſalis ℥ iii. Piſtentur om. prob. in mortario, & decoquantur in urinæ humanæ pinthis duabus, ad conſumptionem qua. partis. Quo decocto balneetur, mane, & veſpere, pars affecta.

3 Membrum affectum ter in die fricandum cum ſpiritu vini camphorato in loco calido.

4 Urticationes.

5 Balnea ex vinaceis.

Ex quibus meliora & magis indicata ſeligenda ſunt, & ſi lubet, etiam figendæ Thermæ ex ſulphure, & baccis lauri.

Gingivis ex scorbutica affectione corrosis

Aptantur, & uſuveniunt collutiones ex foliis quercus, aquilegiæ, & hyſſopi, necnon ex radice biſtortæ, ariſtolochiæ rotundę, tormentillę, & reos therbentini; ſed lacca, myrrha, alumen, ſalvię ſuccus, cochlearia, ſedum minus, lapis medicamentoſus Crollii, cortices granatorum, thus, maſtich, primaria ſunt in hoc morbo, partem affectam reſpicientia remedia.

Athmatis remedia.

♃ Gum: ammoniac: acet: ſol: ʒ ii, fol: eryſm: pulv: ut: ſulphur: an: ʒ v, cum oxymel: ſcillit: f. maſa pilularis: cap: pil iii omni mane. Add: ſi lubet, flor: benzoin: extract: helenii cum ſal: prunell: Inſuper laudantur

1 Tinctura croci, Pulmo vulpis.

2 Aqua limacum magiſtralis, & lumbricor:

3 Aquæ deſtillatæ ex Helenio, ireos Florent: bryonia, marrubio, ſatureia, baccis juniperi, cubebarum, & macis.

4 In aſthmate humido Brixiæ utiliſſimum ſequentem ſyrupum vidimus. ♃ Rad: polypod: ℥ ii, paſſul: Corinth: ℥ i, ſebeſten: n. xv, pulmonar: ſatur: calaminth: an. m. i, fol: i magn: tabaci, liquir: raſ: ʒ i, ſem: urtic: ʒ v, expreſſis; coq: in mulſ: dilut: ℥ x, & cum ſaccharo fiat ſyrupus.

5 Si macer, & exſiccus æger eſt, atque temperamenti pichrocoli, omnia poni poſſunt in ventre galli veteris, aut pulli junioris, ſecundum indicationes urgentes.

6 Si aſthma eſt ab aere frigido penetrante, laudantur ſuccus bellidis, & flores, atque etiam capilli Veneris, & ros ſolis.

7 In aſthmate, tam ſicco, quam convulſivo millepedes, caſtoreata, opiata (1) ſperma ceti, jus lumbricatum.

Fistulæ, et ulcerum curatio.

1 Injectio olei ex titymalo.

2 Aquæ Tetutianæ, cum melle roſato.

3 Succi tabaci.

4 Aquę Montis Grotti.

5 Unguenti Ægyptiaci in vino ſoluti.

6 Aut in vini ſpiritu, docente Heiſtero.

7 Aquæ phagedenicæ, ex aqua calcis ℔ i, & ſublimato g. xx.

8 Fiſtulę, quę ſupradictis remediis non ſanantur, ferrum requirunt, utpote primarium earumdem curativum: ad quod tamen Brixiani Chirurgi & apti, & dexteri ſuapte natura inclinant, & Gallis non cedunt.

Strumæ.

1 Poſt in lucem editas Hiſtorias noſtras Morborum, ubi pag. 42. expoſuimus arcanum pro curandis ſcrophulis, invaluit Brixiæ mos illud adhibendi.

2 Præter illud aptatum, & utile extra aliquando vidimus ſuccum cucumeris agreſtis.

3 Oleum guaiaci.

4 Succum ciclaminis.

5 Cineres caulium.

6 Farinam lupinorum, cum oxymelle coctam.

7 Argentum vivum floribus ſulphuris extinctum.

8 Oleum juniperi, philoſophorum, buffonum de lacertis.

Delirium.

1 Ut curetur, Brixię uſuveniunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, venæ, & frontis ſectiones. Pulmones calentes agni poſiti ſuper caput, genitalium refrigeratio, cauterium in ſutura coronali, vel ſetaceum, inunctio capitis unguento populeon, vel ſucco ſedi minoris: poſtque lavacra oleum nympheæ, & mandragoræ, regioni abdominis parietaria cocta, cum oleo ſcorpionum Matthioli.

2 Si æger debilis, detinendus in loco obſcuro; ſecus ſi vires habet.

3 Etiam hypnotica adhibentur, lactuca, violæ, diaſcordium, & ſimilia.

4 Animadvertant quam maxime, num febris adſit, qua preſente, timendum non eſt; ipſa ceſſante, maniæ timor, & tunc

5 Iterum venæ ſectio, quam Platerus vigeſies utiliter repetitam refert.

6 Cerebrum canis coctum, & intus exhibitum.

7 Bibendo aquam ex foliis buxi.

8 Radix hyperici collo geſtetur.

9 Caput lavando decoctione ſeminum lactucę, papa. nigri, & album. ovi.

10 Fronti vero applicando ſuccum e cancris vivis contuſis.

Cutis morbos

Curant viperina, in exilium miſſis ceteris, quæ ab extra aptant vulgares Chirurgi.

In ischiade

Confugiunt ad Hermodactilatam, ſi æger connutritus, & pinguis eſt. Secus, ad decocta alexipharmaca.

In hemorrhagia, et quocumque alio sanguinis fluxu, etiam ab utero.

Utilia Brixiæ vidimus oleum vitrioli in aqua plantaginis, ſyrupum granatorum, berberum, & corallorum, urticæ, & millefolii flore albo ſuccum, lentiſci decoctum, radicem filipendulæ in ovo ſorbili, trociſc: de charabe, balſamica, mumiæ eſſentiam, alumen crudum, conſ: roſ: antiq: opiata, quę interdum adſtringentibus utiliora, quia venas prope ventriculum non corrugant, & coarctant, ob quod ſanguis mechanica neceſſitate in adaperta orificia, fluxum augendo, expatietur; fomentaque ex polygono, myrto, balauſtiis, & cupreſſi nucibus.

Caſus.

Brixiana mulier Comitiſſa NN. poſt enixum filium, talem hemorragiam, tantumque ſanguinis exitum per uterina, & vaginę vaſa paſſa eſt, ut extincto pupillarum vigore, oculiſque turbidioribus frequenter in orbem converſis, ſuaſque in cavernas contruſis, torpentibus membris, quaſi truncus immobilis, ad ultimas uſque agonis incitas redacta videretur. Illo in anfractu, in conſultationem accitus, ut cum ſapienti Viro Joanne Franciſco Guadaneo, nobilis illius Familiæ Medico ordinario, ſermo inſtitueretur, auctor fui, ut ſtatim multa glacie lumbaris, & abdominis regio operiretur. Dictum, factum; ſtetit cruor; patiens convaluit.

Erysipelatis

Curatio ut plurimum naturę committitur, niſi adſint aliqua peculiaria, ut alibi diximus, indicata. Oro remotos Chirurgos, ut a tanta, & multigena rerum adminiſtratione abſtineant.

In dolore capitis

Utilia vidimus lentam purgationem, pilulis Belloſte, aut Venetiis *Santa Foſca*, quibus maſticinæ præ aliis poterunt ſubſtitui.

Conſerva florum anthos, cum calamo aromatico, & ſyrupo de corticibus citri in electuarium compoſita.

Oleum camphoræ, ad gutt: vj in brodio.

Oleum olibani, ſive thuris rectificati; aut elyxir P. Paracelſ: guttulas aliquot in vehiculo idoneo.

Chalybeata, ſi ab obſtructis viſceribus.

Hyſterica, ſi ab utero: quo caſu in uſu frequenti eſt tinctura corallorum.

Tandem ab extra: cuminum contuſum, & capiti applicitum, cucuphæ in forma ſicca, ex verbena, & radice zedoarię, rhodii, ſem: pap: flor: chamæmel:

Coryza

Laborantibus, theiformi multiplici decoctione ſuccurrimus; atque etiam pectorali apozemate, pilulis ex butyro, & ſaccharo, ſucco quiritię, & amygdalarum dulcium, cujus uſus in omni fere morbo Brixiæ frequentiſſimus eſt, etiam abſque Medici preſcriptione. Videntur quæ mox dicebamus de tuſſi.

Vermes

Fugare ſatagunt ſeminibus Santoici, mercurio, corallina, omniumque amarorum familia, ſpe freti, ita eoſdem ad inferiora deſcendere, ut lacteis clyſmatibus poſſint faliter educi. Circa hæc nihil vidi in effectu, quod certę fuerit utilitatis.

Pleu-

Pleuritis

Jam a nobis ad examen revocata eſt; tunc cum nonnulla in celeberrimum Sydenhamium p. 7, & 8, critice etiam, commentati ſumus, ubi Brixianus ægrotos tractandi modus ſubolet, quare illuc curioſos remittimus, notando ſolum, nos, in curandis morbis pectoris, eſſe quam maxime Baglivo addictos: parum purgatores, niſi conſtet de inferiori ſarcina, humectantium, diluentium, expectorantium remediorum, & tepidarum ſorbillationum amicos, non ex mineralibus, ſed vegetalibus dependentium, quæ incidendi, & pacandi vim habeant.

Papaver rheas, hypericon, helenium, pulmonaria, ſperma ceti, ſtyb: diaph: lapis prunellæ, liquiritia, ſanguis hirci, ſpiritus fuliginis, oxymel, etiam ſcilliticum, ſyrupus de ſymphito Fernelii, pomum dulce repletum thure maſculino, prima ſunt in thoracico morbo Brixianorum remedia. Aptatis ab extra dolenti lateri veſicis lacte ſemiplenis, aut calce viva cum melle, aut cataplaſmatibus ex cepis, & emollientibus fomentis.

Variolæ.

Vide. BAVARIA.

Dysenteria.

Niſi ſit in corpore obeſo, pendeatque ab humorum plenitudine, Brixiæ curatur ſero, humectantibus, emulſionibus, caſia, poſt primos dies, cum tamarindis: Medicuſque purgator adſciſci debet, ſi vel tantillum rhabarbari torrefacti addendum ſit.

Illico etiam de ipecacuannha cogitatur, atque exhibetur; ſed miracula non præſtat, ut olim.

Tandem adſtringentia, ſtyptica, & etiam narcotica præſcribuntur.

De purgatione verno, et autumnali tempore.

Tandem aliquando reſipiſcere cœperunt & ægri, & Medici, cognoveruntque, nil aliud eſſe frequentes purgationes, quam temperamenta lædere, officinas vero locupletare. Non tamen res adeo late intelligenda, ut olim fecit Joannes Baptiſta VVerloſchingh (1), qui fuſo opere, conquiſitis doctorum hominum epiſtolis comprobato, curationes verno-autumnales in integrum damnavit; quandoquidem hoc eſt nimis audere, & ire contra rationem, contra factum. Eamdem damnare, vel laudare piaculum eſſe poteſt: imo certo erit, niſi Philiatri diſtinctione veritatis matre, præcedentium, atque præſentium magiſtrorum dogmata imitabuntur.

Sanus curatione verno-autumnali indigere poteſt ob tres præſertim cauſas.

1 Si ita conſtituta habet viſcera, & latos hiantes meſentericos canaliculos, ut pleno gurgite chyloſa alimenta, & eduliorum farcimina in ſanguinem deriventur. Si inſuper huic conſtitutioni accedat excretionum tarditas. Profecto adeo cumulari poterunt in venis lentores, ut purgatio neceſſaria ſit.

2 Si cibis implebitur, ſi impiger erit ad laborem, ſi vino litabit: a quibus duobus onerato viſcerum ordine, & diſtentis vaſis, & nervis, morbus, aut mors erit præ foribus, niſi opportuna purgatione provideatur.

3 Denique poteſt eſſe aliquis morbus vel anniverſarius, vel dato tempore rediens, ob quem avertendum medicina paranda ſit.

Collyria in oculorum morbis.

Utiliter adhibita pluries Brixiæ vidimus
1 Vitrum antimonii infuſum in aqua cyani.
2 Aquam plantaginis, ſileris montani.
3 Mucilagines ſem: altheæ in aq: fœniculi.
4 Vitriolum ex Cypro, cum aq: euphraſię, & tutia.
5 Camphoram, crocum in aquis ophtalm:
6 Aquam ſpermatis ranarum cum ſaccharo ſaturni.
7 Fotum ex ſemine cydoniorum, & floribus meliloti.
8 Saccharum canditum in aqua roſarum.
9 Ablutiones cum lotio proprio horis matutinis.
10 Enulam campanam, & ſemina aniſorum in aliqua decoctione.
11 Aquam florum calcatripæ, ſolani.
12 Aliquando veſicantia, & fonticulos.
13 Moderatum errhinnorum uſum.
14 Pulverem in oculos inſperſum, ex oſſe ſepiæ, C.C. uſto, teſtis ovorum calcinatis.
15 Sal gemmæ ℥ i diſſolutum in aq: roſarum.
In oculorum vero nubecula, & albugine
16 Semen hormini ſylveſtris, ſeu ſclareæ, ejuſque decoctionem impoſitam oculis tempore ſomni.
17 Mel deſtillatum. (2)
18 Mel etiam roſatum, cum ſucco chelidonii ſolutum.

In tussi.

Brixiæ interdum vidimus utilia ammoniacum, marru-

(1) Opere Francofurt. impr. apud Dominicum Sande, ubi procedit per purgantium diviſiones, per humores fictitios, per chimericas cacochimias &c.

(2) Animadvertendo in deſtillationis actu primum aſcendere aquam albam, quæ in agendo mitior eſt; ſecundum flavam, quæ eſt activior, & acrior.

marrubium album, rad: ireos Florentini, nicotianam, oxymel, ſyrupum de eryſimo Lobelii, aquas pulmonum vituli cum plantis pectoralibus deſtillatas, balſamum ſulphuris terebenthinatum, aniſatum, Looch paſſularum, decoctum roſarum, papaverina, amygdalas, pilulas de cynogloſſa, ſperma ceti, atque etiam ſequentes pilulas.

℞ Styr: calamit: ſuc: liquir: olibani, myrrh: opii Thebaici an. ℥ v, croci or: ℈ i, cum ſyrup: pap: alb: q. ſ. m. f. maſſ.

Scabies.

Pro fuganda ſcabie neceſſe non eſt, ut deliræ anus in conſilium vocentur, ut officinarum narthecia ſubmoveantur, multoque minus ad mercurium, antimonium, vel ſublimatum, quorum ſemper adminiſtratio periculoſa eſt, ægri confugiant. Solum ſulphur quovis oleo mixtum, ut adhæreat, & aptetur, ſatis eſt, ſemperque ad extra, nunquam per os adhibitum.

Animadverſio 1.

In Benaci lacus riperia vidi olim barbitonſorem, origine Gallum, agilem, & dexterum, qui agens, ſiniſtram manum abſconditam ſubtus indumenta tenebat. Rei novitate permotus, obſervavi diligenter, quid eveniret. Cum ecce, enata occaſione, qua ambas adhibere debuit, vidi ſiniſtram manum ſordida ſcabie undique pollutam: ſignum evidentiſſimum, dexteram, quæ pulchra, & nitida erat, ſucceſſivis, & perpetuis lotionibus, a ſapone fuiſſe præſervatam: quo dein lumine omnibus ſpurco illo morbo ſignatis, auctor fui, ut frequenter ſpumantibus ſmegmate aquis, partes humectarent.

Animadverſio 2.

Interrogandi ægri ſunt, num ſcabies de illis ſit, quæ quotannis, aut dato tempore, revertuntur; quandoquidem illæ ſunt difficillimæ curationis, & pſoricis non tam facile cedunt.

Calculosorum remedia.

1 Pinguia, & oleoſa vitanda ſunt.
2 Aer temperatus, & habitatio verſus meridiem.
3 Laudantur carnes leporinæ, gallinaceæ, aves montanæ conditæ cum petroſelino, & rore marino; hordeum, farum, braſſica, beta, borago, pimpinella, gramen, fœniculum, raphanus hortenſis, rapæ, cepæ coctæ hyemali tempore.
4 Poma elixata.
5 De lacticiniis ſolum ſerum.
6 Nunquam ſatiari cibis.
7 Parce bibant.
8 Flos ſambuci in vino fermentatus, magnum eſt præſervativum.
9 Aqua, in qua bullierit lignum liquiritiæ.
10 Moderatus motus.
11 Prohibeantur ſedentales ludi.
12 Multæ dormitationes damnantur.
13 Ab animi affectibus abſtineant, tanquam a peſte.
14 Virga aurea ʒ i pro vice, in pulv: redacta, in aliquo vehiculo.
15 Quinque avellanæ comeſtæ ante prandium:
16 Amarenarum acetoſarum amygdalæ idem præſtant.
17 Pulvis ex floribus ſambuci, in cibis frequentibus.
18 Sal leporinus, ad ℈ i.
19 Sanguis hirci.
20 Radix ſaxifragiæ.
21 Semina matura juniperi, autumnali tempore collecta.
22 Succus betulæ.
23 Parietariæ.
24 Decoctum malvæ, cum butyro, & melle.
25 Lapilli cancrorum, cum ſucco limonum ſumpti.
26 Succus cancrorum, cum vino expreſſorum.

LAUS BRIXIENSIUM MEDICORUM.

A Vero pietatis, atque Orthodoxæ Religionis cultu & fonte proficiſcitur, ob id, quia diligentes ſunt ad ſuadendum ægrotis, ut rebus animæ provideant. Hoc vellem maneret futuris Philiatris Brixianis, ceteriſque alta mente repoſitum, & præſentium Majorum ſuorum veſtigia laudabili conſilio ſequerentur. Ad quod inſuper, ut ſemper proclives ſint, animadvertant.

Primo: Multoties eveniſſe, ut adoleſcens nullis precedentibus ſignis, licet connutritus, viribus florens, & cubili, ut ſomnum caperet, ſe tradens, loco dormiendi, ſubitanea ſideratione tactus, dolores aut mortem obierit, juxta illud: אל תאמן עצמך בשלות נופך בעולם הזה כי כמה שכבו על מטתם ולא קמו כמה שכבו על מטתם שמחים וטובי לבב וקמו בחלאים רעים כמה שכבו על מטתם בריאים והקיצו במכאובים רעים

Secundo: Dari febres (maligniores illæ ſunt), & morbos, qui lente invadunt, ſub cineribus occulte latent, de improviſo caput lædunt, aut jugulant.

His poſitis, & (heu!) nimis veris: temerarius ille, qui abſque cultro humana introſpicit extra, de iiſdem dictatoria certitudine diſſerit, futuroſque morbidæ, & luctantis naturæ de certo noſcit effectus, nuncium differat, diem in diem trahat, & permittat, ut æger ad extremas uſque incitas deducatur. Qui neſcit, & mihi ſimilis eſt, timeat, admoneat, & cito ad bonorum omnium Datorem confugiat.

CASTI-

CASTILIO A STIVERIIS.

Ut tuis nutibus obtemperem, Vir Doctiſſime, quamvis ſupra vires ſit pondus præcepti, ea paucis attingam, quæ juxta varias anni temporum rationes, circa præcipuos quotannis hic recurrentes morbos quinque abhinc luſtris praxis me docuit non interrupta. Liceat autem aliquam regionis hujus notionem præmittere. Aer eſt purus, & mediocriter tenuis, amœni fere undique conſurgunt colles, ubi vina meraciora parantur; aquæ puræ, corruptionis expertes, nec alienum ferentes odorem, utpote per ſabuloſa collium ſtrata filtratæ; pleraque hominum corpora gracilis ſtaturæ, & exercitata.

Pleuritides, pleuropneumoniæ, & pneumoniæ, hyeme præſertim, plus minus recurrunt, in quibus phlebotomia numerum omnem abſolvit, pluries repetita, plerumque ad quadraginta uncias, ut notat Sydenham (1), raro ultra, quandoque citra, ſi lympha, aut bilis potiſſimum in cauſa ſit, ita etiam in pueris, & ſenibus; quo citius, & ante quartam, eo magis proficua, præſertim ſi ſecunda ſaltem, aut tertia vice, cortex gelatinoſus occurrat, eamque inſtituo, etiamſi pulſus ſit mollis, ſi ſpirandi difficultas, dolor gravativus, &c. affectos indicent pulmones. Dolores deſcendentes ex cacochymia, tenuiter conſiſtentes, quos notat Hippocrates (b), & in quibus purgatio confert, & V. S. lædit, hic rari ſunt; imo obiter addo, in omnibus morbis, in quibus purgatio convenit, minorem purgantium doſim idem hic efficere, quod major efficit in aere craſſiori. Dolores deſcendentes ſæpius adnotavi ab inflammatione vaſorum intercoſtalium dependentes, quorum Verna (3) mentionem facit, & deſcendentes, in quibus, juxta Galenum (4), antiferenda phlebotomia purgationi, etiamſi dolor ad ilia fuerit. Dolores fugaces, a ſero cacoethe a Ballonio (5) notati, a ſero acri a Baglivo (6), in quibus parva, aut nulla convenit V. S. rari pariter ſunt.

Si quod autem poſt ſanguinis miſſionem utile remedium deprehendi, profecto ſunt fotus humidi, emollientes, & reſolventes, veſica plena, aut ſpongia loco dolenti, & hypochondriis, præcipue dextero, maxime, ſi, ut ſæpe ſolet, hepar ſimul afficiatur, vel ſi vigiliæ adſint, delirium, pulſus durities, linguæ, & cutis ariditas, mane, & ſero calidi a dimidio horæ uſque ad unam renovati, attento tamen Hippocratis (7) monitu, non multum fovendi, ſi dolor non ſolvatur, ne ſiccetur pulmo, & ſuppuratio ſollicitetur.

Utilem quoque expertus ſum largum potum actu calentem ex aqua rebus pectoralibus, & blandis emollientibus alteratum; e contra decocta pectoralia traumatica non ſolum ab ægris abhorreri, ſed nonnunquam cum eorum diſcrimine anacatharſim, ſufflaminaſſe animadverti, non modo in dictis morbis, ſed etiam in vomicoſis, & phtyſicis, in quibus idem adnotarunt Fridericus Hoffmannus (8), & Acta Medic: Berolin: (9). Hæc decocta proficua vidi in ſuppuratis, & tabidis, ſi cum lacte miſceantur, ut docet ibidem Hoffmannus.

Si ſpirandi, & excreandi difficultas inſurgat, ut inquit Baglivus (10), fauſtus eventus mihi pluries demonſtravit veſicantium tibiis admotorum utilitatem, potiſſimum, ſi vitium in lympha, in corporibus cachecticis, aut in quibus podagra, aut ulcera in cruribus ſuppreſſa. Faſciæ per plures dies, imo quandoque & lintea a ſero humectabantur, ab apertis emiſſariis effluente. Non inficior hoc remedium convenire poſſe in ſuppuratis pneumonicis, cum tales ſeneſcentes obſervaverim, ab eruptis, & ſuppuratis tuberculis in cruribus, vel puſtulis in ſuris, & pedibus. Ceterum dum veſicantibus utor, diluentia, & emulſiones una præſcribo in pneumonicis, & pleuriticis, ut docet Baglivus (11)

Inter alia remedia, præmiſſo utplurimum oleo amygdalarum dulcium ſ. i. vel ſeminum lini, & refracta doſi repetito, ſi opus ſit, in progreſſu, ſi ſanguinis motus nimis gliſcat, nitrata præfero; ſi craſſis humoribus ſanguis ſit irretitus, camphoram, & quandoque ſpiritum fuliginis; hac methodo plerique ægri, Deo favente, ſanitati reſtituuntur.

Æſtate vero tertianæ febres oriuntur, & autumno perdurant contumaciores. Si benignæ ſunt, & depurativæ, vel omitto, vel tardius confugio ad Peruvianum corticem; forte enim in his febribus tantum nocere poteſt, eas intempeſtive ſubmovendo, cum ſinere expediret: ſin pernicioſæ ſint, & ſub alterius morbi aſpectu larvatæ, de quibus optime Mortonus, & Torti, cortice utor, præmiſſis præmittendis, vel omiſſis, ſi periculum ex mora immineat, cum tertianas intermittentes, antequam in continuas tranſmutarentur, non ſemel mortem intuliſſe viderim. Uncia una, vel una & ſemis electi corticis figit fere ſemper febrim; præſervationis autem gratia unciæ duæ, quandoque tres requiruntur, ut obſervat etiam Zendrini (12). Ad præſervationem præſtat cum eodem miſcere modo diaphoretica, modo diuretica, ſæpius purgantia, ut docet Albertinus (13), cum a depravatis abdominis ſuccis hæ febres plerumque oriantur, & facilius ſit alvum movere, quam urinas, & cum autumno, monente Sydenham (14), a purgandi omiſſione plurium morborum colluvies dependeat: urget magis neceſſitas repetendi Chinam, ſi nulla criſis ſubſequuta

ſequuta

(1) Sydenham de Pleur. c. 3. p. 306.
(2) Hippoc. coac. præn. ſect. 3. verſ. 79.
(3) Verna de Pleur. diagn. c. 9.
(4) Galen. P. 2. Ac.
(5) Ballonius Ephem. l. 1. p. 13.
(6) Baglivus l. 1. prax. ap. ad Pleur.
(7) Hipp. de rat. vict. in ac. 2. 12.
(8) Frideric. Hoffman. de aff. phtyſ. § 13.
(9) Act. Med. Berolin. dec. 1. vol. 1. p. 91.
(10) Bagliv. T. 1 prax. de pleur.
(11) Bagliv. de uſu & abuſu veſic. p. 431.
(12) Zendrini Trattato della Chin.
(13) Albertin. Com. Ac. Bonon. ann. 1731 p. 417.
(14) Sydenham. c. 5 de feb. cont. an. 166. p. 67.

ſequuta ſit febrem, & ſi conſueta alicujus excretionis ſuppreſſio conjuncta ſit, ut Albertinus (1), *in quibus caſibus, ea remedia Chinæ addenda, quæ ad bonam criſim, ad quam magis natura vergit, cito movendam, ſint idonea.*

Plures hydropes periodicis diuturnis febribus ſuccedentes, pluries cortice feliciter profligavi, ut notavit Reſtaurandus (2), *ſæpe primitus ſolo, poſtea cum parca purgantium doſi commixto, ut rhabarb: vel ſpec: hier: ſimpl, Galen: vel ſal: Anglic: præcipue vino medicato Boerhaavii* (3), *in quo martis etiam limaturam infundit Auctor, cujus in ſubſtantiam ſumptæ lucidæ, & ſubtilis, etiam in ſuppreſſis virginibus, & chloroſi affectis major mihi conſtitit utilitas, quam cujuslibet martis præparationis; forte quia, ut ait Stahal* (4), *ferri ſulphureæ, & ſalinæ particulæ non alibi ſimul, niſi in integro, ſeu crudo chalybe ſincere conjunctæ reperiuntur. Diuretica etiam utiliter ſæpe cum cortice promiſcui in dicto hydrope, ut milleped: ſpirit: ſal: coagulatum. In tumoribus pariter lienis, aliorumque viſcerum obortis tempore periodicæ febris, profuit cortex, & ſolus, & cum purgantibus, ut ſupra exhibitus, quod notat Torti* (5).

In febribus cum diarrhea, vel in iis, in quibus cortex alvum movet, non in pulvere, ſed in bolis exhibeo, cum diaſcord: ſyrup: de roſ: ſicc: pulver: corall: ita enim tutius, & promptius febrem fugat. Tertianæ autumnales cortice profligatæ, vere interdum repullulant, ſed tempeſtatis favore, paucis remediis, abſque cortice ceſſare ſolent. Quaſdam contumaces febres, venæ ſectione manus, & tertianas, & quartanas curatas novi, alias V. S. per horam ante paroxyſmum, & alias emetico, in quibus aderat inappetentia.

Reliquis febrifugis utor, ubi minor urget neceſſitas; at ſi perniciosa adſint ſymptomata, puto, ut Mortonus (6) *ait*, nec licitum, nec decorum eſſe in humano corio, experiendi gratia, ludere, & certo, atque experto remedio magis incertum, & minus exploratum præferre.

Hæc, quæ raptim, Vir Famigeratiſſime, luce prorſus indigna, utpote ab aliis notata, & rudi calamo corticaliter deſcripta, Te ſuadente, congeſſi, rogo ut humaniter corrigas; ita enim Tui erga me oſtendes amorem, meque Tibi ſummis vinculis obſtrictum reddes. Vive diu ad utiliſſimum obſervationum ſtudium, & Medicæ Praxeos incrementum, & me ſuſcipe

Caſtilioni a Stiveriis 2
Decembris 1744.

Addictiſſ: & Obſequentiſſ:
Famulum
JOSEPH PILOTTI.

(1) Albertin. ibid. p. 166.
(2) Reſtaurandus, Hipp. de uſu Chinæchinæ.
(3) Boerhaav. de nat. Med. & remed. form. p. 430.

CREMA

CELEBERRIMO, DOCTISSIMOQUE
VIRO
CAROLO FRANCISCO COGROSSIO
Emerito Patavino Medicinæ Profeſſori
FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS
S. P. D.

SI inter humanas productiones quandoque monſtra viſa ſunt, non adeo extollere ſupercilia debemus, dilectiſſime Cogroſſie, expoſitam videndo a Cremonenſibus Anatomicis experimentis, & typis mulierem, quæ imperforata vixit, & ſine utero vigeſimum quintum annum ſuperavit. Me potius rapit uniformitas, & ſanitas, quam error, diſſimilitudo, & morbus. Primo; quia tam abſtruſa, & difficilia cognitu ſunt humanæ generationis primordia, nexuſque organicus, ut compoſitum inde ſequens ſemper æquale, ſuperiori potius potentia, quam mechanico artificio formatum dici mereatur. Secundo; quia tam tenuibus ſtaminibus, & fibellis prœcordia conſtant, tamque ſubtilia ſunt ea omnia, per quæ vivimus, ut potius de ſalute, quam de ægritudine difficilior ratio quærenda ſit. His poſitis, dicerem omnes homines ab aliis diferre, & fortaſſe etiam ſolidorum vitio laborare, ſed Superis faventibus, interdum adeo minimo, ut nec illi ipſi, qui vivit, nec Anatomico exta aperienti, unquam notum fuerit. Originarius idcirco pudendi muliebris coalitus res non eſt adeo rara; ad ſui quippe contactum, & unionem labia diſpoſita ſunt, ideo nil mirum ſi in utero ob quietem conglutinata. Ad uteri carentiam quod ſpectat, memor ſum eorum, quæ declamabat Molinettus in theatro Patavino, ſtupens, & auditores in admirationem rapiens circa uteri parvitatem, modicamque, præcipue in virginibus, molem, quam pro continendo etiam magno Alexandro adauctam, veluti illudens, deprœdicabat. Cur ergo in alterutra tubarum Fallopianarum utrinque inſertarum extremitate non poterat, veluti abſcondi, & latere glandula aliqua uterinæ ſubſtantiæ analoga, & aſſimilabilis, aut ſaltem finitima, pellicea, carnea, ovariorum, teſtium, ſed præſertim fundi vaginæ, fibroſa, ſolidaque corpora eſſe, errante natura, tali modo conſtituta, ut non uterus, ſed uteri embryo in eorumdem intercapedinibus latitaret; niſi clauſus hy-

(4) Stahal in notis ad Satyr. Haru. c. 3.
(5) Torti Therapeut. ſpec. l. 1. c. x.
(6) Morton. exerc. 1. de feb. c. vj. p. 208.

hymen obſtaſſet, Bona fortaſſe geſtatura.

Hæc in puteo. Illud certum eſt, doctiſſimum virum Andream Fromond, in peractis anatomicis tentaminibus, plurimum apud litteratos meruiſſe; quandoquidem una vera, aut ſaltem præcipua via eſt, quæ medentes ad aliquam ſciendi profuturam certitudinem ducit. Magiſque prodeſt Anatomes a practicis in urbibus exculta, quam illa, quæ colitur in theatris, præſertim ſi poſt narrationes morborum, & extiſpicia, animadverſiones ſubſtituantur; quoniam ſic ratiocinium magis clarificatur. Itaque ſi clariſſimo anatomicæ illius obſervationis Auctori, meo nomine, de hoc eventu gratulaberis, rem gratiſſimam facies; hæc quippe arrha eſt ſuæ virtutis, quam majorem adhuc portendunt, & ominantur agnatio tua, locuſque in Xenodochio Cremonenſi occupatus celeberrimi Valcarenghi.

Optaſſem, ut in animadverſionibus aliqua etiam addidiſſet circa urinæ itinera. Rarior quippe res eſt, non mingere, & vivere, quam utero carere, præſertim quando lotia ad anum non deſcendunt; ſique mingebat, penitus imperforata dici non poterat.

Gratias interim, quas poſſum, reddo, de mihi tranſmiſſa Fromondii Diſſertatione, majores inſuper tibi prænuncio ob promiſſam epiſtolam, ad Cremenſem Medicinam quod ſpectat, pro ornanda Europa noſtra. Si vitam Petri ex Abano, a Brixiæ, atque adeo Italiæ decore Comite Joanne Maria Mazzucchello conſcriptam reperiam, agam, ut tuas in manus, citius quam fieri poterit, perveniat. Et quoniam pluries audivi, ampliſſimum virum, veſtræque Provinciæ Epiſcopum Ludovicum ex Comitibus de Calino, de te bona verba dicentem, in ſpem erigor, fore, ut ſalutationes, meo nomine, eidem per te porrectæ, minime diſpliceant. Audeas ergo. Magnatum, & ſummorum virorum mos eſt comiter ſuſcipere vota clientum ſuorum. Et poſtquam Spectatiſſimo Præſuli, qui cum Rhetorices curriculum adhuc adoleſcens factitabam (oh felicia tempora! eadem cogitans tacito quodam jucunditatis ſenſu commoveor) conſtantiam obſequiorum meorum confirmaveris, pro certo habeas me nunquam eſſe prætermiſſurum ea, quæ tua cauſa facere potero. Vale.

Brixiæ 26 Februarii 1745.

Celeberrimo, Doctiſſimoque Viro

Comiti Franciſco Roncalli Parolino

ANDREAS FROMOND

S. P. D.

Accepi litteras, heſterna die, ab Humaniſſimo, Doctiſſimoque Viro, necnon Socero mei Amantiſſimo Carolo Franciſco Cogroſſio, una cum elegantiſſima Epiſtola a Te, duobus abhinc menſibus, ad eumdem data, cum is obſervatiunculam meam pro ſua, qua eſt in Te, obſervantia, & amicitiæ Tecum neceſſitudine, Tibi non ita pridem miſiſſet; quæ quidem res, quantum me illi pluribus jam de cauſis obſtrictum devinxerit, non eſt, quod verbis efferam. Ex hoc namque opportune mihi oblata eſt occaſio ad Te ſcribendi, & obſequii erga Te mei exhibendi teſſeram qualemcumque, quod, quemadmodum antehac impenſe exoptaveram, ſic in præſens jucundiſſimum evenit. Eſt itaque hic loci in primis, ut Tibi gratias agam de humaniſſimis tuis gratulationibus; etſi, quod de mea typis edita Obſervatione, cum Socero gratuleris, id comiter Te omnino facere, mihi ex eo perſpectum utique ſit, quod mihimet probe ſim conſcius, nihil huic ineſſe præclari, quod tuas valeat gratulationes promereri. Reapſe enim noſtra hæc obſervatio in proprios tantum uſus conſcripta fuerat, eaque in adverſariis noſtris, cum blattis, & tineis luctatura, delituiſſet, ni cœcus amor Parentis (ſic liceat Socerum appellare) ipſam quodammodo eruiſſet e tenebris, me ad ejuſdem editionem non ſemel, pene dixerim, urgens, atque compellens.

Ad id autem, quod ſapienter innuis, Vir Clariſſime, uniformitatem Te potius ſuſpicere, & valetudinem, quam aberrationem, & morbum, nequicquam Tecum repugno; præcipue ſi uniformitati, quemadmodum & valetudini, quandam quaſi latitudinem tribuas. Siquidem adeo ſibi parum conſtat vel in humanis corporibus ſæpe ludens natura, ut ſi anatomico cuiquam otium ſuppeteret, intimæ viſcerum, aut vaſorum proportionis, diſpoſitionis, & nexus, aliarumque hujuſmodi conditionum, inter plura cadavera comparationem inſtituendi, differentiam non omnino levem in unoquoque cadavere eum facile inventurum, huic auctor non ego, ſed Couperus foret, qui in duobus unius ejuſdemque cadaveris diſſecti brachiis, eandem nunquam, aut prorſus ſimilem in utriſque reperiri vaſorum diſtributionem teſtatur. Intima hæc, & ſenſibus utplurimum impervia diſſimilitudo, multiplicium fortaſſe temperamentorum fons eſt, & origo non poſtrema, nec a veriſimilitudine penitus abludens, quod utcumque veriſimillimum ſit, & anatomicis obſervationibus conſonum, in Democriti puteo latitabit tamen, & Clinicorum etiam ſagaciorum aciem ſubterfugiet.

Rariorem vero, quam uteri defectum, & rem

hercle

hercle mirum in præfata epiſtola tua videris Tu ipſe attingere, ubi aliquid de urinæ itineribus in animadverſionibus meis (quod tamen citra propoſitum facere potuiſſem) Te libenter optaſſe profiteris. Me enim nedum obſervare, ſed nec legere hucuſque contigit, quemquam diu vixiſſe incolumem, cui non ſeroſa urinæ colluvies, niſi per naturales, & proprias, per novas ſaltem, & inſuetas vias erumperet. Quod ego obſervavi ad urinarias vias aliquo modo pertinens, id unice fuit, prægrandis dexteri renis tumor, qui pluſquam dimidiam ventris cavitatem adimpleverat, a lumbis nempe ad umbilicum porrectus, & a concava hepatis parte, uſque ad hypogaſtricam regionem deſcendens, meſenterio interim, & inteſtinis, anguſto vix dimidii ventris carcere circumcluſis, adeo ut æger ſic conſtitutus, lenta ſenſim tabe confectus, ultimum obierit diem. Extiſpicio autem poſt mortem habito, & levi vulnere tumenti mirum in modum reni inflicto, ſubſedit paulatim tumor, magna illico corruptæ urinæ vi exundante. Plura hic haberem, quæ non ſine aliqua novitatis ſpecie addi poſſent, ſi per modum epiſtolæ liceret fuſius ea nunc calamo perſequi, quæ coram Viro D. Joanne Sonſis Collega alias laudato, aliiſque non paucis Nobilibus Viris, duobus abhinc menſibus a me in hoc cadavere detecta, & demonſtrata ſunt. Verum quoniam hæc obſervatio problemati de vita diuturna, & incolumi, abſque omnimoda urinę excretione, nihil lucis effundit, haud vacat longiore tum morbi, tum anatomicæ ſectionis hiſtoria, multoque minus pluribus in hanc animadverſionibus te ulterius detinere, & patientiam tuam propemodum defatigare. Ceterum ut ad Bonam noſtram imperforatam redeam, ipſam nullo unquam urinæ defectu laboraſſe facile intelliges, ſi non citra, ſed ultra meatum urinarium (quod & in aliis non ſemel compertum eſt) imperforatam fuiſſe animadvertes, hymene ſcilicet præter naturam denſiori, nec ullo foramine pervio, ut noſtra habet Obſervatio, minime vero externis pudendi labiis ad firmam unionem monſtruoſe perductis. Natura quippe hanc ipſam ſpeciei utique propagandæ imparem, minime tamen ducendæ vitæ organis neceſſariis deſtitutam voluit; alioquin brevi perituram, ſi jugi urinæ excretione penitus caruiſſet. Tanta nimirum urinæ excernendæ neceſſitas ad vivendum eſt, ut in Actis Eruditorum Lipſiæ meminerim me legiſſe, non defuiſſe aliquos, quibus natura ipſa conſuluit, deficienti meatui urinario ſubſtitutis foraminibus ad umbilicum, perenni, ac moleſto urinæ ſtillicidio manantibus.

Itaque, ut epiſtolæ, quæ ceteroqui modum excederet, finem imponam, iterum Tibi gratias ago, quod calculum tuum, qui inſtar omnium profecto eſt, noſtræ Obſervationi addideris, atque uno eodemque tempore Tibi maxime gratulor de univerſæ Italicæ Medicinæ Specimine, quod litterario Orbi polliceris; opus ſane ſolertia tua, & eruditione dignum; ſed eo difficilius, quo amplius, a quo tamen (ſi philoſopho libere loqui fas eſt) vereor, ne inter ejuſdem civitatis Clinicos fortaſſe excitentur diſſidia; cum ſæpe contingat, cordatiores etiam Medicos, ad extirpandas ægritudines circa medendi methodum quemadmodum, & circa morbificas cauſas diſcordes eſſe, atque unumquemque ſuam mordicus tueri opinionem, eamque validis rationibus, & argumentis propugnare.

Facile videas, Vir Clariſſime, quo noſtra hæc tendat oratio. Graſſantur ſiquidem in hac civitate tertianæ febres; ſed diſpari curantur methodo, ita ut tota fere Medicorum cohors in duas veluti ſectas diviſa ſit, quarum utraque de methodi, cui addicta eſt, principatu contendit; & eo uſque concertatio procedit, ut ſpondeat aliquis, cui cor profecto non deſcipit, minime a calamo ſe temperaturum. Verum, ſi firmo ſtant talo, quæ a celeberrimo Valcarengo, tanto nonnullorum plauſu ſcripta ſunt, erunt hæc, ut phraſi utar Caii Plinii, bruta fulmina, quæ ſine ratione jaculata, irritis ictibus ferient. Dabis, ſpero, veniam, Vir Doctiſſime, prolixitatis, & tædii. Te interim rogo, ut me inter tuos digneris excipere, & hanc qualemcumque animi erga Te mei ſignificationem boni conſulas. Vale Prænobilis Patriæ tuæ decus, & ornamentum.

Cremonæ Pridie Calendas Maii Anno M. DCC. XLV.

CREMONA

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO VIRO

PAULO VALCARENGHI

Bononienſis Academiæ Socio, in Regia Ticinenſi Univerſitate Publico Primario Medicinæ Rationalis Profeſſori, necnon Illuſtriſſimo Collegio Nobilium Phyſicorum Comitum, & Equitum Pontificio-Cæſareorum Mediolani glorioſe, & ſpecialiter aggregato.

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

Ex quo ab utero Matris egreſſus ſum, hic primus caſus eſt, quo ab amicis peto non honeſta. Duabus privatis epiſtolis difficultates nonnullas mihi notas feciſti, quæ tuum animum hæſitabundum, potiuſque reſtitantem tenent, ne ad mihi favendum, prænunciandamque Cremonenſis tui cœli practicam præſentem Medicinam pro futuro ornando opere meo, inclines. His poſitis, deberem ſilere, nec ulterius Te laceſſere, aut invitare; ſed quia agitur de publico bono, audeo, urorque, niſi noviter inſtem

Idcirco

Idcirco ſine, Celeberrime Vir, ut pro tertia vice deſideria, & quærimonias in te meas fuſius explicem, & nunquam interituro hoc documento meæ petitionis, tuæque hæſitantiæ nodum ſolvere ſatagam.

Quæſivi, verum eſt, ut ſpecimen domeſticæ veſtræ Medicinæ in epilogum mihi adumbrares, aut ſaltem unum dogma, tantillum licet, circa confluentes morbos, aut nuper repertum arcanum aliquod, non ſileres: ſcopumque tibi pateſeci, qui nos dirigebat, ſcilicet, ut in Europa noſtra Cremonenſis Status tuus micaret, micaretque utiliter in poſteros, qui diſcerent experimentis tuis. Aliud quippe erat, nos longinquos aliquid commentari; aliud Te Virum optimum, & in patrio tuo aere verſatum, tantaque eruditione divitem, re funditus cognita, loqui, & ceteros omnes de feliciter geſtis admonere.

Scio fortaſſe rationes tuas, quæ erunt, me in ſumendo nimio onere, & opere, erraſſe. Sique aliam a te Medicinam volo, aliis eſſe petendam. Si denique tuam, conſtare eam jam in operibus non multo abhinc tempore editis. O bellam rem! Nonne junctis manibus ſublevare pondus gravitans ſuper hominem charitas eſt? Nonne ſilendo errores, qui humanæ neci conſpirant, vulgarium (ſtet ſua laus doctis) aliquot Medicorum, tua conſcientia remordebit? Nonne denique dein multa in urbe, ſcientiaque tua poſtremis temporibus contigerunt, quæ novas poſtulant meditationes? Nonne quotidie aut ſaltem ſæpe in diſſitas regiones, pro Principibus viris ægrotantibus advocaris, ut juves. Quis ergo magis quam tu, pluribus in provinciis calamo, conſilio, & perſona peragratis, pandere poteſt, hanc, vel illam Medicinam, ſiſtemata, inventa, errores: omnia ad illuſtrandum opus meum, tibi jam notum, tam apta, tam concinna, ut nihil amplius.

Quod denique poſtrema in epiſtola ſubdis, nihil poſt edita ſcripta in mentem venire circa Cremonenſem Medicinam, quo mea ditare poſſis. Parce. Mihi non ſuadeo. Imo jurarem centum, & quæ ſupereſſent, in profunda mente tua ulterius germinare, & ſurgere argumenta a ratiocinandi ſedulitate, a methodicæ praxeos laboribus promota; quæ Te, ſi epiſtolam mihi directam inciperes, turmatim obruerent, ejuſdemque finem retardarent.

Dominus Migliavacca juvenis altæ ſpei, diſcipulus, & amicus tuus, mihi retulit, ſæviiſſe Cremonæ, per totam æſtatem nuper elapſam, febres tertianas, Peruviano cortice, & rhabarbaro una, etiam te docente, ſumptis, ſedatas. De quo argumento, etiam in Medicina tua rationali, optime locutus es, & ipſe, elapſa hebdomada ſcribebam viro apud Hollandos clariſſimo Joanni Chriſtophoro Rieger.

Addidit inſuper nunc Cremonæ morbos convulſivos in mulieres graſſari; nec adhuc conſtare, quæ pro probabili, ne dicam, tuta curatione executioni mandanda ſint. In hoc profecto ſumus pares. Tamque funditus hyſterico-convulſiva labes hic etiam implantata eſt, tamque proteiformi vultu medentes decipit, ut poſt primas, ſi opus fuerit, ſanguinis emiſſiones miſellę interdum derelinquantur, ſine remediis, ſoliſque verbis conſolentur, & ſerotina ſalus a ſolis naturæ motibus expectetur.

Interim de meo nunc nihil habens, per ejuſdem diſcipuli tui manus accipies unum exemplar epiſtolæ, quam Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus ad emeritum ac ſpectatiſſimum Comitem, & Ballivum Petrum Paulum Marcolinum miſit: quamque maximo Artis noſtræ decore, medicis quodammodo cogitationibus conceptam, atque Salodienſis Riperię clima, & delicias laudantem, ſuiſmet manibus mihi dono dedit. Sique ſummus, tantuſque Princeps de me loqui dignatus eſt, colligere potes, togatam primi ſubſellii gravitatem tuam, in honoranda editione mea non eſſe periclitaturam. Aurum, & gemmæ inter minoris prætii res noſtras vileſcere non poterunt, neque commaculata offuſcabuntur. Imo ob magnam diſſimilitudinem magis prælucebunt.

Quid tibi viſum fuiſſet, aperiendo, & videndo librum ab amico productum, de multis provinciis tractantem, omiſſa Cremona? Quid, ſi male excerpendo, & interpretando, e tuis ſcriptis aliquid collegiſſem? Quid denique, ſi inter tot litteratos celeberrimos homines, hujus operis partes, patronos, & fautores fideliſſimos, nunquam antea cognitos, in remotis etiam Septentrionis plagis commorantes, te unicum, & bonæ ſortis amicum excitatum, oratum, ſupplicatum deſiderari vidiſſes?

Fave igitur. Favendo, te eximes a majori vi, & erit adhuc veniæ locus. Brixiani non tam facile contremiſcunt, neque in ſuſceptis Spartis mutantur. Sique ſcire vis pœnam, quam pro incœpto delicto tuo animo paraveram; illa erat; diſcedere Brixia; Cremonam proximo Octobri petere. Cum famulis & equis e curru in domo tua deſcendere; ibi ad multos dies epulando vitulari; Te oſculis, & amplexibus proſequi, atque blandiri; neque revertere, niſi epiſtola facta, aut ſaltem promiſſa erat. Vale.

Brixiæ 23 Septembris 1744.

Ad Illuſtriſſimum, Clariſſimumque
Virum

FRANCISCUM COMITEM RONCALLUM PAROLINUM

Medicum Præſtantiſſimum,

Academiæ Bononienſis Socium, & Nobili Collegio Medicorum Brixiæ cooptatum.

DIATRIBA EPISTOLARIS

PAULI VALCARENGHI.

QUotidie, & ubique morimur, Roncalle mi Cariſſime, quinimo volentes, ac nolentes furtim e vita rapimur; nec ulla plaga, regio, urbs, oppidum, aut domus, nec diverticulum quidem abditum ullum a libitinæ furore evaſit, vel evadet unquam. Equidem rigoroſe adeo unicuique, & ubicumque id unum, ex ſupremo decreto, veluti communem terminum, natura ſtatuit, quod nullibi, & nemini ſuperſit appellationi locus. Porro mortem unicuique ſic convenire, illi omnes intelligunt, qui ſe homines eſſe meminerint, atque proinde ex Cicerone didicerint (1), nihil humanius eſſe morte, ut ſi mors ab ipſo divelli, aut auferri poſſet, Diis propior habendus eſſet, quam hominibus. (2) Itaque quamdiu hac luce utimur, vivere quidem videmur, ſed verius aſſidue morimur, aut ſaltem vitam verbo retinemus, reipſa amiſimus.

Verum non eodem pacto ubique ægrotamus omnes, nec adeo facile, & ſæpe, nec eadem proinde ratione, vel ætate morimur. Enimvero varias morborum, & mortis vices nobiſmet ipſi plerumque infauſtas efficimus, ad vitam ceteroquin ſummopere anhelantes: tunc cum voluptatibus, genio, moribuſque perperam, & abſque norma indulgemus, ad ſimilitudinem potius, quam ad rationem vitam dirigendo: nulloque ideo jure naturam ipſam, non ut matrem, ſed ut novercam agnoſcimus, atque accuſamus, quod corpus nobis fragile, infirmumque tradiderit, cum id noſtra ſæpius, quam illius culpa contingat. Eos quippe obſervamus paſſim, ſaluti propriæ minus, imo pejus conſulere, qui in omnibus magis ſuo commodo ſtudent, ſibique magis abblandiuntur, eamque a natura nacti ſint temperiem, propter quam ad longævitatem magis, quam alii diſpoſiti eſſe videbantur.

Cum autem non hæc tantum, verum & alia etiam omnia, propter quæ vivimus, tam cauſæ quoquomodo vitæ ſint, quam viæ mortis: præter hæc, quæ in regimine victus indicavimus, errata, locorum pariter, & cœli conſtitutionum quarumlibet ratio ſpecialiter habenda eſt, ut morborum, & mortis ſimul potiſſimas peculiares cauſas aſſequamur. Ex eo namque fit, quod illa ipſa, quę ubicumque terrarum viget ſemper, mortis lex, tametſi inviolabilis, variare tamen quoad modum, & tempus, multifariam comperiatur.

Eapropter, dum unicuique regioni propriæ anni temporum viciſſitudines competunt, ibidemque ſpeciales e ſolo germinant fructus, atque evaporationes emanant, proprii etiam ubique pullulant morbi, ſuam ibidem magis, quam alibi tyrannidem exercentes; unde ſpecialiter etiam in incolarum illorum perniciem plus, minuſve conſpirant. Endemicorum inde præſertim, atque epidemicorum quorumlibet morborum fontes agnoſcimus, eoſque ſedulo inveſtigandos nobis eſſe, Hippocrates docuit, ſanioreſque Medici omnes in eo unanimiter conſentiunt. Haud raro enim evenit, quod, ex ſpeciali cauſarum combinatione, novi, ut ita dicam, morbi alicubi ſuboriantur, quibus, cunctando, & obſervando ſolum, opem adferre rationalis Medicus ſatagit, uſque dum, a notis ad ignota inveſtiganda congruam nactus ſemitam, genuinam morbi indolem, & cauſas percipiat, ex quo errare minus, ſaltem agendo, poſtea valeat: (niſi tamen præjudiciis, ut Clinicis rudioribus paſſim evenit, obcæcatus nimium ſit) cum inde & ratiocinari tutius diſcat. Neque tamen hujuſcemodi animadverſiones accuratis obſervationibus innixæ, circa endemicos cujuſvis regionis morbos, alioſve de novo, ut diximus, ſubortos, illis tantummodo Medicis, qui ibidem Medicinam faciunt; verum etiam exteris quibuslibet apprime neceſſariæ ſunt, & ſummopere proſunt. Præterquam quod enim unuſquiſque Medicus ab altero extero novas ſemper mutuari cognitiones in dies ſic facile poteſt, quibus optime inſtruatur, ea omnia perpendens, quæ alibi circa endemicos ſpeciales morbos evenerunt, per analogiam, ut ita dicam, ratiocinando, vernaculis etiam ſuorum civium ærumnis opitulari hinc melius diſcit, illis nempe utendo remediis, aliunde ſibi communicatis, quæ ceteroquin ignota penitus ipſi antehac fuerant.

Dies ſane me deficeret, ſi ea omnia ſingillatim enumerare commoda, utilitateſque contenderem, quæ ad Artis noſtræ augmentum, ad Medicorum decus, ægrotorumque bonum evenire inde aſſidue, & cumulatim poſſent; ſi nempe Medici quilibet, in unaquaque regione, & urbe, Medicinam accurate facientes, tum ſecum ipſi mutuo ea, quæ ſpeciatim unicuique occurrerent, candide, & amice communicarent (quod, peſſimo neſcio quo fato, nullibi, quod ego ſciam, unquam contigit): tum etiam cum exteris de iiſdem fideliter, atque liberaliter agerent. Porro hoc unum eſt commendabile admodum inſtitutum illud, propter quod Medicina primis uſque temporibus adolevit, eademque ratione ad ſummum fortaſſe perfectionis culmen evehi in poſterum, nec ſero poſſet, ſi junctas ſibi invicem, ut aiunt, ad hoc manus præberent Medici, communi æque, ac proprio bono gratioſe proſpicientes.

Aſt quorſum hæc tecum agam, Roncalle mi, qui veritatem hanc opera, & calamo non attigiſti tantum, ſed illuſtraſti, mirumque in modum ſapienter inculcaſti, qui pro illa adhuc pugnare adeo paratus es, quod utiliſſimum, maximumque lucubrare opus ſummo labore, & ſtudio aggreſſus ſis, in Europę totius Medi-

(1) Cicer. Tom. 4. F. Conſolat. pag. m. 452. n. 7.

(2) Cicer. ibid. pag. m. 455. n. 33.

Medicinam diſtinctim, & accurate complectens? A præclariſſimis enim plurimis primi ſubſellii Medicis exteris, in remotis uſque Septentrionis plagis commorantibus, Te opem, fauſto ad hoc omine, ſciſcitatum fuiſſe, intellexi, eo quidem animo, ut probe noſceres, quinam ſpeciales ubicumque graſſari morbi ſoleant, qua methodo facilius evincantur, quæve de novo remedia in dies ſalubria magis undecumque emergerent: quæ omnia a Te rite penſitata, atque ad invicem collata, digeſtaque, in commentarium, pro bono publico, redigere, in animo habes: ex quo, cum immortalem tibi ſane gloriam jure meritoque comparare pergas, Tibi ipſe maxime, & præter modum gratulor. Hinc non Tibi profecto, ſed aliis potius ſpecialiter natus, & confectus eſſe videris, ita quod, poſt eruditiſſima tot alia edita opera, eo majora ultro ſemper, atque laborioſa, & utilia magis poſteris committere, prudenter moliaris.

Hiſce de cauſis, dum mecum ipſe admodum gaudeo, & mirifice oblector, tuum, ac ſi meum prorſus eſſet, decus illud ſuſpiciens, mirari etiam haud deſino, Amice Spectatiſſime, quod, tot clariſſimorum virorum obſervationibus jam abunde potitus, tenuitatem meam, utcumque ea ſit, tanti feceris, ut humaniſſimis litteris tuis, terque quaterque petieris, quod, ſiquid circa endemicos Cremonenſes morbos, eorumdemque uſurpatam curationem, adnotatu mihi dignum viſum foret, Tecum ipſe communicarem. Id denuo IX. Calendas hujuſce menſis, elegantiſſimis latinis litteris anxie a me petiiſti. In hiſce querimonias tuas eo alacrius accepi, quod Te honorifice nimis de me hinc ſentire cognoſcerem. Renui ſane bis, & ter, vota tua adimplere, quia nil Te, tuoque tam præclaro opere dignum, in pluteis meis, quod ad Te mitterem, aſſervari animadverteram. Quinimo renuiſſem adhuc, iterumque, niſi patientiam tuam, ſi mavis, quoquomodo a me lęſam, in furorem converti forſan hinc demum poſſe reformidaſſem. Tu quippe ſcribebas Brixiæ, Brixiano afflatus ſpiritu illo, qui a puriore, elaſticoque admodum aere veſtro promanans (ut Tu ipſe merito typis pluries evulgaſti) bellicoſum maxime reddit animum, imo magnanimitatem quandam ab incunabulis ipſis vobis ſpecialiter conciliat. Verumtamen haudquidquam deſpero, fore ut tui paululum oblitus generoſi animi, mihi ne hilum quidem ſuccenſeas, meque excuſatum ſponte, & facile habeas, quod paulo ſerius tuis juſſibus obtemperaverim, cum hæſitabundus extiterim nec inconſulto, nec immerito. Siquidem plura erant, præter alia ad Te ſcripta, quæ me tunc detinuerant, eaque haud parvi momenti, veraque tamen. Indecorum enim Tibi æque, ac mihi ipſi futurum exiſtimaſſem, quod ſimulatis tantum rationibus Tibi diu reſtitarem. Illud quippe præcipuum eſt genuinæ amicitiæ decus, & ſignum ex Cicerone (1) *quod in ea* nihil fictum, nihil ſimulatum ſit, & quidquid in ea eſt, id & verum, & voluntarium eſt. *Doleo tamen, & quidem maxime doleo, Amice mi, quod me de meipſo, rebuſque meis ſentire adeo ſuſpicatus ſis, ut labores meos apud Te vileſcere hinc poſſe, meumque decus periclitari, unquam crediderim. Mea enim, nec tanquam aurum, & argentum, nec veluti pretioſum quidquam aliud habenda uſquam eſſe contendam, imo ne ſomniabor quidem: eo ſolummodo contentus, quod quiſque quadantenus noſcat, me addiſcendi cupiditate flagrare, totiſque nervis, ut valeo, veritati litare, ut in Arte noſtra errare minus cogitando, ſcribendo, docendo, atque agendo etiam aliquando valeam. Verum hęc dicta velim, bona venia, & ęquo animo, cum ea per jocum tantummodo abs Te emanare potuiſſe, pro certo habeam.*

Aſt quid plura? Satis jam & inſtando, & monendo hęſitabundum, atque, ut ais, reſtitantem animum meum tantopere excitaſti, ut Tibi, pro modulo meo, jam parere fas ſit, nec ullus mihi amplius ſuperſit excuſationi locus. Plurimum in amicitia (2) Amicorum bene ſuadentium valeat auctoritas, eaque adhibeatur ad monendum, non modo aperte, ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit, & adhibitæ pareatur. *Cui Ciceronis ſententiæ Te primum, meque ſubinde ſatisfeciſſe perſpicuum erit.*

Quæſiiſti ideo a me, ut Specimen domeſticæ noſtræ Medicinæ in epilogum tibi adumbrarem, aut ſaltem unum dogma, tantillum licet, circa confluentes morbos, aut nuper repertum aliquod arcanum non ſilerem. *Honeſta ſane petiiſti. Utque Tibi morem geram, ſatis utique eſſe arbitror, quod ea raptim iterum adferam, quę typis evulgavi, ſpeciales hiſce addens animadverſiones illas, quę ad rem ulterius facere poſthac mihi viſa fuerint. Satius quippe fore exiſtimo, quod crambem, ut adagio fertur, recoquere potius quæram, quam quod mandatis tuis unquam deficiam.*

Quamvis urbs noſtra triginta circiter dumtaxat milliaribus a Brixia tua diſtet, diverſa admodum utrobique eſt cœli conſtitutio. Nullis enim nos montibus circumvallamur; cum ii plurimum a nobis diſſiti undequaque inſurgant: quocirca nec prodeſſe multum, nec nocere nobis poſſunt. Præcipua ideo morborum nobis familiarium ratio a ſolo ipſo repetenda eſt, una conferentibus anni temporum viciſſitudinibus, ventorumque afflatibus; unde fauſtæ, vel infauſtæ plus, minuſve conſtitutiones ſuboriuntur. Agrorum noſtrorum ſumma fertilitas, propter quam multo plus afferre ſolent, quam acceperunt, quo majorem, uberemque annonæ copiam exhibet, eo magis ſaluti Civium obeſt, cum ſulphureis maxime, atque ſalinis, volatilibuſque particulis ſcateant. Præterea potiſſima regionis noſtræ pars illa, quæ inferior a nobis vocitatur, atque ad orientem, & ſeptentrionem maxime vergit, uliginoſum admodum, limoſumque præſefert ſolum, ubi & oryzæ ſtationes, & pratorum inundationes, linique macerationes æſtate plurimæ fiunt. Hinc, vigente Sirio, copioſæ, & peſſimæ evaporationes tunc proveniunt, Civium noſtrorum ſaluti infenſiſſimæ. Un terroir gras, & fertile (*loquar cum doctiſſimo Arbuthnot*) (3) abondant en particules actives, onctueuſes, & volatiles, expoſè a un degrè conſidera-

Rr 2 dera-

(1) Læl. Cicer. de Amic. p. m. 422 n. 35.
(2) Ibid. p. m. 425.
(3) Eſſai des Effets de l'Air ſur le Corps humain.

derable de chaleur, doit neceſſairement produire des maladies inflamatoires; telles ſont les prairies graſſes, ſituees ſur le bord des rivieres, leſquelles attirent des fievres, particulierement intermittentes, a l'occaſion de la chaleur du primtems. De pareils terrois ſont extremement mal ſains dans les climats fort chauds, comme nous l'apprenons par les relations des voyageurs. De l'autre cotè, les endroits graveleux ſur le bord des rivieres courantes ſont generalement ſains. *Præcipua ex hiſce noſtris conditionibus optime accomodantur. Credo tamen, majorem ultro copiam noxiorum ejuſcemodi effluviorum a ſolo noſtro avolare, æſtate potius, quam vere, ac proinde in ſummis æſtibus. Eapropter nil profecto mirum eſt, quod tertianę febres omnis generis, & pernicioſæ maxime populariter nobiſcum graſſentur, prout hoc anno pręſertim evenit. Ex hiſce mitiores illę ſunt, ac plerumque ſua ſponte, aut modico ſaltem remediorum apparatu ſolvuntur, quę initio æſtatis occurrunt. Succeſſive vero, adaucto calore, copioſę magis fiunt, magiſque ſæviunt. Illæ autem, quæ ad autumnum proximius vergunt, contumaciores, magiſque pernicioſę ſunt, utpote quę gravioribus ſymptomatibus ſtipantur; multifariam quidem, pro temperierum, ac peculiarium diſpoſitionum varietate, tum quoad ætatem, & ſexum, aliaſve pręgreſſas ęgritudines, tum pręcipue quoad errata in regimine victus ſpecialia. Obſervatuque maxime dignum apud nos fuit utplurimum, quod in ſummo caloris æſtu, quotieſcumque pluviis de repente maduerit ſolum, maxima ſubinde civium pars ejuſcemodi infortunium paulo poſtea ſubeat; quod quidem rationi conſonum eſſe, nemo non intelliget. Copioſę enim magis a madefacto, quam a ſicco ſolo evaporationes exſurgere, compertum habemus ſatis; unde tunc fit, quod, exoriente vix vix ſole, tenui quadam nubecula tellus undique obducatur. Quapropter aqueæ illæ, quæ inde ſic avolant particulæ, vi ſolis rarefactæ, levioreſque in ſpecie redditæ, ſurſum eo magis attolluntur, ſulphureaſque, & ſalinas moleculas alias (quibus ſcatere maxime ſolum noſtrum ſupra ſtatuimus) ſecum abripiunt, atque per aera devehunt: ex quo fit, quod vi caloris, magis magiſque attenuentur, activioreſque proinde factæ, pravis qualitatibus atmoſphæram noſtram undequaque inficiant. Ejuſcemodi ſubinde particulæ, ſibi mutuo cohærentes, majores mole alias efficiunt, & graviores, quam antea eſſent, unde ad nos propius accedunt. Tunc ideo, cum corpora etiam noſtra pervadant, ea vi pollere creduntur, propter quam interni æſtus vehementes eveniant, maxime quia illarum congeſtione ſpeciali, major, ceteris paribus, potentioris bilis copia ſecernatur. Etenim genuina bilis principia oleoſa, & ſulphurea potiſſimum eſſe, ex ipſius inflammabilitate maxima, aperte evincitur. Exuberans, hac de cauſa, in corporibus bilis, habita ratione temperierum ſpecialium, atque ad æſtuandum aptior ultro, vi interni caloris reddita, æſtivis nobiſcum magis, quam in arenoſo ſolo, procreandis morbis ſufficit. Quapropter modo diarrhœæ, modo dyſenteriæ ſolitariæ tunc evenire conſueſcunt, cum torminibus abdominis, flatibus, vomitibus, nauſea, aut aliis ejuſcemodi; vario quidem modo, pro varietate affectorum corporum. Aliquando craſſeſcente bile, hepar tunc obſtructionibus detinetur; ideoque, aut icterus, aut inflammationes ejuſdem viſceris eveniunt, plerumque autumnali tempore: tunc cum lien etiam pariformiter, ob immediatum vaſorum conſenſum, ſuo modo laborat, febreſque quartanæ ſuccreſcunt, aut tertianę ſpurię, ut dicimus, contumaciſſimę, quæ plerumque magis graſſantur.

Licet ex dictis, præter tot alias rationes, plerique etiam ex noſtratibus Medicis, cum ſanioribus concedant, majorem, ceteris paribus, bilis copiam æſtivo tempore in nobis accumulari, atque ſecerni: negant tamen mordicus nonnulli, tertianas dictas a bilioſo hoc principio derivandas eſſe. Eo enim potiſſimum ratiocinio ducuntur, quod pari ratione in ictero, quotieſcumque biliarii ductus, craſſeſcente bile, obſtruuntur, eaque proinde in aream circulationis propellitur, febres ejuſcemodi ſuſcitari deberent, quod ſecus fere ſemper contigit. Verum hiſce facile eſt reſpondere, quod in ictero ſimplici, bilis quidem morbi cauſa eſt, quia, ut fas eſſet, non ſecernitur, imo in colatoriis hepatis remorata, motu retrogrado, ſubinde univerſam lympham inficit, non autem quia volatilibus oleoſis, ſeu mavis, ſulphureis illis principiis, ut innuimus, ſcateat, unde febriles ſuſcitare æſtus tertianarios valeat. Varia autem temperierum quarumlibet diſpoſitio poſcit, quod in uno potius, quam in altero, etiam extra occaſionem morbi, magis activa, & copioſa ſecernatur bilis: unde licet ſub eodem cœlo, eodemque tempore degant, non omnes ęque tertianarum infortunium tunc ſubeunt; ad quod etiam ſpeciale victus regimen confert.

Neque abs re eos loqui putaverim, qui febres haſce a cohibita aliquando derepente perſpiratione originem tunc quoquomodo ducere exiſtimant. Ex odore enim, & colore perſpirabilis illius ichoris, qui æſtate præſertim, a corporibus noſtris avolat, bilem inde ſimul abunde ſecerni, perſpicuum eſt: qua idcirco imminuta excretione, eoque magis ſuppreſſa, bilem in propriis ductibus, æqua proportione, affluentius turgeſcere neceſſum erit.

Juxta ſulphuream ſpecialem atmoſphæræ noſtræ indolem, tum & ob alias cauſas, pravum plerumque fructus noſtri, & uvæ maxime, virus contrahunt, & retinent. Ideo vina omnia noſtra, quæ perſæpe, utpote immatura, æſtivo tempore, in doliis fermenteſcunt, par in bile phœnomenon ſuſcitare poſſe, haud improbabile videtur penitus; idem & de fructibus noſtris intelligendo, qui ſuapte natura ſalubres minus, quam alibi evadunt, neque tam facile omnino matureſcunt.

Ad æſtivos hoſce morbos etiam, quibus urbs noſtra abunde, & gravius detinetur, plurimum conferre arbitror putridas evaporationes illas, quæ vigente Sirio, a ſuburbiis noſtris copioſius emergunt; ubi nempe circumundique jacent horti, omnis generis fimo, & ſtercore fœcundati, putreſcentibus ultro aquis aſſidue madefacti, ad culinarias excolendas fruges, quę ideo haud modicam nobis, eadem ratione, noxam adferunt, iiſdemque forſan tertianis anſam prębere aliquo modo valent.

Hæc*

Hæc vero de procatharticis ſpecialibus morborum illorum cauſis, tibi dicta velim, ut ſatius judicares, num ea, qua obviam ipſis ire conſueſco, curandi methodus, rationi conſentanea videri merito poſſit. Neque enim plurimis uti remediis ſoleo, paucis omnino contentus, pro certo ceteroquin habens, plerumque naturæ ipſi potius, quam arti in eo jus convenire: præcipue ſi de tertianis illis intermittentibus agatur, quas exquiſitas cum Hippocrate dicimus; cum nempe illæ nullis gravibus ſtipari ſoleant ſymptomatibus, atque utplurimum ſponte, congrua per alvum, & ſudores exacta criſi, cito terminentur, cujuſmodi illæ præcipuæ ſunt, quæ progrediente vere, vel initio æſtatis conſurgunt.

Majus ultro nobis faceſſunt negotium aliæ, quę duplices ſunt, vehementiuſque inſurgunt, maxime cum earumdem acceſſiones diu adeo protrahuntur, ut, una copulatæ, continuę evadant. In hiſce, ſi ſtomachi gravamen adſit, una cum nauſea, oris amaritie, inanibus ad vomitum, aut ad ſeceſſum conatibus, cum urinis croceis admodum, aliaque ejuſcemodi gravia vigeant ſymptomata, quæ turgeſcentium in abdomine humorum copiam indicent, levi, congruoque pharmaco tunc purgandum neceſſario eſſe, arbitror, ſive per ſuperiora, ſive per inferiora, pro varia ægrotorum & morbi ratione, id fiat: neque initio tantum, ſed properante etiam morbo, blandæ epicraticæ, ut aiunt, purgationis uſum conferre admodum cenſeo, ſi alvus ex ſe libere, bilioſis dejectionibus, non fluat: quo uſque videlicet bilioſus fomes opportune educatur; pręcipue ſi de ſaginatis agatur corporibus, in quibus viſcerum infarctus quomodolibet appareant, ipſique morbo conſerant. Pro epicratica hac levi purgatione identidem, ut fas ſit, inſtituenda, rhabarbarum pre ceteris ſeligo, cujus ℈ i, cum æquali nitri, aut ſalis abſynthii doſi immiſceo, ut ſemel, aut bis, eadem die, ægroti capiant, idque quotidie, aut alternis diebus, juxta indigentiam. Tunc etiam pro potu ordinario copioſos aquę purioris hauſtus ipſis concedo; imo jubeo, ut ſępe ſumant, admixto ſimul mali medici ſucco, cum eo nihil aptius reperiri unquam poſſe exiſtimem ad compeſcendos hoſce bilis febriles æſtus. Ceterumque alkalicos omnes, ſeu teſtaceos, qui preſcribi ab aliquibus ſolent, pulveres flocci faciendos ad hoc eſſe, ſemper arbitrabor. Sanguinis etiam moderata emiſſio fauſto tunc omine ceſſit in juvenibus, & plethoricis, eaque iterata, quotieſcumque capitis gravamen, aliave ſymptomata moleſta urgerent. Verumtamen in ejuſcemodi febribus illico ad chinamchinam confugere, non adeo congruum, & utile cenſui, ſicuti aliquibus indiſcriminatim videri ſolet. Eo quippe adminiculo non deſtrui, ſed ſopiri tantum morbi fomitem, cum ſanioribus judico, unde, ſui juris denuo paulo poſtea factus, novam brevi, pejoremque excitet febrim. Quod ſi aut fractæ nimium ægroti vires, ejuſdemve ſpecialis conſtitutio, aut gravia, quæ forte urgerent, ſymtomata, febrifugi ſtatim uſum expeterent, nec ſponte alvus pro indigentia flueret, modicam rhabarbari doſim ipſi immiſcere utiliter conſuevi, plus quidem, minuſve, juxta peculiares tunc occurrentes circumſtantias: qua ratione recrudeſcere poſthac febres iſtæ difficilius obſervantur. Plerumque vero, pro ſingula chinæchinæ uſurpandæ uncia, drachmam unam rhabarbari addo; ita quod, cum tres febrifugi uncię, partitis vicibus ſumendæ, profligandis hiſce febribus, ſufficere comperiantur, tres rhabarbari drachmæ ipſi immiſcendæ, ad hoc ſatis eſſe poſſint, quotieſcumque ea, ut diximus, purgandi neceſſitas vigeat.

Verum, cum de pernicioſis tertianis illis ageretur, quarum plurimæ circa autumnum nobiſcum, ut plurimum, graſſari ſolent, ad lypyriam nempe pronæ, cum periculum in mora tunc adeſſet, chinamchinam illico præſcripſi, partitis vicibus ſæpius ſumendam, prævia ſanguinis emiſſione, quæ poſſibilem averteret inflammationem. Quam graviter, quam vehementer febres ejuſcemodi Cremonæ inſurgant, totamque animalem œconomiam derepente, & penitus ſubvertant, non eſt, quod tibi hic fuſius indicem, cum hoc in conſtitutionibus noſtris pro viribus explicaverim. Id unum in hiſce febribus, præcipue apud nos, evenire ſępe mirum eſt, quod, cum paulo antea febre omnino ægroti carerent, eadem die ipſa corripiantur, ac ſubinde ingraveſcentibus illico ſymptomatibus, modo refrigerati undique, modo aphoni, modo anhelantes, modo vomitu ſimul, ac diarrhœa, aliiſve maximis cardialgicis paſſionibus detenti, modo gravi veterno preſſi, ad agonem citatis, ut aiunt, equis properent; neque ulla tum ſupereſt ſalutis ſpes abſque opportuno chinæchinæ uſu, ſi tamen haud ſero propinata ea fuerit. Attamen tunc rhabarbarum omittendum penitus eſt, cujus loco omnem adimplet paginam electuarium diaſcordeon chinæchinæ immixtum, ad prædictas evincendas paſſiones, addito etiam meraciore vino, imo malvatico, præcipue ſi ſoluta nimium alvus fuerit, & lipothymia adſit. In ejuſcemodi ideo pernicioſis febribus, ſi illa vigeant ſymptomata, a purgantibus, cane pejus, & angue, abſtinendum prorſus eſſe, ex vera praxi, ratione duce, didici. Edomita vero ſic febre, cum nulla amplius adeſſet lypyriæ ſuſpicio, neque alvus poſthac libere flueret, leniter, ut dixi, purgare, cum tolerantia, & conferentia, conſuevi.

Neque vero deſunt inter noſtrates Medici quidam, a purgantium leviorum etiam uſu perperam abhorrentes, qui non tantum in pernicioſis hiſce gravioribus, verum etiam in tertianis mitioribus, ad chinamchinam illico, nulla interpoſita mora, confugiendum eſſe pronunciant. Eo enim ad hoc ducuntur ratiocinio, quod, ſi, ope febrifugi, febrem compeſcere ſtatim poſſumus, piaculum omnino ſit ipſius uſum procraſtinare, eoque pejus illum diutius retardare, cum interim ægroti eo divexentur morbo, a quo ſic ſtatim liberari tuto potuiſſent.

Hujuſcemodi conſilium haud unquam indiſcriminatim probabo, cum idem ſane illud ſit, ac febrilis cauſæ (quæcumque ea ab ipſis credatur eſſe) actionem quidem ad aliquod temporis cohibere, non autem ipſam radicitus evincere, maxime quia illæ ſæpe criſes præpoſtere hinc retardantur, quas in tumultuoſa febrili lucta, natura ipſa ſponte promovere paſſim attenditur, ut ex vera praxi habemus. Attamen illorum methodum omnino damnare non auſerim, imo

toties

toties laudaverim, quotieſcumque ſpontaneæ opportunæ dejectiones fiant, neque viribus ſatis ægroti valeant, neque alia præceſſerint tuta ſigna, quæ imi ventris viſcerum infarctus, aut furentis bilis nimiam copiam indicaverint. Aliter enim tantum abeſt, quod hac ratione curati ægroti, tuto convaleſcant, ut terque, quaterque, & pluries etiam recidivas patiantur, uſque dum morbi cauſa penitus eliminata fuerit. Addam inſuper quod chronici hinc ſæpe occurrant morbi, ob hypochondriorum ſpeciales ſtaſes, quæ ſubinde difficile admodum ſolvuntur. Atque adeo verum eſt, quod congrua mitiora purgantia tertianis contumacioribus curandis apprime conveniant, & neceſſaria plerumque ſint, ut quotieſcumque febres iſtæ, febrifugo ſimplici curatæ, recrudeſcant, & pluries etiam, ſolo purgante perſæpe, omnimode finiantur. Eapropter, cum vehementia febris illico febrifugum expetit, eaque ſic proinde edomita ſit, ceterumque futuræ recidivæ ſigna adſint, congruum purgans præſcribere remedium ſoleo, reliquam ſubinde, quæ neceſſaria foret, chinæchinæ doſim ægroto propinaturus. Ex hiſce omnibus ſatis, ſuperque patet, quod toto cœlo aberrant illi, qui chinæchinæ vim purgantibus tolli penitus, aut ſaltem enervari admodum exiſtimant. Præterea neque illis acquieſco, qui ad quadraginta uſque dies protrahendum eſſe chinæchinæ uſum, certo aſſerunt, ut recidivæ avertantur. Si enim congruis præſidiis, ſanaque methodo febrilis fomes profligatus antea non fuerit, aut ſaltem morbus ipſe ejuſcemodi ſit indolis, quod recidivæ, licet optime curatus, obnoxius ſit, eo ipſo tempore recrudeſcere febris comperietur, quo adhuc ægroti chinachina utuntur. Satis itaque eſt, quod ipſi tres chinæchinæ uncias, octo tantum, aut decem dierum intervallo, partitis vicibus, ut neceſſitas poſtulet, aſſumant, abſque quod diu adeo ſibi moleſtiam eam fruſtra pariant: idque iteratis pluries obſervationibus data opera, diligenterque animadverti tum in Noſocomio majore noſtro, tum etiam alibi.

En itaque paucis habes methodum mihi familiarem, qua in ejuſcemodi febrium nobiſcum populariter, & ſpecialiter graſſantium, curatione uti conſuevi, fauſto quidem, ut mihi viſum eſt, omine, de qua plura alia in Conſtitutionibus a me editis legere potuiſti, quidquid in oppoſitum alii oggarriant: jure ne, an non, ſapientes judicent, illique maxime, qui, ſemotis præjudiciis, methodum noſtram experiri non graventur. Optarem utique, quod adverſarii ipſi eas publice rationes proferrent, quas in cubiculis ægrotorum tantum clam, atque ad pompam potius, proponere vix audent, popularis captandæ gratiæ cauſa. Neque enim ſententiæ meæ tenax adeo ſum, nec ero unquam, ut congruis rationum momentis hinc removeri a nemine poſſim. Equidem tum in hiſce, tum in aliis, quæ ad Artem noſtram ſpectant, aliorum opinionibus adhærere nunquam renuam, quotieſcumque ratio, & obſervationes poſcant. Opinabilem enim prorſus, & conjecturalem Medicinam eſſe, cum ſanioribus concedam ſemper: quare errore hinc penitus carere, ſive medendo, ſive ratiocinando, nemo poteſt, ac ille ad medendum aptior cenſetur, qui minus delinquat. Quouſque ideo illorum rationibus conſilium mutare coactus ſim, vana propemodum ea eſſe arbitrabor, quæ contra purgantium leviorum uſum, tum in hiſce, tum in aliis morbis (in quibus ea convenire videntur merito) ad ravim uſque ipſi obſtrepunt. Laudo tamen, omnique jure a ſapientibus, expertiſque Medicis commendanda plurimum ea eſſe reor, quæ de Uſu Purgantium in aere Brixiano, *omnibus rationum momentis doctiſſime diſſeruiſti, ejuſcemodi pharmacon illud damnans, quod* non leniens primas vias, ſed de illis, ut aiunt, ſit, quæ maſſam ſanguineam reſpiciant, tractoque in conſenſum abdomine, & remotis viſceribus, totius œconomiæ animalis regimen ſubvertant. *Hiſce ego quoque Tecum ipſe libenter, totoque animo acquieſco, ejuſcemodi validiora purgantia, veluti peſtem, eſfugienda omnino eſſe, pro certo habens. Num autem eadem ratio de illis militet, quæ lenientia tantummodo ſunt, eaſque, ſi quæ fuerint in inteſtinali tubo, fœces blande educant, atque ad conſuetas criſes naturam leniter invitent, nil vero cogant, penes ſapientes judicium eſto. Tu ne ipſe, qui jure, meritoque potentiora cathartica damnaſti, modicam clarificatam potionem, ex infuſione ſennæ, & tartari albi ad drachmam unam, cum ſemiſſe, facta in aqua ſtillatitia glandium Perſicorum, addendo inde uncias duas, & ſemis mannæ, ut plerumque ſoleo, reprobare unquam poteris, quotieſcumque de illis agatur morbis, quorum cauſa ad imum ventrem pertinet, quorum criſes ſive per inferiora, ſive per ſuperiora, bilioſis excretionibus natura ipſa utiliter promovet. Id ſane nunquam adeo adducar, ut credam. Stet ideo veritati laus. Ejuſcemodi mitiora purgantia, ſive mavis lenientia, pro indigentia, ut diximus, in enarratis ſupra circumſtantiis opportune uſurpata, & utilia, & neceſſaria ita ſunt, ut oppoſitum evincere nemo ſanæ mentis valeat. Fruſtra enim & caſiam, & oleum amygdalarum dulcium tunc in medium adducant, cum imi ventris infarctus adſint, quos congruo purgantium tantummodo uſu deſtruere citius poſſumus. Etenim obſervavi pluries (ut ratio ipſa aperte evincit) quod ventris ſæpe tormina, cum inanibus conatibus, gravioraque alia ſymptomata ab hiſce potius, quam a prædicto ſolvente, mihi familiari, proveniant, votiſque inde illi penitus fruſtrentur. Sapientiſſime idcirco Tu ipſe ſub finem præcitatæ Diſſertationis tuæ, ſtatuis, quod,* omnibus penſitatis, neque mitius agendum eſt, illud adhibeo, quod commoveat, ſed non extricet, neque temere, quod cruda violenter excutiat: *quam utique ſententiam, veluti Delphicum præceptum in uſu purgantium, attendendam ſemper eſſe, rationalis quilibet Medicus, vera praxi inſtructus, concedet, neque ab illa recedet unquam.*

Præter hæc, nihil præſens habeo, quod Tecum communicare tumultuarie poſſim, maxime quia ceteri, qui identidem Cremonæ dominari ſolent morbi, non adeo ſpeciales ſunt, ut aeris noſtri vere proprii eſſe,

eſſe, dici mereantur. Epidemicæ enim, quas tranſactis nuper annis habuimus conſtitutiones, ſive morborum pectoris, ſive petechialium febrium, ſatis, meo videri, in operibus meis exaratæ ſunt adeo, ut neque quoad illorum ſymptomata, neque quoad curationem, quidpiam mihi dicendum ultro ſuperſit.

Convulſivos etiam, quos innuis, morbos ubicumque terrarum graſſari, in mulieribus potiſſimum junioribus, raro autem in viris, Tu ipſe concedes; quare endemicos Cremonenſibus nec fuiſſe, nec futuros in poſterum unquam exiſtimo. Quotuplicis vero ſpeciei ſint, & qua ratione, licet proteiformes, ob variorum ſymptomatum comitatum, evadant, in ſuas claſſes redigi poſſint, quare diverſa prorſus methodo curari ament, fuſius in ſpeciali opere, quod præ manibus habeo, oſtendam. Ibi præcipue ſacrarum virginum cauſam pro viribus agam, eaſque proinde commiſeratione dignas eſſe illis oſtendam, qui pleraque, earum culpa, ipſis evenire perperam arbitrantur, facileque nimis diaboli potentiam, aliaſque ſuperiores cauſas in ſcenam adducunt, ea plus æquo, ut indocti ſolent, fruſtra admirantes, quæ penitus ignorant, nec quidquam intelligunt, nec intelligere unquam ſane poterunt, maxime quia quanti valeat, & agat in mulieribus hyſtericis imaginationis vis, quantaque mira excitare poſſit, ignotum ipſis propemodum eſt. Illis ideo ſatis, ſuperque eſſe videtur, quod hyſtericam convulſivam affectionem indicent, ex quo genuinam ſe attigiſſe ideam audacter præſumunt; ceteroquin de individuali, ut dicimus, morbi indole, & cauſa ne hilum quidem cogitantes. Optimum mehercle ignorantiæ refugium, quo & in aliis morbis, quorum rationem congruam nequicquam callent, ſepiſſime uti conſueſcunt. Ego autem varias ejuſcemodi convulſionum ſpecies retexens, variam etiam ipſis convenire curandi methodum oſtendam. Neque enim, quia plerumque morbi iſti, progrediente ætate potius, quam remediis radicitus evelluntur, conatus ad hoc meos fruſtraneos evaſuros prorſus ſapientes judicabunt, ſi intelligant, eo totum vergere operis hujuſce mei inſtitutum, quod eorumdem ſpeciales cauſæ ſatius, ut rationalem Medicum decet, explicentur, omneſque (qui plurimi ſane ſunt) circa illorum ideam, & curationem errores, quoad fieri poſſit, evitentur; unde alia conſectaria, Clinicis Medicis apprime neceſſaria, pro re nata, deducam: quare, ſin novum penitus, utile, ſpero, ſaltem opus illud multifariam evadet.

Si alia, eaque meliora penes me fuiſſent, citius ad te miſiſſem, atque libentius. Quęcumque autem hęc ſint, ęqui bonique ea facias, obſecro, nec contemnas prorſus, veluti ea, quę a tuo Opere decus mutuari ſaltem quoquomodo poſſint. Celeberrimum Virum Philoſophum veſtrum Pręſtantiſſimum P. Fortunatum, quem ſummopere colo, quæſo, ne graveris meo nomine ſalutare. Ceterum Tibi maximas ago gratias, quod eruditiſſimam Epiſtolam Eminentiſſimi Cardinalis Quirini ad me miſeris, in qua, dum ipſe Medicum agere non eſt dedignatus, novum ſane, illudque ſummum Arti noſtræ decus addidit, quo gloriari ſemper poterimus, cum toto jure, non Eccleſiæ tantum, ſed & ſcientiarum omnium Princeps appellari ipſe mereatur. Vale, & ſalve, meque Tui amantiſſimum ſemper ama.

Cremonæ Idibus Octobris anni M. DCC. XLIV.

Sapientiſſimo, Præclariſſimoque Viro

Comiti Francisco Roncalli Parolino

Academiæ Scientiarum Bononienſis, necnon Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Socio

JOSEPH MIGLIAVACCA

S. P. D.

ERudiunt me maxime, Vir Spectatiſſime, quæ de Hiſtoriis Morborum ſcribendo evulgaſti, tantaque mihi frui contigit voluptate, ex attenta illorum lectione, ut nequeam, quin tibi debitas, atque cumulatiſſimas, pro eximio munere, gratias reddam, quod benevolentiæ tuæ, ac liberalitati unice acceptum refero. In eo ſiquidem eluceſcit inſignis illa, qua polles, eruditio, ſumma perſpicacia, atque limatiſſimum in medicis ingenium, quo Artem noſtram magis magiſque illuſtrare ſatagis, dum novum in dies, varia librorum editione, illi addis ornamentum.

Et ſane non leve ipſi decus emerſurum eſſe arbitror ex recentiſſimo, quod in præſens moliris, Opere de totius Europæ Medicina, quod faxint Superi, ut brevi lucem aſpiciat; amplum quidem Opus, ſed menti tuæ haud impar, dum inter cetera, ut a Te oretenus accepi, endemicos plurimarum regionum, ac urbium morbos in propatulo ponis, atque peculiaria ad illos evincendos præſidia ſubdis longa obſervatione comprobata, celeberrimorum virorum ad Te accitis epiſtolis aſſerta tua confirmantibus.

Tuis quoque votis feciſſe ſatis intellexi ampliſſimum doctiſſimumque Virum Paulum Valcarenghi, Præceptorem mei amantiſſimum, erudita ad Te conſcripta Epiſtola, qua de endemicis Cremonenſibus morbis ipſe diſſerens, de tertianis præcipue febribus agit, quarum generales cauſas accuratiſſime rimatur, deducitque a peculiari Cremonenſis ſoli, atque aeris conſtitutione. Hinc bilioſum in iiſdem ſtatuens principium, methodicam tandem addit curationem, quam ſe felicem, ex attenta, diuturnaque praxi, expertum eſſe deprehendit, diverſoſque exhibet corticem Peruvianum propinandi modos, habito reſpectu ad varia morbi ſymptomata, ægrorumque temperamenta.

Adeo autem verum eſſe exiſtimo, quod tertianę omnes, & pernicioſæ præſertim, ſi non immediate, mediate ſaltem ab ipſo hepate originem ſortiantur, ut & morbi illi omnes, aut plerique ſaltem, qui a ſpeciali hepatis ſtaſi quomodolibet proveniunt, illa ipſa præſeferre paſſim ſymptomata ſoleant, quæ tertianis familiaria ſunt, quæquidem de tertio in tertium exacerbari ita obſervantur, ut tertianarum periodum ſimulare conſueſcant: id porro, & ratio, & experientia manifeſte evincit, idque ſpeciali obſervatione didici, quam, utpote

ſoler-

ſolertiſſimo, ingenio tuo perpendendam, etſi rudi conſcriptam minerva, atque tumultuarie exaratam, ad Te mittere decrevi.

Admodum Reverendus Dominus Archipresbyter Joſeph Tornetus, vir ſeptuagenario major, saguineo-biliosa corporis temperie, rigidaque fibrarum textura præditus, cum pertinacem olim paſſus eſſet ictericam affectionem, VI. Calend. Octobris anni 1742. febri correptus eſt, cum rigore, atque inanibns ad vomendum conatibus identidem recurrentibus. Hæc periodicam tertianarum indolem primo ementiri viſa eſt, nunquam tamen ex toto ceſſit, ſed aliqualem tantum exhibens remiſſionem, cum ſudatiuncula, ita protrahebatur, ut paroxyſmorum acceſſiones, licet obſcure, ſe invicem excipere viderentur. Hiſce omnibus penſitatis, cum æſtuantis viſcidæ bilis apparatus a magna oris amaritie, atque citrino linguæ glutinoſo colore, tum & aliunde in primis viis ſe oſtenderet, congruam exhibui purgantem potionem, non neglecta interim iterata ſanguinis miſſione, ut nimiam ipſius copiam imminuerem, attento maxime ſanguineo patientis habitu, prægreſſoque antehac vini meracioris uſu. Non omiſſæ ſunt etiam copioſæ diluentes acidulæ potiones ex aqua, cum mali medici ſucco, tum ad magnos bilis æſtus ſedandos, tum ad ipſius tenacem nimis compagem incidendam, atque attenuandam, reſpiciendo ſemper ad quotidianas alvi excretiones, quas clyſterum adminiculo ſollicitabam. Invaleſcente tamen in dies febri, atque perſeverante inani vomitu, croceoque faciei colore, refrigerari corpus pedetentim cœpit, præcipue vero in extremitatibus, cum pulſu frequenti, demiſſa voce, cardialgicis nonnunquam paſſionibus, præſertim poſt aſſumptum cibum, ſingultu identidem recurrente, atque alvi fluxu modo bilioſo, modo dyſenterico, cum ventris torminibus, ac ſemper moleſto teneſmo. Aliquantula tenſio in abdomine, diſtincte vero in hypochondrio dextero, ſe prodidit, cum dolore, quoties pars affecta comprimebatur. In hoc pernicioſo febris, quę lypiriam æmulabatur, ſtatu, præſcripta ſunt ea, quæ tum bilem, ut antea, compeſcere, ſimulque diſſolvere, atque ad faciliorem excretionem diſponere poſſent, tum quæ occurrentibus ſymtomatibus præſto eſſent; qua de re, præter acidulas ſupra recenſitas potiones, imperavi fotus emollientes, & diſcuſſivos, clyſteres ſedativa, atque balſamica vi præditos, mixturæ ſtomachicæ, vinique malvatici meracioris uſum, ante quotidianum cibum, cum ob ipſius ſtypticam, atque ſpirituoſam vim, majus reddatur robur ventriculi, inteſtinorumque fibris non tantum ad tenacem ibidem impactum humorem eliminandum, verum etiam ad retardatum, in præcipuis maxime imi ventris partibus, ſanguinis motum promovendum. Nihilo tamen minus inflammatoria in hepate ſtaſis, atque hinc ſuborta ſuppuratio præverti haudquaquam potuit; nam levi identidem prægreſſo febrili rigore, circa decimamſeptimam morbi diem, pus bilioſis excrementis copioſe immixtum apparuit; unde potiones ſtatim emollientes, leniter aperitivæ, ſimulque vulnerariæ, exhibitæ ſunt largis hauſtibus ſumendæ, non omiſſis balſamicis præſidiis medicis, atque clyſteribus anodynis, & deterſivis, tum ut facilior haberetur puris ſeceſſus, ne ſcilicet diuturniore in inteſtinorum tubo mora, internam ipſorum ſuperficiem abraderet, tum ut premitus, atque ventris tormina, ab illius irritantibus particulis magna ex parte excitata, compeſcerentur. A diuturna hac puris per alvum excretione ad plures dies protracta, ſymptomata quæque miteſcere ſenſim, & ſine ſenſu cœperunt, febrimque in dies deferveſcere vidimus, donec ea ex toto remittente, quadraginta dierum a ſuppuratione facta intervallo, optatam ſalutis metam attingere patiens potuit.

Satis itaque jam conſtat, opinor, primariam recenſitæ ægritudinis ſedem, a primordiis uſque in hepate latitaſſe, potiſſimamque illius cauſam a bilis non modo exuberante copia, verum etiam prava qualitate eſſe derivandam, attenta præſertim in patiente noſtro bilioſa corporis temperie, malaque hepatis conſtitutione.

Ab illius enim adaucta in hepatis colatoriis ſecretione, nimia craſſitie, vi corrodente, atque abſterſiva, magnoque tumultu prope biliarios ductus, prope ventriculum, atque etiam in inteſtinis, facile genuina fluit ratio, tum febris, tum ceterorum quorumlibet ſymptomatum, quæ ab ipſius irritantibus, mordacibus, atque cauſticis particulis ortum nanciſcuntur. Congruo hinc ducto ratiocinio, veridica magis ſubſecuti, in hepate phlegmonis cauſa emergit ab utroque bilioſi humoris vitio deducenda. Diſtentis enim undique a nimia bilis tenacis admodum, atque facile ſtagnantis copia biliariis tubulis, pari ratione compreſſi ſunt etiam ſanguiferi canales, unde ſegniore reddito cruoris circulantis motu, ſtaſim ipſe in concava illius parte concepit, tumoremque excitavit inflammatorium, quo ſuppurato, per propinquos biliarios ductus ad inteſtina purulenta materies migrare potuit.

Atque hæc ſunt, Vir Eruditiſſime, quæ pro tenuitate mea, Tibi exponere libuit, ut aliquod obſervantiæ ſpecimen me doctrinæ tuæ exhibuiſſe mihi gratularer. Vale igitur pro univerſæ reipublicę Medicæ bono, atque ornamento, meque amare pergas.

Cremonæ VIII. Idus Novembris 1744.

Specta-

Spectatiſſimo, Erudiſſimoque Viro

COMITI FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Academiæ Scientiarum Bononienſis, necnon Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Socio

JOSEPH MIGLIAVACCA

Medicinæ, & Philoſophiæ Doctor.

S. P. D.

CRebra adeo ſunt tua erga me officia, Vir Præclariſſime, ut egregiam doctrinam tuam, cum ſingulari humanitate junctam, mirari ſatis nunquam deſinam, totuſque pudore ſuffundar, cum hactenus, quod ſit meum erga Te ſtudium, quantique Te faciam, reipſa oſtendere haudquaquam potuerim. Non enim facile dicam, plus ne comitatis in Te, an eruditionis ineſſe perſpiciam: id unum certe aſſerere poſſum, quod cum alteram a natura acceptam referas, alteram limatiſſimo ingenio tuo Tibi comparaveris, in utraque ita emines, ut Te litterarum ſtudiis exculti homines laudibus certatim ornare ſatagant, tuumve expetant patrocinium. Id ſatis ſuperque patere nuperrime potuit ex doctiſſimi Anſaldi a Te mihi tranſmiſſo Commentario de Forenſi Judæorum Buccina, *felicibus tuis ſub auſpiciis in lucem edito, ex cujus attenta lectione voluptatem longe maximam percepi. Delectarunt me ſane ingenioſa illius excogitata, quæ licet vivida undequaque eruditionis luce effulgeant, non modicum etiam a Mecenatis fama, & celebritate, quæ ubique magna eſt, lumen mutuantur. Sed convertor ad me ipſum. Ingrati certe animi vitio laborarem, ſi pro egregii Operis munere gratiam in præſens referre ſtuderem, nullam; qua de re, cum me Tibi obſtrictiſſimum cenſeam, enitar, &, ut ſpero, perficiam, ut cum ad æquanda tua in me merita, facultatem mihi deeſſe videam, voluntatem deeſſe nemo arbitretur. Vale litterarum decus, ac præſidium, atque in exoptatam* de totius Europæ Medicina *Operis editionem ſollicito animo incumbe, pro univerſæ reipublicæ Medicæ emolumento. Interea peto a Te, ut me, quamvis immerentem, amare pergas.*

Cremonæ Pridie Calendas Septembris 1745.

FONTES NOVITER DETECTI IN AGRO CREMONENSI,

Ubi

de Chinachina Purgantibus non miſcenda.

VIſa morbi hiſtoria, ejuſdem curationi jam peractæ nihil ſane addendum, nihilque detrahendum mihi videretur, niſi de aquis (vulgo hic della Lacrima) *atque ulteriori uſu corticis Peruviani, ſolventibus admixti, injuncta foret reſponſio, quam breviter exaratam, doctiſſimi Roncalli examini, pro confirmanda Illuſtriſſimi Comitis valetudine, libenter ſubjicio.*

Quoad ultimum, ingenue fateor, mihi nunquam bene viſam fuiſſe, una cum cortice, purgantium miſcelam, nec adeo feliciter, in febribus debellandis, eveniſſe, ut debuerim ad hanc methodum me inconſulte transferre. Quid, quæſo, purgantia, vim tumultuariam præſeferentia, cum cortice ſedativæ virtutis? Cur ſimul irritare, & quietem inducere; excitare ad motum, quem curas miteſcere? Hoc ſane nihil aliud eſt, quam infringere febrifugi utilitatem, & febrim revocare, ut in caſu noſtro accidiſſe, ex accurata relatione colligitur.

Corticem igitur ſimpliciſſimum, ad tenuem ſaltem doſim, in Illuſtriſſimo patiente adhuc adhiberi ſuademus, ne fiat inopinanter, quavis de cauſa, febris recurſus, & reliquæ curationis impedimentum, ſi vero laxandi corpus neceſſitas urgeat, leniter fiat, & ſeorſim a cortice.

Nunc autem ad aquas ſupra memoratas tranſeundo, cum nondum apud noſtrates uſus invaluerit, nec earum utilitas, & mineralis indoles ſatis tuto explorata ſit, nil certi de his audeo proferre; plures tamen audivi, ignorans qua de cauſa, quibus exhibitæ, ſine conferentia, & tolerantia, deſertæ fuerunt.

Alterum vero habemus Fontem in agro Cremonenſi, quotidiana experientia ſaluberrimum, mihi quoque tot ægrorum levamine comprobatum, ut Fontem Salutis, citra jactantiam vocare illum non dubitem. Hæ aquæ, communiter del Valloncino, *nobis emanant prope oppidum dictum* Grimone, *juris Nobiliſſimæ Familiæ* Roncadelli, *citra Ollium flumen.*

Harum quoque analyſis ſæpius repetita, nil aliud ex ſuis mixtis demonſtrat, ad inſtar aquæ Nucerianæ, quam terram albam inſipido-dulceſcentem, ex quo emergit conjectura ſatis clara, ad dulcoranda univerſaliter fluida, ſalia abſorbenda, placideque eliminanda, aquam hanc præ ceteris fore proficuam.

Illuſtriſſimo Comiti, calidæ conſtitutionis, affectionibus hypochondriacis, aliiſque obnoxio, ſalinam humorum craſim, & canalium ſtricturam palam indicantibus, aquarum potum, de quibus *fit*

 mentio,

mentio, alacriter propono, dummodo accedat peritiſſimi Medici conſenſus, & aſſiſtentia.

Spiritum nitri dulcem, ſingulo poculo ad guttulas inſtillandum, tanquam efficacem ad bilioſas phlogoſes compeſcendas, & ad diureſim promovendam, cunctis præferrem.

Poſtremo quod reſtat de potus quantitate, mihi liceat animadvertere, illam aquarum molem, quæ pondere ſuo ſeparationem ſollicitat, forſan obliqua via, ut ex Doleo*, de ventriculo ad renes, per vaſa, licet hucuſque ſatis nondum detecta, certe tamen veroſimilia, minus idoneam eſſe ad diluenda viſcera, & canalium anfractus penetrandos, adeo ut videri mereatur utilior mediocris portio brevi intervallo reiterata, in lecto propinata, calida potius, quam frigida, ad plures dies protracta, & tandem animi hilaritati, victuſque regimini continuo aſſociata, &c. Hæc demum ſcribebat in obſequium Illuſtriſſimi Comitis, & Spectatiſſimi Roncalli.*

Cremonæ 29. Junii 1745.

IGNATIUS PEDRATTUS.

FONS ALTER
DELLA LAGRIMA DICTUS.

NON longe ab Ollio in agro Curtis de Corteſiis, ex quadam ripa, quæ *Coſta* nuncupatur, inter arenam ferrei, & quaſi argentei coloris effluit aqua clara, ſine odore, potiuſque frigida, quæ elapſis annis tamquam medicata in uſum poſita fuit a Medico *di Caſalbuttano*, proindeque etiam a Cremonenſi clariſſimo viro Domino Sonſis. Hinc eunte quaquaverſum ejuſdem activitatis, & utilium productorum effectuum fama, oportunum duximus rogando excitare doctum Medicum Brixianum in vico Gottalengi cum plauſu Medicinam facientem, Joannem Baptiſtam Cavallini ut in illius qualitates inquireret. Quo facto, comiter annuens reſpondit, in chymica analyſi repertas fuiſſe particulas nitri, terræ bolaris, & aluminis, ſed in exigua quantitate. Proindeque ex martialium ſtratorum, & canaliculorum per quæ tranſit ſubſtantia, arguit poſſe de ferrea minera participem eſſe.

Utilem, expertamque dixit in viſcerum obſtructionibus, in renum vitiis, & veſicæ. Additque ab ejus uſu ſtomachi fermenta vivificari, & bibentes ægrotos bonum vultus colorem præſeferre.

AUCTORIS RESPONSUM CIRCA FERRI FRUSTULA, SAXA, ET ALIA EXTRANEA CORPORA A CREMONENSI MULIERE VOMITU REJECTA,

Viro Clariſſimo

MARTINO GHISI

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

MIraculis mulierum hyſtericarum aſſuetus ſum modicam præſtare fidem, multa facientium, ut urbs tumultu, domus hominum frequentia compleatur. Abſit ut credam extranea, quæ exponis, corpora in ventriculo naturaliter poſſe gigni, atque etiam a dæmone inibi collocari: cum poſt Summi bonorum omnium Datoris adventum illius potentiam jam circumſcriptam Catholici omnes gratulemur. Quod fuſius explanatum proſtat in Diſſertatione noſtra *de Homine invulnerabili.* Quæ tu non vidiſti, vera non erunt. Reliqua aut a vafra manuum dexteritate effecta, aut in ſtomachum detruſa, ut vomitu iterum rejiciantur. Quod ſi tuam mentem, & probabilius aſſequor, primarium eſt ventilandæ quæſtionis argumentum.

Mordicus non obſiſterem, poſſe œſophagum pro introitu, & vomitione deſcriptorum priſmatum ampliari, cum membranacea, pellicea, fibroſaque corpora, ſummam extenſionem patiantur, & Crollius, necnon Rutgerus Kempſing memorent cultros ferreos bipalmaris menſuræ deglutitos. Periculum, quod in anatis œſophago proponis, ſatis non probat, quia factum in aere libero, quo fibrillæ illico exſiccantur, & dureſcentes, diſcerptioni diſponuntur. Os ipſum uteri a ſua ſede revulſum, & humecto naturali, amicoque laxante tepore orbatum, ad illam latitudinem non perveniret, ut tranſiret fœtus interdum duplicatus. Contra, intus omnia faciliora ſunt. Aſſervatur quippe noſtris in ſcriniis calculus humanus per meatum urinarium expulſus a D. Petro Foreſti, magnitudine majoris caſtaneæ, nonque minoris circumferentiæ corni ad finem tabulæ poſiti, & ut ais eructati: jamque ſcis, lithotomos extrahere lapides, pomum æquantes, ex veſica mulierum abſque ſectione, de quibus omnibus Anatomici conſulendi: illi tamen, qui mechanices etiam ſtudioſi ſunt. Vides igitur, accedente vi, voluntate, arte, ſingultu, & convulſivo motu, magna evenire, & eſſe inter res, quæ fieri poſſunt, objectum ſolidum ferreum, vitreum, metallicum intrudere, & rejicere.

Si remedia pro tali morbo ſcire vis, me pauperem fateor. Ut tamen pateat tibi obſecundandi promptitudo, tria habe. Primum: choreis, itineribus, nuptiis, omniumque lætitiarum genere affectas

affectas proſequi. Secundum: ex oppoſito. Non eaſdem veluti ſanctas, & ſingulares admirari, & ſuſpicere, aut vice verſa, fanaticas, & lymphaticas credere, & miſereri, ſed potius neglectas ſicco pede præterire. Tertium, ut cachinnes, illud eſt, quod, documentis Paulini, & Aureliani innixus proponit Joannes Lindeſtolpe pagina 657.

En, Martine Ornatiſſime, petitam a Te reſponſionem, non, aſtipulante Scriptorum caterva, inter pacis, & muſei otia elucubratam, ſed inter praxeos labores, currenti calamo ſcriptitatam. Faveant Superi, ut id qualecumque cedat in arrham futuræ neceſſitudinis, ac ſcias, animum noſtrum geſtire, & quaſi ſuggerere, ut Epiſtola tua edendæ *Europæ* addatur, ſed obſtat longitudo, ne opus ab aliis compactum videatur; deinde tabulæ cum figuris ære incidendis: ſed alia alio tempore meditabimur. Interim Vale.

Brixiæ 20 Septembris 1745.

DERTONA

FEBRES TERTIANÆ.

NOtat Matthæus Giorgi (1) in Dertonenſi juriſdictione, Autumnali tempore febres tertiano ritu recurrentes, frequenti purgatione tractatas, lethales evaſiſſe, in illarumque curatione plurimum meruiſſe eximium Medicum Moro, qui in Genuenſi ſchola uſum abſtinendi a purgantibus didicerat. Quo medio ægrotantes fere omnes evadebant.

(1) Dell' arte piccola di medicare pag. 61.

ETRURIA

THuſcam Medicinam, exactis temporibus, Sereniſſima Mediceorum Domo favente, cultam, nunc ſemper magis magiſque florere, gloria danda eſt Franciſco I. Romanorum Imperatori feliciter Regnanti, ſemper Auguſto, & Supremo Duci, qui bonis Artibus, & diſciplinis ſe Fautorem, & Patronum munificentiſſime præbuit. Tantis modo gloriatur auſpiciis Ars, quæ ſummopere debet Franciſco Redi, Laurentio Bellino, necnon Joſepho del Papa triumviris, inter alios, adeo de Medica republica optime meritis, ut non ſolum Florentiæ, Piſarum & finitimarum urbium, verum etiam Italiæ, immo Europæ Medicina ab ipſis aucta, illuſtrata, & quaſi ad perfectionem ducta dici poſſit.

Horum veſtigia ſequentes non minoris famæ, qui nunc vivunt Profeſſores, primique ſubſellii celeberrimi viri effecerunt, ut altas hac illac medendi methodus inciperet mittere, ac diffundere radices, adeo ut nullibi terrarum de profligandis morbis, de valetudine in perpendiculum reſtituenda agatur, quin ex Florentino præſertim tripode reſponſa petantur, & promulgatæ saluberrimæ leges obſerventur. Quarum licet plurimæ & utiliores deſcriptæ, & in limatum Commentarium elucubratæ, atque ad experrecti hujus ſæculi felicitatem & genium digeſtæ, pro ornando hoc Opere expectentur ab optimæ indolis, & altiſſimæ ſpei adoleſcente Cremonenſi Joanne Calvi, qui nunc ibi in Medicis ſcientiis perficitur: attamen ne inſtituti noſtri immemores videamur, & nos interim nonnulla adnotabimus, quæ de Florentinis præſertim medendi modis, audivimus, potuimuſque lectitando decerpere ac delibare.

FLORENTINA MEDENDI METHODUS.

IN morbis acutis plerumque & ipſi ſanguinem detrahunt; ſed hoc facto, & laxata alvo aliquo blando medicamine, frequentius per modum potus parato, cetera naturæ, & dietæ committunt; neque in pharmacopolarum favorem ſuperfluas præſcriptiones multiplicant. Sique ad aliqua alia tranſire cogit neceſſitas, blandiorem, & delicatam fere ſemper methodum ſequuntur & a farraginoſis compoſitis abhorrent. Quid plura? ipſos caſiæ flores ſolitarios præſcribunt, & errorem putant, ſi aliquid addatur; clyſteres frequentant, ſed ſimplices, compoſitos vero interdicunt. Cardo curationum apud eos conſiſtit in temperando ſanguine, in ſolvendis ſalibus infenſis: hocque efficere curant vel ſyrupis, vel aquis, vel deſtillatis, ſed recenter ad rem factis. Inquirunt in aquarum qualitates; ſeligunt bonas a malis. Corrigunt errores illorum hominum, qui a diarrhęis & frequentiſſimis dejectionibus ſalutem ſibi ominantur. Utinam hoc diſcerent & Medici reliqui. Poſt lactis potum, dormiendi libertatem interdum concedunt. In nephriticis doloribus damnant frictiones, laudant balnea tepida calentia, ſed ex ſolis aquis. Guttarios non curant, & credunt ſalutem interdum citius evenire, ſi minus ſollicitetur. Potius vegetabilium, quam mineralium amici ſunt; damnant medicamina in officinis jam antiquata, & muceſcentia.

Ex læſa memoria epilepſiam, & apoplexiam prænunciant. Circa quorum morborum genus, & curationis exequendæ methodum videnda ſunt, quæ nuper Vir celeberrimus Joſeph Maria Xaverius Bertini Florentinus typis tradidit. Optimo quippe conſilio exſibilare conniſus eſt panicum timorem quorundam, qui in adhibendo Mercurio contremiſcunt: hinc per certos rationum gradus procedens, & morbidæ naturæ myſteria ad lancem revocans, adhibendum eſſe ſtatuit, dummodo doctus, & prudens Medicus præſideat. Hæc doctiſſime expoſita, adeo vera ſunt, ut multoties me mœrentem de clinicæ artis impotentia, ſolæ curationes Mercurio felici-

ter executæ, quibus, ſi fas eſt dicere, ab agone ægrotantes ad vitam revocavimus, recreando lætificent, ac prorſus beatum, & Medicinæ addictum iterum efficiant. Ne timeant itaque Tyrones in poſterum, &, præſtantiſſimo Bertini, inter alios, promotore, & facem præferente, de Ægrotis magis magiſque benemereant; multaque, & magna a Mercurio methodice adminiſtrato (quis, præter chinam chinam, utilius certiuſque remedium ſcit, aut inveniet?) ſperent, præſertim in ſyphilidis curatione.

Suſpectum habent vinum viperinum in ſcabie. Et pro ſuffocationibus mulierum uterinis laudant ſuffitus, & odores ex oleo karabis, ſulphuris, plumis crematis, bitumine Judaico; ſique accedant & cordis palpitationes, pinguedines roſarum, florum aurantiorum, & linimentum cordiale Baldini, & Guarnerii. Antiquorum errores, ſecuriorem inſtituendo praxim, corrigunt, & quidem docte, apte, circumſpecte, ne critici videantur. Ventris tarditatem non violentis pharmacis tollunt, ſed paulatim, & blande laxant. Tabaci uſum pro diverſione catarrhalium fluxionum ad palatum, ad pectus, non nimis probant, & brevem efficere vitam hominum vinum dicunt. De Antimonio vero illis iiſdem verbis loquuntur, quibus nos in diſſertatione de uſu purgantium in aere Brixiano uſi ſumus. Admonent infirmos, ne libros medicos legant, & diæteticum vivendi regimen magis conferre ad ſalutem, quam arcana quævis promittunt, potiſſimum ſi animi tranquilla quies intercedat.

Animadvertunt inſuper (inter quos Bellinus (1) præcipue) mutationes, & occurſus multiplices, quos offendere debet, & cogitur medicamen, ubi in viſcera adactum eſt; ex quibus lux ducenda, non debere Medicos ad præſcribenda cathartica eſſe tam proclives, & in diverſis hominibus tam æquales, eodem ſemper calceo ægros commenſurando. Præſcribit inſuper nuper citatus vir tempus extractionis ſanguinis in febribus, ſtatuitque tempus declinationis.

In continuis vero febribus, quæ nihil acceſſionis habent, laudant *hirudines*, *ſcarificationes*, *frictiones*, quinimo iterum ſanguinis miſſionem in die critico. Et animadvertunt, periodicas, intermittentes, continuas ſimul confundi. Inter quas adderem ipſe dari in febricitantibus quaſdam exacerbationes, & accidentales a multis externis, & internis cauſis ſubſultus, ob quos falſo creditur, & dubitatur de novo febris inſultu. Non dubitant aſſerere, dari ephemeram plurium dierum, quam & ego in praxi obſervavi, & quæ ſæpe ſæpius depuratoria eſt, & ſalubris. Quare Medici in ſcribendo non deberent eſſe tam proclives; ſed quando nulla adſunt alicujus periculi prænuncia, quando gravia ſymptomata morbum non circumeunt, unicæ diætæ tradendus æger eſt; & Redianis nunquam ſatis laudatis documentis obſervandum, quid indicet, quo vergat natura.

Optima inſuper methodus eſt, qua utuntur Florentini in tractandis febribus, nempe attente obſervando per quoſdam gradus, & regulas, *antecedentia*, *conjuncta*, *ſubſequentia*. Per tales enim proceſſus ad tutiorem morbi cognitionem aſcendimus; etiam ne lateat, num febris ſymptomatica, & ſecundaria ſit, vel non. Tandemque ſtatuunt, febrim ſemper pendere a vitio ſanguinis; in ſanguine vero lædi motum, qualitatem, & quantitatem.

A fonticulis interdum non tam alieni ſunt: ſurditatem peculiari decocto (2) curant.

Mammarum vero exiguos tumores ad cancri naturam accedentes, non ſtibio, & argento fugaci, ſed ſero lactis, emulſionibus, ſetaceis, conſervis, decoctionibus ex alkalicis dulcificantibus (3); & quamvis Hippocrates curaſſe (4) cancros dixerit, ſerio animadvertunt, præcipue ubi ad annos confirmati fuerint, altaſque jecerint radices, non eſſe nec ſecandos, nec averruncandos, ob timorem ne in loco ſectionis immedicabile nihilominus ulcus reſtitet, & luxurietur, aut, ut ait Celſus, alibi reproducatur, hoc eſt, *in liene*, *hepate*, *utero &c. mortemque afferat*.

Hanc rem tamen recentiſſimo opere enucleavit egregius chirurgiæ magiſter in Regio noſocomio Florentino S. Mariæ Novæ, Angelus Nannoni, quod ut præmanibus habeant laudabo illi omnes, qui nimis timidi, & circumſpecti nihil agunt, vel nimis audaces non tangenda ceco impetu ſecant. Rem difficilem, ſæpe obviam, a nemine ad umbilicum ſatis perductam, bono tandem omine illuſtratam gratulamur, & eo potiſſimum magis, quia id prudenti conſilio factum a viro docto in urbe doctiſſima, adeo ut, ceco quaſi dixerim uſu, illius documenta amplecti mereantur. Arriſit illius methodica tumorum in mammis nomenclatura, illorumque dureſcendi deſcriptus modus, placuit blandorum remediorum innocens propoſita adminiſtratio, laudemque meretur relatus hiſtoriarum ordo, aſſerta ſua mirum in modum comprobantium. Si duriuſculi mammarum tumores ab externa contuſione, vel interno lacte, vel denique glandularum mammæ vitio ſolum penderent, lex profecto extirpationis, ferro ſecante, poſſet ſtatui, ſemperque cum felici & duraturo effectu ad actum reduci. Verum, cum in naſcente morbo morbi radix altius, & intimius a ſanguinis ſtatu, atque elementis repetenda ſit, ideo recidivæ me-

(1) De ſanguinis miſſione pag. 209.

(2) R. ſalſeparil. ell. croci martis an. drac. ij. m. inf. in lib. ij. ss. aquæ fontis, bull. lento igne ad conſumptionem medietatis. add. vaniliarum inciſarum n. ij. radicis bugloſs. drac. iij. bull. ad rem. lib. 1. pro duobus ſyrupis mane, & ſero: longe a cibo. Cum reliquiis ſ. decoctum ſecundarium pro potu ordinario.

(3) Præcipue ex hedera terreſtri.

(4) Secundo de morbis mulierum, & 7. Epid. 74.

metus inſtabit frequenter. Nihilominus in tumoribus inſulatis, ut ita dicam, ſe moventibus, & aliquatenus a ſubjecto intercoſtali muſculo remotis, potiuſque ad naturam ſcirrhi, & albidiuſculæ, licet duræ concretionis accedentibus, ſectionem faciendam eſſe cum dextero, & laudato Nannoni noſtro & ego confirmarem, præſertim ſi corpus minime valetudinarium, hyſtericum, & ſuppreſſum non adeo malam ſanguinis conſtitutionem præſeferat: & pro indubitato haberem, virulentam poſſe ſyphilidem a nutrice in infantem (facta loquuntur) & contra reciprocare.

CHINA CHINA IN VISCERUM OBSTRUCTIONIBUS ADHIBERI POTEST.

JOſeph del Papa (1) corrigit Jacobum Joannem Chifletium damnantem chinam chinam, ac ſi altrix, & productrix eſſet obſtructionum; contra vero aſſentitur, ſeque ſubſcribit celeberrimo Anglo Riccardo Morton chinam chinam ab hiſce cenſuris vindicantem: pro ut de facto & ipſe multoties feliciter expertus ſum, & elapſa hebdomada vidi in egregio N. N. qui jam multis ab hinc annis, amplis, & duris præcipue in liene obſtructionibus laborans, cum pedum tumore, quaſi tympaniticus factus, & ad duos menſes febri quartana detentus, tantam utilitatem a china china coacte exhibita recepit, ut ad ſua munia quaſi valens redierit. Viris igitur his, & noſtro experimento facem præferentibus, quis in adhibenda china difficultatem habebit?

HYPOCONDRIACA AFFECTIO.

VErbis prius ſtudent expellere affectiones melancholicas hypochondriacas; canuntque illud Eccleſiaſtici (2) *triſtitiam longe repelle a te; multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa*. Sed oh? quoties fruſtra tali modo laboramus.

Hypocondriacis vinum interdicunt, ne aceſcat, & internis aciditatibus anſam præbeat. In hoc ſententiæ doctorum illorum hominum diſtinguendæ ſunt, nec in abſtracto lex proferenda eſt. Et ſulphur, & tartarum, & æſtus cum damno ventriculi & capitis poſſe vinum producere, omnibus notum. Pariterque non latet, ſpirituum inflammabilitati, & bilis fervori plurimum conſpirare, atque Aſiam, Africam, Americam, & aliquas Europæ provincias ſine vino homines longævos in ſinu ſuo fovere. Aquam etiam eſſe magis innoxiam, ſtimulos non augentem, amurcas diſgregantem, pravarum qualitatum non adeo ſuſceptibilem, & quod caput in morbis eſt, cujuſcumque morbificæ cauſæ diſſolventem, ut hinc ſudores, evacuationes, criſes optatæ poſſint emergere. His omnibus ipſe adſtipulor, & Florentinum dogma confirmatur. Verum, mihi credite Tyrones, in numiſmate ſemper adeſt adverſa facies. Et hæc una ex præcipuis rationibus eſt, ob quam ars noſtra difficillime perficitur. Nempe quia leges a majoribus in nos derivatæ, imo quas nos ipſi olim fecimus, non bene nos docent. Quia una non viſa, aut bene non cognita circumſtantia, totum corruit fundamentum, cui a nobis agenda innitebantur. Peto igitur, ſi borborygmi dominantur, ſi flatus obmurmurant, ſi fibræ inteſtinorum laxæ ſunt, & meſenterium, aut viſcera obſtructionibus referta, ſi clauſæ renes, & diaphoreſis, ſi æger ad ſenectutem properat, & poſt longum morbum, diſſipatis ſpiritibus, vires jam fatiſcunt, cur vinum interdicetur? Exhibebitur imo potius tamquam prætioſum, & ceteris magis pollens elyxir: idque certo & ſapientes Florentini facient, & confirmabunt.

Ne tamen aqua noceat, addunt cinamomum, & bullire ſimul faciunt. Deinde chalybeata remedia ſummopere laudant, vel in tinctura, vel in ſubſtantia, prout magis arridet Medico, vel ægroto. Quod, aſſentientibus omnibus ſcholis, & ipſe ſummopere laudo; majus enim viſcerum aperitivum, ſpirituum animalium productivum, & fermentorum omnium inſtaurativum chalybe non datur.

Laudo pariter lac bullitum ab ipſis adhibitum, & quæcumque abſynthiaca, a magno Hippocrate propoſita, quæ corroborant, & pravos humores diſſipant.

Ad magiſteria vero matris perlarum, cornucervi, eboris, cranii humani, quæ in deſcripto morbo, & in aliis etiam bene multis Florentini adhibent, me habeo indifferentem, prout indifferentia ſunt ipſa magiſteria, nec bono, nec malo apta: quamvis uſus per ſæculorum ſeriem in nos derivatus ſpernendus non ſit; ut aliquatenus probat horum alkalium potentia, ſi aceto infundantur. Poſt aliquam ſcilicet internam ebullitionem acetum totam ſuam aciditatem amittit, ex quo, quomodocumque agant, ipſorum vis arguenda eſt; cumque choledochus, & pancreaticus ductus inſenſiſſimos, acidiſſimos, & in ſtatu morboſo, noxios ſuccos exportent, qui in ſtomacho, & adnexis inteſtinis nidulantur, bellum ſanguini denunciantes; per conſequens fieri etiam poteſt, ut domatis acidis, & obtuſis ſpiculis, febrilis lentor in ſanguinem iturus, minus noceat. Quamvis aliquis poſſet adhuc ſurgere objectans: ſi loco lentoris morboſi, in gaſtricum neceſſario acidum ad fermentationes producendas, ad chyloſim præparandam intruſa alkalica magiſteria agerent, nonne enormiter læderetur ventriculi digeſtio cum morbi augmento? Inſuper, luctæ illæ, & inteſtinæ ebullitioni, ex miſcella alkali cum acido, quiſnam

(1) Conſultationes typis Sebaſtiani Coleti in urbe Veneta recuſas ejuſdem in integrum non eſſe, aliquis obmurmurat.

(2) Referente Redi.

nam in ventriculo cancellos, & limites ponit, ut a noxa per eamdem tuti ſimus?

A medicamentorum elective purgantium præſcriptione Medici Thuſci in hypochondriacis potius abſtinent, timentes ne fibra, & nervi irritentur. Interdum tamen adhibent caſiam cum rhabarbaro. Decoctiones florum papaveris erratici, ſi adſint vigiliæ; aſparagorum vero, ligni nephritici, & terebynthi, ſi diureſis promovenda ſit. Cibum vero ex vegetabilibus primariam eſſe humanæ valetudinis columnam ſtatuunt: quod aureo Opere (1) promovit Vir vere magnus Antonius Cocchi Mugellanus, cujus doctrinam ſumma cum eruditione conjunctam totus terrarum Orbis admiratur, & ſuſpicit.

HYDROPIS CURATIO.

Cibus ſimplex, vinum tranſiens, & modicum, aquæ proſcriptio, prima apud Florentinos curationis elementa ſunt. Hinc, lumine ab Hippocrate ducto, idromel clarificatum, & tantillo nucis myriſticæ aromatizatum præſcribunt, & ſpem ſuam collocant, aut in decoctione radicum aperientium, aut ſaſſafras, ononidis, ſiſymbrii aquatici, & thee; additis aliquot guttis balſami de Copaya. Poſtea tranſeunt ad matres perlarum, ſalia ex vegetabilibus, ad cortices locuſtarum marinarum in clibano exſiccatarum, nec non ſtruthiocameli, vinumque album ſulphuratum, aquam cichoreæ cum tinctura rubicunda tartari Adriani Amynſicht, ad vinum calefactis corallorum particulis alteratum. Demum ad mannam, ſennam, & rhabarbarum, polipodium, jalappam, macis, cinamomum.

VARIOLÆ.

Vir clariſſimus Laurentius Cajetanus Fabbri Florentinus in Sanctæ Mariæ Novæ Noſocomio practicæ Medicinæ Magiſter, optime meritus eſt, duabus productis circa indolem, & ſymptomata variolarum diſſertationibus, quas diligenter lectitandas Tyronibus ſuademus. Morbus enim eſt, qui vires acquirit eundo, neque de illius curationis modo aliquid, quod ſciam, tutum conſtat. Si ejuſdem auctoris Febrium analyſis publicam aſpiciet lucem, inter gaudentes ipſe ero, & diſcere amabo: & eo magis quia adhuc adoleſcens, & elucubrans tractatum de febribus inceperam, ſed obviis ſyrtibus, atque argumenti difficultate perterritus, & nihil novi habens, ſuſceptam provinciam derelinquere coactus fui.

CHIRURGIA FLORENTINA.

Semper, ſed præcipue poſtremis his temporibus nobis proximis Chirurgia in Thuſcis locis, & præcipue Florentiȩ admodum viguit, & ſignanter vivente Paſino Angelo Querci in Noſocomio Sanctæ Mariæ Novæ Præceptore, necnon Thoma Alghiſio celeberrimo etiam olim, quaſi dixero, totius Europæ lithotomo, aliiſque magnis viris (eorum notitia a Florentinis actis petenda) a quibus chirurgicæ artis decus ſuſtentum fuit. His ſecundi ætate, & tempore, in ſciendo vero pares nunc eminent Franciſcus Maria Tanucci, & Antonius Benevoli, quibus multum debere artem fatebimur, ſi animadvertemus, in remotas etiam urbes ſuos alumnos, & diſcipulos eſſe accitos, ut obtenta ſcientiarum ſemina ſerant, & doceant, chirurgicas operationes adminiſtrent, & lectam juvenum manum inſtituant. Ex duobus ſolis, quibus una multoties, ut conſultationes agerentur, vocatus interfui, Bernardino nempe Moſcati, in Mediolanenſi Xenodochio, & Joanne Dominico Baſciocco in Brixienſi, Chirurgiam moderantibus, viris utique optimis, & nemini ſecundis, arguere poſſumus de ceteris, deque magnis utilitatibus, quas in genus humanum nobiliſſimæ hujus ſcientiæ (2) Florentini cultores invexerunt, qui neque dentium morborum obliti ſunt (3).

Epiſtola ipſa, quæ anno 1722. ab eodemmet Benevoli ad celeberrimum Valſalva tranſmiſſa fuit, circa cataractam a vitio humoris cryſtallini pendentem, adeo a doctis, & emunctæ naris hominibus collaudata fuit, ut illico etiam ultra Alpes regeſtæ apparuerint in actis ejuſdem doctrinæ, ad dubias propoſitiones in meliori lumine collocandas, utque ſuffuſionum curatio tutiori methodo inſtitueretur. Magna tamen, ne dicam, lacrymabilis res eſt, ut quæ ſub tactu, ſub oculis, deinque ſub anatomicis experimentis cadunt, adhuc dubia eſſe debeant. Quod fortaſſe etiam provenit ex multis cauſis, & diverſis modis, quibus cataracta in uno, vel altero concreſcit. Ex quo fortaſſe mentes in diverſa abierunt pro genuina eſſentia ſtabilienda. A propoſitis praxeos cancellis diverterem, ſi inter has dubiorum ſyrtes me immiſcerem, num ſcilicet cataracta a cryſtallini opacitate, & obſcuratione, an potius a paulatim dureſcente membraniformi pellicula pendeat; ideoque cum alterutrius depreſſione curanda veniat. Nil aliud hac in re addo, niſi plurimi faciendo objectiones, quas in fine ſuæ propoſitionis (4) ingenuus, & doctiſſimus ipſe Benevoli ſibi ipſi facit, & ſolvere nititur. Nimirum ex depreſſione cryſtallini, ſi in ipſo vitium pro curatione cataractæ, e veſtigio cœcitatem, viſuſque ablationem eſſe pertimeſcen-

(1) Cui titulus. *Del Vitto Pitagorico per uſo della Medicina. Nella Stamperia di Franceſco Moucke.*

(2) Vide Chirurgiæ Nobilitatem. Capite. Francia.

(3) Nuper Joſeph Larini de dentium morbis ſcripſit.

(4) Pag. 192. 193.

meſcendam. Quippe, dum non ſecundarium, ut aliqui volunt, ſed primarium, cum Diemerbroccio (1), *cryſtallinus humor eſt viſus inſtrumentum*, quo a ſua ſede deturbato, & in imam oculi partem coacto, de luce jam actum eſt; ſine pancreate, ſine liene animalia, & homines vivere poſſe, una res eſt; ſine cryſtallino videre, res eſt altera; nec viciſſim probant. Omnes oculi partes, in ſano poſitæ, ad videndum conſpirant; ſed humor cryſtallinus, pro radiorum receptione, collectione, refractione, directione, ab omnibus, uti pars neceſſariiſſima, concelebratur; nec de videndi mechanicis modis agitur, quin cryſtallinus pro primo medio ponatur. In juvenibus, in principio morbi, nihil eſt in oculo tam corruptum, quod proceſſus ciliares, & ligamenta labefaciat, ut lens cryſtallina abſcedere debeat ſine dolore, ſine ſanguine. Si maturitas expectatur a profeſſoribus, id evenit, ut extraneum corpus concretum adeo dureſcat, ut acui parere poſſit, ac debeat, quæ in corpus ſemiliquidum agere non poteſt, deſilientibus, natantibus, acumque vitantibus particulis: quod in cryſtallino nunquam eveniret, ſemper aranea circumdato, ſemperque duriuſculo, & glaciali exiſtente. Pluries operationibus præſens adſtiti; vidi penetrantem acum ſubtus corneam tanquam pone vitrum; vidi motiunculas a Chirurgi Profeſſoris manu directas; ſed vidi etiam exiguam telam, membranulam, aut ſi mavis dicere, pelliculam, nunc magis, nunc minus dureſcentem, & concretam, interdum ab acus apice fractam, & in particulas abeuntem, interdum, ob tenues partium adhæſiones, facili negotio in imum oculi adactam (2), interdum acui circumflexam, ex quibus omnibus, & aliis, quorum nimis longa eſſet recenſio, potius prædiſpoſitus fui, ut mihi ſuaderem, a morboſis hiſce membraniformis concretionibus ſubtus corneam pendere, quam ab ipſo cryſtallinæ (læſione poſt mortem reperta non ſatis probante, quia a morbo fortaſſe, non ab acu producta) lentis vitio, nimis ad viſionem neceſſariæ, nimiique damni, ſi deprimeretur.

Anno elapſo dubia oborta ſunt circa curationem Nobilis cujuſdam Brixiani Viri, viſus læſione, jam a multis annis laborantis, potiſſimum quia derepente in dextero oculo viridiuſcula ad album tendens concretio emerſerat, quam acu tolli poſſe aliquis affirmabat. Quia vero, ut conſilia aliunde venirent, hiſtoria morbi a nobis deſcripta fuit, proindeque ad experimenta ventum eſt; non incongruum ducimus caſum adducere, & quæ fuerint obſervata, Tyronum gratia aperire.

(1) Anatomes lib. III. de Capite pag 433.

(2) Quo facto, ſtatim exclamavit egregia Monialis Piſana Preti in Monaſterio Divæ Juliæ: video, video; & tamen apex acus, nobis videntibus, ſolam membranulam depreſſerat, cryſtallinum non tetigerat.

GUTTA SERENA DEINDE CATARACTA IN N. N.

VIr Nobilis quadraginta quinque annorum, calidæ, & humidæ conſtitutionis, ex ſano germine ortus, poſt expertas in prima infantia variolas, de viſus debilitate, in dextero primum oculo, conqueſtus eſt, mox in ſiniſtro: quo tamen meliuſcule videns, objectaque cernens, per totam pubertatem ſtudiis incumbere potuit; ſed in adoleſcentiæ initio, dum enſe ludebat, accepto ictu, iterum videndi vis imminuta eſt, adeo ut dein, quaſi myops, objecta non noſceret, niſi in determinata propinquitate.

Duobus vero abhinc annis, ſcilicet vigeſima prima Septembris, primo muſcæ volantes, nunc una, nunc plures apparuere; ſecundo objecta alium colorem, quam revera eſſet, repræſentabant; tertio eademmet multiplicabantur. Quare in tanto rerum anfractu, ipſe quoque in conſilium accitus fui, cum Nobili Viro, & Collega noſtro Suardo de Suardis. Hinc omnia, quæ ad morbi cauſas, ad ſymptomatum ſyndromen, ad therapeiæ regimen conſpirabant, ad examen revocata ſunt, num ſcilicet originariam ab utero debilitatem contraxiſſet, & virulenta, & nunquam fortaſſe delenda inſenſarum variolarum ſemina in ſolidis viſui inſervientibus organicum vitium dereliquiſſent; num albugo, vel ſuffuſio, num mydriaſis, vel hypopyon lucis tranſitum præpedirent. Sed obſervata perquam diligenter parte, viſiſque claro lumine oculis, nulla in liquoribus labes, nulla in ambabus pupillis reſtrictio, aut dilatatio, nullum denique in tunicis, præcipue rhagoide, & cornea vitium viſum eſt; ideoque utroque voto ſancitum, in internis nervorum opticorum productionibus morboſam affectionem eſſe implantatam: ibique aut latere poſſe ipſorum reſolutionem, & paralyſim, aut convulſionem (fortaſſe ex variolis ad cutem non ſatis perfecte ſuppuratis) & anguſtiam, ob quas lucis tranſitus præpediretur. Quia tamen in Arte noſtra, ſi certum non aſſequimur, quia conjecturis procedimus, ſaltem veriſimillimo, & rationi conſono inhærere debemus, præcipue quando hiſtoria morbi ad finem illum deſcribenda eſt, ut pro exequendis conſilia aliunde veniant, tanto magis, ſi, ut audivi, Patavina, aut Lutetiæ Pariſiorum oracula conſulenda ſint, ubi ſcientiæ, & bonæ artes ſuum habent domicilium, dicam libere me opinari, pertinacem egregii patientis morbum eſſe amblyopiam, nervorum ſcilicet opticorum obſtru-

ctio-

ctionem, ex qua amauroſis, quam Barbari guttam ſerenam dicunt, pertimeſcenda eſt. Vegeta quippe eſt ætas, floriduſque in ſuo circuitu ſanguis, ſolumque de aliqua ventriculi debilitate dubitatur, ut hinc internæ nervearum productionum paralyſes, & reſolutiones formidandæ veniant. Humidum potius hoc in corpore abundat, quod, vel contentos humores nimium replet, vel ab acidis concurrentibus ſuccis concretum, ſtaſes intra orbitas, fortaſſe ipſi retinæ non parcendo, contrahit, quæ tractu temporis, quaſi, dixero, obduratæ, ſui reſolutionem eſſe difficilem indicant, ut optime animadvertit Bonetus, qui media anatome vidit glandulas etiam cerebri infarctas in illis, qui amauroſi laborarunt.

Id potiſſimum affirmant tot medicamina interdum, ſed præcipue poſtremis hiſce duobus annis adhibita, ſanguinis nempe miſſiones, decocta etiam alexipharmaca, cathartica, mercurialia, diaphoretica, diuretica, in brachio fonticulus diu geſtatus, & in præſens omiſſus, pilulæ capitales, & mille ſpecifica, tam caput, quam univerſalem ſanguinis maſſam reſpicientia, collyria ex inciſivis, & diſcutientibus, pro quorum omnium deſcriptione pagina ipſa non ſufficeret.

Vis igitur videndi, in expoſito Nobiliſſimo Patiente, parum diſtat, quin penitus abolita ſit. Videt quidem in aere libero parum diſtantem hominem, ſed vultum a vultu non diſcernit.

Illud inſuper notatu dignum, non multo ab hinc tempore ſubtus corneam dexteri oculi paulatim viridem colorem, aliquatenus ad album vergentem concreviſſe. Scriptores glaucoma vocant, quod quidem utrum aliquam manuum operationem requirere poſſit, hæreo incertus. Tum quia profundius, ad retinam uſque reptant morboſæ productionis radices; tum quia tenuem, aquoſam, fluxilem ſubſtantiam promittit, quæ demitti non poteſt; tum quia præter cataractam, quando matura eſt, ſane non video, quæ carnificina in oculis poſſit adminiſtrari. Setaceum ſiquidem ophtalmicum a Chinenſibus inventum, *trans oculi globum*, ſummopere ſuſpectum eſt.

De remediis ultra non loquor, quia tot adhibita nihil profuere, & quia alia, aliis docentibus, expectabimus:

Dictantibus auctoribus clari nominis, & Brixianam quoque ſequendo praxim, majora adhuc experiendi, & pertentandi gratia, in uſum cadere poſſent, quæ, quod ſciam, adhibita non fuere: fomenta nempe toto capiti ex ſale, milio, & ſeminibus diſcutientibus torrefactis, frictiones a ſuperioribus ad inferiora deductæ; cucurbitulæ etiam occipitio, ſi lubet; apophlegmatiſmata, duciæ, rotorium a doctiſſimo Fernelio deſcriptum, ex ſapone nigro, ſinape, cantharidibus, & fermento acri, inflictum pone infimam auriculam, *ubi ramus e vena jugulari intro ſubiens in opticos nervos utrinque excurrit;* ſetacea, ſectio venæ anguli majoris oculorum, aut frontis, juxta Spigelium, qui vidit, ob frontis vulnera, aliquos cœcitate liberatos; perfuſio capitis aqua ſalſa, aut lixivio; vinum euphragiatum; ciliorum, & palpebrarum inunctio oleo muſtellæ, quam Itali *donnola* dicunt, de quo vide Foreſtum; jus viperinum, addito antimonio; inunctio mercurialis; ſuccus millepedum, quibus Boyle ſuffuſiones curabat; pulvis Montagnanæ; ſudor hypochauſto promotus; potus vini albi; panis cum fœniculo; chalybs, aquæ minerales: ſed quid ego, quæ fieri poſſent, ultronee repeto, quando aliorum ſententia poſcitur? paulatim nolens, ſed ſalutem egregii Patientis flagrantiſſime percupiens, therapeuticos tractus percurrebam. Calamum itaque ſiſto, Deumque obſecro, ut adſit.

MORBI EVENTUS.

A quodam extero Profeſſore, peregre per Italiam eunte, acu facta fuit depreſſio illius viridiuſculæ albæ concretionis, quæ ſubtus corneam recenter apparuerat, per aliquot dein dies, oculis in conclavi marcido pomo coopertis, & faſcia redimitis; non vero redempta videndi vi, quæ, ut antea, obnubilata, & quaſi penitus amiſſa remanſit. Ideoque comprobatum magis noſtrum prognoſticon, ab intimiori vitio, ſcilicet obſtructione nervorum opticorum, pertinacem ægritudinem pendere.

Animadverſio.

Illud ſupereſt, ut cogitemus, num cataractæ cauſæ, & loculi in oculo affecti plures eſſe poſſint, & fortaſſe in uno, vel altero diverſi, ex quo medentium mentes in oppoſitum trahantur, & rogemus eumdem peritiſſimum Benevoli, ut difficilem provinciam ulterius illuſtret, quia reperire homines, qui mente, & manu, in hiſce rebus, illi æquivaleant, non ita facilis res eſt.

Doctiſſimo, Clariſſimoque Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Philoſophiæ, & Medicinę Doctori, Brixiani Nobilium Medicorum Collegii Priori emerito, Bononienſis Inſtituti Scientiarum Socio, & Cæſareo-Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Academię cooptato,

JOANNES CALVUS CREMONENSIS F. O.

JAmpridem legi in xxxij opuſculorum tomo celebris Calogeræ Tibi dicato, Te ad lancem revocaturum criticis animadverſionibus plurimarum Europæ Provinciarum Medicinam, ipſamque adaucturum obſervationibus. Quod egregium opus jam prælo commiſſum, jure utiliſſimum continuo dictum eſt a Doctiſ-

Doctis hominibus, ut nihil melius fere acturus iisdem videare, prædicantibus id valde profuturum univerſæ nedum Clinicæ, verum etiam ſcriptori cuivis, ſucceſſu temporum generalis Medicinæ hiſtoriam provehenti ad ulteriorem ætatem, qua Clericus, & Freindius *deſicere. Quum ideo ſcire averes, quid de hodierna Etruſca Clinica deſcribendum foret, hanc ego præclaram (aliunde licet aſperam) occaſionem adripiens Tibi obſequendi, atque Etruriæ celebrandi laudes, quæ de multis meis popularibus quacumque ætate merita eſt plurimum, animi impetu excitatus adceſſi ad Commentarium de eadem Etruſca Clinica ſcribendum, fidei imprimis tenacem, omnia germana in ipſo enuncians, & veri unius diligens, ita ut de iis, quæ Tibi in apricum promſerim, oculatus teſtis fuerim, vel a doctis viris, & integerrimis factus certior, præſertim a doctiſſimo* Joſepho Bertinio *Florentino, qui liberaliter mihi in hoc munus ſuppeditavit multas earum notitias, quas ob breve tempus, quo Florentiæ commoror, habere non poteram, niſi de ipſis aliquos opportunos percontatus eſſem. Neque audax videri velim, quod homo advena de Etruſca Medicina ſcripſerim; nam Etruſcos inter, & Cremonenſes vetus ſtudiorum commercium eſt, uti præ ceteris e* Cremona Litterata *eruditiſſimi* Franciſci Ariſii *Patricii Cremonenſis colligitur. Quare id muneris imo ſuſcepi libens, eoque magis, ut ſatis fieret Tibi, Viro ad comitatem, & elegantias facto, qui aſſiduam in ſtudiis curam conlocas, atque multijuga doctrina polles, quemadmodum ii, qui vel breviter Tecum egere, norunt, quos inter plurimos* Felix Nerinius *Mediolanenſis Monachorum S. Hieronymi Abbas, & Generalis a ſecretis, utriuſque noſtrum amiciſſimus, rara eruditione præſtans; & quemadmodum plura tua, ac docta opera in medium adlata præ ſe ferunt, quorum magna quidem de Te rumor præconia fecit, ita ut ad diſſitas regiones uſque producta fama conciliarit Tibi perhonorificum, atque ſplendidum nationum plurium, ipſiuſque Auguſti III. Poloniæ Regis plauſum. Hinc in dies effulgentioribus tuis meritis inductos alios*

Forſitan & (ſi qua eſt benefactis gratia, & uſquam
Præmia ſunt laudi ſua) Reges advena amicos
Invenies, tua magna quibus notiſſima virtus,

ut nobiliſſimi Poetæ verbis utar popularis mei Hieronymi Videæ ad Jo: Matth. Gibertum *ſcribentis Veronenſem Epiſcopum, Medicinæ fautorem, cujus ſpeciali cura, &* Clementis VII. *liberalitate* Franciſcus Minutius Calvus *Novocomenſis Romæ typis edidit libros lxxx.* Hippocratis, *qui ex Græco in Latinum idioma tranſlati primum fuerant a* Fabio Calvo *Rhavennatibus civibus adſcripto. Ex qua tua virtute in alienam, & publicam utilitatem verſa, ut facis, majorem adſcitum iri laudem patet, quam ex privata ſolum, & occulta ſcientia. In Commentario autem præſcribendo, nonnulla prudens omiſi, ab inutilibus, & a longa expoſitione alienus (quę ſepe legentium tædio res commemorat jam diſſertas, vel multiplici, ſimilique narratione ad inania crebro delabente, eorum animos fatigat), brevitatique indulſi, licet & ipſe noverim, ad exactiorem Medicam hiſtoriam requiri annuas etiam barometri, thermometri, & hygroſcopi ephemerides, quas & alia habere non licuit, & ex quibus plenior evaſiſſet, ut optabam Medicinę Etruſcæ deſcriptio. Ratus tamen ſum, ſi ea omitterem, hiſtoricæ provinciæ me non defuturum, quam ſuſcipienti mihi viſa eſt ſatis conſtans ex iis quæ deſcripſi ejuſdem Medicinæ eruditio, & moralis, civiliſque notitiæ ſubſtantia, propter quam potiſſimum videntur debere legi, & ſcribi hiſtorię. Totam vero Etruſcæ Clinicæ hodiernæ methodum e Florentia unice petii, quum hæc urbs, diſciplinarum omnium magiſtra, prima iam continenter, ſanioremque ſcholam Clinicam præbuerit, præbeatque ſingulis fere Medicinam facientibus in ceteris Etruriæ locis. Eumdem autem Commentarium ad Te mittere diutius diſtuli, quum præcipue in iis, quæ præſcripſeram relegendis, mihi ipſi diſplicens, rarius eſſem meo opere contentus affatim, & ſanum veritus judicium Tui, qui acutus rei criticæ vindex es, inquieto adſicerer perfectionis ſenſu a conſcientia infirmi ingenii ſuſcitato. Quod ſi deſpectui habenda nihilominus, vel repudianda irrepſerint, veniam dabit homo ſapientiæ, atque humanitatis plenus, & ęqui voluntatem meam ſaltem, bonique faciet. Niſi vero ſcriptionem a Te minoris haberi intelligam, ex animo lætabor ſperans ipſam, ſi aptari magnis inferiora licet, votis tuis futuram parem, vel ſaltem facturam ſatis. Majores interim habeo gratias* Paullo Valcarengo *omni doctrina ęrudito, quia me ad amicitiam Tui promoverit, atque adhortatus ſit, ut Medicinam, quam Cremonæ ſecum feci, Florentię abſolverem, poſtquam ſtudiis meis Medicis theoreticis moderatus eſt in Ticinenſi Academia, in qua primarius ipſe Medicinæ rationalis Interpres, duobus una Cremonenſibus ſui Civibus litteratiſſimis* Franciſco Manara, & Angelo Baleſtrerio, *illo Phyſicæ experimentalis, hoc Logicæ in ęadem Academia Profeſſoribus, multum in ipſo Athenæo promeritus eſt, & inter ceteros Collegas Medicos adprime emicat, multum decoris Cremonę adferens, ut* Thomas Auguſtinus Ricchinius *celeber indidem Civis, qui doctis, & eruditis operibus præcipue in lucem editis inluſtris, Theologus Caſanattenſis eſt, & Romæ pro* Prędicatorum Ordine, *cui nomen dedit, generali fungitur Italiæ miniſterio. Me demum ex hiſce paullo fuſioribus litteris diligentiſſimum Tui tuæque doctrinæ obſervantiſſimum ſentito. Vale Medicinæ decus, atque fautor.*

Florentiæ XVI. Calendas Januarias anni Chriſtianæ Epochæ M. DCC. XLVII.

DE HODIERNA ETRUSCA CLINICA COMMENTARIUS.

Italiæ regio ſatis ampla, quę a Macra fluvio Ligurię fine, ad fluvium Tiberim uſque patet, Etruria Romanis, Gręcis Τυῤῥηνία *dicta fuit. Ea inter montem Apenninum eſt ad ſeptentrionem, Tiberim ad occidentem, & meridiem. Ipſius Etruriæ pars major ad occidentem extenditur, cujus ſunt quatuor partes; ditio Florentina, ditio Piſana, ditio Senenſis, quę Magno Etrurię Duci ſubſunt, & ditio Lucenſis, quę Rempublicam ſeparatam conſtituit. Minor Etrurię portio magis ad ortum*

extenditur, & Maximo paret Pontifici, in qua provincia Patrimonii Sancti Petri, Ducatus Caſtrenſis, territorium Urbevetanum, & Peruſinum recenſentur.

Major vero Etruriæ pars obtentui huic Medico deligitur tractanda, quæ a Franciſco *Auguſto Romanorum Imperatore, utpote Magno ipſius Etruriæ Duce, & Legumlatore, mandata ſuſcipit. Ea vero Etruria* (1) *uniformiter plana non eſt, ſed ex diverſis montium, & clivorum inclinationibus, atque adſpectibus in multas valles dirimitur, diduciturque ab alto, alpeſtri, gelidoque Apennino ad tepidas uſque maritimas ſuas, atque portuoſas oras. Solum Etruſcum fodinis variis abundat, & cujuſque generis foſſilibus, quæ incredibili varietate Etruriam inſtruunt, & numeroſa teſtaceorum corporum ſerie, aliarumque maris antiqui relliquiarum, a quo regio hæc ſubmergebatur, ſicuti & aliquibus ſubterraneis lignis, quadrupedumque oſſibus, quæ commonſtrant hujus telluris ſuperficiem multo humiliorem præſenti alias fuiſſe, licet nonnulli hæc omnia, ut generationes terræ naturales falſo contemplentur. Intermiſſis etiam Etruſca tellus diverſæ ſpeciei lapidum, & terrarum ſtratis ordinibus miſcetur, atque componitur, & numeroſa, ac multiplici vegetantium familia, plurimis diſſimilibus fructiferarum arborum ſpeciebus, & omnigenis fere plantis inſtructa eſt, ac raris, quarum nedum eæ adnumerantur, quæ nutritioni, voluptati, vitalique commodo inſerviunt, verum etiam, quæ præſtantia ſunt pharmaca. Talis porro & in Græcia antiquitus celebrata eſt, ut præ ceteris ab Æſchylo,* Theophraſto, *& Polybio diſcimus. Herboſos etiam colles, & amœna, ac fœcunda rura nacta eſt Etruria, quorum ſolum ſtagnantium aquarum expers, nec ut antea paludatum, & a mare diſſitum, propter ventos dominantes, aere pollet ſalubri admodum, qui ſaluberrimus foret, niſi a borea nimium perturbaretur, & minus frequentes ventorum ceterorum vices ſubiret. Multorum inſuper fontium ſcatebris, & aquis ſimplicibus, ſalubribus, thermalibus, foſſilibus, mineralibus, acidulis, & ſalmacidis gaudet, quæ varios efficaciter morbos enervant, ex quibus aquis potiſſimum celebres memorandæ veniunt Tetutiana, & Villenſis. Optimo oleo abundat; cujuſvis generis fructibus, & magis quam ducentis uvarum ſpeciebus, quæ in ipſius vineis coluntur; aggreſtibus, præſertim limonibus citratis, quos egregios una gignit Etruria; vinis exquiſitis, ut verax ille nobilis* Arretinus (2) *deprædicavit; multiplicibus demum, variæque ſpeciei animalibus ſylveſtribus, & domeſticis, quibus homines nutriantur. Quo enim ad anni tempora, moderatum frigus, caloremque Etruſcus aer ſubit, licet inclemens potius æſtas, quam hyems inibi reſpective ſæviat, juxta thermometricas potiſſimum plurium annorum ephemerides; idque hoc anno ſpeciatim contigit, quia imbribus in tota hyeme fere perpetuis, & menſe Maio ſolum ſuperſedere incipientibus, æſtivus calor actutum ſubſequutus eſt, quo acerbiſſime excruciati fuimus. Simili enim in caſu, potiſſima caloris cauſſa ſunt vapores; nam juxta doctiſſimum Mathematicum* Jacobum Bellogradum, *in critica Diſquiſitione de Altitudine Atmoſphæræ æſtimanda,* imprimis aer humilior ſuperiore longe denſior eſt, ac proinde ejuſdem caloris vires ſunt, ut denſitates. In atmoſphæram inſuper humiliorem, non modo radii a Sole recta ducti incidunt, ſed etiam a ſolo, & a rebus circumſtantibus reflexi in eamdem feruntur, qui a vaporibus aeri innatantibus excepti, iterum, atque iterum reflectuntur, & in innumeros, ut ita dicam, focos coeunt, caloremque magis magiſque intendunt. *Enimvero in thermometro alkoolis L. graduum ad leges Academiæ* del Cimento *constructo, ſpiritus vini ad gradum xxxvii. fere toto Julio menſe hujus anni conſtitit, qui caloris gradus, Florentiæ potiſſimum, maximus eſt, atque ut plurimum paucorum dierum intervallo durat.*

Florentia, quæ Italis Fiorenza, *Incolis* Firenze *dicitur, pulchrioribus Europæ, & majoribus Italiæ urbibus adſcripta, in medio Etruriæ, ad latitudinis gradus 43, 41', 0" ſita eſt, imo ad pauciores, juxta detectum refractionis radiorum per fluida tranſeuntium rithmum. A ſeptentrione urbem Feſulæ, & a meridie Florentiæ pars major ripam Arni fluminis habet. Ab hoc enim bifariam inæqualiter didita eſt, & quatuor latis, decoriſque pontibus lapideis, quorum alter tribus hyperbolicis fornicibus conſtat, conjungitur. Florentiæ putei aqua optima laudantur, quæ eadem ut plurimum libella ac aqua Arni utitur. Duo ibidem habentur fontes, quorum alter e Monte Regio prope Feſulam proſilit, atque alter ex adverſo Monte S. Crucis ad meridiem poſito, cujus fontis aquam optimam bibunt, præter Florentinos plurimos, multi etiam vicinorum finium. Primi autem fontis aqua in duos dividitur ramos, quorum dexter, qui ad Ducalis plateæ fontem artificio magnifico inſtructum properat, atque inde ad pervagas* Boboli *hydraulicas ſcatebras derivat, ſpectaculi potius jucunditati inſervit, lævuſque ramus rivum format, qui priuſquam Arno tribuat, civilibus uſibus multis præſto eſt. Florentiæ horti fertiles ſunt, & viridaria. Ager vero, a quo ea circumdatur, quibuſvis frugibus abundat propter ſoli diſpoſitionem, quod in tota etiam Etruria ſimili indole pollere innui.*

Etruſci igitur commodis omnibus inſtructi ſunt ex proprio ſolo affluenter ſuppeditatis, omnibuſque aliis, quæ neceſſitatis, vel cupidinis cauſſa ex reliquis viciniis referre poſſunt, potiſſimum enim ex celebri, amœnoque Liburni portu, ad quem tranſmarinæ quævis naves continuo adpellunt, magna plurium exoticarum rerum fit copia.

Etruſcorum præterea corpora forti, optimaque natura, & proportionata membrorum ſymmetria gau-

dent

(1) Elogio di *Pietro Antonio Micheli* Botanico dell' A. R. del Ser. Granduca di Toſcana, e Fondatore della Società Botanica Fiorentina letto pubblicamente da *Antonio* Cocchi Mugellano. In Firenze 1737. in quarto

(2) *Franciſcus Redius* In ameniſſimo *Bacco in Toſcana.*

dent, atque potius procera ſunt, & bene ſtructa, bonoque colore prædita. Quod autem laudabilius eſt, corporea mentis organa in ipſis præſtant. Florentini enim imprimis admirandi in artibus, & diſciplinis plurium ſcriptorum teſtimonio jugiter evaſerunt. Ideo Ugolinus Verinus *Florentinus de Inluſtratione Florentiæ protulit.*

Non me fallit amor Patrię, monumenta ſuperſunt
Plurima, queis doctas etiam irritemus Athenas.

Qua ſuper re, exterorum etiam Auctorum multi Italiæ Athenas Florentiam compellant. Enimvero a medii ævi fine, præſertim autem a xiii. ſæculo plurimis Florentia gloriatur doctis viris in quovis ſcientię, & artis genere eruditis, qui paſſim a ſcriptoribus, ut a Landinio, Popeblount, Bleau, *aliiſque recenſentur in variis, ſolidiſque doctrinis præſtantes, ita ut ex ſolis Florentinis duo mille ſcriptores huc uſque adnumerentur, quorum plurium opera eximia, & cedro digna neutiquam deſiderantur, atque nonnullorum ex ipſis, præcipue poſterioribus, numiſmata honori cuſa ſunt. Hinc eo æquius* Thomę Eduardi *Angli judicium de pluribus Italiæ urbibus explendeſcit.*

Splendida ſolertes nutrit Florentia Cives.

Quę ſumma Florentinorum ſolertia a puro quoque, quo fruuntur aere, videtur repetenda, ob peculiarem Florentini cœli ſalubritatem, quod recondito præſertim cuique ſtudio, & ſolitario egregie opportunum eſt. Quare tanta celebritate adhuc gaudet Florentia, ut advenarum plurimi ad eamdem properent multigenas ſcientias adquiſituri. Ipſa etenim civitas omnium diſciplinarum, & artium inſtrumento pollet, & cauſſis neutiquam vitiatur, quas ſublimium, feliciumque ingeniorum cultui officere pronuntiat doctiſſimus Muratorius (1). *In Etruria enim ferme ſemper Regali munificentia conducti fuere inſignes doctrina viri, qui ab Anglia, atque a pluribus aliis remotioribus mundi partibus huc advocati ſunt. Ex quibus omnibus Etrurię, & Florentiæ potiſſimum incolæ ſibi videntur eſſe, ut in veteris Latii profani tomo x. de Tiburi legimus:*

placidiſſima Palladis inter
Regna, ubi tranquillum miti ſub cardine cœlum
Volvitur, & menſes ſemper facit ire ſalubres.

Quoad moralem autem, quæ ad modos agendi adtinet, ut vita ſervetur, ſobrie, prudenterque ſex rebus non naturalibus Etruſcorum plerique utuntur, & parcius cibo, potuique indulgent, ut ex litteratis, & nobilibus plures a vino temperent prorſus.

Eorum vita ad longum perdurat potius. Multi enim juxta Ariſtotelem, Moyſem, *&* Dantem, *conſuetos humanæ vitæ ſeptuaginta annos attingunt, & utriuſque ſexus octogenarii aliqui, juxta* Solonem, *&* Pythagoram, *atque nonagenarii etiam vivunt.*

In ea Etrurię parte, cujus terra colitur, plerique annoſi evadunt, mirifica certe valetudine utentes, & morbis rariſſime occumbunt, ita ut fere ſanior mundi pars æſtimanda merito videatur. Ea vero Etrurię portio, quæ inculta eſt, atque ad Tyrrhenum litus extenditur, incolas præſefert male ſanos, qui viſcerum abdominis potiſſimum obſtructione endemica laborant. Generice tamen morbi omnes, tum acuti, ſive breves, tum chronici, ſive longi, Etruſcos adoriuntur, eos præcipue, qui a vegetabilium victu abhorrent, minime ducti plebis, tum urbanæ, tum oppidanæ exemplo, quæ ob hanc ſpecialem cauſſam longæva gaudet valetudine, quia rei domeſticæ anguſtiis preſſa, tenui, ob ſoli naturam, pretio emit aliquas herbarum, fructuumque ſpecies, quæ velut cupediæ habentur alibi, ideoque carnivora nequaquam eſt. Speciatim vero peripneumonia ſeniores adficit ut plurimum, quæ in multis cadaveribus eorum adnotata eſt, & adoleſcentium etiam interdum, qui nullo prius adparente morbo, repente emortui ſunt; atque phtyſis frequentiſſima eoſdem cruciat, præcipue Florentinos, derivata ſæpius a peripneumonia itidem, & a pleuritide, qua, quum nivibus obductus Appenninus eſt potiſſimum, corripiuntur. Sæpe etiam cordis, & curvæ aortæ aneuryſmatis laborant, ex quibus repentinæ mortes, aut thoracis apoplexiæ, ut eas Lanciſius *vocat.*

Ex morbis autem, qui a cauſſa externa, vel contagio proficiſcuntur, canis rabidi potiſſimum morſus Etruſcos angit, & Florentinæ præſertim ditionis accolas, quorum hoc anno quadraginta circiter (quod ſciam) vexati ſunt, ex quibus aliqui tamen hydrophobiam non experti fuere, ceterique, qui ipſam ſubierunt, ideo letho miſerrimo ſubrepti ſunt. Hoc etenim virus gravia adeo ſymptomata, præter aquæ, aliorumque fluidorum, & lucis impatientiam majore, vel minore temporis intervallo ſuſcitans, irritam huc uſque reddit, eluditque omnem accuratam hydrophobię curandæ methodum, cujus morbi, cum nullus ſuperſit profligationi locus, a quavis recentiore *etiam prædicata antidoto repetendæ, &*

poſtquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentes (2).

deploratum morbum eſſe queruntur omnes, ejus medicinam poſterorum induſtriis detectionibus relinquentes, quibus fortaſſe in lucem dies extrahet antidotum, & longioris ævi diligentia. Ægre ferendum eſt interea, verum adhuc eſſe, quod

Solvere nodoſam neſcit Medicina podagram,
Nec formidatis ulla medetur aquis (3).

Et hydrophoborum interim ægritudines, mortes, eorumque inſpecta cadavera, atque ipſorum hiſtoriæ continua ſedulitate perſcriptæ declarant, canis rabidi venenum univerſam in morſis partium ariditatem, & inflammatoriam extorum diatheſim gignere, præſertim autem in cerebri meningibus. Quare ægrotorum hujuſmodi non ſolum

avius errat
Sæpe animus, dementit enim, deliraque fatur (4).

(1) Rifleſſioni ſopra il buon guſto part. 2. c. 1. p. 12.
(2) Ovid. lib 15. Transformation.
(3) Idem de Ponto lib. 1. epiſt. 3.
(4) Lucret. lib. 3. v. 464.

Verum etiam, truce indole induta, ceriti, & maniaci fiunt, ipſorumque

riget horrida cervix (1)

atque

Igne micant oculi, corpus tumet omne veneno (2)

Medicina, communi Italorum adprobatione, Florentiæ continuo viguit, Florentinumque Regium inſigne Sanctæ Mariæ Novæ *Xenodochium, optimæ Clinicæ Lyceum ſemper eſt habitum. Nec mirum, tum ob celeberrimam Piſanam almam Univerſitatem, in qua Etruſci Medicinæ Candidati imbuuntur, tum ob ipſorum laudatum ingenium, atque aſſiduum laborem, tum etiam, quod Florentia Regia erat Etruſci Dominii Metropolis.*

Fuere ideo, & adhuc ſunt Florentiæ prudentiſſimi, atque egregii valetudinis ſervandæ, ac reſtituendæ Artifices, aliquibus omiſſis paucis barbaris Medicis, quorum doctrina in ſola vulgi, maximis erroribus adſueti, ignorantia conſiſtit. Illi potiora ſalutaris Artis, quæ pulchras magis, & reconditas humanæ ſapientiæ notiones complectuntur, explicant dogmata, & veriores canones ad morbos ſeu curandos, ſeu deploratos non attingendos tradunt, ægriſque jugiter adminiſtrantes, ipſis lenimen bene ominati fuerunt, & ſeverius ſcrutantes remediorum phœnomena, morborumque, ægritudinibus conſulunt majoris etiam periculi plenis, ut peculia ibus capitis, & pectoris morbis, qui ex propriorum accidentium varietate, atque gravitate, majorem conſtituunt, difficilioremque Medicinæ partem, ita ut Etruſca Medicina, conlatis horum virorum ſtudiis, magnam ſit amplitudinem conſequuta, ſapientiſſimo Antonio Cocchio *Mucellano duce, qui præterea Piſanæ Academię ordinarius eſt Profeſſor Anatomicus, & in Regio Xenodochio Florentino Anatomes Magiſter publicus, cujus comitate exercitationum Anatomicarum perpetua fit copia, & cujus documentis inveſtigantur, atque declarantur epidicticæ morborum cauſſæ in corporibus diſſectis, quorum hic ubertas eſt, quum ſint alibi rariſſima, & nullibi gentium forſitan æquali numero concedantur. Ex quibus omnibus nil mirum, quod plures rei Medicæ ſtudentes advenæ, fama Lycei Medici Etruſci, ſeu Florentini perciti, incendantur jugiter ad Florentiam ſtudiis ſuis deligendam.*

Verum ut vera fatear, etſi plura in Etruria ab incomparabili Bellinio *detecta feliciter fuiſſent, Medicina nihilominus ad annos uſque nuper tranſactos ſyſtematica potius fuerat, ut* Thomæ Williſii *(qui (3) juxta deficientem plerorumque ſui temporis morem, ſyſtematicus fuit, & phantaſmatis occupatus) ſyſtemate comprehenſa apud Medicos ſaltem, qui tum pluris habebantur, licet admodum ſimplex eſſet, & potius* Hippocratica, *& ſine remediorum multiplicitate. Paullatim vero ſolum inluſtrata eſt, atque ad perfectionem redacta, ita ut impræſens eo firmius eluceat.*

Quum vero Medicina optimorum etiam mixtis utplurimum pharmacis abundet, quorum aliqua efficacia, & bona ſunt, aliqua etiam futilia, & mala, quæ tuto diſtinguuntur ſola Anatomes, & notionum phyſicarum ope, impræſens multo exactiorum, ſaniorumque ob varias iiſdem notionibus adjunctas ſcientias; hinc ex Medicis Etruſcis plerique, naturalium rerum peritia ſuffulti, puram curandi methodum Hippocratis, *potiorumque veterum ejuſdem* Hippocratis *aſſeclarum, ſimplicem, ingenuam, atque myſteriorum, & charlataneriæ, ut* Menckenius *ait* (4), *neſciam in uſum deducunt, quæ continuatio, atque inluſtratio eſt ſanę Antiquorum methodi* (5), *nihilque novi habet, niſi remediorum materiem, quæ* Hippocratem, *doctoſque veteres latuit, & qua, quum mechanicam ſimpliciter Medicinam faciant, parce tamen utuntur, ſuaviſſimam adhibentes methodum curabiles curandi morbos pauciſſimis utplurimum remediis, & a polypharmacis præſcriptionibus abhorrentes, quas tranſacto jam abhinc ſæculo primus omnium relegavit, negativamque potiſſimum Medicinam invexit* Guido Patinus *Pariſinus* (Caroli Patini *pater, inter Patavinos Profeſſores anno M DC. LXXV. cooptati*), *& inde admirabilis ſapientiæ vir* Franciſcus Redius *inſignis Medicinæ minus caſtæ emendator propagavit, qui præ cete is peſſimam normam delevit, & morem negandæ nimirum ægris bibendi copiæ.*

Diagnoſim adprime callent humani corporis mechanicæ conſultiſſimi. Quumque ex diagnoſi curandi definiantur, aut non curandi morbi, in morbis deploratis rationale prognoſi contenti ſunt, quę a præſtantioribus dumtaxat Anatomicis profertur, & quorum morborum natura medicatrix eſt, ſpectatores ſunt, iiſque ſolo victu, aut ſola expectatione, & multæ auctoritatis verborum recreatione proſpiciunt. Ubi vero Medici eſt naturam juvare, ii, cognito morbo, ſaniore, atque magis apta ratione morbis ſeſe opponunt, & nihil, juxta Terentium, *præcipitata ſententia faciunt.*

Ita in inflammatoriis morbis opportune ſanguinis detractionem præſcribunt per loca congrua, a brachio nempe primum, & ab aliis inde partibus, juxta ſymptomata. Quare in copia viribus relativa ſanguinem detrahunt, & a pede, & a jugularibus, & a temporalibus arteriis, & a mammaria demum vena in pleuritide haud raro, quum in ipſa vena denſitatis ſanguinis effecta probe noſcant, quæ præ ceteris acutiſſimus Haleſius *profert* (6). La pleure doit auſſi y etre fort ſujette, parce que comme obſervent les Anatomiſtes, le ſang circule dans ſon tiſſu plus librement, & par des voyes

(1) Ovid lib. 8. Transformation.
(2) Idem ibidem lib. 3.
(3) Alexand. Thomſom Diſſert. Med. in Introduct. p. 15.
(4) De Charlataneria Eruditorum.
(5) Giornale Fiorentino tom. xij. art. viij. probl. 15.
(6) Hales. La Statique des Animaux. Experiences hydrauliques ſect. 10. pag. 71. n. 12.

voyes plus courtes , en paſſant des arteres intercoſtales dans la veine azygos , & de là au cœur, ce qui produiſant un cours abondant de ſang dans cette membrane , fait qu' elle ſouffre la premiere , lorſque le ſang s' epaiſſit ; & le cotè gauche eſt plus ſujet à etre attaquè que le droit , vraiſemblablement parce que l' aorte paſſant du cotè gauche, le ſang eſt alors pouſsè avec plus de force dans les arteres intercoſtales gauches plus courtes , que dans les droites qui ſe trouvent plus longues. *Qua ſuper re optime intelligentes illi , quomodo ipſæ ſanguinis detractiones in inflammationibus operentur, & quare veteres uſque ad animi deliquium iiſdem indulgebant , ſub initium copioſas potius eas preſcribunt.*

Diæteticarum legum peritiſſimi ſunt. Hinc in iiſdem inflammatoriis morbis ova, & nimium meraciorum juſculorum uſum proſcripſere , quum hæc alkaleſcentia ſint , & morbos augeant ejuſmodi ; & ſecundum robur , & modum morbi cujusvis , atque ſecundum naturam , & conſuetudinem ægrotantis, victum more ferme Hippocratico *conſulunt.*

Sudoris materiem , atque ingenium , & ſudorifica remedia in ſe conſiderata , vim habere coagulandi , & obſtruendi contemplantes , ſudoriferorum abuſum , (qui ab A *abum uſque temporibus cœpit ſerpere, & remediorum ſudorem moventium numero fere immenſo invento , atque nulla expectata febrilis materiæ præparatione , etiam inter febrium initia iis præſcriptis) damnavere , & vel juxta* Hippocratem, *raro iis utuntur , vel experientia ſolummodo , & ratione duce , ubi ſigna coctionis adparent, ex immenſa ſudoriferorum farragine, laudant ſimpliciſſima, præſertim ea, quæ a recentioribus adprobantur , ut opium , aut camphoram, quorum actio certior eſt , & abſque magna corporis turbatione.*

Quantum vero normæ in diaphoreticorum præſcriptione ſervant , tantumdem ſunt rigidi ſignorum examinatores, quæ in acutis febribus ſtimulantia remedia indicant, ſine quibus ſignis veſicatoria procul dubio non admovent.

Diæta aquea, & aqua glaciata, quum indicatur , utuntur , phyſiciſque remediis contra inflammationem vere efficacibus, ut nitro , & camphora, quæ remedia inutilibus Helmontii, *aliorumve ſimilium auctorum remediis ſuffecerunt , ut hircino ſanguini, denti aprino, mandibulæ lucii, ceteriſque ineptiis hujuſcemodi . In exanthematicis autem febribus vulgari opinioni erroris plenæ ſeſe oppoſuerunt, quæ tunc ſanguinis detractionem , ſi foret indicata , non concedebat , niſi a minimis cutis vaſibus , cucurbitularum ſcarificatarum ope , a veneni idea, quod intus revocaretur , deceptis pleriſque , ipſique experientia , & ratione demonſtravere, quod, quum ſigna illa febribus comitantia alicujus internæ inflammationis metum incutiant , detrahendus imo eſt e brachio ſanguis , quum ideo pluribus vitam ſoſpitaverint , dum , qui oppoſita methodo tractabantur, peribant.*

Hinc in variolis , & morbillis , ſi grave quod inflammationis ſymptoma urgeat , ut coma , aut oculorum, aut gutturis dolor, aut reſpiratio difficilis , aut dyſenteria , quovis tempore cum clariſſimis, & omnimodæ auctoritatis ſcriptoribus , ſanguinem e brachio detrahunt , licet aliquando in morbi initio detractus jam fuerit . Sanguinis enim detractionem repeti debere in variolis cum Boerhaavio *autumant , ut in omni inflammatorio morbo , prout magnitudo ipſius , atque ætas ægroti, & vires permittunt , bene memores* Ludovici XIV. *Galliarum Regis variolarum hiſtoriæ imitatione dignæ, qui annum ætatis nonum agens , ope quatuor ſanguinis detractionum, peſſimis variolis liberatus fuit , nimirum ante earum eruptionem, exaſperata febri, & eryſipelatoſo tumore in dorſo adparente* (1).

Regimen calidum, ut vulgo fit, exploſerunt ſerio , & frigidiuſculum , omni neceſſaria cautione adhibita , cum clariſſimo Sydenhamio *promoverunt , ægrorum munditiei cum* Silvatico , *& conclavi cum* Adolpho , *atque juxta* Haleſii *de aeris elaſticitate obſervata, optime proſpicientes.*

In febribus ſcarlatina acuta, & exanthematica, cujus prima epidemia triginta circiter abbinc annis Florentiæ fuit , & cujus febris deſcriptio , atque cura , ut benigni morbi, a Sydenhamio *paucis abſolvitur, ægrotantium nemo ſimplici methodo curatus, mortuus eſt, imo perfectam valetudinem decima quarta circiter die omnes adquiſiviſſe viſi ſunt. Attamen mirum fuiſſe dicitur , ex iis circa vigeſimam primam diem cœpiſſe queri de aliqua reſpirationis gravitate , modica tuſſi , atque aliquo oculorum, faciei, & externarum gutturis partium œdemate, quibus phœnomenis ſucceſſiſſe febrem, iiſque ingraveſcentibus præſertim œdemate , quod univerſale fiebat, cum levi thoracis dolore , abdominis tenſione , & aliquando torminibus , & omnimoda urinarum ſuppreſſione , ad interitum feſtinaſſe diureticis tractatos. Quam ob rem , cum de opificio corporis humani dubitari occœperit in organis circuitus ſanguinis aliquomodo depravato (nam data ſanguinis congeſtione ad vaſa capillaria , univerſum , aut partiale œdema gignitur , quin etiam hydrops , ex ſanguineorum vaſorum compreſſione, aut ligamine), hinc ſectionis anatomicæ beneficio pulmones, pleura, intercoſtales muſculi, diaphragma , renes , & inteſtina plus , minuſve inflammata inventa fuere . Iccirco œdemate declarato ſymptomate morbi, ad morbum genuinum, ad ſanguinis compreſſionem nempe reſpectum eſt, & ſanguinis detractione in brachio celebrata, atque etiam repetita ſi foret opus , omnes inde ſoſpites vindicati ſunt, ipſaque ideo methodo ſanantur.*

Quoad chronicos vero morbos , qui ægre exulant, ſi inveteraverint, diligentiſſime ſcrutantur, an in febribus intermittentibus cacochyliæ ſigna adpa-

(1) Chicotius Epiſt. de variolis, & morbillis p. 121.

adpareant, quæ ſi adſint, ipecacuanham auſpicato propinant, eam æqua doſi, & proprio ingerendam tempore jubentes, atque continua ad ſymptomata relatione, remediis prudenter utuntur, vel china china nimirum, vel fixis plantarum ſalibus, vel ſudoriferis, vel deobſtruentibus demum remediis. Imprimis autem hiſce in morbis etiam diætam prudentiſſime, tutioraque pharmaca adminiſtrant, & purgantibus moderate utuntur. Summa potiſſimum laudatione externus frigidæ uſus, juxta Hippocratis morem, innovatus eſt, & juxta doctiſſimam Medentium Britannorum methodum extenſus a clariſſimo Cocchio, qui ideo eruditiſſimam illam de frigidæ externo uſu in corpus humanum apud veteres diſſertationem Cortonenſibus Academicis ſodalibus ſuis edendam miſit.

Lac etiam bubulum præcipue, & hydrogala Hippocratis in variis morbis ab inanitione, aut ab acrimonia derivantibus, ex quibus macies eſt inducta corpori, bibendum imponunt, licet univerſim prætermodum vituperetur, illiuſque ſiniſtrorum eventuum male ſuppoſitorum horror mirabiliter adeo per totius plebis, quæ præjudiciis auſcultat, mentes propagatus ſit, ut ægrorum plerique ab ipſo penitus abhorrentes, nonniſi validis adhortationibus ſuaderi ſe ſinant, & ipſum ingerant; quamvis ipſius lactis eſſentiale ſal, oleum, & reliqua conſtitutiva principia præſtanti indole polleant, & dextimo jugiter ægrorum exitu innocens ſaltem comprehendendum ſit, imo ſanos etiam magis, minuſve nutriens, pro varia animalium, ex quibus elicitur, natura, ut inter graviſſimos Auctores alios, ex Alberto Haller educitur; & quamvis præterea lactis ſalubritas a plurium nationum uſu late pateat, quę ſolo lacte quondam veſcebantur, & quæ in aliquibus adhuc regionibus eo veſci dicuntur. Quæ in lac averſio, delirio ſimilis, ea ſane minor non eſt, qua copioſos etiam aquæ puræ hauſtus proſequuntur Etruſcorum plerique e vulgo, dum juxta varium morborum ingenium, largæ ejuſdem aquæ potiones præſcribuntur, ipſis neſcientibus, ab aquę purę potibus valetudinem naſci corporis, atque animi alacritatem, plurimoſque morbos illa una evinci, ac profligari. Æquale vero præjudicium obruit pleroſque ejuſdem generis miſeros, tum quoad ſanguinis detractiones, quas haud pauci eorum expaveſcunt, tum quoad hydrargyri externum, internumque uſum.

Qua ſuper re luis venereæ curatio, ad hanc uſque ætatem ferme, notis ſolummodo lignis ſudoriferis peracta erat; verum alii noſcentes tertii gradus ægros ea methodo nequiquam ſanari, eoſque ſecundi gradus difficulter evadere, hydrargyro, licet inſolens eſſet, curas inſtituere adgreſſi ſunt, quod etſi morbo peropportunum remedium eſt, maxime horreſcendum, atque mortem minitatur, aut ſaltem dementiam conſciſcit, juxta falſam veterem totius fere vulgi, & Medicorum adhuc plurium traditionem, non ponderantium curas malo exitu funeſtari ſolum, quum hydrargyrum indiligenter adhibetur. Parcioris illi hydrargyroſis methodum in uſum deducunt, qua nulla tunc præſentior lui gallicæ parari poſſe videtur, quum peculiaribus haud paucis eventibus liqueat, temperatum hydrargyri uſum ægris hujuſmodi nequaquam adverſari, imo, deterſa ſorde Celtica, plerumque convaleſcere, tum modica, tum nulla ſalivæ excretione adfectos, contra communis fere judicii anticipationem.

Ejuſcemodi vero præjudicia ab aliquibus de Medicina peſſime meritis, atque ad male dicendum pronis, jugiter foventur, qui a tacita otii magice faſcinati, ſtudiorum pertæſi ſunt, & exoſa ſibi difficilior omnis eſt perſcrutatio; ex quo ſapientum Medicorum ſtudia inutilia eſſe pervulgant, rationem hujus rei reddente Fontenellio (1). On traite volontiers d' inutile ce qu' on ne ſait point; ç' eſt une eſpece de vengeance. Ideo ſeverioribus diſciplinis inridentes, ſaniora etiam medendi dogmata criminatione inſimulant, dum ea laudari dictitant a Medicis dumtaxat, qui, non perpenſa climatum, & naturarum diverſitate, a novitatum libidine ducuntur; ipſique acerbe ferunt rationalium Medicorum nomen ſubinviſum laudari, quorum inglorium mallent. Quia vero plerumque prævalent pejora, & quoniam ſcientificarum Medicæ Artis cognitionum differentia ſenſibilis eſt in ægrorum corpore dumtaxat, in ſuadendis autem ægrorum mentibus non item, quæ niſi raro criterio valeant, mancam æque, ac veram phyſicam adprobant; interdum minus rudes quoque homines hallucinantur ſæpius, a malignis occupati, & fallacibus loquacium doctrinis, qui a rationalium Medicorum curatura amoliri ægros adnituntur, & ipſis ſpem ſanandi præcidunt. Si qua vero illorum curatio eventu minus proſpero, & ſecundo cedat, inconſulti cominus ipſorum famæ detrahunt, haud inquirentes germanam anomaliæ cauſſam, ut de ſyphiliticis hydrargyro tractatis evenit. Hiſce enim pluries, aut partialis, aut univerſa paralyſis ſuperadditur, quæ a malignis perſecutoribus æſtimari ſolet pernicioſa hydrargyri conſequentia, licet hæc ipſa ut plurimum paralyſis ab aliqua proficiſcatur exoſtoſi, gummi, tumore, aut ſimilibus, quæ morbo gallico gignuntur, & circa cerebrum, vel ſpinalem medullam, vel circa nervoſas propagines prementia, conſuetas in nervis oſcillationes prohibent, atque inde partium corporis oritur reſolutio.

Verum, quum hydrargyri actionem Etruſci Medici perſpexerint, tum mechanicam, quæ a gravitate, tum phyſicam, quæ ab attractione Nevvtoniana pendet, aliqui illud ipſum ad aliorum morborum curam extenderunt, ſpeciatim doctiſſimus Bertinius, qui ideo pereruditam de uſu interno, & externo hydrargyri diſſertationem in Societate Botanica Florentina, cui adſcriptus eſt, recitavit, publiceque juris fecit, in qua diſſertatione plures diverſos morbos hydrargyro curatum iri pronunciat, & obſtructiones potiſſimum, quas & neceſſaria ipſarum ſymptomata feliciter tractat, ceterique ſui aſſeclæ.

Martia-

(1) Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences an. 1669 dans la preface.

Martialibus remediis utuntur, ſed prudentiſſime. Ipſi enim operari ſemper ferrum, ut adſtringens, ipſumque, & ipſius præparata actionem ſuam immediata adſtrictione perficere, ſive adſtringant, ſive reſolvant, ut utrumque ea peragere in diverſis ægris, atque ægrorum circumſtantiis ſatis patet; non autem ex ferro adſtringentes partes auferri, relictis aperientibus, & e contra. Solius, *& ſimplicis ferri alkoolis uſu menſtruas purgationes imminutas, aut abolitas reſtitui, & nimias evacuationes ſiſti vidi; verum, quum in hiſce morbis ſanguis ſit aqueo-viſcidus, & ſyſtaltica villorum vaſorum vis ſit imminuta, adeo ferrum idem, ſerum ſanguinis ſemper diſſipans, & vaſorum villos ſemper adſtringens, in altera ægrotante ſanguinis menſtruas purgationes revocat, vel auget, dum in altero ægroto nimias temperat evacuationes.*

Quæ ferri vis, quæ ſemper in adſtrictione videtur eſſe, magis adhuc patet, ſi in contraria ſanguinis craſi, in morbis ab obſtructione proficiſcentibus ferrum præſcribatur, aut quum obſtructionis materia, longiori tempore neglecta, nimiam cohæſionem adquiſierit; nam adſtrictoria ferri facultate augeri videtur obſtructio, quæ ab eadem tolli putabatur. Hinc mihi memoriæ ſubit, me vidiſſe eorum aliquos, mercurium dulcem preſcribentes, aut hydrargyrum purganti additum, in magnis, nec recentibus hepatis, aliorumque viſcerum obſtructionibus, quibus potiſſimum adficiuntur, qui vaſorum meatus compreſſos habent, extremæque hominum Tyrrhena ad littora gentes, quæ eoſdem infarctos præ ſe ferunt. Ex cujus hydrargyri actione, quum optatam utilitatem retulerint, mercurio ipſi ferrum geminavere, aut idem hydrargyrum omnimode ad ſolum ferri uſum tranſierunt. Id præcipue in anaſarca, & aſcite præſtare conſueſcunt, dextimo plerumque eventu. Si *vero perſtet, imo excreſcat lympha in abdomine, & viſcera neutiquam infecta eſſe videantur, iidem, gravibus auctoribus innixi, paracenteſim laudant, eoque magis, quod audaces facit amiſſæ ſpes lapſa ſalutis. Qua ſuper re menſe Septembri mox elapſo, poſt paracenteſim convaluiſſe vidi aſciticam annorum xxix, ex cujus abdomine tota aqua uno, eodemque tempore extracta fuit, quæ libras xxii ponderabat, atque memorata methodo tractata fuit; cujus curationis hiſtoriam deſcripſit diligentiſſimus* Joſeph Baldinius *Ariminenſis, Medicus huic Regio Noſocomio adſtans.*

In ictero autem, ſi vires conſtent, & niſi ſub initio abdominis dolores, & tenſiones adpareant, ab ipſis præſcribitur Tetutiana aqua, poſt congruum vehiculum purgans tranſigenda, quum id confirmaverint a ſagaciſſimo Redio *obſervatum, qui ab* Aſclepiade *hoc analoge ſe didiciſſe protulit, quia hic aquam ſalitam, & quidem per biduum, purgationis cauſſa, haurire jubebat regio morbo vitiatos. Quæ aqua ſalſa vi pollere videtur purgandi a pertinacibus obſtructionibus hypochondria. Quum vero icterus ab abdominis tenſionibus, & vomitibus ſociatur, ipſos viros feliciſſime uti fotibus adnotavi, & omni ſaponaceo remedio, ac diluentibus. Quæ ſingula remedia juxta diverſas icteri cauſſas, præcipue a docto quodam Scoto anonymo* (1) *expoſita exequuntur. Ille enim Auctor* pretend que la jauniſſe vient non d'aucune obſtruction dans les vaiſſeaux capillaires du foie, mais de la bile, qui etant dans les grands vaiſſeaux, où elle eſt reçue, eſt empechée de paſſer dans les inteſtins, & par conſequent forcée de ſe rejetter dans la maſſe du ſang; & que ce qui met obſtacle au cours naturel de la bile, peut venir, ou de quelque tumeur, ou de quelque inflammation, ou de quelque ſpaſme, qui affectent les conduits de cette humeur, ou plutot de quelques pierres, qui lui bouchent le paſſage.

In ſcorbuto, morbo in Etruria niſi penitus novo, multis abhinc annis ſaltem magis cognito, Joannis Friderici Bachſtrom (2) *methodum omni fructu adhibent, diætam nimirum herbaceam; ſicuti rachitidem a fibrarum laxitate, & debilitate, juxta* Gliſſonium, *præcipue derivare demonſtrant, ideoque indicata, ſeu curativa remedia eſſe illa omnia, quæ debitum laxis fibris tonum, & debilibus conciliare valent, ut ex diætetica feliciter pharmacia, atque gymnaſtica exercitatione remedia ipſa deducuntur, nempe roborantibus non ſolum remediis per os propinatis, ut cremore panis* Boerhaavii, *herbarumque decoctionibus, minore vi antiſcorbutica pollentium, & martialibus; verum etiam frictionibus ad loca propria, juxta probam methodum factis, & ploſtelli motu, ut fibris addatur robur.*

In uterinis hæmorragiis, & hæmoptyſibus, adſtringentia vera medicamenta præſcribi a ſanioribus obſervavi, & ſanguinis detractionibus, juxta indicationes, exacta diæta, humectantibus, refrigerantibus, & lacte diluto uti, dumtaxat autem in aliqua neceſſitate, innocuis roborantibus, & opiatis.

In nervoſis affectionibus utiliſſimam Cheynæi (3) *methodum faciliter invexere. In hypochondriacis enim adfectionibus, melancholicis, timidis, maniacis, & hyſtericis, quæ ægrotantium imaginationem mirabili adeo multiplicitate evertunt* (4), *eoſque in partialem dementiam præcipitant, ii remedia varia præſcribunt, juxta principii morbum facientis diverſitatem. Ita ægros, qui mania adficiuntur,* Bernardi Huete (5) *methodo præcipue tractant, balnea aquæ dulcis inde jubentes,*

(1) Eſsai de Medecine, & Recueil d'Obſervations revues, & publiées par une Societè d'Edimbourg, Art. xxxii. Tom. i.

(2) *Bachſtrom* Obſervat. circa Scorbutum L. Bat. 1734.

(3) *Georg. Cheyn.* De Infirmor. ſanit. tuenda. De natura fibræ laxæ, ſeu reſolutæ. Londini 1725.

(4) Della Forza della Fantaſia umana di *Lodov. Ant. Muratori*. In Venezia 1745.

(5) Curatio maniæ certa, & ſæpius inſtituta. Appendix ad calcem libri *Joannis Jacobi VVepferi* Hiſtoriæ Apoplecticorum, &c. Amſtelodami 1724.

tes, quæ & in morbis aliis, aut convulſivis, aut a ſiccitate provenientibus adhibent facillime. Pręterea quum in Piſano agro, tria paſſuum milliaria a Piſis diſſito, antiquiſſima celebrentur balnea ad Montis Sancti Juliani radices, ut videre eſt in Hieronymi Mercurialis de Balneis Piſanis tractatu; & quum in Piſarum collibus S. Miniati Diœceſi, ſub Vicariatu Larenſi, & Pecciuli jurisdictione caſtrum ſit inter Piſas, & Liburnum poſitum, quod propter aquæ ſcaturientis ibi fontes, Bagno a acqua dicitur, quibus locis optimæ thermales habentur aquæ, & acidulæ, quarum in variis inluſtribus ſcriptoribus, qui de illis egerunt, genericæ virtutes leguntur, plerique Medicorum ipſas aquas magni faciunt, variis, pulchriſque curationibus earum aquarum ſubſidio adnotatis.

In pertinacibus dyſenteriis ipecacuanha utuntur fructuoſe, ipſam in pulverem redactam propinantes, aut ejuſdem decoctionem, pro enematum uſu, præſcribentes, quemadmodum in fœmina præſertim, hac æſtate mox elapſa, perſpicere contigit, quę articularibus doloribus gallicis, atque ulcere in inteſtino recto cruciata diu, a Cl. Bertinio *feliciter curata fuit.*

Singuli iſti demum ſaniores Medici quocumque aut mechanico, aut phyſico remedio utuntur, verum a polypharmaca materie abhorrent prorſus, quum a remediorum multitudine ipſorum facultas immutetur, atque de multorum medicamentorum virtutibus minime creduli ſunt; licet materiem medicam adprime calleant, qua prudenter, & exacte, juxta neceſſitatem, ac veritatem uti norunt, anatomicis præcipue doctrinis ducti, quod quæcumque irrita, anilia, fœda, ac ridicula remedia aliquando adhibita fuere, & quæ valida mechanica, & multarum gentium uſu comprobata pueriliter timentur, non ab aliis, quam ab imperitis anatomicarum diſquiſitionum, vel inventa fuiſſe, vel exploſa. *Pharmacorum vero peritiam non ex libris ſolummodo adquiſivere, verum etiam peculiari commodo fruiti ſunt, ea pharmaca ab experientia cognoſcendi, nedum propter pharmaceutica naturæ germina, quæ ipſorum plures ab exotico ſolo petierunt, ſed ob publicorum inſuper botanicorum hortorum, qui Florentiæ, & Piſis ſunt, commoditatem, ubi magno numero, & rariorum generum plantas obſervari jugiter, & cognoſci datur, quarum pars major exoticæ ſunt, ex Africa, Europa, & Oriente magnis impenſis huc delatæ, quæ in Florentino memorato horto demonſtrantur a* Franciſco Xaverio Manettio *verſatiſſimo rei herbariæ Profeſſore.*

Hac revera commoditate Medici carebant Florentiæ ante xvi. hujus ævi annum, in quo Petrus Antonius Michaelius *Florentinus Societatem Botanicam componere inſtituit, quæ dein ad ſummam in dies perfectionem eo magis adſcendit, & ex* Sociorum *(inter quos præcipue memoro* Dominicum Brogianium *doctiſſimum Florentiæ Medicum) adſidua contentione, & ex Regia Invicti Imperantis* Franciſci *Munificentia, qui* (1) horto omnigenis plantis colendis in Medicum uſum publice deſtinato, ipſam Societatem liberaliſſime donavit, & quidem magno liberalitatis exemplo. Quin id ſat non fuit Principi naturalem ſcientiam omnimodis promoventi, ſed anno M. DCC. XLII. Joannem Targionium Tozzettium (*doctiſſimum Florentiæ Medicum, quem pluribus ante annis Botanices Magiſtrum, & horti publici cuſtodem* Joannes Gaſto Mediceus *Magnus Etruriæ Dux declaraverat*) Franciſcus adlegit, ut Etruriam peragraret, penituſque pernoſceret, quo hiſtoriam ejuſdem naturalem deinde deſcribere poſſet, & de metallis, fodinis, lapidibus, terris, arboribus, herbis, aquis, aliiſque id genus rebus agere, & loqui, ſumtuſque omnes Franciſcus in opus laudatiſſimum ſuppeditavit. Michaelius (2) *autem inſignis Botanicus fuit, totius hiſtoriæ naturalis conſultiſſimus, plurimiſque rerum naturalium inventis emicuit, & prædeceſſoris ſui* Bocconii, Cæſalpini, Columnæ, Anguillaræ, Cortuſii, Tabernemontani, Camerarii, Thalii, Tragi, Bacchinii, Raii, Vaillantii, Cluſii, Mathiolii, Tillii, Montii, Sherardii, Moriſonii, Fuchſii, Boerhaavii, *aliorumque eximiorum Botanicorum peritiam antecellere viſus eſt, &* Tournefortii *etiam, cujus pulcherrimum ſyſtema ampliavit, emendavitque. Etruſcorum enim non ſolum, & diſcipulorum, qui* Michaelium *admirabantur teſtimonio, verum etiam celebriorum Exterorum ſuffragio, Botanicum quemvis ipſe ſuperavit in plantarum numero non antea deſcriptarum, quas doctis communicavit, quum eæ ſint fere 4000. Æquioribus ille ſuis diſtributionibus notiorum etiam herbarum, ipſas herbas in mirabilem ordinem redegit, earumdem claſſes, genera, & ſpecies optime conlocando. Aliarum vero herbarum, quæ ob parvitatem propriam, aut vitam breviſſimam, aut ob difficultatem eas obſervandi, a ſolemnioribus etiam Botanicis imperfectæ habebantur, & floris, ac ſeminis expertes, & quas aliqui cetera præſtantes viri ſupponebant abſque propagatione, atque e putri naſci; iteratis ille, diligentiſſimiſque obſervationibus princeps omnium demonſtravit, & florem, & uniformem earum generationem, & ſemen prius ab aliis minime perſpectum, veteremque ejuſmodi, ac miſerum errorem ſuſtulit: ſicuti quoad animalium geneſim fecere* Harveius Jacobi, Carolique *Regum Angliæ Medicus primarius, atque* Redius *ſapientiſſimus. Quo tamen errore, ſi vera fas eſt dicere,* Pythagoras *caruiſſe dicendus eſt, qui putredinis impotentiam ad generanda corpora edocuit, licet*

hæc

(1) Memorabilia Italorum eruditione præſtantium, quibus vertens ſæculum gloriatur. Tom. 1. pag. 498. ubi elogium *Franciſci Lotharingii* nondum Romanorum Imperatoris conſcriptum legitur ab Eruditiſſimo *Joanne Lamio* Hiſtoriæ generalis in Academia Florentina Magiſtro publico, & de omnibus litteris, præcipue autem Græcis, æquiſſime promerito.

(2) Elogio di *Pietro Antonio Micheli* detto pubblicamente nella Sala del Conſiglio delle Finanze da *Antonio Cocchi* Mugellano. In Firenze 1736.

hæc Pythagoræ ſententia ducentos fere poſt annos occœperit a minus doctis Philoſophis non haberi vero conſona, & talis inde habita ſit uſque ad Harveii, Redii, & Michaelii ætatem, ideoque, ob remotæ antiquitatis caliginem, hiſce Auctoribus inventionis fama conceſſa fuerit. Hinc a generatione ex putri deſciſcentibus Philoſophis, celeberrimus Mathematicus Guido Grandius popularis meus noviſſimam ſuperaddidit ſententiam, cujus fama inde percrebuit (1), totam nempe plantulam in minimo, & nudis oculis inviſibili ſemine contineri, atque in eo cum omnibus organicis partibus præexiſtere ita, ut plantulæ in ſeminulis primo ſemine contentis deliteſcant cum ſuis infinities adhuc minoribus ſeminulis continentibus plantulas alias infinities minores, atque ita in infinitum. Michaelius igitur, quum huic ſæculo, quod plurimos Heroes edidit in omnibus fere diſciplinis, atque artibus, gloriam auxerit, peculiari laudatione evehendus eſt, & Florentina Botanica Societas ab ipſo inſtituta, quæ litteratiſſimis viris conſtat, & magnam adferre utilitatem cenſenda eſt, ut & ceterę Florentinæ Academiæ, quarum altera ſolum nomen habet. Ea enim prorſus periit, quæ del Cimento adpellabatur, totque novis reconditarum cauſſarum detectionibus decore maximo Florentiam, ſummoque adjumento orbem Phyſicum adfecit, præſtantiſſimis potiſſimum experimentis, quæ exarata, atque in compendium redacta a Laurentio Magalottio clariſſimo (2), haud ita pridem Petrus wan-Muſſchenbroekius inluſtravit, atque ex iiſdem inſignes Phyſici experimentales multi profecere. Impræſens inde quatuor celebriores Academiæ Florentinæ vigent, præter Botanicam, quarum prima Florentina dicitur, altera della Cruſca, tertia Apathiſtarum, quarta demum ea, quæ Columbaria adpellatur. Prima, & altera Academia Italico idiomati præſident, ejuſque ornatui, ac nitori conſulunt. Tertia de doctrinis omnibus agendi aditum præbet, & ſingula hebdomade duorum ſapientum interpretatione quæſitiones omnes ſcientificas (datur enim cuique facultas interrogandi) ſolvit, atque explicat. Quarta, ea omnia, quæ de artibus quibuſque, & diſciplinis in dies tractat, continua ſedulitate deſcribit, & quamquam recens inſtituta, duos ſibi cooptatos S. R. E. Cardinales doctiſſimos oſtentat. Quare Botanica Academia ceterarum utilitati glorioſe æmulans, præter innuta Hiſtoriæ naturalis, & Medicinæ commoda, arduis thematibus explendeſcit, quæ ab hujus perſpicuæ Societatis Sodalibus luce identidem donantur, qui, quum multijuga doctrina, atque eruditione præſtent, tantum celebritatis nacti ſunt quoque apud Exteros, ut horum non pauci ſapientes, quum huic Societati ſe aggregari contigerit, ſibi magno honori vertant, pluresque alii Etruſci ob genus, dignitatem, & doctrinam multo cultu proſequendi.

Quæ quum ita ſint, manifeſta eſt praxeos Florentinæ, ac proinde Etruſcæ præſtantia, in qua ſive ad morborum cognitionem, vel pathologiam, ſive quoad recte curandi ſcientiam, vel therapeiam nihil exoptatur. Porro ſimilem medendi normam ſervant reliquorum Etruriæ Medicorum rationales plerique, qui in ceteris Etruriæ urbibus, atque oppidis Clinicam profitentur a Schola Florentina hauſtam.

Quoniam vero ad completam rei Clinicæ hiſtoriam, de Chirurgia etiam nonnihil perſtringere neceſſum eſt, in Etruria ſingulæ fere Chirurgiæ partes perfecte exercentur ab ejuſdem Profeſſoribus, quorum plures mente, & manu pollent optima, & Florentiæ in celebri S. Mariæ Novæ Noſocomio curantes, plurimorum juvenum numerum, quos jugiter edocuere, impræſens adhuc edocent. Inter præcipuos rei Chirurgicæ Florentinæ Magiſtros Antonius Benevoli celebratur, qui egregius Ocularius eſt, & in deponendis ſpecialiter cataractis, atque in hydrocele, & enterocele radicali cura excellit. Hic publica epiſtola Antonio Valſalvæ nuncupata, & inde a Societate Regia Londinenſi in Tranſactionibus Philoſophicis recuſa, primus omnium demonſtravit, ſuffuſionis veterum, ſeu cataractæ oculi eſſentiam eſſe ſolummodo humoris cryſtallini, ſive lentis condenſationem, & opacitatem (ac proinde removendam a radiorum viſualium directione), membranam vero non eſſe, ut antea a pluribus, ut Petro Paullo Lapio, Littrio, Wolohouſio, & aliis credi viſa eſt. Præterea idem Benevoli multorum cadaverum apertione demonſtravit tractatu Chirurgico, falſam ſuppoſitionem eſſe credentium, quod laborioſa aliquorum urinæ per urethram excretio, & in aliis ejuſdem urinæ ſuppreſſio a carnoſa excreſcentia proficiſcatur, quæ caruncula dicitur, & in urethra ortum ducit, comprobans calamitates eas ab ulcere derivare granum hordeaceum vitiante, ubi aliquoties a multo ſtagnante pure urethræ cavitas imminuitur, & ſæpe deletur, ex quo remediorum diverſorum adhibendorum utilitas deducitur. Inſignis etiam Cæſareorum militum Chirurgus Keiſer eſt, qui duo præcipue aneuryſmata Chirurgica operatione dudum ſanavit perfectiſſime.

Ex hiſce liquet propter ſummam horum Chirurgorum peritiam plura poſſe ediſci a Chirurgiæ ſtudioſis juvenibus, eoque magis, quod munifica Auguſti Imperatoris Franciſci liberalitate ſtipendium Benevolio præcipue

(1) De infinitis infinitorum, & infinite parvorum ordinibus diſquiſitio geometrica, Auctore D. *Guidone Grandio* Cremonenſi in Piſana Academia Publico, Philoſophiæ Profeſſore, ac Magni Etruriæ Ducis Theologo, & Mathematico, e Regia Societate.

(2) Oſservazioni intorno alle Vipere fatte da *Francesco* Redi in Firenze 1664. pag. 91. E Lettere Scientifiche del Co: *Lorenzo Magalotti* Lettera IV.

adauctum fuerit; ut in peculiaribus operationibus alumnos aliquos facilius edoceat, & ex hoc Noſocomio Chirurgi quam optimi, & experientiſſimi prodeant.

Verum eo majorem perfectionem adſequetur Chirurgia, quum ſtudioſorum juvenum ingenio, & conatibus plurimum faciat Eques Franciſcus Magius *hujus Regii Valetudinarii Præſes, cujus maxima conſilii ratio in promovendis Medicina, & Chirurgia præſtantiſſimis Artibus aperte cognoſcitur, dum juvenes ipſos Chirurgos geometria, & in ejuſdem Noſocomii horto Botanica erudiri juſſit; quumque clariſſimus* Cocchius *rem Anatomicam impenſe eos edoceat: uti hoc anno publicum ſpecimen exhibitum eſt ab* Angelo Nannonio, Cocchii *ipſius quoad Anatomen, atque* Benevoli *quoad Chirurgiam alumno prudentiſſimo, cujus fama creſcit occulto velut arbor ævo, & qui in operationibus ſagax, inluſtribus in dies exemplis probitatem methodi demonſtrat, quam ipſe orbi Medico generoſe communicavit Italico, & adprime docto de morbis mammarum, ac præcipue muliebrium tractatu, ex quibus adſcriptus eſt memoratis Chirurgię in præclaro Noſocomio Magiſtris, & mulieribus potiſſimum ſanandis delectus.*

Et ſane, ut vera fatear, hodiernæ Etruſcæ Chirurgiæ nihil erit adjiciendum, quum operationibus, quas laudati Profeſſores præſtant, fiſtulæ lacrymalis cura addetur tutior, atque efficacior, & ſectio lateralis ad calculum e veſica exſcindendum; quæ ſectio circa ſuperioris ſæculi finem a F. Jacobo *ad Pariſinos, pretio laboris ferme nullo, adlata, & imprudens potius, atque empirica, a* Merio, & Ravio *correcta eſt, atque a* Cheſeldeno *immutata, ideoque digna, quam lythotomus calleat, eo magis, quod, clariſſimo* Heiſtero *judice, omnes calculum exſcinden di methodos ſcire debet Chirurgus, ut pro rerum circumſtantium varietate, aptiorem valeat ſeligere.*

Pharmaceuticæ vero, & Chemiæ Profeſſores pręſtantes in Etruria ſunt, qui hanc a Boerhaavio *petitam faciunt optime, ut paucis abhinc annis nihil melius ſit expetendum. Et Florentiæ potiſſimum laudandi ſunt* Barptholemæus Meſni *Cæſareæ medicamentorum officinæ Director, doctuſque Medicus, præterea* Franciſcus Bevilaqua *ejuſdem Regii Xenodochii Pharmacopola.* Boerhaavianam *vero præcipue Chemiam experimentis inluſtrat, demonſtratque* Carolus Alphonſus Guadagnius *Medicus verſatiſſimus, & Florentinæ Botanicæ Societatis a ſecretis, qui ſublimioris analyſis geometrię, & aſtronomiæ ſcientia pollens, phyſicam experimentalem potiſſimum profitetur, ſplendidoque machinarum accuratiſſime conſtructarum theatro gaudet, a* Muſſchenbroekio, Graveſandio, & Noletio *præcipue deſcriptarum, quibus experimentalem Phyſicam Florentinos juvenes adprime edocet.*

Ex hiſce omnibus, quæ de rei Medicæ Florentinæ potiſſimum hiſtoria breviter præſcripſi, ut tua, meaque res poſcebat, totius etiam Etruriæ Medicina nullo negotio deducitur. Enimvero licet Piſis ſint Medici præſtantiſſimi, ut Gottius *poſtremus* Bellinii *auditor, in alma illa Academia docens publice Anatomen laudatione ſumma,* Verzanius, Bonaparte, & Barſantius; *Senis vero* Arrighius, Neruccius *publicus Anatomes in præclara Senenſi Univerſitate Profeſſor,* Caſtelluccius, & Nencius; *apud Liburnenſes autem* Joannes Gentilius; & *Cortonæ* Valdambrinius, *aliique: attamen qui in aliis potiſſimum Etruriæ urbibus, atque oppidis Medicinam facere adgreſſi ſunt, vel adgrediuntur, medendi methodum a Magiſtris in hoc Regio Valetudinario Florentino fere omnes hauſerunt, aut hauriunt, ita ut idem ſane omnino fuerit de Florentina Medicina, ac de Etruſca perſcripſiſſe. In quo hiſtorico obeundo munere plura forſitan emendanda, & conrigenda ſcripſiſſe me, facile vereor, eo magis quia in doctiſſimis etiam ſcriptoribus errores aliqui majores, vel minores adnotantur, & præcipue in iis, qui plura ſcripſerunt.* Solo Iddio, *ait* Redius (1), è tutto Sapiente, il che ben conoſciuo dal modeſtiſſimo Pittagora, con molta ragione rifiutando il nome di Savio, ſi preſe quello di amatore della Sapienza.

PERUSIA

DE BALNEO MONTIS ALTI, ET DE AQUIS S. GALGANI.

Etiam in Peruſino agro Medicæ illæ leges vigebunt, quæ a prædictis Etruſcis Apollineæ Artis Proceribus promulgatæ ſunt: quamvis ob peculiaris ſoli conſtitutionem, a Tiberi, a Glani fluvio, & palude, necnon a lacu (ubi tres inſulæ) humectati, multa erunt mutanda, & ſi etiam eſſent toto, ut aiunt, cœlo noviter inſtituenda, non ideo periclitaretur Auguſtæ illius Coloniæ ſalus. Antiquitus quippe a Clemente uſque Papa V. condita, ſucceſſivis temporibus inſtaurata, nuncque floret Academia, ubi & pro colendis bonis Artibus, & pro publica valetudine Medicæ Artis auxiliis promovenda, vigilatur.

Interim & nos ne ſicco pede cultam Peruſinam ditionem prætereamus, & aliquid certum de ſibi ſola Medicina delibemus, dicere poſſumus, non eſſe in præſens vera, quæ Bartholomæus a Clivolo Taurinenſis (2) dixit de inſigni civitate Peruſia in Thuſcorum regione, nempe quod *unicum habet balneum, Montis Alti nuncupatum*, cujus imbecilles vires in ſulphuris, & aſphalti aliquan-

(1) Oſſervazioni intorno alle vipere fatte da Franceſco Redi in Firenze pag. 63- anno 1664.

(2) Lib. 3 cap. 28.

aliquantulo ponit (1). Quandoquidem celeberrimus vir Proſper Mariotti in Peruſina Univerſitate Medicinæ, & Botanices Profeſſor, non multis abhinc annis ſcripſit de Aquis S. Galgani prope ipſam urbem Peruſiam manantibus, iiſdemque ad examen, chymica analyſi, & tormento revocatis, multiplici ſublimatione, miſcella, & lance perpenſis, ſtatuit, latere *ſpiritum aereum elaſticum*, *ſal alkali volatile*, *& fixum*, *cum exigua quantitate terræ ſamiæ*.

Ex hoc quiſque proximus, aut remotus Clinicus, cui ſanum ſit ſinciput, & Medicinam in Peruſino, Romano, Florentino, aut Umbriano tractu faciens, poterit ſtatuere, & videre, quibus in morbis domandis aptæ eſſe poſſint Sancti Galgani medicatrices lymphæ.

Ad me quod ſpectat, autumarem, nec eſſe ſpernendas, nec multum ex illis ſperari poſſe; quandoquidem parum medicatæ ſunt, & a communibus non multum diſtare videntur. Ergo ſi morbus altas jecit radices, ſi temperamentum oboeſum eſt, ſi viſcidis amurcis turgent vaſa, ſi calculoſum Helmontii Duelech a colliformi glutine, atque a ſaburroſo ſanguinis tartaro pendet, ſi emphraxes in abſconditis viſceribus nidulantur, ſi ventriculi fibræ admodum flacceſcunt, ſi ſcorbuticum miaſma, convulſivæ ſyderationes, hyſterici agones, ſtaſeſque in partium utriculis morbos graves pepererunt, aut portendunt, timerem, ne aqueum Peruſinum fluentum cæſpitet in meſentericis, occultas non reperiat, aut ſibi aperire non poſſit vias, ſanguinem inutiliter impleat, & adaugeat, valvularum ſufflamina enervet, ſeque denique ſiſtat ante obſtructionum, & calculorum obſtacula: uno ſaltem verbo, non ſatis potens ſit pro ſuperandis impedimentis, proque ſolvendis cauſis illis, quæ funditus implantatæ ſunt, ſolis energeticis viribus averruncandæ.

Hoc probat nunquam ſatis laudati Mariotti in ſcribendo (2) circumſpectio, ubi curatorum ægrotantium ſtrues non exponitur, nec peculiares infirmitates ſignantur, pro quibus ſuperandis Peruſinus latex apta poſſit eſſe medela, optime ſciens clariſſimus alioquin Auctor, nec debere fontem immeritis laudibus extolli, a quibus decepti aliqui turmatim confluentes, morbidos ſe fateri debeant, nec ita patriorum laticum oblivisci, aut deſertos ſinere, quin amati Perræſii, Epiſcopaliſque Sedis gloria, & dona, in illam regionem cœlitus delapſa, ignorentur.

Faciamus ita. Nec divinas vires, quas huic fonti tribuit doctus vir, Profeſſor primarius Medicinæ, & Anatomes, Medicuſque Peruſiæ Collegiatus Marcus Griſaldi (3), credamus, nec illas tam inertes, vapidaſque putemus, quę cum communibus comparandæ ſint? Imo ſicuti a quibuſdam convaleſcentibus, quibuſdamque hypochondriacis, calidæque texturæ juvenibus, in aliquo ipſorum levi morbo, videmus feliciter in ſiriis ardoribus adhibitas aquas communes fontanarum, puteorum, itemque Nucerinas, lacuumque ipſas, & fluminum, quæ inſuper utiliter tranſeunt, corpus humectant, ſalia ſolvunt, bilem corrigunt, & cetera multa ad humorum menſuram conferentia exequuntur; ita laudarem, ut in una illa ex primis Thuſcorum Coloniis, & finitimis locis S. Galgani, aquis opus tentaretur, utpote inſito ſpiritu, elaſticoque turgidis, utpote alkalino ſale, & terra ditatis, a quibus aliquatenus & vivificari, & commoveri poſſunt torpida fermenta, necnon acria ſpicula conveſtiri, cum optata reformatione œconomiæ animalis, quod, uno verbo, magis de certo a S. Galgani aqua, quam a communi ſperandum eſt.

SENÆ

URrbs elegans, Ducibuſque Etruriæ parens, celebris ſemper fuit, non minus ob Etruſcam linguam, quæ inibi ſemper ſuavior, quam illuſtrem bonarum artium, & diſciplinarum Academiam, celeberrimos ſemperque renovatos Profeſſores in ſinu ſuo foventem, adeo ut inibi exculta ſtudioſa juventus, non ſolum in Italicam per omne ævum terram, ſed exteras gentes etiam ad docendum propagetur.

A Tyrrheno tamen littore, æſtivis præſertim temporibus, & marinus, & provincialis aer multoties inficitur, qui per cutis poros, per tracheam, & cum eſculentis ſanguini commixtus, & inſito aeri nuptus, bene multas ruinas in corpore humano Senenſium molitur, nunc reſpirationem vitiando, nunc elaſticos niſus lædendo, nunc excretiones retardando. Quare noxiis littoribus, paludoſiſque locis proximiores, aut magis expoſiti, minuſque circumſpecti interdum cum ſquallore, & pedum œdemate, adventante præſertim autumno, incidunt in febres intermittentes; autumno autem tranſacto, & hyeme ſæviente, in pleuritides, alioſque pectoris morbos, ad quorum extirpationem Senenſes Medici, ſi vera nobis relata ſunt, purgantibus, ſanguinis miſſione, & veſicantibus agunt. Circa eorum uſum ſemper optandum, ut publicam videant lucem ſcripta in hanc rem Caroli Franciſci Cogroſſi Profeſſoris emeriti Patavini, de quibus in ſua epiſtola (4) ad nos data mentionem facit, ſperans fore, ut diſcuſſis erroribus, doctrina illa ſtabiliori fundamento firmetur.

(1) De qua etiam locutus olim eſt Georgius Franciotti Medicus Lucenſis.

)2) Delle ſalubri acque di S. Galgano. Lettera di Cureto, ec.

(3) Anno quippe 1626. ſcripſit de mirabilibus illarum aquarum effectibus. Hoc eſt in *mundandis renibus a calculis*, *in corrigendis omnium viſcerum intemperiebus*, *tam calidis*, *quam frigidis*, *tum humidis*, *tum ſiccis*, *in profluviis ſeminum involuntariis*, *in ſterilitate arcenda*, *in tollendis viſcerum obſtructionibus*.

(4) In Hiſtoriis Morborum Pag. 247.

De cetero, & nitratis quidem, & pectoralibus, & paregoricis poſſet diro morbo obviam iri; ſed ſi paucis explicanda, eaque utilior Senenſis Medicina, illa profecto eſſet, quam memorat Hippocrates (1): *In morbis mutare cœlum conveniens eſt*. Quamque confirmat Galenus (2): *Et ſane in chronicis nulli dubium, quod aeris mutatio, nedum conveniens, & tuta ſit, ſed etiam ſaluberrima*. Et præcipue quando ægroti in aerem puriorem, & tenuiorem tranſferuntur. Quare idem Hippocrates (3): *Ut ſubinde aer tenuior tenaces humores incidat, atque extenuet, ſeſeque quaquaverſus inſinuans, & poros cutis reſerans, corporis impuritates difflet, abſumat, ac exterius propellat*. Quæ quidem omnia in ſuppoſitis viſcerum naturalium obſtructionibus, quibus Senenſes obnoxii ſunt, ſummopere deſideranda veniunt.

Littora enim illa, immenſaſque paludes a Thuſco mari perflatas ipſe non vidi, ſed natura loci meridionalibus radiis verberata, mille inſectis, animatiſque conchis, mox emortuis abundans, & fruticoſis calamis, opio (4), & braſſicis ſylvaticis, præcipue circa Argentarium montem (5), naturaliter ſata, non poteſt, quin media fermentaione, corruptione, & quaſi dicam putredine aerem ſuper expatiantem tali modo alteret, & inficiat, ut exinde abſorptus, & inſpiratus tenuiſſimis primum pulmonalium veſicularum fibellis, deinde toti liquidorum maſſæ vitioſi ſui characteris ſtamina imprimat, ad hæc præjudicia plurimum conſpirante maris æſtu, qui limoſas fœces, & animata ſedimina ſuper immenſos littoris tractus ſecum portat, necnon ſtationariis ejuſdem decreſcentiis, ob quas arundineta, lamoſæ foveæ, & circumſtantes lacunæ ad aliquam ſiccitatem perducuntur: quare aquoſum vegetabile, cujuſcumque generis, ſuperſtans languet, animatum moritur, mortuum corrumpitur. Sique hiſce in circumſtantiis aut nimium inſtet Auſtria vis, aut nubeculæ terram radant, aut Auſter ſine impetu deſcendat, talis vapor, halitus una cum aere fiet, ut parum a peſtilenti diſtare videatur.

Et hæc eſt ratio, propter quam de aeris mutatione Medici, & ægri ſoliciti eſſe debent, deberentque adeo, ut poſtquam omnis diligentia adhibita fuerit, poſt electa cubicula littori adverſa, poſt vitatos proximos, tempore ſuſpecto, incolatus, adhuc in illis ægris, qui ob morbi acutiem, aut domi rem anguſtam, diſcedere, & itinera ſumere non poſſunt, adhuc, inquam, laudarem, ut in conclavi, quod inhabitant, inſtituerentur effumationes ex lignis aromaticis, ex vegetabilibus ſiccis, quæ ſale oleoſo volatili abundant; laudarem, ut aliquibus adverſis, oppoſitiſque cardinalibus ſpirantibus illico feneſtræ aperirentur, & cubicula, domuſque (6) ventilarentur; ut cinamomum, ſalvia, pyrethrum interdum in ore detinerentur; ut poſt prandium hauſtu vini Cyprii, aut Canarini ſtomachica fermenta erigerentur; ut aliunde aquæ puriores ad bibendum exportarentur, aut patriæ, & contubernales, antiquo more, per decantationem, aut per arenam trajicerentur, aut in iiſdem, quod facilius, & a pauperculis factitandum, candens chalybs extingueretur, aut poneretur in eas modicum aluminis, diſcendo ab Ægyptiis, qui *Niloticam aquam turbidam, & potui ineptam purificant maſſa ex farina amygdalarum dulcium confecta*; ut denique valetudinarii, & ſubjecti, dum fatale tempus appropinquat, pilulis ſtomachicis interdum alvum lenirent, ut aqua ſtibina diſſolutionem in liquidis, ſolida roborando, promoverent, & concretiones tollerent, aut bis in hebdomada pilulis mercurialibus Belloſte uterentur, ſimulque manducarent panem fœniculo alteratum, aut tantillo rhabarbari aureſcentem: quibus quidem omnibus, regulari inſuper addita vivendi norma, illud ſaltem unum de certo verificabitur, quod, quoniam fere ſemper pluribus de cauſis homo ægrotat, ſic in caſu noſtro remotis ceteris omnibus, imo corpore ſemper purgato, roborato, & ad æquilibrium diſpoſito, ſola vis aeris, qualiſcumque ea demum fuerit, non poterit tam facili negotio futuræ ægritudinis ſemina plantare, ſicque nutans, ſed armata, & quaſi defenſa natura, morboſum fortaſſe offendiculum poterit vitare. Sed quid ego remotus, neque de locis illis ſatis edoctus, nimia, quaſi dixero, ſumens, & ut clare loquar, non quæſitus ad tuendas valetudines, & facienda, & vitanda propono? Parcite Senenſes, quotquot adeſtis florentiſſimi in Medica Arte Profeſſores, qui pulcherrimæ metropolis, totiuſque provinciæ incolumitatem tuemini. Volens, nolens, de morbis agens, remediis parcere non poteram.

FERRARIA

URbs Ferraria ſub Ateſtinis Principibus olim culta, dein Epiſcopalis nomine inſignita olim a Pontifice Maximo, tandemque Archiepiſcopalis a Bulla Benedicti XIII, de bonis Artibus, & diſciplinis plurimum merita eſt, & præcipue de Medicina, eo quia antiquam habuit, & fovit Univerſitatem privilegiis, & diplomatibus etiam Bonifacii IX ornatam, ubi Philiatri laurea deco-

(1) Epidemiorum 6. ſect. 5.
(2) In Commentario.
(3) Ibidem.
(4) Scribit Mathiolus in 4. Dioſcoridis pag. 1115. in Tyrrheno littore abundanter florere ſoporiferum, corniculatumque papaver.
(5) Ibid. pag. 498.
(6) Vid. Phil. Tranſ. n. 437. pag. 41. ub. exponitur machina ad pellendum e valetudinariis veterem, ac intromittendum novum aerem.

decorantur. Sique vera ſunt, quæ olim legiſſe recordor, magnum urbs illa accepit honorem ab Imperatore Federico III. Tunc cum mœnia illa pertranſiens, propriis manibus Colombinum Colombi Mutinenſem inibi diſcipulum laurea inſignivit; ex quo omnes poſſunt arguere, quantum decoris, & gloriæ urbi, Philiatro, Profeſſorum, Promotorumque cœtui, uno verbo, toti Arti accedat; quod vellem ſcirent, & intelligerent ii omnes, qui mala verba de Medicina, & Medicis dicunt; ſed præjudicia, nec merita a nobis commentanda ſunt.

CONSTITUTIO EPIDEMICA FERRARIENSIS ANNI M. DCC. XXIX.

NUnquam magis ſubolet alicujus regionis peculiaris Medicina, quam tunc, cum graſſatur morbus epidemicus; quia ad illum producendum fere ſemper conſpirat terræ, climatis, & temperamentorum conſtitutio, aptorum ad illam determinatam veneni vim recipiendam, ſoloque naturæ motu, aut optatis remediis ſolubilem, & inſuper ob ſimul juncta Medicorum omnium ſtudia ad publicam utilitatem, neceſſitate quadam, converſa.

Huic viciſſitudini obnoxia fuit urbs Ferraria, & clariſſimus vir Joſeph Lanzonus in patria Univerſitate Lector Primarius, non ſolum pro levandis ægrotis manum, mentemque dedit, ſed Collegis ſuis Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ naturæ curioſorum ſociis perpeſſæ calamitatis ſpecimen Altorphium miſit (1) (2).

EPIDEMICÆ CONSTITUTIONES NON SEMPER INTER CONTAGIA, ET PESTES ADNUMERANDÆ.

INter omnia clariſſimi Ferrarienſis Medici cogitata, mihi multum arridet illud, non illico ſtatuendi contagium, aut peſtem id, quod ab aliis concurrentibus cauſis evenire poteſt. *Quamvis autem de miaſmate contagioſo aliqua poſſet eſſe ſuſpicio; namque in una domo, uno infecto, ſtatim alii ejuſdem familiæ febricitabant; id tamen potius in communem diatheſim ad maturitatem eodem tempore evectam, non ſecus ac cum autumno fructus omnes eodem tempore matureſcunt, referendum puto, potius quam in effluvium aliquod contagioſum exiens e corpore primi ægrotantis.* Hęc ille.

Neque vero tam curtus ſum, ut non videam culpandum frequenter aerem, utpote univerſale menſtruum ad vitam ſervandam, at non ita, ut contagioſus, & peſtilens: ſed potius vitia pendere a temporum viciſſitudine, & ſublunarium mutatione, a ſuperioribus phaſibus vitiata, ut poſtea accedentibus terræ præjudiciis, corruptis vinis, & aquis, quod frequenter circa autumnale æquinoctium ſolet contingere, productaque verminatione, & innumerabilibus inſectorum agminibus, quodque in humanam cedit eſcam naturali conſtitutione immutata, humanus tandem microcoſmus morboſe pervadatur.

Hæc circiter eſt clariſſimi Ferrarienſis Medici opinio, mihique gratulor, pari paſſu cum tanto viro ambulaſſe, tum cum epidemicam catarrhorum Brixianam conſtitutionem ſcribebam celeberrimo Archiatro Regis Poloniarum (3), non quod res ſemper ſic ire debeat, ſed quia illas producendi eſt frequentior modus.

VINUM GENEROSUM.

S*Olo uſu vini generoſi* plebeios Ferrarienſes in illa conſtitutione convaluiſſe, relatum video, ab ipſoque Lanzoni utiliter ſumptam *chinamchinam*, & *caſcarillam* cum *vino malvatico*: quod vellem audirent quidam Medici nimis circumſpecti, nimiſque mero adverſi. Ad Medicinam noſtram quod ſpectat, non tam alienus ſum a documentis Ferrarienſis Profeſſoris; & quando febres intermittunt, quando ſanguis in morbi initio extractus fuit, & quando abeſt futuræ inflammationis timor, libenter viderem ſecutum primarium morem exhibendi chinamchinam cum vino, utpote quod principiis ſuis activitatem chinæ magis exaltat, atque ad agendum diſponit, quod agere nata eſt (4).

THERIACA.

AB Anglis, a Germanis, multiſque aliis ultra montes adhibitam, iteratamque video theriacam in acutis, in malignis, & aliis ægritudinibus, tanquam mirabile alexicacon, quod pariter & Medici Ferrarienſes in morboſa illa conſtitutione experti ſunt. Hic in Italia, quaſi dixero, paulatim exulavit illius uſus, & tamen abundans proſtat Veneta, tot diligentiis, & circumſpectionibus elaborata; ſed in medico negotio aliunde venientia majorem habent exiſtimationem: potius in vulgo uſus perſeverat, quam in Medicis, licet & ipſi illa utantur, ſed non tanta fide, ut olim.

CHINACHINA, ET RHABARBARUM.

SImul juncta hæc duo, & Ferrariæ adhibita, etiam a nobis multoties adminiſtrata ſunt, tunc cum purgandi neceſſitas, cum domandis febrilibus paro-

(1) In Actis Phyſico-Medicis vol. 2. obſerv. ccix. p. 465.

(2) Videnda nova editio Operum Joſephi Lanzoni Lauſannæ cuſa, curante Mario Michaele Bouſquet, & Sociis, ubi adeſt Auctoris vita, ſcribente Hieronymo Baruffaldo.

(3) Ubi de Brixiana Medicina.

(4) Subdit idem clariſſimus Vir: *Ego certe modico vino uſus ſum, nec unquam vidi aliquem pravum effectum ab eo.*

paroxyſmis conjuncta eſt. De hoc argumento alibi locutus ſum: hæcque ſimul juncta remedia eſſe rationi conſona, plurimumque pollere poſſe, nemo inficias ibit; non nimis tamen Lanzonus noſter, in conſtitutione illa Ferrarienſi, laudavit. Utque vera fatear, in practico uſu non adeo feliciter cedit, vel quia vis una alteram infirmet, vel quia id habeat peculiare Peruvianus cortex, ut dum agit, febrileque fermentum, ignoto nobis modo, ſubigit, commoveri, atque ad anum præcipitari non debeat.

Circa chinamchinam etiam videndæ notæ ſunt, quæ aliorum opuſculis addidit Franciſcus Maria Nigriſolus, in opere Ferrariæ anno 1700 cuſo.

NONNULLA REMEDIA IN EPIDEMICO FEBRIUM MORBO A FERRARIENSIBUS MEDICIS ADHIBITA.

PHarmacum, cucurbitulæ ſcarificatæ, ſanguinis miſſio, radix contrayervæ, cortices aurantiorum, atque fraxini, decoctum amarum Lemery, coriandrorum pulvis, radix carlinæ, mithridatum, diaſcordeon Fracaſtorei, decoctum centaureæ, & verbenæ, vinum abſynthio correctum, cremor tartari, ſal catharticum Angliæ, ol. Ferrarienſe contra peſtem, vulgo *del Caſtagna*, vomitorii aquarum potus.

OPHTALMIA NIVE CURATA.

ID propoſitum video a Ferrarienſi Medico Franciſco Juſtino, ut videre eſt in Miſcell. Curioſ. decur. ii. A x.

FORUM JULIUM

CELINA

ETiam Forojulienſes Medici non remoti ſunt a ſibi ipſis ſuadendo, poſſe humanam vitam ſubſiſtere ſine alimento. Hieronymus Naſcimbeni Medicus Celinenſis habuit præ manibus caſum, oppido rarum, egregiæ cujuſdam juvenculæ ex gente Roleta in Aviano, octo milliaribus a vico Celina, olim oppido Carnorum, remoto, quæ per quinque continuos menſes vitam protraxit abſque cibo, & quod mirandum eſt, etiam abſque potu; ſævientibus interim hyſterico-ſpaſmodico-convulſivis motibus, optimumque colorem vultus præſeferente, quod multis phyſicis argumentis aptus campus eſſe poteſt; ſed ab hujuſmodi labyrinthis facile calamum noſtrum extricamns, mittendo curioſos alio, ubi hanc materiam excuſſimus, tanto magis quod hæ ſunt res, quas aſſuetus ſum permittere, ut alii credant, ſi ita placet.

FORUM JULIUM

PLEURITIDES VERMINOSÆ.

CElebris vir Aloyſius Caſtelli Medicus Primarius in urbe Foro Julii, ad Natiſonem fluvium, quæ *Cividal di Friuli* dicitur, repetitis obſervationibus ſuis detexit morbum quaſi endemicum, & frequentem, ab enormi vermium collectione in primis viis productum, ita tamen, ut vellicatis paribus nervorum thoraci inſervientibus, proindeque indita diaphragmati noxa, & membranæ coſtas ſuccingenti, laterales dolores mentiatur, imo efficiat, cui Pleuritidis verminoſæ nomen dat; & procedit per curationem etiam ab aliis auctoribus expoſitam in inflammatoriis illis thoracis morbis, qui ab inferiori amurca pendent. Num vero in diagridio ſulphurato, & mercurio dulci tota illa fides ponenda ſit, quam Forojulienſis auctor habet, cordatis viris diſcutiendum relinquimus, cum ſententiam noſtram in tuto noſcendis anthelminticis alibi in hoc opere expoſuerimus.

UTINUM

V. C.

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

ANDREAS ROSSETTI

S. P. D.

UTinatem praxim medendi nihil, aut parum a Veneta diſſentire jam accepiſti, Amicorum optime; reliqua, quæ a me deſideras, nunc paucis expediam.

Civitas hæc, quam a primo meridiano quadraginta & ſex gradus, cum triginta fere ſcrupulis diſtare comperimus, in aperta ſedet planitie, media in urbe, colle modico, veluti umbone, aſſurgente, cui ædes prætoria magnifice incumbit, reliqua civitate circumquaque ſe diffundente. Ex hac undiquepatens proſpectus; etenim ad orientem Carnicas percipit Alpes, ad ſeptentrionem Julias. Qua vero occidentem ſpectat, Tarviſinum agrum; qua meridiem, Adriaticum ſinum attingit.

Ventorum hic frequens conflictus, ſe expoſitis a tergo montibus, & ex patente ante oculos mari prodeuntium. Hinc variabile cœlum, & raro conſtans æſtas, vel hyems. Ceterum aer ubique ſaluber, & purus, dempto qua mare hæc regio contingit; inibi quippe in humentes paludes effuſa, ſicuti in reliquis hujuſmodi plagis, nonniſi nocentes, & fœdas auras emittit.

Latices quoque fere ubique læti, ſanique, in

urbe

urbe vero non admodum. Plurimis in locis ex alto hauriuntur; hinc crudeſcentes, ſtomachum fatigant, & onerant; attamen non deſunt, quæ alvum mirifice proluant, ut ſunt Prampergicæ prope Glemonam, & quæ nuncupantur del Boſchetto *in agro Montis Falconis. Imo liberalis natura & balnea largita eſt. Aquæ ſulphureæ ſcatent apud S. Petrum in Carnia,* quibus accolæ ſuam ſcabiem detergunt, *ut ait V. C. Henricus Palladius Rerum Forojulienſium pag. 7. qui addit:* magno fortaſſis mortalium commodo, ad frigidos morbos debellandos earum uſum Medicorum curioſitas poſſet, aut deberet traducere.

Sed longe celebriora balnea illa, quæ in præfato Montis Falconis agro ab utriſque Pliniis commendantur. Poſita erant ad inſulas Claras prope fluenta Timavi, ut nunc; ſed ea ætate in inſula, modo in continenti, maris ope limum advehentis. Iſthuc frequens quondam concurſus: nunc vero (proh pudor) in ſo dibus jacent. Vidi olim ibi plurium fundamenta cellularum ægrotis non dubie inſervientium, & ingentes lateres inde tranſvectos in oppidum. Valvaſonus, Candidus, & Amaſæus ſcripſerunt prope hos fontes adinventum fuiſſe plumbeum canaliculum, in quo legebatur, AQUA DEI ET VITÆ. *Ea novo muro circumdedit, ſed fruſtra, Franciſcus Nanius Prætor Montis Falconis, ut docet lapis inibi affixus anno M.CCCC. XXXV. De his fontibus Plinius hæc habet libro 2. cap. 103.* Contra Timavi amnem inſula parva in mari eſt, cum fontibus calidis, qui pariter cum æſtu creſcunt, minuunturque. *Ita quoque nunc evenit. Et laudatus Palladius de eiſdem hæc ſcripſit pag. 14.* Juxta D. Antonii ædes, quam attingunt calidarum aquarum balnea ad frigidos depellendos affectus valida, iſchiadis præcipue, & articulorum doloribus ſaluberrima. *Sed quo hæc ſalubriora, eo perincioſior gurges ille, de quo idem Palladius pag. 11.* Prope fontes Liquetiæ gurges æſtate ita frigidus, ut pecudibus, atque hominibus potus æque mortem inferat. *Sed de aquis hactenus ſatis; nunc de vinis breviſſimus ſermo.*

Hæc ſane inter præſtantiora Italiæ locanda; ſed præcipue mihi recenſenda ſunt illa, quæ profert pluries jam laudatus ager Montis Falconis, utpote quæ vindicant hominem a lythiaſi morborum peſſimo. Conſtans inibi aſſertum eſt, neminem, qui tali potu perſeveranter uſus ſit, calculorum cruciatu hucuſque laboraſſe. Hoc vinum ita ſuperfluit illi agro, ut etiam Utinum, & Venetias advehatur diſtrahendum. Rarius, ſed ſapidius palato Pucinum, ad quod Livia Auguſti, teſte Plinio, octuaginta duos annos retulit acceptos. *Et reliquis vinis ſua laus, præſertim roſaceis, & pluribus aliis. Attamen in tanta copia vinorum, quibus fere tota ſcatet hæc regio, non deſunt, quę gutturi diſpliceant, & ſtomacho noceant*

A potu, ordine quamquam præpoſtero, ad eſcas tranſibo. Carnem vitulinam, ſique alibi, optimam e ſuis montibus Carnia tranſmittit; bubulina, ut delicatior, a Styria, & ab ipſa Hungaria petitur. Ad lautitiem vero, ut omittam vulgatiores aves, quales ſunt coturnices, ficedulæ, perdices, ruſticolæ, &c. etiam gallinæ montanæ, & rariſſimi atagenes menſis accedunt; nec deſunt apri, & cervi, capræ, & rupicapræ, & id genus multa.

Ne tamen videar animantia tantummodo jucunda proſequi, adjiciam & inviſa. Viperæ complures, & etiam amodites: colubri, & angues multi: contigit quoque ſtellionem vidiſſe. De ſalamandra hæc V. C. Matthiolus in lib. 2 Dioſcoridis cap. 55. Enne una ſpecie di acquatiche in Friuli, e principalmente nella città di Udine, in alcune foſſe piene d'acqua. Queſte hanno la teſta minore, e più tonda delle terreſtri, e la coda, come d'anguilla, la ſchiena per tutto nera, ed il corpo di ſotto gialliccio, tutto macchiato di roſſo, abominevoli alla viſta, non meno, che le terreſtri. *Et in hac re mirum profecto, quod refert ſæpe laudatus Palladius pag. 11, nempe in ſcopulo prope Aquileiam, cui nomen Barbanæ,* ſerpentes nec naſci, nec importatos vivere.

Nunc Botanicę accedam, maximo Medicinę adjumento. Nobili herbarum apparatu ornari Glemonenſem agrum, teſtis adeſt idem ſcriptor R. F. I. pag. 9, inter quas daucum reponit, Cretico (*ut ipſe ait*) non inferiorem. *Nec dubius hæreo, ubique Forojulienſium locorum nobiliſſimarum genituram herbarum ſuccreſcere, cum hoc cœlum, & ſolum ſuis productionibus varietate, & perfectione blande ſatis arrideant. Locupletem ſchedam herbarum in hac regione naſcentium exhibuit Botanicus probe peritus, quam brevitati conſulens, libens omitto.*

Quoniam vero & Medicos audire placet, qui in hac civitate ſua ingenia exercuere, accipe virorum magna nomina. Nec antiquos referam, ut ſunt Luiſini duo Utinenſes, ſcriptis etiam editis clari; ſuperlaudatus Palladius Hiſtoricus, & Jatrophyſicus ſimiliter Utinenſis; Joannes Fortis, Caſſianus, & alii; ſed tantum adducam, qui hac ætate floruere, ſcilicet Laurentium Languidis ex Caſtrofranco, Radium Comitem Madriſium Utinenſem, typis quoque illuſtrem, & Julium Coloſſis pariter Comitem, qui circiter quadraginta & ſex annos hic ſe Archiatrum geſſit. Hunc ego excepi, & adjutores habeo Thomam Matthiolum, celeberrimi Petri Andreæ ex fratre pronepotem, & Alphonſum Bellogradum, qui Medicam mecum operam impigre, & peritiſſime navant. Chirurgiam Philippus, & Angelus ambo fratres Paroni, una cum aliis pluribus laudatiſſime exercent.

Hæc ſcripſi, ut Tibi facerem ſatis. Ceterum, ut quam longiſſime valeas, rogo.

Utino Idibus Auguſti
Anno Sal. 1744.

GENUA

GENUA

MORBORUM ORIGO.

MAtthæus Giorgi præſtantiſſimus apud Genuenſes Medicus, ab aere præcipuam morborum cauſam deſumit, eoque nocivo reddito, vel a *cœleſtium corporum influxibus*, vel a *ſubſtrato ſolo*, vel ab ambobus; proindeque, ut rem explicet, inquirit in ingeſta, in atmoſphæræ preſſionem, inque circularem, & inteſtinum ſanguinis motum vitiatum, quæ nos mittimus, dum Philiatri videre poterunt alibi jam exarata in Inſtitutionibus ſuis, Pathologia, Semiotica, &c.

EPIDEMIA GENUENSIS.

ANno 1709. febres acutas puncticulares, multis phœnomenis ſtipatas, cum enormi inſuper vermium tumultu, curatas idem auctor feliciter refert *oleo dulci olivarum ad ℥ ij. circiter ſingulis diebus exhibito*. Tenſionem vero hypochondrii dexteri amovit frictionibus calaminthi.

FEBRIS.

FEbris originem, & ſymptomata explicat, multaque ſumit a Laurentio Bellini, in quibus non diverto, quia mihi non ſatisfaciunt; cum adhuc genuinam febris cauſam ipſe ſcire deſiderem.

VARIOLÆ.

VAriolas dividit in *depurativas*, & *corruptivas;* primas ſolo victus regimine curatas; ſecundas interdum lethales, ſed præſertim in principio. Quæſtio erit, quomodo una ab altera dignoſci debeat, ut recte incedamus.

VESICANTIA.

MIhi arrident cautelæ a præſtantiſſimo Giorgi propoſitæ circa adminiſtrationem veſicantium, in quam plurimi Profeſſores ſunt nimis præcipites. Ideo Genuenſe dogma velim maneret alta mente repoſitum, præſertim in notatis a docto viro circumſtantiis.

AQUA.

AQuæ potum probo, præſertim poſt venæ ſectionem exhibitum, corpore ad quietem compoſito. Poteſt eſſe, ut aqua humectans, & refrigerans juvando ſubeat vacuum, & interſtitia, quæ ſanguis exiens dereliquit.

(1) Urbs tamen ſedet in planitie ad Rutulam amnem.

STOMACHICA.

ELeoſaccharum citri, nux myriſtica, aqua theriacalis, lac cinamomi, conſerva roſarum rubearum, ſal abſynthii, cum ſucco limonii, oleum juniperi.

CATHARSIS VOMITUS.

ETiam abſente febri, catharſim, & vomitum ſuſpectum habet Genuenſis vir: quod vadum ut ſollicito pede tranſeamus, mittemus Philiatros ad videnda, quæ ſcripſimus de uſu purgantium in aere Brixiano.

CLARISSIMO VIRO

PETRO FRANCISCO PIZZORNI

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

QUantum homo hominem poteſt, precor, ut mihi referas, num Dominus Marcus Antonius Perſico Venetus, nunc Genuæ morans, tradiderit tomum Hiſtoriarum Morborum, quem Tibi ſoli dono dandum anno uſque elapſo miſeram, quemque per muliones jam accepiſſe peculiari epiſtola mihi data teſtatus eſt. Id feci, ut morem gererem, & conſtaret, quanti Te faciam, atque ut promiſſo favori circa ornandam ſcriptis etiam tuis Editionem noſtram via quodammodo ſterneretur. At neſcio quo fato, poſt primas litteras, idem Perſico a me pluries excitatus, nec rationem de libro reddidit, multoque minus reſpondere dignatus eſt. Hoc me vexat, & angebit etiam in poſterum, uſque dum Tu ab hoc labyrintho me erues, & tandem officiis comiter acceptis, propenſam in nos animi tui voluntatem ſignificabis. Vale.

Brixiæ 28. Novembris 1745.

ALBINGAUNUM

URBS LIGURIÆ LITTORALIS.

FEBRES ACUTÆ VERMINOSÆ.

INibi viſæ (1) a Giorgi anno 1679. cum hac obſervatione notatu digniſſima, curationem abſque purgatione felicius eveniſſe, quando e contra vermium exitus videtur neceſſarius.

CHA-

CHALYBS.

LAudes chalybi porrectæ probandæ; nec obſtamus, aliquando etiam abſque ſenſibili expurgatione utiles effectus produxiſſe; ſed in hoc parcat Giorgi, aut ſui Genuenſes aſſeclæ, ſi omnimode non aſſentior: quia in bona praxi vidi Medicos collegas meos optimi nominis ſemper ſollicitos, ut tranſiret, præcipue quando in morbis mulierum ad tollendam chloroſim exhibetur; alioquin non prodeſt, & aliqua præjudicia pertimeſcenda ſunt.

DENTIUM DOLOR.

DEntium dolorem tollit radix juſquiami in aceto cocta, ſi in ore detineatur.

FEBRIFUGA.

CAlamandra, nipitella, quinquefolium, ſuccus abſynthii, gentiana, imperatoria, centaurea.

DYSENTERIÆ, DIARRHŒÆ.

FEliciter curatas ait idem Giorgi, medio amygdalarum dulcium ſucco, necnon olivarum, multoſque caſus refert, quibus hoc ſuum ſyſtema comprobatur; quæ omnia laconice ſaltem memorari voluimus, ut quiſque excerpendo delibet, quod lubet.

ISTRIA

EPIDEMICA MORBORUM CONSTITUTIO, QUÆ IN PROVINCIA ISTRIÆ ANNO M. DCC. XVI. GRASSATA EST.

IN parte olim Galliæ Tranſpadanæ, Liburnis, & illis locis finitima, Iſtria ſcilicet, Praxi Medicæ utiliter addictus Hieronymus Gaſpari celeberrimi Valliſnerii diſcipulus notam Patriæ, ſuiſque Veronenſibus concivibus facere voluit morboſam viciſſitudinem, quam paſſa fuerat commiſſa ſibi provincia, ut nunquam interituro teſtimonio de ambabus, necnon de tota Medica republica bene mereretur. (1)

Ait in primis, toto autumno pluiſſe, & auſtrum ſufflaſſe, vina fuiſſe acerba, & Januario in nobilibus ſubtus aures, & fauces lymphaticos tumores ſuccreviſſe, ſub nomine *galtoni*, *ſcrophularum*, & *parotidum*, minus tamen ſenibus nocivorum, quod etiam in aliis bene multis epidemiis etiam hoc in Opere notavimus.

Augebatur malum a mutatis lunæ phaſibus, a nivibus, a frigore, poſt quæ, febris, præcedente algore, ſurgebat cum capitis dolore, & pſeudodelirio, tandem lethargo, etiam extra urbes in ruſticis, qui *Morlacchi* vulgo dicuntur. Septima pondus in teſtibus augebatur, in eodem præcipue latere, ubi tumor colli præceſſerat.

CURATIO

PRomovebatur aliquo lenienti medicamine, ſanguiniſque extractione, necnon veſicantibus; quæ tamen omnia, cum parum utilia viderentur, opus ſuſceptum ſolis laxantibus, ſecando ſolum venam in illis, in quibus ſuppreſſio alicujus inſignis evacuationis ſanguinis imminutionem indicabat; mox additis clyſteribus, balneis, & alterantibus ex carduo ſancto, meliſſa, agrimonia, parietaria, capillis Veneris, pulveribus abſorbentibus, & ſale prunellæ.

HERBA APARINE.

TOtumque pertentandæ reſolutionis opus, ad tumefactam gulam quod ſpectat, ponunt Iſtri populi in virtute, & viribus cujuſdam herbæ *Aparine* dictæ, atque ab ipſo clariſſimo Gaſpari (2) ſummis laudibus probatæ, adeo ut miraculi inſtar ſe gerat in reſolvendis ſcrophulis (3) ipſis non ſolum, ſed multis aliis morbis, & præcipue in teſtium tumore.

ISTRÆ EPIDEMIÆ EFFECTUS, ET CURATIO.

POſt accidentales occaſione epidemicæ conſtitutionis ad teſtes decubitus, tractu temporis dureſcentibus intra ſcroti tunicas, & latebras gelatiformibus ichoribus, & omni emplaſtrorum adminiſtratione cedere neſciis, invaleſcente jam ſcirrhoſæ, aut carnoſæ herniæ timore, opus demandabatur Græcis lithothomis circulatoribus, qui dextera alioquin manu viros eximebant.

VERMES CUTANEI ISTRORUM VULGO *MORLACCHI*.

MUlti vermes ſubtus cutem reperti, & vi quadam expreſſi ab Iſtro ruſtico clariſmo Gaſpari exhibiti ſunt, ut lucem ab oculari inſpectione mutuaret, modumque curationis docere poſſet. Sique verum eſt, multos alios eadem ægritudine teneri, profecto affirmare cum eo-

X x

(1) Nuove, ed erudite Oſſervazioni Storiche, Mediche, e Naturali, dedicate a' ſuoi Concittadini di Verona.

(1) Pag. 19. & 20.

(3) Pro quibus tamen debellandis Iſtri Ruſtici ſuis medullam adhibebant.

eodem debemus eſſe morbum peculiarem illius regionis, cujus cauſa, & curandi modus non tam facilis explicatu eſt.

Hæſitari ulterius poſſet, num admiſſa veritate facti latentium vermium, lente violata ab aliquo inſecto cute, externe ovulum ſit adactum, num autem media ciborum congeſtione in ſanguinem derivatum: ſed hæc ſunt dubia relinquenda Philiatris, & occultæ in rebus ſuis naturæ ſcrutatoribus. Ad rem noſtram (ſola enim remedia, & methodum curandi quærimus, quæ hominem reſtituunt) contenti adnotare modum, quo ægri a vivente morbo ſe extricare poſſint.

Ille autem fuit, ut ſordidus vivendi ordo derelinqueretur, ut nocte ſe exuerent, & induſia, veſteſque innovarentur, & ſoli expoſitæ, vario modo compreſſæ, exprimerentur, ut aqua ſulphurea *Grotta di S. Stefano* (1) corpus frequenter abluerent (2)

FONS AQUÆ VENENOSÆ.

TOta Iſtra provincia admodum fertilis, eſt partim plana, partim montibus, & vallibus diſtributa, ubi inſuper adſunt plurima ſubterranea antra. Referunt tamen in Iſtræ Venetæ finitimis locis, Iſtriæ Imperiali proximis, adeſſe fontem, cujus aquæ epotæ dolores, mortemque ipſam inferunt: de quo tamen tutior veritas quærenda eſt.

ISTRIA
A PESTE IMMUNIS.

HÆreo, dubitoque, an credam, quæ de Iſtria exponit celeberrimus Lindeſtolpe (3), ſcilicet halitus mercuriales acidos ex fodinis, quibus regio illa abundat, erumpentes, terras etiam propinquas a peſte præſervare; quandoquidem non omnes aeres expurgare poſſunt, atque illi ipſi, qui in fodinis laborant, facilius quam alii ægrotant.

LIVIACUM

LIviaci in ditione Veneta oppidi (quod nonnulli Ligniacenſe dicunt) tota, aut quaſi tota Medicina optime ſumi poteſt a documentis ad publicum bonum editis a civili inibi oppidano Carolo Gianella, non minus quando Venetiis typis anno 1732. quoddam Medicinæ ſpecimen exhibuit, quam tunc cum maturum, limatumque opus (4) ſuæ Patriæ, ſuiſque Civibus dicavit.

UTILITAS
IN POPULUM LIVIACENSEM
DERIVATA.

QUamvis regio illa non multum diſtet a ſcientiarum omnium matrice Patavio; & Ligniacenſes Medici, ſuorum Magiſtrorum documenta exequendo, ſuo muneri ſatisfaciant; & inſuper loqui de Medicina Veneti cœli idem ſit, ac de Ligniacenſi diſſerere; nihilo tamen minus fieri etiam poteſt, ut aliquando Medicus aliunde veniens Artem ibi exerceat: atque etiam, ut peculiaris illius caſtelli, & ſubjectorum agrorum ſitus aliquid peculiare requirat, aut indicet, quod ſolummodo a bonis obſervatoribus noſci, & illuſtrari poteſt ad ceterorum utilitatem tanto magis, quando agendi fundamenta ab ipſa morbidorum hominum tractatione deſumuntur. Idcirco cum egregius, doctuſque Carolus Gianella, clari nominis Medico Joſepho Panzani ſuffectus, & militari adſtiterit præſidio, & ſuburbanos, finitimoſque locos felicibus curationibus peragraverit, multam meretur fidem, ſuaque effata maxime probanda eſſe cenſemus.

Arridet etiam diſtributio morborum, quam vellem legerent illi, qui omnes eodem calceo metiuntur. Veriſſimum in Praxi eſt, morbos non ſemper per gradus perſeverare, ſed immutari, & ſibi invicem ſuccedere, præcipueque ab animo ad materiale corpus, & vice verſa triſtes ataxias reciprocare.

Iræ motum in humidis temperamentis fuiſſe utilem, & talem eſſe etiam in aliis ipſe cum Ligniacenſi Profeſſore confirmo, & juncte laudo ipſa, quæ docent Medicinæ proceres, ſcilicet non parva eſſe in humano corpore emolumenta a bile producta, adeo ut inter bona, & mala a bile pendentia, difficile admodum ſit loqui de ægroto, quin bilis nominetur.

MANTUA

Ibi Scribente

VIRO CLARISSIMO

JOSEPHO PICHI.

I*N ſatis humili loco, & in ſinu lacus a prætereunte Mincio efformati ſedet urbs Mantuæ*

(1) Optima etiam in ſcabie, in nervorum debilitate, necnon juncturarum doloribus.

(2) Sub nomine Sironum, & Comedonum, quos Germani vocant *Seuren, Miteſſer*, veniunt etiam vermes ſubcutanei infantum, qui, præter Iſtriam, aliis etiam in regionibus viſi ſunt. De quo conſulendus Georgius Hieronymus Velſchius, in Exercitatione de vermiculis infantum capillaribus.

(3) de Venenis. Theſ. 27. pag. 825.

(4) Patavii. Ex Typographia Seminarii 1742.

tuæ, quam circumdant ſtagnantes aquæ, juncos, arundines, & paluſtres herbas fere undique præſeferentes, temporibus veris, & æſtatis innumerabilium inſectorum diverſæ admodum ſpeciei catervas ſuo depoſitis tempore exuviis, in volatiles renaſcentes, facile videre eſt, quibus una cum ſtagnantibus aquis putreſcentibus, aer, circa veſperas præcipue, ingrato odore coinquinatur, propter quod ignava, ac languida redditur atmoſphæra, & elatere deſtituta, ut aiunt Ramazzin. & Hoffman. non inſervit ſanguinis, & humorum intimæ expanſioni, ſed fibrarum tonus relaxatur, ipſæque flaccidæ fiunt, unde progreſſio, & circulatio ſanguinis debilitatur; ex cujus tardiori motu ſecretiones, & excretiones lenteſcunt, & inde multi humores impuri in corpore cumulantur. Nil mirum igitur, ſi in tali aeris, & loci craſſa, & humida conſtitutione, peculiares oriantur morbi, chloroſes nimirum, cachexiæ, & viſcerum obſtructiones, iis præſertim, qui novi hic fiunt incolæ, niſi exacte in victus ratione ſe gerant; e contra vero, qui eam diligenter obſervant, juxta regulas a Lanciſio in ſuo Tractatu de noxiis paludum effluviis præſcriptas, a morbis ſimilibus immunes evadunt. Pernicioſiſſimæ aliquando inſurgunt æſtate, & autumno febres tertianæ, quas illico, prætermiſſis etiam quibuſcumque evacuationibus, Peruvianus cortex expellit, ſi hic in magna doſi (ſex etenim drachmæ, ut olim, & in benignis febribus, hodie non ſufficiunt), nempe ad drachmas octo, vel decem exhibeatur, duodecim, aut quatuordecim horas ante gravioris paroxyſmi ingreſſum, epicratice propinatus fuerit. Cum vero febres iſtæ periodicæ inducias præſtent, nec pernicioſæ ſint, ab evacuantibus, phlebotomia nimirum, & catharſi curationis initium ſumitur. Recidivant non pauci ex hujuſmodi febricitantibus autumni tempore, uſque fere ad ſubſequens hyemale ſolſtitium, maxime, ſi neglectis, aut omiſſis ſupradictis evacuationibus, cito nimis ad uſum febrifugi corticis deventum fuerit; quos tandem aut emeticum ex ipecacuanha, aut ſolutivum ex infuſo ſennæ ſæpe repetitum, aut rhabarbari quotidianus uſus perfecte in ſalutem reſtituit, quam inde confirmant martialia, vinum nempe chalybeatum, aut tinctura martis tartariſata. Martialia hæc feliciorem præſtant effectum in affectionibus chronicis, menſium ſuppreſſione, aut imminutione, in morbis cachecticis, & hypochondriacis, flatulentis, & ſimilibus, inter quæ limatura ferri in prandio ſumpta, vel ſummo mane, palmam præ ceteris obtinere obſervatur. Rheumatiſmum, & affectiones rheumaticas, dummodo revera tales ſint, ſola phlebotomia pluries repetita curamus, nullo alio præſtito ſubſidio, quam a vino abſtinentia, & frequentibus aquæ cum nitro purificato compotationibus, quas aut copioſa diureſis, aut non levis ſudor cum euphoria ſubſequitur.

Morbus endemius urbis hujus (qui forſan ſolus) eſt febris lypiria, continua nempe, cum inflammatione viſcerum interiorum eryſipelacea, ubi interna veluti uruntur, externa vero frigent, & ſitis adeſt intenſa, quæ lethalis. Non ita, quæ cum periodica complicatur, ſi minus feralibus ſymtomatibus ſtipata: hanc enim utplurimum curat ſollicita corticis chinæchinæ, cum diaphoreticis, & nitratis immixti exhibitio, & veſicantium plurium ad coxas, & humeros applicatio, quorum uſus hic, ratione forſan ſalis cantharidum coagulationes, & lentorem humorum deſtruentis, valde & familiaris, & proficuus; ab ipſis vero abſtinemus in malignis febribus, & aliis morbis a ſanguinis, & humorum diſſolutione pendentibus, qui tamen rariſſime hic occurrere ſolent. Non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores maxime inſerviunt ad prophilaxim omnium pene morborum, eorum præcipue, qui a lentore, & craſſitie humorum dependere putantur, ut in Cœnobiis, tam virorum, quam mulierum facile videre eſt; ibi enim in utroque ſexu rariores, & leviores ſunt morbi, & utplurimum ad ultimum uſque ſenium cum morte vita permutatur. Et hæc ſunt quæ ſpecifice contingunt ſub Mantuano cœlo, quod inſalubre magis eſt latrante ſirio, & ſubſequente menſe Septembri, maxime ſi, tali tempore, aquarum in Mincio inopia, & ſicca tempeſtas ſuperveniant. Reliqua cum proximis urbibus communia ſunt.

MEDIOLANUM

DE MEDICINÆ ORTU, ET PROGRESSU.

SI labente uſque ſæculo undecimo Joannes de Mediolano, nomine Scholæ Salernitanæ, tractatum de conſervanda valetudine edidit (1), tunc cum Robertus Dux Normandiæ, ex bello Paleſtinæ redux, & verſus Anglici Regni coronamentum velificans, ad Salerni ripam appulit: ſi referente doctiſſimo viro, Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto Joſeph Antonio Saxio (2), *Inſigne Medicorum Collegium, ignota prorſus origine, in Mediolanenſi urbe inſtitutum, a vetuſtiſſimis retro temporibus ad noſtram uſque ætatem integra ſemper doctrinæ, ac nobilitatis laude viguit*: ſi denique anno 1362, ut admonet Joſeph Ripamonte (3), *domeſtica diſciplina, Academia fundata, apertaque ad Ticinum fuit*; accitis ad docendum Patavinis, & Bononienſibus Profeſſoribus, mira non videbuntur, imo rata, & firma accipientur a circumſpectis licet Artis noſtræ cultoribus, quæ doctiſſime, & graphice exponuntur a Bartholomæo Curtio in ſua Clariorum Mediolanenſium Medicorum Hiſtoria, ubi perennem Patriæ ſuæ felicitatem deſcribit, ob tot cordatiſſimos in Apollinea ſcientia viros, qui per nunquam interruptam ſe-

(1) Zacharias Sylvius in Præf. cap. 3.
(2) De Studiis Litterariis Mediolanenſium antiq. & nov.
(3) Hiſtoria Mediolani dec. 3. lib. 2.

riem, & ſcriptis, & rebus ad publicam commoditatem geſtis laudem meruerunt. Quin igitur famigeratiſſimi viri, & amici, dum viveret, noſtri, hiſtoricum opus repaſtinando, Italicorum ingeniorum fœtus, & inventa in medium promoveam, & quin cum Jacobo Midendorp (1) *Italiam Provinciarum Reginam*, *& Matrem* vocans, obtentos a Mediolanenſibus Medicis honores referam, tunc cum ſuggeſtus in primariis Archilyceis conſcenderunt, aut quando Ducalibus, & Regiis diplomatibus a Principibus, & Monarchis decorati fuere: id unum dicam, avorum virtutes, & promerita feliciſſima inſitione in ſeros nepotes propagata fuiſſe, ideoque & in præſens non deficere, imo florere Artem Medicam, & Artifices Nobiliſſimos, qui ſplendidiſſimæ metropolis incolumitatem tutantur.

PRÆSENS MEDENDI METHODUS MEDICORUM MEDIOLANENSIUM.

ANno uſque 1720, quando ipſe Medicinam in primo limine ſalutaram, ex Taurinorum Auguſta redux, ad aliquod tempus Mediolani moram duxi, ibique in Magnatis, & in popularibus medendi methodum ſubolui, tam a ſupradicto Bartholomæo Curtio, qui intercedentibus clariſſimi Valliſnerii Præceptoris mei litteris, ſumma benevolentia me proſequebatur, donoque mihi propriis manibus tradidit libellum tunc editum de Peſte fortaſſe a vermibus producta, quam a doctiſſimo in praxi viro Alexandro Sacco, quocum jam antea ob finitimorum prædiorum communem in Valleſaxina, diſtrictus Mediolanenſis ditionem, familiaris jam intererat conſuetudo.

BARTHOLOMÆUS CURTIUS

ADmodum circumſpectus in medendo erat, ſimplicitatis amans, in remediis parcus, in obſervationibus diligens, in examine pulſuum nemini ſecundus. A catharticis fortioribus abſtinebat, lenientia iterabat; & quamvis honeſtiſſimæ eſſet morum ſuavitatis, omniaque, quæ ad uſum, Artemque ſpectant ſumma cum humanitate tractaret, atque porrigeret, nihilominus multoties illum audivi invehentem contra damnantes miſſionem ſanguinis. Lis enim erat, ſuper quam libellum conſcripſerat, fortaſſe nondum dirempta.

ALEXANDER SACCUS

ALexander vero Saccus interdum me ſecum admiſit, Magnatum turres, pauperumque tabernas inſpeximus. In majori tamen raræ ſtructuræ Xenodochio, ubi ex primariis Medicus erat, prima vice riſum tenere non potuit, quando poſt factam viſitationem a me reſponſum habuit, ne verbum quidem de præſcriptis remediis intellexiſſe. Inibi ſiquidem jam factæ proſtant plurimæ præparationes magiſtrales ad facilitatem Medicorum præſcribentium, ad commodum Pharmacopolarum præparantium, ideoque uno verbo medicina notatur, quæ in ſchedula, & officina prænoſcenda erat. De cetero, mirabile dictu eſt, quomodo viſis per momentum ægrotis, raro ingenii acumine, totam veluti Artem ictu oculi percurreret, & dictaret, quæ eſſent facienda. Erat inſuper in agendo expeditus, & remediis fidem habens, eadem reſolute adhibebat.

CAROLUS ANTONIUS ALIDIUS

DUm ſcribo, dono accipio *Somnia Medica varia doctrina referta* a Carolo Antonio Alidio Profeſſore nunc doctiſſimo Mediolanenſi, ubi præcipue agitur de ſanguinis miſſione in morbillis, & variolis; de portentoſa corporis convulſione in forti muliere, oleo ſuccini, & ſpiritu fuliginis curata; de vermibus per urinam excretis; de damnis chinachina ſibi ipſi illatis, & docente Romano Hippocrate curatis. Plura inſuper cum eodem, anno præſertim 1741, aliiſque magnæ urbis Medicis ſapientiſſimis conſilia oretenus habui, ex quibus, quid morbida facta Mediolanenſium natura ferat, quid, quomodo ars opem ferre poſſit, jam ſatis luſtravi. Si vero aliquis ſurgeret, aiens: Roncalle mi, ſi luſtraſti, ſi noſtros ſcriptores volviſti, ſi aerem, loca, mores mentis acie perpendens, cucurriſti, quomodo Mediolanenſibus medereris? Pareo; ita tamen, ut res abſolutæ, & perfectæ non expectentur. Quandoquidem, ſi pro uno ægro integer liber non ſufficeret, ita pro omnibus multo minus pagella ſatis erit. In abſtracto loquor. Docere non ſumo. Conſulere, & venerari glorior patrios inibi Profeſſores, qui ſeligenda amplectentur, mittent exſibilanda.

AUCTORIS METHODUS MEDENDI MEDIOLANENSIBUS

CArisſimi Mediolanenſes, *Vos convivia lauta ſumptuoſe de die facitis*, aiebat olim Cicero (2); ergo purganda (3) corpora ſunt; ergo ſanguis mittendus eſt. Vix enim de omnibus, & ſingulis ægris agitur, quin Clinici ſententiam illam canant: a ventriculo, & primis viis morbi ſemen in ſanguinem repit: ab univerſo corpore excrementitii ichores neceſſe eſt, ut critice ad inteſtina ferantur, ſi æger debet convaleſcere. Si hęc in Arte noſtra ſunt axiomata, leges ab omnibus fere

(1) In Epiſt. dedic. de Acad.
(2) Cap. 19.
(3) Juxta illud Thomæ Bartholini: *Nullis purgantibus opus eſſe, ſi ſobrie vivamus, & ſpreto externo luxu, ſecundum naturæ legem, patrio alimento, & vivendi genere contenti ſimus. Ingluvies enim illa, qua multi fatigantur, onerat ſtomachum, & copiam excrementorum cumulat, quæ per purgantia deinde educi debent.*

fere ſectis probatæ, & ſucceſſiva temporum catena in probabili, prope certitudinem poſitæ, quomodo curari poterit æger, non dempta catharticis plenitudine, ſi in primis viis materia turget, quomodo non dempto ſanguine, ſi vaſa repleta ſunt? Quod vero ab enarrata cauſa hæc non debeant contingere, credat qui velit; ita tamen operationes dirigendo, ut ſi adeſt pulſus durus, tardus, intermittens; ſi oculi, vel genæ rubent, ſi dolor, ſi vigiliæ futuram, vel proximam inflammationem portendunt, a ſanguine incipiendum ſit. Sin vero tempus adſit, & anorexia, vomitus, borborygmi ſaburram in inteſtinali tubo, & meſentericis viis latere demonſtrent, a cathartico.

Nec formidandus Hippocratis aphoriſmus: *Concocta medicare*; quia intelligendus eſt in progreſſu morbi, tranſactis primis diebus, ubi concoctiones expectandæ. Et alibi etiam dixit Cous: *Si in principio quid videtur movendum, move*. Mihi credite Tyrones: illico affatim igni ligna ſubtrahite. De cetero, quaſi dixerim, a remediis, ad aliquod ſaltem tempus quieſcite, & ſinite, ut agat natura.

ANIMADVERSIO CIRCA PURGANTIA, ET CETERA REMEDIA IN AERE MEDIOLANENSI.

ILlud inſuper eſſe debet ante Medici Profeſſoris oculos, ut ſcilicet pateat, & quantum fieri poteſt, cognita ſit idioſyncriſia, hoc eſt ſingularis medicandorum ægrorum in ſolidis conſtitutio. Quandoquidem ſi bene rem tetigero, mihi viſi ſunt Mediolanenſes ad fibræ laxitatem proclives, atque delicatioribus, mollibuſque organis inſtructi, in quibus neque lenientia, laxantia, humectantia, tam optima ſunt, neque violentiſſima, vique ſtimuli agentia laudanda veniunt. Itaque media via eundum, ſed ſuper omnia, illa cathartica ſeligenda ſunt, quæ ſolvant, & tranſeant, ſi illico; moveant, & aperiant, ſi per epicraſim corpora purganda ſunt; ſed utraque poſt actum robur ſolidis concilient, & elaſticitatem in toto inteſtinalium, finitimarumque glandularum ordine promoveant. Hæc erunt ſal Anglicum amarum, maſtich, ſenna, rhabarbarum, aqua Tetutiana, ſaccharum roſatum, tamarindi, vina medicata, aſarum, polypodium, myrabolani, hermodactyli, magneſia alba, tartarum ſolubile.

In morbis chronicis, hoc eſt, melancholicis, & hypochondriacis virorum, necnon hyſtericis mulierum, chalybs diverſimode, nunc cum purgantibus, nunc ſine, præparatus, erit anchora ſacra: dummodo ſanari velint, ſe ægrotos non ſomnient, & ſalutem in ſemetipſis quærant.

IN LUE VENEREA, QUID AGENDUM.

IN curatione luis venereæ abſtineant a mercurio, ſi fieri poteſt. Ob ſupradictam enim in fibris laxitatem, enormes fieri poſſunt ex ſolutis, & bacchantibus lymphis, metaſtaſes, glandularum extenſiones, & rupturæ, quæ dein coire, & ſibi invicem ſolidari non poſſint. Videantur potius tot remedia in Hiſtoriis Morborum a nobis indicata, ſi in aere illo aliqua prodeſſe poſſent. Sed ſuper omnia ſeligatur aqua ſtibina, magnum etiam ut ibi opus eſt, fibrarum omnium inſtaurativum.

AQUA STIBINA QUOS MORBOS CURARE POSSIT

UTiliſſima pariter erit in arthritide, podagra, (cui, ſi vera ſunt, quæ ſcribit Andreas Laurentius Gallus auctor magni nominis, Mediolanenſes obnoxii ſunt) & defluxionibus omnibus; proderit in pinguedinoſis, in plethoricis, in obſtructionibus, in crurum plagis, in bronchocele, in vulneribus, in herpete, in ſcabie, in impetigine, & ſalſo ſanguinis inquinamento, ſi diluta efficietur, & parvo ſtibio confecta.

PRO TUENDA VALETUDINE CONSILIUM.

COnſulerem denique Mediolanenſibus, ut nimis frequentem, & in die repetitum ſuccolatæ uſum aliquando interdicerent; ut tenue interdum juſculum, ſcilicet parvæ pullæ, pro cœna ſufficeret, ut ſummo mane expergefacti, coronatum craterem aquæ fontis potarent, ſi lubet, tepidiuſculæ, in qua ſoluta fuerit conſerva cynorrhodii, aut rob ribes.

Ut non ſemper rheda veherentur, ſed pedibus motui indulgerent; ut vini ſelectum perpenderent; ut a morbo acuto egreſſi, aut convaleſcentes, aut chronicum pertimeſcentes, illico de mutando aere cogitarent, & ad Pedemontana diverterent.

CHINACHINA UTRUM ADMINISTRANDA SIT

NEque eſſem alienus ab adhibenda chinachina, tempore præcipue veris, & æſtatis, executa tamen lege jam præſcripta, hoc eſt, evacuato primum corpore ab infarctibus primarum viarum, clyſteribus, & cathartico. Sed non in omnibus tumultuarie febribus id pertentatum vellem, verum in illis tantummodo, quæ aſſuetę ſunt parere febrifugo, quæque penitus, aut quaſi penitus intermittunt, quamvis paroxyſmi in ſuo vigore violentiſſimi ſint, & videantur.

EPI-

EPISTOLA, UBI IMPROBATUR USUS MATRONARUM MEDIOLANENSIUM NON LACTANDI INFANTES SUOS, ET AGITUR DE BRONCHOCELE MORBO ENDEMICO MONTANARUM VALLIUM IN AGRO BRIXIANO

VIRO CLARISSIMO

ANTONIO ROSSI

Marci Fuſcareni Divi Marci Procuratoris, & in Taurinenſi urbe apud Regem Sardiniæ, &c. Oratoris Veneti, Medico Doctiſſimo

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P.

AB humaniſſimis litteris tuis Mediolano datis, libenter intellexi Nobiliſſimam Mulierem Marchioniſſam Margaritam Serponti, ex Durina natam Gente, a perdifficili morbo, niſi penitus elapſam, ſaltem melius ſe habere; ideoque & valere, & poſſe e lecto ſurgere, dextero tamen ſemper reſervato crure, ſemperque inter plumaceos compoſito, quouſque non conſtet de tuta antiquæ plagæ ſupra dexteram tibiam conglutinatione. Quia vero præter ea, quæ tibi in domo Comitis Joannis Mariæ Mazzuchelli Brixiæ coram dixi, illo ſcilicet felici momento, quo amicitiæ tecum fœdus inivi, nonnulla ab eximia Patiente, in tranſitu tuo per Mediolanum, me ſuadente, audiviſti, alia in affecto crure obſervaſti: ſine quæſo, ut tantillum ab epiſtolæ limitibus divertamus, certior ut fias, quæ cauſa, quæ circumſtantiæ, quæque ſymptomata tanti morbi fuerint, ut tibi, ob Patientis merita, anxio, & ſollicito, clare conſtent rationes, cur ægrotaverit, curque ego illam curandi methodum præſcripſerim.

Sicuti propterea ſumma, eaque prudens perſpicacitas tua, ictu oculi, calidam, humidamque temperiem, cum pallidulo vultus colore perſcrutata erit, ita fortaſſe non callebit Mediolanenſem damnabilem morem Principum præcipue Matronarum, puerperii tempore, lac infantibus ſuis non præbendi, metu ne mammæ flacceſcant, corpuſque cum pulchritudinis læſione extenuetur, matribus puerperarum interdum ipſis, elegantiæ filiarum zelotypis, id ſuadentibus. Quo ſane uſu decepta & Patiens noſtra, poſt editam ſecundam fœmellam in adoleſcentiæ flore, aut repercuſſo, aut non allecto ad ubera lacte, eodemque in viſcera adacto, magis quam antea nutriri, carneſque tumeſcere viſæ ſunt, adeo ut ex chyloſo-lacteis hiſce additamentis ſemper magis aucta ſanguinis unda, & hac illac compreſſis non minus venis, quam arteriis, extremiſque ad cutem ipſarum productionibus, ruber magis & in genis color auctæ nutritioni junctum decorem, & optimam incolumitatem præſeferret.

At accedente autumno 1740. virilibus, levibuſque indumentis veſtita, ſuper ſuccuſſatorem, corpus quaſſando, equitans, & Mediolanenſem agrum percurrens, cum perveniſſet ad territorium Leuci, ubi hadrocori quidem inhabitant, & meridionalis plaga viget, ut jam olim diximus in Tractatu de Aquis Coldoni (1), ſed interdum etiam aquilonares venti a valle Ballabii deſcendunt, algida primum febri corripitur, mox incrementum ſumit, corpus ſiccatur, ſitis urget, fames abit, ſtomachi languores, jectigationes, vigiliæ, tuſſis, lateralis dolor, lingua aſpera Nobiliſſimam Patientem vexare non deſinunt.

Quibus cauſis una & effectibus occurrere conniſus quidem eſt Joannes Baptiſta Paſtorinus Leuci, & proximæ ditionis ſapiens Medicus, necnon Mediolanenſis clariſſimus Profeſſor Jacobus Antonius Molina: ſed morbi decima octava ſemper magis ingraveſcentibus contumacis ægritudinis ſymptomatibus, dum ipſe Aquatem advocor ad inviſendum egregium virum Ferdinandum Tartarum Juriſconſultum celeberrimum chiragra tophacea laborantem, en juſſus Illuſtriſſimi Marchionis Joannis Georgii Serponti accedunt, ut conſultatio cum adſtantibus Medicis a nobis in Germanedo prope ægrotam inſtituatur. Neque vero tibi, Antoni doctiſſime, recinam ea omnia, quæ dicta, aut facienda propoſuimus, in caſu morbi difficilis curationis, febris ſcilicet per eſſentiam continuæ, acutæ, & malignantis naturæ, cum exili pulſu, ſumma virium proſtratione, ſputis ex pectore obſcuris, & præter viſcidam inteſtinorum amurcam, bili etiam ſummum dominante. Verum duo mihi minime mittenda videntur. Primum nempe, morbi præcipua quæ fuerit cauſa: ſecundum, quibus remediis miteſcere cœperit.

Solum lac, idque abundans in vaſis, in viſceribus, inque omni glandularum, & utriculorum genere coacervatum tanti mali cauſa fuit. An acidus ejuſdem genius ad coagulationem; an corruptæ, forſanque pejores, quia prius optimæ, illius qualitates ad fermentationes viam ſternere potuerint, non ſatis quidem elucet, ſed illud veriſſimum fuit, præcedentem morbo in toto corpore non fuiſſe nutritionem, ſed inflationem, & vaſorum omnium, ideoque & glandularum ſubcutanearum tumefactionem, a quibus ſumma ipſi Hippocrati ſuſpicio plenitudinis effingebatur: ideoque diſtentæ arteriæ, actu ſyſtoles, in axim coire non poterant, in glandulis corticalibus ſpiritus non ſublimabantur, excretoria non ſecernebant, hæmatoſis intercipiebatur, reſpiratio erat gravis, & fortaſſe in meſentericis chylolymphicis, uterinis canali-

(1) Pag. 1. & ſequentibus.

(2) Juxta illud Hippocratis: *Qui vero de montibus in urbe ſpirant, corpora hominum morboſa faciunt.*

canaliculis, ſubaxillari, & pecquetiano ductu, quibus omnibus, & fœtu, actu gravidationis, & mammis, actu puerperii, chyloſus lactis proventus ſuppeditatur, intercepto ob retrogradum motum fluidarum quantitatum mechaniſmo, vitiatiſque ſuccis gaſtrico, bilioſo, & pancreatico, pedetentim inibi morbi ſedes concrevit, fluidaque contaminavit.

Quæ omnia cum inter probabiles ægrotantis naturæ cauſas ponenda ſint, nunquam ſatis exclamabo, cautas debere eſſe mulieres, antequam lacteum alimentum ſuis infantibus denegent, aut etiam poſt primos tantummodo dies ad apogalactiſmum deveniant; perquam cautiſſimos debere eſſe Medicos, maritos, omneſque, quibus non ſolum ſalus matris, ſed prolis etiam intereſt, antequam permittant; ſed unuſquiſque prius cogitet, & ſciat, a mundi uſque primordiis naturam nil fruſtra egiſſe, & pari paſſu Principum turres, pauperumque tabernas menſuraſſe: legant apud Auctores magni nominis utilitatem coloſtri pro prima propriorum lactentium purgatione, arguant a lactis quieſcentis qualitatibus (ex quibus *grumefactiones*, & *caſeationes*, docente Sennerto (1) proveniunt) quæ noxæ pertimeſcendæ ſint; conſulant mechanicos, num lacteum fluentum ab uberibus retroactum, & in ipſis corrumpi, & principes partes impetere poſſit, promittant de certo dari in illo corpore cribrum, renes, aut quodcumque aliud emiſſarium, cujus conſtitutioni lactea poſſint aptari, & exire excrementa; conniveant, aliquibus a partu diebus, multa, & mille mulieribus, aliis de cauſis imminere pericula, quæ a lactis motu, fermentatione, qualitate augeri poſſunt, & quod rei caput eſt, ex animi ſententia, aut ut clarius loquar, jurando negent Medici, ſe in propria praxi non vidiſſe multas puerperas extremum diem obeuntes ex nimia lactis abundantia, etſi aliqua ejuſdem pars per mammas emungeretur: & poſt hæc omnia, & multa alia, quę nota hominibus emunctæ naris ſunt, & quorum deſcriptionem epiſtolæ limites prohibent, indiſcriminatim nobilioribus Matronis in qualibet regionę lactatum, ſi poſſunt, prohibeant. Proh cœcas, & præjudicatas mulierum mentes! Proh damnabilia Medicorum ſimulamenta! Abſit a nobis, Amicorum Optime, hic ægrotis obſecundandi mos: & quoniam vidi bene multas mulieres actu lactandi adoleſcere, connutriri, magiſque venuſtas evadere, quæ exſuccis mammis fortaſſe laboraviſſent; niſi integre meis rationibus ſuaderis, aut ſi fœminei ſexus amans, ejuſdem querimonias pertimeſcis, ſaltem diſtinguamus aquam ab aquis, & quando videmus mulierem ſanguineam, plethoricam, a partu mammoſam, voracem, & nutritiis ſuccis, fortaſſe ex chylolymphicorum amplitudine, undique refertam, in primis expurgationibus imminutam; quando infans oriens optimam nutritionem præſeferens, indicat multum alimenti in utero accepiſſe, ideoque lacteum apparatum turgere, qui retrogrado motu, & violentiſſimo appulſu ubera poteſt impetere; quando denique de turgentibus, locumque, ut ita dicam, quærentibus locum humoribus admonet, piaculum, fateamur, erit per labia, per cucurbitam, vitreamque cum tubo machinulam, aut per quemcumque ſuctum lactis exitum, ſaltem primis diebus non pertentare; ita ut imminuta turgeſcentium liquaminum quantitate, laxentur vaſa, & fibrarum elaſticitates erigantur; tanto magis ob infortunia in nutricatu obvia, attento præ aliis morbo gallico, qui in nutricibus longe, lateque vagatur, adeo ut ab infecta papilla in lactentis buccam, a bucca in matrem, a matre in conjugem contagioſum virus ſæpe tranſierit.

Sin vero patiens ſqualllida, pichrocola, exſucca, lacticularia, in lochiorum fluxum jam nimis prona, cum filiolo vix oſſibus cohærente, & non verum caſeoſum lac ad papillas appareat, ſed potius aquoſus ichor, ſuapte forſan natura diffluens, neque præterita, multoque minus præſentia utilem alioquin hanc excretionem portendant, paucis, de illis ſit, quorum interna alimenta non nimis lacteſcunt, non ſolum illis conſulere, ſed vim facere oportet, etiam ſi in anguſta domo, ut liberos ſuos in nutricum manu relinquat.

In arduo itaque hoc diſcrimine, non pariens, non mater, quæ in hoc fortaſſe caſu eſſet noverca (2) non amica, non conſiliatrix lactatum raro admittere, multoque minus quaſi ſemper cœco uſu interdicere debent; ſed ſolus Medicus, cui ſanum ſit ſinciput, omnia proſpiciat, ad examen revocet, & quid agendum, decernat.

Vela itaque colligendo, in caſu noſtro, cum etiam ante enixum liquida in venis abundarent, & poſt illum, ob promptam lacteſcentiam, quę ad menſes perſeverat, ſemper magis augerentur, ſicuti mechanica quadam neceſſitate factum puto, ut aucto ſuper ſolida fluidorum concreſcentium, & fortaſſe coagulatorum momento, morbus fieri debuerit; ideo adſtantibus ambobus Profeſſoribus ſuadere conniſus ſum, ut ſtatim curationem ſuſciperent levi cathartico amariuſculo, & anthelminticis etiam prædito, ut deinde pectorali Magni Baglivi decoctione ſupra cineres ſervata, & ſorbillatim, & frequenter ſumpta, univerſalium liquidorum, & obſcuriorum ſputaminum viſciditati conſuleretur, & adventante morbi vigeſima prima, ad bezoartica, cum ſtibio diaphoretico conjuncta, deveniretur. Quibus omnibus, optante ægra, executioni mandatis, eventus reſpondit, factaque cecinerunt: exivit inferior amurca, cum vermibus, expuitiones

(1) Practicæ lib. IV. Part. III. cap. II. pag. 759.

(2) Ut optime notat M. Sperone Speroni T. 2. quando ait cauſa lactationis filiorum *vuol ragione*, *vuol natura*, *vuol oneſtà*.

tiones ſolutæ, & faciliores redditæ, tandemque abundanti, & iterato ad aliquot dies ſudore, febris ſoluta eſt, adeo ut in meo diſceſſu Brixiam verſus, lætos reliquerim conſanguineos, & Nobiliſſimos Helenam Serponti Vicecomitem, ægrotantis cognatam, & Comitem Abbatem Carolum Monti, quos honoris, & obſequii cauſa nomino, ſemperque venerabor, dum ſpiritu fruar.

Verum imminuto fœcalis amurcæ exitu, & ſuppreſſa diaphoreſi, in cruribus metaſtaſis ſubſecuta eſt, cum dolore, & univerſali tumore, fruſtra ad multum tempus Chirurgica Arte ſpecificis, emplaſtris, & fomentis opem ferente, adeo ut Mediolanum tranſducta, & in conſilium accitis primariis Profeſſoribus, tandem de carie in una tibia, mox in altera conſtiterit, & ferrum, & ignem multoties per novem menſes, & ultra hinc inde ſuſtinere debuerit. Siniſtra tandem plaga ad perfectam conſolidationem redacta, remanſit in anteriori parte dexteri cruris læſa adhuc tibia, uſque ad ſubſtantiam oſſis medullarem, ſuperſtante foveola majoris avellanæ ambitum adæquans, cujus labiis circularibus Chirurgica manu nunc corroſis, nunc ſectis, duo Medentium oculis in fundo plagæ ſe obtulere.

Primo: exigua oſſis fruſtula, a præcedenti igne tacta, ideoque obſcura, adhuc tamen ſubſtanti oſſi adhærentia, quorum ſeparatio, ſquammatoriis ſollicitata, expectabatur: deinde caro ſummi ſenſus, quæ tamen alicubi, & præſertim in deſcriptorum oſſiculorum confinio minus rubra, & aliquatenus albicans, polypoſam, & veluti imperfectam ſubſtantiam præſeferebat. Præter hæc, quæ unicuique patebant, Profeſſor attentiſſimus vidit rimam in parte ſuperiori oſſis tibiæ, intra quam ſpecilli extremitas, bracteæ inſtar, implantabatur, proindeque in oſſis meditullio nonnulla veluti grana rubicundæ carnis, quæ a ſana circumſtante non proveniebant: ideoque, cum hæc interdum ſint ſigna oſſis carioſi, problema ortum, propoſitumque eſt, num ulteriorem adhuc oſſium cariem portenderent, quæ novam ferri, igniſque adminiſtrationem poſtularent, ne reſidua ſanæ tibiæ medietas contaminaretur.

Inter hæc dubia, ipſe Brixia Mediolanum circa finem Septembris proxime præteriti accitus, laudare debui ſolertem adſtantis Profeſſoris diligentiam, caute fundum examinantis, antequam ad antiqui ulceris conglutinationem deſcenderet, non minus ob rationem, quod ſanum corrumpi a carioſo ulterius poterat, quam temporis diſpendium, & damnum, quæ a ſuperficiali tantummodo plagæ conglutinatione contingere poterant, obſignatis in fundo purulentiis, productoque ad tempus cuniculo crudelius fortaſſe ſuppuraturo. Verum omnibus penſitatis, una cum clariſſimis viris Joanne Baptiſta Senna, & Bernardino Moſcati in Jatro-Chirurgicis doctrinis ex Florentina Academia profecto, una ſancitum eſt, quod cum in poſtrema cauſticorum adminiſtratione, & febris per duas hebdomadas ſæviens, & convulſiones, & dyſuriæ ſupervenerint, quæ quaſi in ancipiti Nobiliſſimam Ægram poſuere; ideo ſucceſſive ſolummodo emarginandam, & apertam manutenendam antiquam foveolam, quouſque ab oſſiculorum igne tactorum exitu, finitimæ relicti oſſis laminæ in ampliori via, aut ſpecillo, aut oculis diſcerni poſſent, proindeque ad illa opera devenire, quæ tutus magis caſus tractu temporis indicaret. Fieri enim poterat, quod etiam dum hæc ſcribo auguror, ut naſcens, adhærenſque ſano oſſi caro ſuapte vi, & natura (ſemper, ſed in Medica præſertim re magnum nomen natura) carioſum disjungeret, & purulentæ ichoroſitates, abſque dolorificæ artis additamento, rimoſam, corruptamque olim viſam ſuperficiem cum utilitate abſumerent: ſin minus, tandem a plaga, perfecte claudi neſcia, lux corruſcaret, certæque oſſis labi certa manus admoveretur.

Venio ad alterum tuæ Epiſtolæ caput, quo non ſuades modo, ſed prope vim facis, ut ipſe nonnulla mediter, & reſcribam de gulæ tumoribus, quos in aliquibus montanis Brixiani territorii vicis endemios audiviſti. Tibi idcirco morem gerens, & in ipſo limine ad hypotheſis noſtræ claritatem, proſcribens tumores ceteros, ſcirrhoſos, tophoſos, tartareos nempe, canceroſos, ſtrumoſos, qui in peculiari glandula firmantur, aneuryſmaticos, varicoſos, ne dicam carboneſcentes, piliſque refertos, vel qualibet alia de cauſa inflammatorios, qui circa guttur fieri poſſunt; de illis ſolummodo loquar, quos Galli goetram, Græci bronchocelem dicunt, de quibus, utpote frequentioribus, & endemiis, ſi bene tuam mentem aſſequor, opinionem meam ſciſcitaris.

Hæ igitur, ut cum Latinis loquar, gutturis herniæ a cute ad uſque aſperam arteriam, quæ ſubjectum præcipuum hujus morbi eſt, diverſo modo ratione ſitus, itemque ratione formationis, concreſcentes fiunt. Nunc enim ante, nunc maxillis, nunc inferius adhærent, & protuberant, nunc juxta aures, neque ſummitati ſpinalis medullæ parcendo, pendulæ cadunt; nonnullæ cum venis, arteriiſque coaleſcunt; aliæ cum cyſti prominent, & ſecundum cauſarum agentium potentiam, & ſubjecti reſiſtentis diſpoſitiones, illarum mechaniſmus immutatur. Tamen quia in multis regionibus hic morbus non viget, aut ſaltem raro homines deturpat, per conſequens, in locorum diverſitate ratio morbi quærenda. Quia vero ſæpiſſime in monticolis familiaris eſt, in origine, in aere, in aquis, in alimentis latere probabiliter debent ſemina illa, quæ ſecundum multiformes accidentium circumſtantias in motum poſita, tandem venuſtati inimicum tumorem progignunt.

Et primum, cum frequenter videamus a gutturoſis majoribus pares liberos produci, ſtatuendum eſt, ab ipſo puncto ſaliente, & ſeminali principio in ipſo fœtu adhuc inter uteri clauſtra coercito, futuræ ægritudinis ſtamina determinari, ita ut adventante dein uſura lucis, aut ſtatim, aut ſero fibrarum gulæ congeries tumefiat, & extendatur.

Aer ſecundo, magnum illud noxiarum qualita-

tum

tum ſeminium, & ab aquilone per gelida, nivoſaque juga tranſeunte, & a craſſiorum effluviorum apparatu in umbroſis, imiſque convallibus ſtabulante, & a viroſis halitibus, quos carbonariæ, chalcariæque fornaces, aliæque fodinæ evomunt, & a particulis, quas indigenæ plantæ, & montani frutices diſpandunt, tantis inſici, & contaminari poteſt virulentiis, tantiſque activitatis gradibus, & momentis affici, ut illo ſolum loco, & non alibi, concepti inquinamenti effectus poſſit producere, præſertim ſi tempore algidiſſimæ hyemis villici commorabuntur, & fortaſſe dormitabunt in calidis ſtabulis, neque ſolum equilibus, ſed etiam bubulibus, ovilibus, ſuilibus, ubi promiſcua clauſa effluviorum, & excrementorum ſordes ſanguinis inquinamenta poteſt augere, & a præexiſtentibus cauſis jam in motum poſitum morbum confirmare.

Tertio aquæ, nec quidem pluviales tantum, ſed & ceteræ omnes, utpote crudiſſimæ, frigidiſſimæ, ex liqueſcente nive (1), *marmoreæ* (2), quæ a præruptis rupibus deſcendunt, & hac illac ſaliunt, aut lamas efficiunt, præcipue ſi vicus poſitus in declivi ſit, idemque nec ſatis meridionalibus radiis exporrectus, nec ſalubribus euris, & zephyris perflatus, levi de cauſa, aut fere ſemper inibi nubeculæ inhabitent, graviſque, & ponderans atmoſphæra tranſpirationem ſupprimat, & inſpirationem tracheæ, & pulmonibus indeſinenter noxiam efficiat; ex quo videmus, gutturis tumores frequenter cum difficili reſpiratione conjungi: quibus ſi acceſſerit populorum ſocordia in detergendis vicis, & ſterquiliniis, tanto magis ad promptiorem activitatem redactis cauſis, ſimulque copulatis ad nocendum viribus, liquidorum circuitus, cum tumoris efformatione intercipi in animato corpore poterit.

Alimenta denique ex lacte, nucibus, caſtaneis, eryſimo, ſecale, non ſubactis, ſed in crudam inſipidam polentam converſis, quinimo ex herbis craſſioribus, nec conditis, nec comminutis, interdum & noxiis; uno verbo ex potu, non vini, ſed aquæ crudioris, quæ fermenta omnia in corpore undique obvia hebetat, atque enervat, ad expoſiti morbi efformationem admodum conſpirant, in illis præſertim temperamentis, in quibus fracta jam erat æquilibrans proportio, vel ex conſtitutione naturali viſcerum, vel qualibet alia de cauſa excretorium illud viſcidum abundare vult, & mechanica lege debet, quod in glandulis, & muſculoſo-carneis gulæ interſtitiis coacervatum, ſemperque magis obfirmatum, & ægrotantibus turpem noxam, & præſentibus noſtris meditaminibus ſuggerit argumentum.

Supradictorum omnium effectum, & concurſum ipſe olim vidi in Valleſaxina juriſdictionis Mediolanenſis Rhetos verſus, ubi licet in omnibus fere locis in aprico poſitis, & ſalus, & longævitas in incolis cernatur, attamen in quodam vico, qui Tacenum dicitur, & de quo jam aliqua in examine de Aquis Brixianis (3) publici juris ſeci, magnus adeſt gutturoſorum numerus, quia ob intercedentes circumſtantias comprobantur ea omnia, quæ ſuperius diximus. Quare ex multitudine etiam jam exiſtentium gutturoſorum, veluti per traducem, cum ſemine morboſus character in nepotes imprimitur, & propagatur.

Quibus omnibus poſitis, & pro veris habitis, tranſeundum nobis eſſet ad explicandum, quomodo hæ concretiones ſignanter in illo loco fiant. Quod facillimum fieri poſſe conſtabit obſervanti totius gutturis conſtitutionem, tot uſibus inſervientem, totque partibus integratam, adeo ut præter vertebras, & vaſa, Diemerbroccius (4) quadraginta ſex muſculos connumeret. His addamus deglutitionis actum, tracheæ motum, gulæ laborem, capitis ſuſtentaculum, modicam in arteriarum lateribus reſiſtentiam repente a calvariæ oſſibus adauctam, ita ut mechanica quadam neceſſitate, infra potius, hoc eſt in gutture, ob cartilaginei canalis reſiſtentiam extendi, & ampliari debeant vaſa. Addamus infinitum glandularum numerum, quarum aliquæ oſculum excretorium non ſatis apertum habent, ut optime ad rem noſtram notat clariſſimus Morgagnus (5), qui *compactiſſimam ſubſtantiam*, & *mucoſum lacteum ſuccum* in jugularibus glandulis reperit. Hinc ſi illo in loco concretionis ſtamina jamjam ſuapte natura præexiſtunt, ſi ratione parotidum non longe exiſtentium, ſi ratione expuitionis per pituitariam, per thyroideam non ſolum, ſed occipitales, cervicales, & palatinas omnes, tanquam emunctorium, & emiſſarium a natura inſtituitur, ut excrementitios ichores abſorbeat veluti, aut eliminet: cur mirabimur, ſi inibi plus quam alibi collectiones, & infarctus protuberent? Hoc perbelle patet ex eo, quia in parientibus, in comitiali agone, in violentis conatibus, a quibus interdum valvularum ſufflamina violantur, & glandularum compages dilaceratur, illico turgent jugularia omnia, vel quia a pneumatico organo vim patiente in interſtitia carnea muſcularia per tracheam aer, clauſa interdum bucca, ſufflatur, vel quia ab extenſis, compreſſis, aliove modo modificatis nervis (præcipue recurrentibus), ſpirituum animalium motus interrumpitur, vel quia iidemmet nervi circumvoluti, & in nodum glanglioſormem pedetentim redacti, in ſolius gulæ freto, ut nuper de ſanguiferis canalibus dicebamus, minorem reſiſtentiam inveniant, vel denique quia inibi multiplicitas partium ad contactum quidem inclinantium, ſed tamen disjunctarum, & non omnimode fortaſſe adhærentium (de quo Anatomici conſulendi), plurimaſque intercapedines, & diſſepimenta habentium, humorum, ne dicam circulantium, ſed fortaſſe errantium, & impetum

(1) Ut ait Muſitanus de Tumoribus pag. 220.
(2) Vide Fallopium pag. 87. de Herniis gutturis.
(3) Pag. 8.
(4) Libro quinto de Muſculis cap. iii.
(5) In Epiſtola Anatomica IX. n. 27.

ob deſcriptas cauſas facientium, obſtructis etiam vaſorum ſalivalium truncis, ſtaſim in ſinu ſuo admittunt.

Si hæc in corpore ſano, quid in morbido, in quo augebuntur turpiſſimæ, nec interdum ſine periculo, hujuſce ægrotationis incommoda? Ad quæ quo magis animum adverto, admirari deſino, quomodo eveniant, imo illis regionibus gratulor, quæ immunes ab hac lue ſunt.

Ulterius vero ſi ſcire cupis, quibus in ſubjectis, qua ætate, quibuſque in temperamentis hic morbus ſæviat, quaſque alias ægritudines efficiat, tollat, portendat, aut ſubſequatur, non ſatis ſcio, potiſſimum ſi factis magis, quam rationibus ſuadearis; prima enim omnia mihi penitus non innoteſcunt, poſtrema piaculum eſſet tibi omniſcio refricare.

Ad remedia quod attinet, nullum habeo arcanum, quod ſpecifica vi morbum tollere poſſit, nec fortaſſe laudares, ſi tibi prolixo ſermone ſchedularum ſtruem a Pharmacopolis raptam apponerem. Si tamen jubes me carptim aliqua, quæ vel intus, vel extra S. A. prout caſus feret, in curatione eſſe poſſent utilia, a noſtro opinandi, & medendi chaos libare: laudari poſſent

Crocus martis aperitivus, elyxir P. Paracelſi, ſtibium diaphoreticum, arcanum duplicatum, rhabarbarum, aloe, bezoar, ſalſaparilla, paleę marinæ uſtæ, vegetabilia antiſcorbutica omnia, quæ ſale volatili abundant, & etiam aperitiva, quæ in obſtructionibus, & ſuppreſſionibus uſuveniunt, cantharides, aqua calcis, mel, oxymel, acidulæ, thermales ſulphureæ, & aquę Seravallis in agro Bononienſi, diuretica, motus in rheda, aut equitando factus, a noxiis eſculentis fuga, tranſeuntis vini ſelectus, apophlegmatiſmata, balneum calidum a poplitibus infra, pumex, & præcipue ejuſdem ſal ad ϑ i a Cardilucio (1) quam maxime laudatum, helleborum album, cinamomum, piper, ſal gemmæ, ſpecies Diarrhodon Abbatis, polipodium, diagridium, oleum nucis myriſticæ, arcanum Fulvii Gherli ad ſtrumas, & ſcrophulas in Hiſtoriis Morborum p. 42 a nobis deſcriptum, oleum rubetarum, buffonum ſcilicet, & medullæ humanæ, qua in Mauritania, neſcio an Cæſarienſi, vel Tingitana, ubi Bronchocele endemius eſt (2), utuntur mulieres in certa quadam ætate conſtitutæ, duo cochlearia decocti Nicolai de Blegny (3) decreſcente luna mane, & veſpere ſumpta, pulvis Theveninus ex borace, & ſpongia, vini ſpiritus cum ſale volatili ammoniaco, fonticuli, ſulphur, nitrum, radix cucumeris agreſtis, ſuber, ruſci, & vicetoxici radix, ſcrophularia, hermodactyli, ſenna, fœniculum, melilotum, ſtercora hyrundinum, & animalium calidorum, lixivia, ſaponacea, aniſata, laurus cum granis, viperina ſpirituoſa, electuarium ex pulvere lacertarum, lana ſuccida, ſtaphiſagria, cuminum, ſuccus raphanorum, ſpiritus frumenti, lavendula, guaiacum, bryonia, ol. Philoſophorum, camphora, oleum irinum, tartari per deliquium, euphorbium, aqua marina in quantitate duarum unciarum omni mane hauſta, cyclamen. Sed quid ego, a propoſitis cancellis abſcedens, in therapeuticum mare nolens paulatim rapior? Jam ſatis, doctiſſime Antoni, jam ſatis. Addo tantum & ſingula, & omnia a me propoſita fuiſſe in illa botiorum ſpecie, in qua guttur turget a lenteſcente amurca intra vaſa, intra glandulas, intra muſcularia interſtitia ſtagnante, ubi & motus, & diſſolutio promovenda ſunt. In ceteris enim gulę tumoribus, qui pendent a ſarcomate, aut a cyſti, & folliculo, tunc manus Chirurgica admovenda eſt, quæ ferro, & exedentibus curationem abſolvat.

Geſtiret quoque animus mercurii potentiam ad trutinam vocare, & proponere, num compactum ex illo unguen optatam diſſolutionem poſſet efficere, num irrequieto ulterius argento auctum producto ptyaliſmo ſuſpectum evacuationis effectum per affectam partem promoveret, numque pleno flumine corrivantibus, & collectis in gutture lymphis, improviſum ſuffocationis agonem, qui in uſu mercurii timendus, etiam ſine bronchocele, eſt, poſſent producere.

Sed alii, & fortaſſe nos ipſi, alibi plura: ſat enim in præſentiarum eſt tibi obtemperaſſe, & primas has litteras, velut arrham futurę noſtrę neceſſitudinis, quam faxit Deus diuturna ſit, exhibuiſſe. Et dum humillimis precibus te obſecro, ut debitas grates meo nomine perſolvas ampliſſimo Oratori Fuſcareno de tranſmiſſis, quæ ſua fuit humanitas, mihi ſalutationibus, mea obſequia viciſſim eidem porrigas oro, quando tamen liceat, ſummaque ſummi Viri clementia comiter ſinat. Et vale, tuiſque iterum litteris, & mandatis expectationem meam adimple.

AUCTORIS CONSILIUM CIRCA RESPIRATIONIS DIFFICULTATEM IN EMINENTISSIMO CARDINALI STAMPA ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI.

Ubi nonnulla de aeris Mediolanenſis natura, & conſtitutione.

DUo ſunt, quæ propriæ valetudini adverſa oretenus elapſo menſe retulit Eminentiſſimus Princeps, dum Mediolani in ipſius Aula multis

(1) In Praxi Hartm.

(2) Quemadmodum in Allobrogibus, & Pyrenæis montibus, necnon in Picenis ad Callium, & in Cillera valle ſub Alpes.

(3) Proſtat illius deſcriptio in Bibliotheca Chirurgica Mangetti pag. 168.

multis honoribus me proſequebatur. Primum ſcilicet reſpirationis difficultas, cum gravativo ſupra pectus pondere, præcipue quoties aut ſcalarum occurrebat aſcenſus, aut proprium corpus inclinare pertentabat. Secundo ſomnolenta diſpoſitio, ita ut etiam extra lectum ſedendo, dormiendi facillima quædam neceſſitas inſtaret, & quaſi nolens, aut invitus ſomnum frequenter caperet.

Quorum quidem ſymptomatum productio ut innoteſcat, atque hinc ad remedia, quæ morbum tollere poſſint, accedamus, in athletico corpore calida, & humida temperies conſideranda eſt, medii, & infimi ventris plenitudo, necnon totius ſanguineæ maſſæ plethoricus apparatus ad examen revocandus, debitoque reſpectu ad peculiarem ſtomachi idioſyncriſiam, ad originariam fortaſſe lacteorum amplitudinem, ad pancreatici, & bilioſi ſucci conſtitutionem, ubinam læſum fuerit ſolidorum cum fluidis æquilibrium, ſtatuendum eſt.

Putarem itaque Purpuratum Præſulem illius eſſe conſtitutionis, ut innnovata edulliorum placenta, interdum etiam a gaſtricis, aliiſque ichoribus non bene ſubacta, per adaperta tamen chylolymphicorum oſcula in ſanguinem facillime reptet, ut multis & flatulentis, & viſcidis, & interdum ſiccis difficultatibus obſtructæ inteſtinorum viæ, nimis raro, aut parce reſpondeant, ut albis potiſſimum, & chyloſis liquaminibus referta ſanguinis maſſa, in pectore, in muſculis intercoſtalibus, in omento, in meſentericis ductibus, in abdomine toto nutritivas maſſulas adhærentes, gelatinoſas, hamataſque perticulas deponat, unde aucta nimium pinguedine, infarctæ glandulæ, & ſebaceo (equidem ſano, ſed morboſo, quia nimio) lentore tumeſcentes, diaphragma extollunt, & pectus anguſtatur, vaſa ſanguinis in thorace comprimuntur, & ejuſdem circuitus præpeditur, nec ipſis nerveis tubis parcunt, & ſpiritus bene non irradiat, quia in ſuo itinere præpeditus eſt: ſique his acceſſerit aut cibus, qui non fuerit eupeptus, aut mentis labores, qui ſpiritus animales diſſipent, illico fortaſſe auctis compreſſionum viribus, & impedimentornm reſiſtentiis, reſpirationis actus magis læditur.

Eadem confirmantur, ducto lumine a pulſuum tenſione, majorique reſpirandi difficultate, quibus præteritis diebus vexatus fuit, & ob quas adſtantes doctiſſimi Profeſſores reſignare venam opportunum duxerunt, ut videre eſt in Eminentiſſimi Cardinalis Epiſtola ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Cremæ Epiſcopum Ludovicum de Comitibus de Calino, 12. Decembris 1742. data, & nobis, ut noſtram opinionem ſcriberemus, & de morbi circumſtantiis edoceremur, Brixiam tranſmiſſa. Quandoquidem deſcripta incommoda nonniſi ab aucto ſanguinis craſſamento pendere poterant, ut aperte docuit illius conſtitutio, cruſtam albam in ſui ſuperficie præſeferens, quæ nec ſemper inflammatoriam diatheſim comitatur, nec ab alio, quam ab aucta in venis lympharum collectione pendere poteſt, & cui cauſa podagrici in pede defluxus aſſignanda eſt. Quoniam vero poſtrema venæ ſectio optimum ſanguinem fudit, conjiciendum eſt ex accidentali in præſens etiam Brixiæ graſſante coryzarum, gravedinum, febriumque catarrhalium epidemia, cruorem conſpurcatum, & onuſtum fuiſſe, ideoque præcipue circa pectoris arcem laboraſſe, quia inibi actu reſpirationis vis noxii dominantis auſtri in pulmonicos lobos ponderando, & gravando ſæviit, & quia in proxima undequaque regione circumſtantibus acinis, interſtitia, fibræ, & glandulæ omnes ex pinguedinoſo farcimine nimium diſtentæ erant, quare nec flexibibilitas tunc exequi, nec oſcillationum momenta ad cordis, ad pulmonum, ad naturæ leges poterant reciprocare.

In Mediolanenſi provincia auſtri afflatus pertimeſcendus; ideoque quantum fieri poteſt, autumnali, & hyemali præſertim tempore vitandus, præcipue ſi perennes eodem tempore pluviæ deſcendunt. Cum enim non longe a pulcherrima ipſa metropoli frequenter viderim in agris, atque in immenſis pratorum planitiebus caligines, & nubeculas ſupra ſolum complanatas, quæ non tantum primis coruſcaminibus, ſed etiam meridionalibus radiis denſæ reſiſtebant; arguendum eſt declives, humectatos, rigatoſque terræ tractus, aquoſis ſuis exhalationibus, ruenti ab alto pluviæ, & dominanti auſtro additis, junctas dare ad nocendum manus, unde atmoſphæra enormiter ob tot cauſas gravitante, eo magis microcoſmus lædi poteſt.

His poſitis, non arduum eſt explicare pertinacem ad ſomnum proclivitatem, qua interdum detinetur. Ex ſanguine enim viſcidis particulis referto par ſpiritus ſublimatur, pinguedinoſæ maſſulæ, non in imis ventribus tantum, ſed fortaſſe in corticalibus glandulis hærent, atque hinc inde ſubſiſtunt, unde ſpirituum animalium exaltatio, & diffuſio intercipitur; hinc quies, exinde ſomnolentia.

Quia tamen viſcera ſana videntur, ipſe etiam ſpero; ſed curationem ſuſcipiendam ſuadeo, ut ad publicam Chriſtianæ Reipublicæ felicitatem præſervetur, ut priſtinam acquirat ſoſpitatem, & ut magno noſtro Hippocrati obtemperemus, cui etiam ſummum bonitatis interdum ſuſpectum fuit, quia fermentationes, corrugationes, metaſtaſes in humorum plenitudine pertimeſcendæ ſunt.

Ad rem igitur accedentes, nec moroſus auctor ſum, ut in difficili hac temporum conſtitutione violentis pharmacis torqueatur, nec adeo indifferens, aut timidus, ut quæ utilia eſſe poſſunt, ſileam, quandoquidem ſummorum virorum ratio habenda eſt, ſed non ita, ut præſcriptione nauſeabilium pharmacorum, aut ſubjectantis diætæ, timore diſplicendi, curatio omittatur; ſola enim remedia ſanant.

Cum vero miſſiones ſanguinis celebratæ ſunt, quæ urgente ſtertore utiliſſimæ iterum eſſe poterunt, ex ærario Chirurgico depromendus remanet balneorum, & durante etiam hyeme, pediluviorum uſus. Quippe cum vidiſſem imos artus parvos, & ſiccos, opinatus ium, pinguedinoſum rorem non æqualiter diſtribui, totumque in altis ventribus, diſtento nimium abdomine, ſubſiſtere. Ad quod cum ſumme conſpiret crurum, pedumque ſiccitas, & fibrarum aritudo, quoties ipſe fovebuntur, ampliabuntur de certo vaſa, pro faciliori ſanguinis circuitu, & inibi etiam reſtitante nutrientium maſſularum parte, pectoris regio minus onerabitur, parum obſtante podagræ metu, quia in emollita parte minus ſæviet, & quia ſolo præcipue pectori noſtra debent dirigi molimina. Aliquando igitur poſt parvam cœnam, lectum ituro, balneum prius tepidum ex herbis emollientibus, aut ex lacte, quod melius, infimis cruribus aptetur, atque dein proximo tempore a pedum frigore caveat.

Pro detergendis vero primarum viarum saburris, iiſque incidendis, atque evacuandis, ammoniacum primarium remedium eſt, illis præſertim actuatum viribus, quæ viſcida ſolvant, pectus reſpiciant, & diureſim promoveant, cujus tenoris erunt ſequentes pilulæ, ſemel in hebdomada, durante curatione, ſumendæ. ♃ ammoniaci acet. ſcill. diſſol. ℈ iiii. ſal. vol. urinæ ex thecis ſabar. a g. vi. cum balſ. ſulphuris terebynthi. f. bol. n. viii. aur. pro una vice.

Quando tamen inferiorum excretionum tarditas perſeveraret, aut bolorum uſus non arrideret, optatumque effectum non efficeret, ſubſtitui iiſdem poſſet unus ciathus in prandio primus vini medicati. ♃ ſummit. abſynt. m. i. chalyb. rec. limat. ℥ i. rad. aſparag. ℔ 5. cort. rad. capar. ℥ ii. fol. agrimoniæ, pulmonariæ, marrub. alb. flor. boraginis, bugloſſ. a pug. ii. hermodactyl. turbith. a ℥ ſ. fol. ſennæ ℥ i. vini albi generoſi ℔ vi.

Alternis inſuper ſummo mane diebus bibendo libram unam aquæ Tetutianæ, cujus admirabiles vires in debellandis albarum præſertim concretionum lentoribus, non eſt quod memorem; permittendo etiam conſuetum vini uſum, ne unquam vis digeſtionis fatiſcat; laudando tamen magis album, & tepidum, quam rubrum, & frigidum.

Interea ulterius, quia præcipue faciliori reddendæ reſpirationi incumbendum eſt, ſic quandoque non mittenda, imo tentanda ſunt ea, quę ſpecifica, & in infarctibus pectoris, & in hiſce temperamentis adhibentur; potus nempe theiformis ex hedera terreſtri, & hyſſopo, ſyrupus ex floribus raparum, pilulæ Morton, pulmo vulpis præparatus, & ſimilia. Semper inſuper in proprio cubiculo, & in vaſe vitreo optime ſigillato paratam habendo aquam theriacalem, ſed a probo Pharmacopola fabrefactam, cujus cochlear unum, vel duo, ob volatiles energeticos ſpiritus, quibus turgida eſt, poterit lentas quiſquilias diſcutere, & actu alicujus in pectore vexationis, reſpirationem reddere faciliorem.

Vitet acida, gelatinas, pinguia, caſeoſa, gravia, arte congelata, nimiſque nutrientia.

Spe ſalutis in deliciis habeat vitulum, pullos, volatilia, dempto capite, leveſque omnes cibos, etiam ex vegetabilibus, quæ recta ad anum tendant, & ſanguinem non impleant, rapas nempe, cucurbitas, ſpinacchia, betas.

Deambulet, motumque in carruca faciat, & favorabili adventante temporis conſtitutione, ſi fieri poteſt, equitet, non ſupra ſucculſatorem, ſed domitum equum. Præcipue poſt cibum a mentis laboribus abſtineat. Et Deus pro perfecta tanti Principis valetudine omnium votis ſatisfaciat.

MORBI EVENTUS

Heu! vix Mediolanum tranſmiſſa ſupradicta Conſultatione noſtra, notitiam habuimus Eminentiſſimum Principem ex violentiſſimo paucorum dierum morbo, ſummo Chriſtianæ Reipublicæ, ſed præcipue Mediolanenſis Eccleſiæ detrimento, ad Superos vocatum; habitoque dein Venetiis ſermone cum Reverendiſſimo Abbate N. Contiſino, Aulico Familiari ſuo prædilecto, & Amico noſtro, circa poſtremam ægritudinem, cui ipſe lacrymabundus adſtaverat, retulit, ex ſumma ſanguinis plenitudine intra thoracem ſtagnante, & concreta dirum fatum pependiſſe; quod confirmavit copioſa poſt mortem ſanguinis eructatio, licet aliqua ejuſdem pars jam ante agonem opportune extracta fuiſſet.

LEUCI
TERRITORIUM.

A Domino Joſeph Viſconti, viro in Arte Medica clari nominis, recenter oretenus, dum trans Leucenſem agrum, Vallemſaxinam petebamus, de peculiari illius loci Medicina, deque multis ad illam pertinentibus edocti fuimus. Quippe quod licet Mediolani dominio ſubditum, neque adeo remotum, tamen ratione Larii lacus, Abduæque reſtitutæ, nebulas producentium, ratione meridiei, necnon ſuperſtantium montium, præcipue Dumani, & Baliſii aer circumfluens, variis, alterniſque viciſſitudinibus obnoxius eſt, ob quas a Mediolanenſi diſcriminatur, utpotequi plurimum ad magis acutum, & ſubtilem tendit; quare morbi inibi non dormiunt, ſed excitati; & commoti homines vexant: illos tamen, qui ab imo veniunt, quique venenum intus alebant. De cetero ſitus potius ſalubris eſt, ut ſuadet vicorum amœnitas, & præ aliis homines longævi evincunt; quibus nihil magis datur ad probandam provinciarum ſalubritatem. Sed de-

hoc

hoc argumento jam ſatis, quando ſcripſimus de aquis mineralibus Coldoni (1).

CAMPHORA

ARCANUM PRO CURANDO DELIRIO

IDemmet eximius Vir nobis retulit, utiliſſimum in praxi vidiſſe uſum camphoræ, ad ſedandum præcipue in febribus acutis delirium, ejuſdemque doſim eſſe quinque ſcrupulorum, in duabus unciis ſucci amygdalarum dulcium exhibitam.

COLICI DOLORES

INibi ſedantur, & feliciter reſolvuntur theriaca, camphora, caſtoreo, & nepentes.

PLEURITIDES

FRequentius judicantur media expuitione. Interdum vero apparuit verminoſa congeries per buccam, & anum exiens. Quo in apparatu utiliter ceſſit conſerva violarum, in qua intruſus fuerit mercurius vivus, & ſemina ſantonici.

CONSTITUTIO EPIDEMICA ANNI 1744.

PEr totum Leuci territorium, Olginatem, Malgranum, Montem *Brianza*, & finitimas regiones, poſt frigus, aeremque ſiccum, autumni tempore incœperunt febres petechiales cum delirio, & maculis ad ambitum rubeis, nigris præcipue in juvenibus, ruſticis, mediaque ætate conſiſtentibus.

REMEDIA

INitio morbi utilia fuerunt emetica ex tartaro, & ipecacuannha, a quibus exitus flavæ bilis productus eſt: proinde totum opus abſolvebatur uſu decoctionis, in qua bullierit contrayerva, fuligo, carduus ſanctus, ſcordeon, cornu cervi, & bezoar: illudque notandum fuit, fere omnes convaluiſſe, præcipue illos, qui cito Medicum advocaverunt, & in quibus remedia opportuno tempore inſtituta ſunt.

IN VICO PISCARENICI FACILIUS CONVALESCUNT.

QUantum poſitus loci faciat ad non ægrotandum, & etiam ubi ægrotent, ad priſtinam recuperandam valetudinem, multum elucet, etiam ex illis, quæ mihi retulit doctus Viſconti, quæque in ſupradicto pago attentiſſitiſſima obſervatione pluries vidit. Quippe cum vicus ille ab Aſcetica Capucinorum familia, atque a piſcatoribus utplurimum cohabitatus prope lacum, aut, ut melius loquar, prope Abduam poſitus ſit, diſtetque per ampla ſpatia, & per duorum milliarium planum a deſuper deſcriptis ad aquilonem montibus, per conſequens boreales impetus multiplici vinearum, domuum, ignium, & plantarum, locorumque habitatorum occurſu, & obſtaculis quodammodo hebetantur, & refringuntur. Ideo acceſſus ad vicum minus noxius. Accedit inſuper ipſam aquæ aliquatenus ſe moventis, & veluti deſcendentis propinquitatem nebulas ipſas difflare poſſe, ne tam fixe inhæreant: & fortaſſe ex præcipuis fuerunt rationes illæ, ob quas petechialis acuta febris minus ſævire potuit, non quod nempe fermentum fuerit diverſum, multoque minus diverſa hominum temperies, ſed quia poſitus loci ambientiſque aeris fecit, ut vel difflatum, & ſubactum, vel non admiſſum, & receptum, vel denique non actuatum, & diffuſum, peſſimum illud virus agere potuit, quod alibi facilius agebat.

AQUÆ.

TOta regio abundat aquis undique fluentibus. Si tamen a ſuperſtantibus abunde ferri mineris ratio deducenda eſt: ſique inſuper undique videmus officinas, & ædificia perenni motu obſtrepentia, ſtatuere debemus, aquas inibi omnes eſſe, aut multum, aut minus chalybeatas, ideoque de producendo bono, & malo participes: bono, utpote quia chalybs una eſt ex primariis Medicinæ columnis, multæque utilitates ab eodem ſperari poſſunt in ſanguinis lentore, obſtructionibus, quocumque infarctu, (quando non ex ſanguine) hyſterica paſſione, malo hypochondriaco, quorum nonnulli in humanam gentem morbi derivati, non raro graſſantur, & curabiles chalybe fiunt: malo, quia chalybs in aquis non ſemper ſolus eſt, ſed aliis mineris, & metallis mixtus, & ut ita dicam, pollutus, ex quo aut alia adventitia qualitas, aut ſaltem cruditas in tranſeuntibus aquis gignitur, præcipue ſi pars exitus a cryptis, a radiis ſolaribus non verberatur, ut feliciter evenit mineralibus Coldoni aquis.

VINUM.

VInum cætera bene multa proximarum regionum ſuperat, cujus ſignum fallere neſciens illud eſt, inhabitantes populos raro lythiaſi obnoxios eſſe: cumque calculi humani chymicis laboribus, & experimentis in tartarum redigantur, conſequentia duci poteſt, optimam vinorum Leucenſium qualitatem præcipue a tartari abſentia pendere.

MER-

(1) Pag. 1. & ſequentibus.

MERCURIUS DULCIS PRO SOLVENDIS, ET EXPELLENDIS CALCULIS.

MErcurii dulcis uſum in calculis renum, & veſicæ alibi laudavimus; hic tamen ſilere noluimus Viſcontianum medendi modum, ut Mediolanenſes Philiatri non timeant, & pro juvando proximo ad majora petant.

VALLISSAXINA

Vide pag. 162.

NEAPOLIS

DE MORBORUM CURATIONE PER AQUAS GELU CONCRETAS

AB Ægypto ne, aut Sina, deinde in Hiſpaniam, & Neapolitanas provincias manaverit uſus curandi morbos media nive, aut gelidis aquis, parum intereſt ſcire. Jam lis diſcuſſa fuit inter ceteros, a clariſſimo Valliſnerio (1), pariterque in aperto poſitæ circumſtantiæ, & doctrinæ multæ, quibus uſus ille ad tutiores adminiſtrandi leges reducitur.

Quia tamen in Neapolitano Regno penes aliquos adhuc gliſcit opinio hæc, multique curati circumferuntur, noſtri muneris inſtitutum poſtulat, ut videamus, num id rationi conſonum ſit, numque in alias gentes, & præcipue in noſtram hanc regionem transferri utiliter poſſit.

Neque vero dum breviter de hoc agam, vellem quis intelligeret, loqui de potibus aqueis, vel frigidis, vel ſumma in quantitate exhibitis, dum id jam aſſidue faciunt Medici omnes rationales, methodici, empyrici, & quotquot Clinicæ Arti addicti ſunt. Id fecit Hippocrates in multis morbis, & præcipue in pleuritico affectu, qui cibum etiam interdixit; id etiam nos propoſuimus in febrium curatione, & præcipue tertianarum, & ſynocharum (2); ſed intelligendum eſt de aqua ſumme frigida, nivoſa, & arte congelata, exhibita *copioſa in ogni ora per otto, o dieci giorni, ſenza alcun cibo a' febricitanti* (3); quam methodum primus Neapoli tenuit Auguſtinus Malianus, quem ſecuti ſunt Cirillus, Coſtar, & alii. Et ut aliquem ordinem nobiſmetipſis præfigamus, videbimus primo, quomodo remedium polleat ratione aquę, ſecundo frigiditatis, tertio denique effectus, & incurſus, quos offendere poterit, ubi in ſtomachum, & viſcera fuerit compenetratum.

Ad aquam quod ſpectat, non eſt ut ullo modo inficiemur. Nimis utilis, nimis neceſſaria eſt in animantium omnium natura, quæ nec ſtare, nec iterum inſtaurari ſine illa poteſt. Fluxibilitas, mobilitas (4) penetrans *multa corpora quæ aer non penetrat*, & innoxia illius conſiſtentia nimis apta eſt, ut hinc infarctus, lentores, impedimenta in humana machina tollantur. Quid inſuper dicendum de ſiccis qualitatibus, de ſalinis concretionibus, de vitriolicis, & atrabilaribus ſanguinis dyſcraſiis: profecto ſi ad hæc, & multa alia ſolvenda, & exterminanda favorabile hoc elementum non extaret, Mediceam provinciam Clinicus poſſet deſerere, & ſine illa eſſet ſine armis miles, ut clare probat diſputatio clariſſimi Hoffmanni (5).

His non obſtantibus, adhuc effatum illud non debemus oblviſci. *Eſt modus in rebus*. Si æger laborat, fieri etiam poteſt ut laboret, quia in infimo ventre, abdomine ſcilicet toto, nempe a pyloro ad anum, ſcena agitur. Suppoſito itaque quod alvus clauſa ſit, lactea convulſa, aut præpedita, clauſa diaphoreſis, parumque reſpondens veſica, peto quid cras erit de ægro, qui hodie puteum aquæ gelidæ potavit? Nec primus caſus hic erit, quo, ut aiebat Medicinæ Parens, *judicatoria non judicent*, & clauſa ſit omnium excretionum via, ideoque & a nobis hoc ponitur inter ea, quæ contingere poſſunt; ventre idcirco adhuc ad ſummam extenſionem tumente, iterum trudendus necne eſt glaciei acervus? Si flatus, ſi compreſſio, ſi tenuiſſimæ fibellæ ruptura, cauſa ſubitæ mortis eſſe poteſt, quomodo ad augendum pondus, ad ſpiritus ſuffocandos Medicus tuta conſcientia accedere poterit? Quot, quæſo, in ſolo uſu aquarum mineralium periere?

Præter hæc jam obvia, & frequentia, ſcitne aquam exhibiturus, ubinam morbus de certo ſuam habeat ſedem? Si affirmativam tenet, ipſe ſibi gratulor: ſique hæret, quando multi, iique, Bone Deus, frequentes dari poſſunt caſus, quibus aquæ quantitas ictus ſclopeti eſt, Andabatarum more ipſa adminiſtrabitur? Glandulæ corticales infarctæ, fatiſcentes, ſyderatæ non agunt; hinc vapidus ſanguis vix e cordis ſinubus, & lacertis vibratus; latet in vaſis majoribus calculoſa moles, aut polypoſum impedimentum, non adhuc pulſus erroribus manifeſtatum; latet aneuryſmaticum vitium, ita ut jam corroſa arteria, tenuiſſimam vix pelliculam ſuperſtitem habeat, quæ claudit, ſuoſque inter cancellos retinet euntem ſanguinem; in ſpiritali viſcere hydatis jam incœpta eſt, quæ inflammatorium

(1) Dell'uſo, e dell' abuſo delle bevande, e bagnature calde, o fredde. ec.
(2) Examen de Aquis Brixianis pag. 106.
(3) Ut loquitur Nicolaus Creſcentius pag. 72.

(4) *Imo forte ſemper eſt in motu, etiam in ſtagnantibus lacubus, quamvis oculis hoc diſcerni nequeat*. Boerhaavius.
(5) De Aqua Medicina univerſali.

torium in thorace morbum ſimulat, & efficit, periit ob ſpirituum defectum, aut ipſorum impeditum tranſitum valvularum energia, ita ut hæma quaquaverſus fuſum prompte defluat, fermenta viſcerum, vel aliqua, vel omnia langueant, & circa ventriculum præcipue adeo ſint inertia, adeo langueſcentia, ut vix concoquendo tenui juſculo apta ſint; illud accedit, quod poſitus febrilis fermenti in una, vel pluribus meſenterii glandulis ita coacervatus eſt, ut quoties ventriculum diſtenditur, & inflatur, glandulæ, loco hiſcendi, comprimantur, & fermentum magis obſignetur. Hæc omnia ſi adſunt, ſi latent, ſi ſuperaddito & pondere, & mole, & motu, in motum ferri poſſunt, cum ægri jactura: ſi mechanico lumine examinabuntur momenta motuum, & novitatum, quas efficere poterit potata, eaque multa aquæ quantitas in ſolidis, in fluidis, in impetum facientibus, tam fibras extendendo, quam ſanguinem implendo: ſi ad lancem reducentur reſiſtentiarum leges, & vires, contremiſcet Clinicus, præjudicata nimis mente aquæ potus amans, ſeque deceptum fatebitur ab iis, qui ſolos ſanos factos circumferunt, tacita veritate facti illorum, qui ad plures demandati ſunt.

Si vero de penetrabilis frigoris, ex nivato, aut glaciato potu reſultantis potentia diſceptandum eſt; quot, quæſo, nobis vim faciunt caſuum, & rationum momenta, quæ Neapolitanum hunc uſum ſuſpectum reddunt? Intruſum enim, vel aptatum frigus fibras conſtringit, ſanguinem congelare facit, *multumque nocet nervorum debilitate laborantibus*; idque agere videtur, quod agit ipſum opium, nimirum partem ſyderando, & atonam reddendo, quin imo emortuam, ſi multum perſeveraret.

Si quis mentis acie, & mechanico ratiocinio cogitabit, quid contingere debeat de villoſa ventriculi tunica, de internis membraneis tenuiſſimis duodeni, & jecoris parietibus illico ac a potione nivata, & glaciata diſtendebuntur: nonne corripi, contrahi, indurari, & immobile reddi poterit fibellarum, & pelliceorum corporum omne genus? Ex hoc nonne peribit oſcillatio, motus, & liquidorum expreſſio? Nonne retardabuntur, & impedientur excretiones omnes, per quas natura morboſos ichores exterminare debet, ad hoc, ut ſalus affulgeat? In humano corpore omnia unum; ſi hæc prope ventriculum, ergo ubique: pari lege, ut algida interdum hyeme ad interna uſque penetralia frigore torquemur, ſic ob intruſum frigus tota machina patitur: magnus quippe adeſt in membranis, & nervorum propagationibus conſenſus. Quid? Quod fere ſemper, niſi in ventriculo, ſaltem pone, vel poſt ipſum febrilis minera, in ſanguinem itura latet? Ideoque frigus aptum natum eſt ad eandem potius fixam reddendam; hinc optata diſſolutio tardior.

Quot homines tempore æſtatis ægrotant, & Clinicos accerſunt, quia *pœnas montium in voluptatem gulæ* vertunt (1)? Hinc *inteſtinum malum, & luxu corrupta præcordia*: & tamen unum, vel alterum ciathum tantummodo ſorbillando potarunt; jam antea bene ſe habebant, & alimentorum reliquiæ, gaſtricique ichores advenienti glaciato hoſpiti reſiſtebant. Quid igitur dicendum, quando ad plenitudinem aquæ congelatæ potabuntur, & quando ſolæ in quantitate magna dominabunt, frigoriſque activitas, & potentia de die in diem iterum iterumque innovabitur?

Aſſimilemus, quæſo, corporis fermentationes, & viſcerum digeſtiones, quas amato ſuo vocabulo Antiquorum ſecta concoctiones (in omni natura, in omnibus morbis adeo neceſſarias) dicebat, aut muſtaceæ ebullitioni, aut cuilibet, medio igne, decoctioni, aut ſpontaneis luctis, quas ex varia liquidorum miſcella Chymiatri producunt, aut denique deſtillationibus, & ſublimationibus omnibus natura, & arte productis, ut purum ab impuro ſeparetur, ut heterogeneum deprimatur, ut vaporoſum in auras abeat, ut oleum ſupernatet, ut omnia denique ratione virium, ratione elaſticitatis, ratione ponderis ſuum locum obtinere poſſint. His factis, aut mente conceptis, quid contingeret, ſi omni die, omni hora, aut determinato tempore vel nix, vel glacies infunderetur. Profecto non aliquod, ſed quodlibet compoſitum a quibuſcumque viribus inteſtina agitatione commotum, frigidiſſimi additamenti mixtione quieſcet, nec unquam impurum ſeparabit, nec niſi iterum frigore evaneſcente, & ſoluto, ebulliet, & bulliendo quantum ſatis, in ebullitione perſeverabit. Quare pari ratione & in corpore præpedito fermentaceo tumultu, nunquam concoctionis criſes apparebunt, nunquam optatæ excretiones contingent, in quibus cardo totus curandorum ægrotorum conſiſtit.

Addamus lactea quidem pabulum chyloſum ſanguini impertiri, ſed in inteſtinale tubum hiſcere, & aperiri ſurculos, per quos totum corpus morboſos ichores exterminat: ſique ſurculi illi a nivato potaculo criſpabuntur, in ſanguinem retroire excrementa debebunt.

Paginæ deficerent, ſi omnes in medium ferre velim rationes, quæ gelidæ potionis uſum infirmant; quod ſuper omnia abunde probatur ex eo, quia tota quanta eſt Medica gens, neque ipſo Neapoli, multiſque exceptis, caute, circumſpecte in amplectenda hac methodo, & jam antea, & nunc procedit. Quod cum videant, & cognoſcant ipſi aquæ gelidæ amatores, rationibus, quæ quantum ſatis ſuadeant, deſtituti, ſe vertunt ad facta, ad experimenta, atque ad aliquorum caſuum oſtentationem, in quibus aliquos aqua curatos de certo promittunt, ut videre eſt in quatuordecim obſervatio-

(1) Senec. Quæſt. Nat. lib. 4.

tionibus Nicolai Lanzani Medici Neapolitani (1) necnon in opere Nicolai Creſcentii (2) ubi bene multi referuntur caſus media aqua frigida ſanatorum. Quia vero ipſe rixarum inimicus ſum, ſic eos convenirem. Eſto: veræ ſint curationes (angor in hoc admittendo, quandoquidem ab alio, quam ab aqua ortæ erunt) mediis gelidis aquis obtentæ. Quid ergo? A primis uſque Æſculapii pandectis in hoc uſque ævum volvantur ſcripta Medicorum omnium: factis calculis, enumerentur hiſtoriæ ſanatorum, vel denatorum (3), & in pejus ruentium ob frigidas, gelataſque potiones. Vincat numerus, & facta loquantur. Centeni, ne dicam milleni erunt auctores, qui frigidam, multoque magis nivatam aquam damnant, & ſuſpectam habent; pauci admodum, & hinc inde quæſiti, qui illam proponant: quinimo cum timore, & tremore, adeo ut & circumſtantias diſtinguant, & morbos diſcriminentur (quod ſaltem laudandum eſt) & ægrorum naturam perpendant, & aquas peculiares indicent. Ex quibus omnibus arguere debemus, anceps remedium dare ſpem, & metum. Quod de potionibus calidis non tam facile verificatur.

AQUÆ CALIDÆ.

Aquæ ſiquidem calidæ magis tuto adhiberi poſſunt; eluunt, reſolvunt, aperiunt, concoquunt, liquefaciunt, diffundunt, attenuant, diſcutiunt, excretiones præparant, arctiſſimos poros vi ſua elaſtica ſubeunt; ſanguis ventriculo affinis, in omnibuſque proximis vaſis circumiens, a calore aquæ fluidus redditur; hinc partium omnium irradiato, ſpirituum expanſio, cum productione illorum effectuum, a quibus optatum oritur æquilibrium, & cum productione inſuper eorum omnium, quæ aquæ frigidæ amatores ab eadem ſperant, quin aliqua damna timeri debeant.

Num vero tepidæ ſolum potationes vitandæ ſint, ut illis verbis notat Pamphilius Erilacus (4), *Tepida vero potata in unaquaque diſpoſitione nauſeam inducit, & vomitum; unde caveant ſyrupos, vel quid aliud adminiſtrantes, ne tepida propinent*. Circa quod ipſe, ut vera fatear, non tam acerrimus ſum, quamvis, ut docte notat nunquam ſatis laudatus Valliſnerius (5), a thè, couphè, & ſuccolata diſcere debemus, potiones plus quam fieri poteſt ferventes eſſe magis ſtomacho acceptas.

ANIMADVERSIONES IN AQUÆ FRIGIDÆ POTUM A NONNULLIS MEDICIS NEAPOLITANIS PROPOSITUM REMEDIUM EXTREMUM.

Ratione qualitatis, quantitatis, ſummæ frigiditatis remedium gelidæ aquæ inter extrema ponendum eſt, toto, ut aiunt, cœlo viſcerum tepori, calido innato, canalium capacitati, delicatæ fibellarum mollitudini, expandendorum ſpirituum commercio, inſitorum fermentorum activitati, ſpiritali lobulorum pulmonalium conſtitutioni adverſum, inimicumque adeo, ut eademmet potata mille illico præjudicia in motu ſint; dolores nempe, tuſſes (6), flatus, ſuffocationes, lipothymiæ, horrores, & mortes, ut videre eſt in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum (7), ubi referuntur caſus & fœminæ hyſtericæ *poſt copioſum hauſtum aquæ frigidæ animam reddentis*, & *infantis* (8) *recenter nati icterici* (9), *& convulſivi morientis*, & aliorum, a quibus enumerandis ſuperſedeo, cum certo ſciam, neminem in arte, de qua agimus, fore tam hoſpitem, ut neget ſummam, activiſſimam, extremam, & frigidæ morti ſimillimam remedii vim, qua adhibita, num corio alieno ludendum ſit, ut gloriemur de novo invento arcano, ſapientes decernere poterunt.

CRESCIT PERICULUM AB USU AQUÆ GELIDÆ, SI SINE CIBO ADHIBEATUR.

Si ſine cibo omnes pereunt, quiſnam erit Medicus ille tam audax, qui illum per tres, per ſeptem dies interdicere poſſit? Blaterent quid velint, vel aquam nutrimento eſſe, aut nutritias partes jam præexiſtentes commovere, ita ut nutrire poſſint. Addant inſuper, hunc hominem, illam hyſtericam ad hebdomadas, ad menſes ſine cibo vixiſſe: hæc difficilia cognitu ſunt, mille ambagibus obvoluta, & interdum non vera. In hoc jubendo, aut exequendo, toto pectore, atque omnibus artubus contremiſcendum eſt, ut patet ex aſſerto eorumdemmet gelidæ potionis patronorum, qui circa cognitionem adminiſtrandi alimenti, ſummum intereſſe difficultatis fatentur (10): aiunt enim, aliter Medicus *a manifeſto, ed a certiſſimo pericolo la vita dell' infermo, inſieme con la ſua*

(1) Vero Metodo di ſervirſi dell'Acqua fredda nelle febbri, ec. Lib. 2. *a pag. 61. uſque ad 78.*

(2) Del Metodo dell' Acqua. Ragionamento 2. pag. 78. & ſequentibus.

(3) Ipſe ſolus Eques Joannes Baptiſta Verna, vir in Medicà Arte clari nominis, Neapolitanam Praxim intime edoctus, centum funeſtas hiſtorias poterat enumerare. Vide ejus Epiſtolam in fine Operis Valliſnerii.

(4) Lib. 4. cap. 27.

(5) Dell' Uſo, e dell' Abuſo delle bevande, ec. p. 87.

(6) Ut ſuus ipſe Verna Neapolitanus T. de Phlebotomia n. 12. ait: *Aqua frigida pectori inimica*.

(7) 3. a. 1. 98.

(8) Ibidem 96.

(9) Facilis res eſt, quod icterus potum aquæ gelidæ ſubſequatur, ſi ex compreſſione, aut frigiditate corrugetur, aut claudatur coledochus ductus, per quem bilis in inteſtinum duodenum elutriatur, quæ retrograda, &c.

(10) Lanzanus T. 2. cap. XIX. pag. 179.

ſua riputazione ſenza fallo eſporrà. Si igitur res ſummæ difficultatis eſt, ſi minima Medici omiſſio, vel error vita piatur, quomodo ſe adeo cautum circumſpectumque promittere poterit, ut omnia videat, funditusque introſpiciat? Hoc non eſt mederi, ſed martyria, animique moleſtias ſibi parare; a regiis viis, & ſanioribus Medicinæ præceptis divertere, arti notam inurere, & ut novatorum famam aucupentur, per fas nefaſque in proximum ſuum deſævire.

RATIO PRÆCIPUA, CUR USUS AQUÆ FRIGIDÆ IN ALIENAS REGIONES, ET PRÆSERTIM IN NOSTRAM, TRANSFERENDUS NON SIT.

Dictis addendum ſupereſt, quod ſi gratis aliquid poſſe aquas gelidas concederemus in Neapolitano Regno; adhuc tamen alibi adhibendæ non eſſent, non ratione ſolum planetarum potentiæ, graduumque latitudinis, quibus telluris ſitus poſitus eſt, non ratione maris Adriatici, Jonii, quibus alluitur, & perflatur; ſed ob ſolum undique alumine, & ſulphure ſaturatum, & præcipue in terra Laboris, propria maris Tirrheni, diſtante octo circiter milliaria a Neapoli, ubi mons ignivomus, fervens, cęlumque inficiens, olim Veſuvius, nunc *Somma* dictus, ubi jugiter flammæ acceduntur, taliterque ad diſſita etiam loca perveniunt (1), & peragrant (2), ut ipſa Neapolis 1632. ultimam ruvinam pertimeſcens expectaverit.

Ex hoc cognitu facile erit, quantum regio illa undique particulis ſulphureis, calidis, & ut ita dicam igniferis, ſcatere poſſit. Quia, & ſi non ubique ſub terra pari modo latebunt, ut in hodie inculto Veſbio, nihilominus & de illa indole finitimæ, & aliquatenus a parte poſt partem diſſitæ terræ participabunt; ideoque partim ab inſitis, partim ab accedentibus, & prætervolantibus efferis particulis, & qualitatibus aer, & proinde Neapolitanorum ſanguis, tali modo accendetur, ęſtuabit, ut ferre, & ſuſtinere magis poterit frigidas aquas, & lotiones, quam ſanguis aliarum regionum.

Hoc evincitur magis, ex eo quia inibi videmus majorem quantitatem vegetabilium, & plantarum aromaticarum, quæ oſtendunt, & latere terram ſpiritibus, & ſalibus turgidam, & jugiter violentius a radiis ſolaribus verberatam, ex quo eſculentorum etiam omnium, nec non vinorum ſummus ſpiritus, & intolerabilis calor.

Quare optimo ſane documento Magnates Patricii, Principes, Matronæ Neapolitanæ, nec non nobiles, aut more nobilium viventes, delicataque gens, in deliciis habent potiones aqueas præſertim putei Sancti Petri Martyris, *di Caſtiglione*, *dell' Arſenale*, *della Quaquilia*, *del Piliero*, & interdum etiam illius e cęlo venientis, & in ciſternis repurgatæ. Qui mos non minus in regione illa, ſed etiam alibi a nobis ſemper laudabitur; quia gulæ errata, potataque vina corrigit, atque emendat, & dummodo ad extremum quantitatis, & glaciei gradum non perveniat, utiliſſima eſſe poterit.

His igitur delibatis, qui aquam gelidam potare vult, ad Neapolitanum Veſuvium accedat, inibi per aliquod tempus inhabitet, illa bibat vina, totuſque ſanguis ſuus, ut bene inflammetur, agat; & ubi hæc facta fuerint, adhuc tamen contremiſcat; dum extrema remedia extremum diem interdum accerſunt: ſicque Parthenopeæ gentes facilius irent ad reperiendam Sirenem ſuam.

VIRO ILLUSTRI AC CELEBERRIMO

FRANCISCO SERAO

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

Et noſcere in hac noſtra Brixiæ urbe Comitem Felicem Gazola, ſub Siciliarum Rege Tribunum Militum, reique tormentariæ Comiſſarium Provincialem, & de te loqui, vir ornatiſſime, res una fuit. Quippe cum incepto vix ſermone de præſenti inter Neapolitanos Medicinæ, & Medicorum ſtatu, velut primarium lumen, tu illico effulſeris, quem eximius vir ſuiſmet oculis vidit, audivitque; mihi vero, licet diſſito, fama jam ante porrexerit; propterea admirari deſines, ſi hac ratione permotus, & Illuſtriſſimi Gazola hortationibus excitatus, tibi dono mittam diſſertationes meas, elapſo anno publici juris factas; & enixe rogem, quid ſentias circa internum ſulphuris uſum a Nicolao Maſſa propoſitum in luis venereæ curatione. Cum enim ipſe nonnulla ſuper eodem argumento ſcripſiſſem in *Hiſtoriis Morborum*, & mihi arrideat hoc remedii genus; præcipue in illis pauperculis, in quibus mercurius ſuſpectus eſt, lueſque cum pſora conjungitur, idcirco tibi, & omniſcio, & non longe a ſulphurariis degente, quæſtionem a te excutiendam, lumenque mihi communicandum propono, dum præter ea omnia, quæ Medica praxis in hac veſtra regione docuit, ſi verum eſt, quod ſcribit Plinius, foſſores in fodinis æris non eſſe lippientes, quia effluvia utilia ſunt, & medicatricia, pari ratione conſtabit, num ſulphurarii lue venerea laborent, aut ſaltem minus

(1) *Teſtor Venetas regiones, totamque Illyriam. Audiebant tanto licet locorum intervallo, tot dierum itineribus a Veſuvio diſcreti, exiſtimabant Claſſem noſtram committi cum Turcica &c.* P. Maſculus lib. 1. de Veſuv. incend.

(2) Ac trecentis ipſis paſſuum millibus a Sicilia disjunctæ naves eo cinere ſint fędatæ: ibidem.

minus male tractentur, & felicius convaleſcant. Interim parcas velim meæ audaciæ; tibique potius, tuæque doctrinæ adſcribe, ſi hanc moleſtiam faceſſo. Vale

Brixiæ 8. Septembris 1743.

Illuſtriſſimo, ac Sapientiſſimo Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLIO PAROLINO

Medico Brixienſi Præſtantiſſimo

FRANCISCUS SERAUS

S. P. D.

Quum multa alias, nec vulgaria in me a viro egregio Comite Felice Gazola beneficia profecta ſint: tum neſcio an ullum præclarius, mihique honorificentius, quam quod ita de me tecum, Vir Clariſſ. loquutus ſit, ut non infra dignitatem tuam putaveris, & litteris humanitatis plenis me appellare, & elegantiſſimorum Operum tuorum dono me augere, & honeſtare. Quamquam quod litteræ hæ tuæ duodecima Septembris datæ vix ad vigeſimam Maii in manus meas, ejus incuria ne dicam, an conſilio, venerint, eſt profecto quod viro de me optime merito ſuccenſeam. Sed quoquo caſu id factum ſit, certe ſtatim intellexi dandam operam, ut omnis a me ſerioris reſponſionis occaſio præcideretur. Itaque etſi curis implicitus quum multis, tum vero ab hujuſmodi commentationibus ſane quam alieniſſimis, tamen confeſtim reſcribere conſtitui, ut & magnas gratias a me tibi haberi ſignificarem, nec doleres, beneficium tuum apud hominem omnis officii ignarum fuiſſe collocatum. Utinam autem eo nunc loco res meæ eſſent, ut & referre aliquam pro ingenii mei tenuitate poſſem! Verum ne nihil mandato tuo a me tributum eſſe querare, quæ mihi circa ſulphuris adverſus luem veneream uſum argumento tuarum litterarum protinus in mentem venerint, ſic paucis accipe. Sed quæ in mentem venerint: nam nec unquam in eam rem animum antea obnixe intendi; nec tua, aut aliorum ſcriptorum eo ſpectantia monumenta hactenus evolvere mihi licuit. Facile autem mihi perſuadeo, quod & tibi probari ſcribis, ſulphuris operam adverſus morbum hunc utilem futuram, ſiquidem analogia (quæ una, ubi idoneorum experimentorum copia conſtantiaque deeſt, ad nova adinvenienda præſidia Medicis patet via) niti deceat. Nam de ſulphuris ad ſcabiem efficacia nemo ſane Medicis doctrinis vel leviſſime tinctus dubitaverit: vulgaris autem ſcabiei cum venerea lue cognatio tanta eſt, ut facile alter alterius morbi vicem ſpeciemque exhibeat. Ex quo unice factum arbitror, cur nova hæc lues, quum primum in Europæorum oculos incurrit, non aliunde fere, quam a ſcabie, noto pervulgatoque affectu nomen, naturæque ideam mutuata ſit. Huic non exigui apud me ponderis argumento, ſi per te liceat, & illud adjiciam, quod ſulphur animalculis pleriſque omnibus, ſive inſectis exitiale ac plane pro veneno ſit: quo potiſſimum nomine ſcabiei (morbi ſcilicet a vermiculorum examinibus animantium cuti adhærentibus prognati) præſentiſſimam medelam in eo petitam eſſe contenderem. At noſti, Vir Doctiſſime, Medicos nonnullos hoc tempore, non aliam morborum complurium, Aphrodiſiaci autem præ cæteris, cauſſam theoriamque comminiſci, quod aliis aliter, mihi ea maxime conjectura veriſimile ſit, quoniam venerea labes contagionis charactere non careat. Quem morborum nonnullorum characterem ſive notam niſi ab inſectorum, ſive organicorum, ut Lanciſius loquitur, effluviorum clandeſtina translatione repetamus, quemadmodum exponamus, viam profecto nullam inveniemus. Habes, Vir Clariſſime, ſpecimen quoddam ſententiæ meæ, ſimul, & obſervantiæ erga te, obſequentiſque animi. Ceterum an hæc tibi probabilia videbuntur, haud dicere habeo. Potuiſſem quidem, & fortaſſe parvo, non omnino imparatus quæſtioni abs te mihi propoſitæ ſatisfacere, ſi modo paucorum dierum ſpatium mihi inſuper ad reſcribendum ſumpſiſem: at malui maturata reſponſione ab grati animi obſervantiæque teſtimonio, quam ab eruditionis laude me tibi probari, nomenque commendari meum. Deinceps ſi quid nactus fuero, quod voluntati inſtitutoque tuo conducibile futurum intelligam, non committam, ut litterarum mearum officium deſideres. Vale

Neapoli IX. Kal. Junii MDCCXLIV.

P. S. Poſtridie Nonas Martii MDCCXLV.

Quum harum litterarum exemplum protinus ab ea die, in qua datæ fuerant, publico tabellario concredidiſſem, deque ea re ſecuro otioſoque animo eſſem; ecce admoneor, ad te nihil hactenus meo nomine perlatum eſſe. Indolui, ut par erat, ægerrimeque tuli. Nec tamen dubito quin temporum calamitate, itinerumque interceptione, ut tunc Italiæ ſtatus ferebat, factum ſit, ut Epiſtola mea periret. Nunc officii, æque humanitatis tuę, Vir Clariſſime, fuerit, incommodam, ſiquam de mea erga te obſervantia, & voluntate opinionem imbibiſti, ut eam exuas, hoc inſuper, ut me tibi addictiſſimum putes, atque, pro magnitudine, & conſtantia animi tui, amare pergas. Vale

IN NEAPOLITANO REGNO RANÆ AB ALIQUIBUS MULIERIBUS ENIXÆ.

I*N quibuſdam Regni Neapolitani locis ranas enixas* (1) difficulter crederem, etiam ſi viderem. Quod inſuper inibi id *familiare* ſit, lippis, & idiotis narrandum. Monſtra gigni admittimus, admiranda, & humano ingenio vix perceptibilia, mulierem imaginari, ſibi fingere, & mordicus tenere, ex quo perciti animales ſpiritus conceptum phantaſma utero infigere poſſint, non negamus; arte a vafro ſexu adactas in vaginam, introductaſque fuiſſe, ut proinde tanquam monſtra exirent, ſtupidos, & attonitos redderent credulos, & novitatum amatores, inter res eſt, quæ dari poſſunt; exiguas molas, & pſeudo-carneas concretiones poſſe in utero ſolidari, & exire, quæ ranam repræſentent, non eſt ultra mechanicæ errantis cancellos. Has res eundo creſcere, & ab ore in ora mutari, & augeri eſt frequentiſſimum. Ideo antequam pro firmo teneamus, familiare eſſe eniti ranas, ſola auctorum teſtimonia ſufficere non debent, ſed factis facienda fides.

PAPIA

VIRO CLARISSIMO, AC DOCTISSIMO

CAROLO MAZZUCCHELLI

In Ticinenſi Univerſitate Primario Anatomes Profeſſori

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS S. P.

MEmor tuorum juſſuum, Vir Optime, præſentibus hiſce litteris aperio, quæ fuerit opinio noſtra circa ſtatum morbi, & methodum curationis inſtituendæ, pro priſtina recuperanda prænobilis Marchioniſſæ Thereſiæ Crivelli valetudine. Utque in ipſo limine tuo deſiderio ſatisfaciam, habe, me nullo modo potuiſſe aſſentiri, ut propoſita inciſio, integumentorumque unius, vel alterius tibiæ dilatatio, vel inciſio in præſentiarum fieret, ut hinc abraſo perioſteo os ipſum tentaretur.

Licet vero, dum conſilium tuum ſequor, falli non poſſim, attamen, ut ſummis viris morem geram, Tuque ſcias, quæ fuerint id ſentiendi argumenta, patere quæſo, ut aliquanto fuſius eſſentiam morbi indicem, ſymptomata colligam, oſſiumque cognitam hactenus læſionem non reticeam. Ita enim eluceſcet magis, quæ in poſterum pro ſalutis ſcopo facienda ſint.

Præter igitur ea, quæ in conſultatione Brixiæ data, antequam Mediolanum vocatus accederem, ipſe explicavi, necnon reliqua, in quibus oretenus verſavimus, nullus vix reſtat dubitandi locus, ex ſalina originarii ſanguinis conſtitutione, exque tot perpeſſis circa adverſam valetudinem ærumnis, necnon ex pravis tempore poſtremæ febris in motum poſitis humoribus, metaſtaſim ad ſinciput, ſed præcipue ad infimos artus deſcendiſſe, quæ præſentium morboſarum affectionum cauſa fuerit.

Quoniam vero temperamenti gracilitas, & hyemalis temporum conſtitutio activiora reſpuit remedia, ſic paulatim ſanguinis puritati, corporis nutritioni, fibrarum, & ſolidorum vigori incumbendum cenſerem, medio uſu ptiſanæ ex avena Anglica, quæ vulgo *pilata d' Annover* dicitur, in illa quantitate, quæ Tibi ſufficiens videbitur.

Sique, quantum neceſſe eſt, ſolidorum vigor, necnon dulcior homogeneus ſtatus ſanguinis, qui juxta Hebraicum vulgatum illud: (בריש כל מרעין אנא דמ) fere ſemper præcipua morborum cauſa eſt, non eveniret, ad uſum viperini libaminis tranſire poſſet, ita tamen ut potio in reſtaurum vaſe clauſo vitreo elaborata ab unica tantum carnis viperinæ uncia penderet, eſſetque quatuor unciis aquæ fumariæ diſſoluta.

Dum hæc inchoantur, & in uſum ponuntur, ab igne, & ferro ſuper utramque tibiam abſtinendum eſt; quandoquidem, ut tecum libere loquar, neque exoſtoſis, neque caries, neque ullus, quantumvis exiguæ oſſis particulæ ſphacelus, & fraciditas hactenus facta eſt; deeſt quippe illarum circumſtantiarum lacrymabilis ſeries, quæ factam corruptionem portendat.

Plana concretio quatuor digitis tranſverſalibus oblonga, quæ vix viſibilis ſuper dexteram tibiam elevatur, eſt ipſius oſſis in ampliorem veluti molem coacta amplitudo ab albo lentore producta, ab oleoſo rore in laminis ſtabulante connutrita, & adaucta, gummeamque veluti ſtaſim efficiente: hinc extenſo aliquatenus perioſteo, in dextera dolor efficitur, ab iiſdemque vitio, & qualitatibus, licet ad illum gradum adhuc non pervenientibus, ſiniſtra etiam laborat.

En ſic facili negotio explicatum morbum, & dolores, qui cum ſpatio quinque menſium non creverint, ſed potius imminuti ſint, ſperare juvat exemplo aliarum depoſitionum in ſincipite, & malleolo jam feliciter reſolutarum, ut & tibiarum labes oſſea evaneſcere poſſit.

Ad quem finem laudavi fomentationem ex Veneto ſapone, & reluctante morbo, tranſitum ad emplaſtrum tabaci, utpote magnum diſſolutivum.

Hiſce remediis rebellem oleoſi glutinis in oſſeis ſtratis moram exterminatam iri confidimus; & ſi unquam votis noſtris effectus non reſponderet, totque diligentiis una, & remediis non obſtan-

(1) Collegium Practicum. Steriliras in Etmull. p. 859.

obſtantibus, noxiiſque adhuc humoribus ad affectam regionem concurrentibus, aliquod oſſis fruſtulum in cariem abſcederet, niſi naturæ, & mechanicæ leges perierunt, aliqua apparebit in ſuperſtantibus integumentis rubedo, livor, lancinans magis auctus dolor, tumoroſitas, exanthema, aut quid aliud ſimile, quæ adſtantes Profeſſores admonebunt de latente, aut non nimis remoto oſſis vitio.

Neque tunc illico ad manuum violentam operationem deveniendum eſt, ſed ſequenda erunt naturæ documenta, & imminentis ſuppurationis ſitus quammaxime examinandus; quandoquidem oſſium ſeparationes interdum vidi a ſolo tempore celebratas, nova carne oſſi ſano adhærente, ſuccreſcente, & ſphacelatum os, quaſi dixero, ingenio quodam ſeparante.

Sin vero demum aliqua emergeret difficultas, neque ominata fœlicitas contingeret, non obſtarem, ut perquam caute ſeparatio oſſis tentaretur, illis modis, quos difficile, & tot convulſionibus, & morbis ſubjectum temperamentum, & labis gradus requirent.

Interim Tu, dum in Ticinenſi urbe, & Lyceo, Mediolanenſis Senatus protectione, & favore permotus, florentiſſimam lectiſſimorum juvenum coronam in Anatomicis diſciplinis inſtituis, neque mei obliviſcaris, neque deſinas favere; & quoniam diu optatam neceſſitudinem tuam, elapſis diebus mihi humaniter promiſiſti, age, quæſo, ut tuis juſſibus illa confirmetur. Sique in urbe, in qua nunc moraris, aliquis viget circa Medicam Praxim peculiaris uſus, circa adhibenda remedia aliquod inventum, circa reſtaurandum denique hominem, differens ab aliis regionibus, modus, illum mihi ne reticeas oro; imo peculiari, quantumvis brevi epiſtola, me admone, quæ quidem futurum noſtrum ornabit Opus, in quo agitur de plurimarum regionum Medicina, & quoad Ticinenſe ſtudium, & practicos uſus ipſe nihil addam, Tu eminebis. Vale.

Mediolani 6. Februarii 1744.

Illuſtriſſimo, Doctiſſimoque Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Bononienſis Inſtituti

Scientiarum Academiæ Socio

CAROLUS MAZZUCCHELLUS

S. P. D.

E *Ticinenſi Univerſitate, Anatomicis expletis Inſtitutionibus, Mediolanum reverſus, ornatiſſimam epiſtolam tuam, quæ a Prænobili Marchioniſſa Thereſia Trotta Crivelli, dum eam primo inviſerem, oblata fuit, ſumma animi alacritate perlegi: vehementerque lætatus ſum, quod me non tam ſententia, & conſilio, quam optata jamdudum neceſſitudine conjunctum habere non recuſaveris, quodque dolendum mihi fuerat in diſceſſu, ob intermiſſam prius, quam cæptam doctiſſimam, ſuaviſſimamque familiaritatem tuam, in nupero reditu cumulatiſſime reparatum viderim perjucundo humanitatis, ac benevolentiæ teſtimonio, unde non poſſum non confiteri, me vel eo quammaxime lætari, quod dum hominum vulgus me Tui amicum intelligat, eorum quoque opinio me ſocium tuis laudibus adſcribat. Quanquam nec novum Tui amicum velim quiſquam me crederet, poſtquam nova non eſt virtutis tuæ æſtimatio, quæ ſemper in me viguit, quamque præſentia tua quammaxime confirmavit, neque nova eſt utrorumque ſocietas in Bononienſi Inſtituti Scientiarum Academia, quam Tu eruditiſſimis ſcriptis illuſtrare non deſinis. Pro meæ igitur fœlicitatis complemento hoc unum eſſet optandum, ut ad eam neceſſitudinem, quam mihi ſors tribuit, conſuetudo quoque poſſet accedere, præſertim in iis ſtudiis, in quibus uterque noſtrum devinctus eſt, ut quanti ego tua facio, tanti mea Tu facere poſſes.*

De Nobiliſſimæ Ægrotantis morbo, morbique cauſa a Te perquam dilucide, ſapienterque enucleata, nil habeo quod dicam; quinimo vel a debito tui ingenii, & doctrinæ encomio abſtinere cenſeo, ne cum ſententiam tuam laudavero, opinionem, quam ipſe mente conceperam, auctoritate tua confirmatam, jactantia quadam extollere videar. Hoc unum fas erit mihi dicere, me ſedulo eſſe curaturum, ut remedia a Te perquam apte propoſita reducantur ad praxim, neque id faciam ſimulatione, ut forſitan quibuſdam videri poſſet, ſed tantum veritatis amore, necnon ejuſdem Ægrotantis utilitate ductus, unde eſt, ut me ad tuas rationes omnino adjungam, quemadmodum in meis rationibus Te mihi eſſe adjungendum putaſti. De rerum eventu Te certiorem faciam, & ſi quid boni, uti ſpero, contigerit, certe velim exiſtimes Tibi, tuiſque conſiliis eſſe debitum.

Circa Medicam Praxim in Ticinenſi urbe uſitatam, nil peculiare dicendum mihi in mentem venit, cum eadem propemodum ſit ac in urbe noſtra, neque minora inter Medentes occurrant vitia, in quorum nonnullis audacia pro ſapientia veneratur. Utinam poſſem aliquid Opere tuo dignum ad Te ſcribere, ne Te fruſtra ad me ſcripſiſſe arbitreris. Tu interim & quæ habes inſtituta perpolire, & me amare proſequere. Vale.

Mediolani 26. Februarii 1744.

PATA-

PATAVIUM

ILLUSTRISSIMO

ET CELEBERRIMO VIRO

JULIO PONTEDERA

Publico Patavino Profeſſori

Et Rei Herbariæ Peritiſſimo

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

S. P. D.

IN Monte *d' Enno*, Divæ Magdalenæ dicto, ad urbis noſtræ ſeptentrionem, in illa tamen parte, quæ meridiem reſpicit, elapſo menſe, in ſaxoſis reperta eſt planta, quam Brixiani Aromatarii, & Botanices ſtudioſi vere eſſe *ſpicam nardum* crediderunt; nobis vero exhibita, hæſitavimus, quia in hiſce rebus plena periculi commentatio: eoque magis, quando vidimus illius iconem a Mathiolo, & Rovillio in ſuis Plantarum Hiſtoriis, diverſo modo expoſitam, & ſine flore, ſpicatæ cæpæ inſtar, glomeratam, necnon alteram a Nicolao Lemery, cum thyrſo, foliis latioribus, & quodammodo ſpinoſis: circumſtantiæ omnes de planta noſtra non prædicabiles.

Quia tamen collata cum illis, quæ ex Syriacis, Samphariticiſque, ut aliqui volunt, regionibus, pro officinarum quotidiano uſu advehitur, necnon cum illa, quæ proſtat in Opere Medici olim Romani Caſtoris Durante, admodum & mihi ſimiles viſæ ſunt, in radiculis, odore, colore, effluviis, ubi fricata fuerit, aromaticis, ſapore auſtero amariuſculo, in ſpicis magis erectis, in ſparſaſque aliquatenus ariſtas deſinentibus, necnon in flore; ideo opportunum duxi ad Te confugere, Vir Celeberrime, eodemque actu, plantulam elapſo menſe repertam mittere, quam hiſce noſtris additam in exigua capſula per eundem tabellarium accipies.

Id etiam conſulto feci non minus, ut Tibi officia mea, quod jam diu in votis erat, præſtarem; ſed quia audivi muſſitantes Pharmacopolas, fortaſſe exoticæ plantæ noſtratem ſubſtituturos; hinc vides verendum illud invectum, lugendumque prejudicium, aut arte, aut ignavia, quid pro quo adhibendi, cum Facultatis Medicæ dedecore, ęgris piandum.

Sin vero, Te etiam auctore, hęc, quam humiliter ſiſto, nardi ſpica legitima dici mereretur, adhuc eſſet ambigendum, num illis polleret viribus, quas Indicis dat activior climatis energia: ex hoc vaſtus erui poſſet campus arguendi, & reprobandi in exteris muciditatem, ſiccitatem, cariem, fraceſcentiam, quas longa, & maritima itinera efficere ſolent; laudandi in vernaculis vegetam, & fortaſſe virideſcentem vim, ſoli diverſitatem facile penſaturam.

Verum, prolixiori epiſtola, togata virtus tua ab utilioribus ſtudiis amoveri non debet. Auſus ſum, quia certo ſcio, vos ibi, Summo Principe auſpice, ſedere, ut non ſolum auditores, ſed & longinquos doceatis. Deus Te ſervet.

Brixiæ 13. Maii 1745.

Præſtantiſſimo Viro

Comiti Francisco Roncallio Parolino

JULIUS PONTEDERA S. P. D.

CUm graviſſimis occupationibus publicis, quibus in tradenda Stirpium Hiſtoria, hoc anni tempore aſſidue detineor, plane preſſus eſſem, litteræ tuæ, Vir Clariſſime, omni officio, & humanitate refertæ, mihi redditæ ſunt, tradita quoque a tabellariis ſtirpe, quam ex proximis montibus erutam ad me mittebas. Hujus utrumque exemplar. & ſpecimen diligenter perpendens, alterum, quod Martii initio lectum ſcribebas ad Valerianæ radicem, odore accedere; alterum vero, quod eodem menſe fere circumacto effoſſum ſignificabas, nullo odore præditum animadverti. Hæc ſane diſcrimina me adeo ancipiti cura traducunt, ut quid ſtatuendum ſit, plane non perſpiciam; cum probe ſciam, ſtirpium odores pro ſoli conditione, & tempeſtivo, vel intempeſtivo legendi articulo modo intendi, modo remitti; eoſdem autem omnino evaneſcere, atque amitti penitus ignorem; quare diligentia opus eſt, ne quid legentem in errorem adducat: itaque cum extremo Martio ſecta ſtirps florem oſtendat, & ſpicis inter foliorum alas inſidentibus (quarum ſumma apicibus, & ſtaminibus tantum ornata, ſterilis jacet, atque infœcunda), ad illas herbas referenda videatur, quæ longe a ſemine apices in eodem caule gignunt, cyperoides eſſe invenitur. Eadem tamen cum graminibus affinis ſit, atque odore privetur, & tam procul ab India proveniat, cur ad ſpicam Indicam referri poſſit, non video. Porro, ut quid certius ad Te ſcribere valeam, da operam, ut plura, atque apte diſpoſita, diligenterque exſiccata, & partibus omnibus, præſertim flore, ſemine, radice integra exempla ad me mittas, in quibus conſectandis perpendere, & circumſpicere oportet, num valeriana, an aſarum prope naſcantur, quæ odorem ſuum (quo imbuta, eundem poſtea ſervabunt) illis commiſceant, atque in propriam qualitatem radices convertant. Locus item, in quo ſpecimina reponuntur, eaque, quibus implicantur, prorſus inodora ſeligenda cenſeo, ne quid ſit, quod fucum faciat, & ſtirpis naturam obſcuret. His igitur pro tua ſingulari humanitate ad me quamprimum tranſmiſſis, totus in eo ero, ut Tibi, & voluntati tuæ (quantum mea mediocritas ſinet) plenius ſatisfaciam. Interea cura, Vir Præſtantiſſime, ut recte valeas.

Dabam Patavio IV. Cal Jun. M. DCC. XLV.

BAR-

BARTHOLOMÆUS LAVAGNOLI

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO COMITI

Viro Præſtantiſſimo.

Rogaſti me interdum per litteras, Vir Doctiſſime (ſed cur eum rogare, qui totus tuus eſt, & quo nemo in Te colendo, & celebrando ſtudioſior?) ut ſi quid in Praxi Medica in hoc ſitu regionis, ac cœli temperie cognoverim inter alias res multas, animadverſione præcipue dignum, maxime vero in quo poſita laus eſt totius Artis, experientiæ vel conſentaneum, vel repugnans, patefacerem Tibi conquirenti undique ad Medicinam promovendam, & illuſtrandam notitias, & libere aperirem ſententiam meam. Ego vero, etſi libens aſſentior, ſcribo enim ad Te virum ingenuum, prudenter Artis peritum, ſcriptis editis celebrem, nihil ex vulgi conſuetudine agentem, aut cogitantantem; facio tamen animo aliquantum ſuſpenſo, certo ſciens, libertate dicendi nihil accidere ingratius moroſis auribus quorumdam hominum noſtræ ætatis, ægre ferentium quidquid ipſi agunt, vel ſentiunt, ab omnibus non probari. Hic ſcilicet morbus eſt (heu difficile ſanabilis!) eorum, qui ſua nimis amant, capitalis animorum peſtis, *ut aiebat Plato,* quæ neminem veritatis incorruptum judicem eſſe ſinit. *Gratulor ego Tibi, qui totus es in præjudiciis extirpandis. Hæc vero fuerunt ſemper, & vereor, ne ſint impedimento, quominus Medicina ab optimis orta principiis, a majoribus noſtris diligentiſſime exculta, obſervationibus, & experimentis illuſtrata, & inventis aucta quotidie novis, eo nondum perducta ſit, quo tot virorum, tum veterum, tum recentium labores, & curæ nobiles perventuram eſſe aliquando pollicebantur.*

Quoniam ergo Tu id poſtulas, Roncalli eruditiſſime, morem Tibi geram, & quæ hactenus in Medicina exercenda obſervatione comperi, ea brevitate, quæ decet epiſtolam, ingenue dicam.

Sæpe ipſe mecum reputavi, nihil eſſe in natura tam pernicioſum, & noxium, quin aliquando proſit; nihil tam ſalutare, quin aliquando lædat. Ineſt etiam venenis ipſis aliquid interdum utile; ineſt optimis cibis aliquid ſtomacho ingratum.

Sanguinis miſſio præſidium eſt in Medicina celebre, & quo nullum fortaſſe majus; ſed eadem eſt remedium, quo nihil naturæ inimicius: ſæpe vitam momento reſtituit, & ſæpe etiam momento rapit. Inconſtantiam hanc in juvando, & lædendo, cauſam eſſe puto præcipuam, cur apud aliquos male audiat, & ad hanc reſpexiſſe viros clariſſimos, qui illam a Medica Praxi ablegare conati ſunt. Verum, cum rectus, & pravus eſt uſus rerum omnium, tum eſt maxime hujus remedii, quo, ſi bene utimur, ab interitu ſæpiſſime vindicamus ægros; ſi male, ad mortem mittimus. Vereor igitur, ne decipiantur tum qui plus illi tribuunt, quam oporteat, tum qui minus: illi quia conſuetudine, neſcio qua, inducti, in ſingulis fere morbis commendant, & imperant; iſti, quia præjudicio quodam occupati, in omnibus prohibent.

Idem ferme ſentiendum de miſſione ſanguinis, quod de purgatione: & quot verſari debent ob oculos prudenti Medico præcipienti pharmacum purgans, quæ Tu complexus es accurate, ſcienterque in tua illa pereleganti Diſſertatione De Purgantium uſu in Aere Brixiano; *tot ferme verſari debent perite jubenti, ſive in acutis, ſive in chronicis morbis in aere noſtro phlebotomiam.*

Egrederer epiſtolæ finibus, ſi ad Te ſcribere vellem omnia, quæ de uſu recto, & pravo hujus remedii obſervavi, & in adverſaria mea retuli edenda fortaſſe aliquando in lucem. Heu! quoties videre contigit ob male imperatam, & inconſulte repetitam evaſiſſe morbos deteriores! Si vera eſſent omnia, quæ ingenioſe, & ſubtiliter cogitavit, exegitque ad mathematicas leges clariſſimus Bellinus, haberet Medicina remedium catholicum morborum omnium; ſiquidem pauci ſunt, in quibus non oporteat refrigerare, aut calefacere; humectare, vel exſiccare; tenuem, vel craſſum efficere ſanguinem, abrumpere cohæſionem; augere, vel minuere motum, emendare pravam temperiem, vel excitare elementa inertia, & otioſa, vel nimis actuoſa, & mobilia deprimere; derivare, aut revellere; delere putredinem; eripere, aut mollire dolores: hæc autem omnia ex doctiſſimi viri ſententia præſtat ſanguinis miſſio. At vero quia facilius eſt cogitare, quam experiri, neque indicationes peti debent ab ideis noſtræ mentis, & hypotheſibus perbelle fictis, ſed a cauſis per obſervationes effectuum compertis, & experientia confirmatis; ſi ad hanc provocamus, dicta, factaque diſtant inter ſe plurimum. Quare potius exiſtimo prudentem, doctumque virum oſtendere maluiſſe remedii vires, ad confutandum errorem imperitorum nunquam utentium, quam ad fovendam licentiam aliorum inconſulte, ac temere utentium ſemper.

Hippocraticæ doctrinæ cultores mediam tenent inter utroſque viam, & ſapientiſſimi ſenis decreta paſſim commendata, repetita, inculcata, conferentes cum experientia, & obſervatione; mittunt, & non mittunt ſanguinem pro nata re.

Ut ad ſingularia deſcendam, quæ epiſtolæ propria ſunt, nihil uſuvenit frequentius, quam ut in affectione hyſterica, *quoties paroxyſmus corripit, imo prius quam corripiat, ſemel, iterumque mittatur ſanguis. In Monachis præſertim video conſuetudinem hanc ita invaluiſſe, ut fere exulent Medici a Monaſterio, ſiqui deprehenduntur hujus remedii prudenter avari: quid inde utilitatis, &* commodi *haud facile ſum dicturus; ſatis tibi ſit a morbo nunquam convaleſcere. Cordati viri, a quibus non diſſentio,* affectionem *hanc revocant ad morbos* ſpaſmodicos, & convulſivos, *& recte quidem.*

Tametſi enim ſymptomata, quæ antecedunt, comitantur, & conſequuntur, varia ſint, & multifor-

tiformia, vixque poſſint certo numero definiri in fœminis ſingulis, quarum quælibet ſingulari, ac propria temperie, & conſtitutione donata eſt; omnia tamen hujuſmodi ſunt, ut notentur ſignis communibus ſpaſmodicæ convulſionis.

Quoniam igitur mihi perſuadeo, cauſam eſſe ſpirituum animalium motum perturbatum, & debilem craſim, *cui reſpondet vitiatus ſanguis, utplurimum languidus, ac pene enervatus, ſive nativa ſit craſis, ſive adventitia; hebes adeo ſum, & rudis, ut non intelligam, qua ratione, ad cohibendum ſpirituum impetum, reſtituendum æquabilem motum, atque temperiem, conciliandum ſanguini vigorem, ac robur, phlebotomia crebra, qualis eſt in more, prodeſſe queat (hic excipio mulieres robuſtas, & ſanguine abundantes fervido, ac particulis elaſticis turgeſcente); ſive igitur rationem, ſive experientiam conſulo, quoquo me verto, res videtur captu difficilis.*

Si rationem, oblivisci non poſſum veteris doctrinæ Hippocraticæ: Convulſionem a repletione, vel inanitione fieri; *ſcilicet non primum, ac precipue nervorum, ut vereor ne aliqui ſint male interpretati, ſed vaſorum potiſſimum, ac totius corporis; de qua veritate nos admonet ipſe Hippocrates germanus naturæ interpres, & obſervator effectuum diligentiſſimus, dum paſſim notat in ſuis libris, convulſionem ab* immodico ſanguinis fluxu, *a* purgatione forti, *ab* ileo, *a* profluvio muliebri, labore, vulnere, *& aliis cauſis inanitionis, quæ neceſſario conjungitur cum irritatione; qualis reſpondet mechanicis legibus motus ſolidi continentis, & fluentis liquidi ab ipſo Hippocrate ſemper indicata, neque ignorata a Galenicis, qui vocabulis propriis utentes, accuſarunt reciprocos niſus, & renixus fibrarum:* ſi vis, *ut aiebant*, expultrix a re moleſta irritata foret, facultate animali in conſenſum morbi violenter adducta. *Spiritus hercle, & ſanguis afficiunt ſe mutuo, & pravo circuitu alterius in alterum vitia viciſſim tranſeunt. Stat ſanitas legibus motus, & æquilibrio, veluti quodam partium, tum ſolidarum cum liquidis, tum liquidarum cum aliis liquidis. In ſpirituum impetu, ac perturbato motu deficit æquabilitas influxus, excitantur oſcillationes, & contractiones fibrarum vitioſæ, propagantur in reliquam ſtirpem, communicantur cordi, & ſanguini per vaſa fluenti, cujus ſubſidiis ſpiritus ſuſtentantur, ac vigent, & ecce coorta ſeditio in tota animalis œconomia. Symptomata hyſterica id ſatis probant; deficientibus enim, aut mutatis momentis æquabilis influxus, deficiat etiam æquilibrium reſiſtentiæ in ſolidis neceſſe eſt. Ab humoribus intra ſuos canales fluentibus per vim contractilem naturaliter inſitam partibus continentibus, & pellentibus æquabiliter regitur totum corpus. Sed hæc pauca Tibi ſapienti viro. Quænam vero eſt inanitio major illa, quæ fit ſanguine ex venis crebro ſectis fluente? Experientiam porro ſi mavis afferam, quid ego obſervaverim, & experiar identidem ſcio, quid alii, prorſus ignoro.*

In mulieribus plenioris habitus, in quibus valde turgeſcit ſanguis, laute viventibus, & indulgentibus cibo, ſine hæſitatione ſanguinem mitto, nec pœnituit unquam miſiſſe, nec pœnitet, vitium eſt enim a repletione, a qua non minus, quam ab inanitione metuendæ convulſiones hyſtericæ. At vero, in quibus eſt ſanguis quantitate modicus, motu tardus, & piger, temperie ſubacidus, aut acer, partium elaſticarum inops, & indigens, raro mitto, & admodum parce. Quid enim, cur exhauriam, & diſſipem patrimonium virium tantopere neceſſarium ad conſervandum cum ſolidis æquilibrium? Heu! nimium enervatus eſt in pleriſque hyſtericis. Heu! ſpiritus ſeditioſi, copioſæ particulæ acidæ, quia nullis oleoſarum, & pinguium compedibus irretitæ, & coercitæ, nimium irritabiles partes ſolidæ liquidum impellentes! In hac eadem ſententia fuiſſe video doctiſſimos viros Hippocraticos, & medendi peritos Martianum, Duretum, Ballonium, Sydenhamium, Baglivum, & alios, quos ego præcipue ſequor, qui affectionem hyſtericam animadverterunt ab immodico ſanguinis diſpendio, ſive per phlebotomiam, ſive in puerperio, ſive ex naribus copioſus fluxerit; ab juſto longiore a carnibus abſtinentia, *& ſpeciebus aliis inanitionis; adeo nempe neceſſaria eſt proportio liquidi ad ſolidum in quantitate, & motu, ut hac ſublata ingens illa ſymptomatum cohors, qualis in affectione hyſterica, conſequatur. Tu vero judex eſto, utrum huic proportioni faveat frequens ſanguinis diſſipatio.*

Mulieres multas, & virgines nobiles, quæ ſæpe intra diei ſpatium gravibus paroxyſmis corripiebantur, reſtitui feliciter, primum interdictis purgantibus, quorum frequens erat uſus ex aliorum præſcripto; deinde phlebotomia rarius permiſſa, cui ceteroquin bis, terque intra menſem indulgebant; tum conceſſo victu pleniore, cum antea tenui multarentur; poſtremo imperata ambulatione, & motu in aere ſalubri, campeſtri tempeſtate favente. Ad ſanationem experior valere plurimum naturalia præſidia. Inter alias multas, matronam Venetam, pro cujus ſalute fruſtra per annos multos laboraverant viri clari nominis electiori genere remediorum, ſola equitatione verno tempore ad menſes producta, quam illi ſuaſeram, integre, feliciterque ab hoc morbo evaſiſſe vidi; & ſic porro alias, quas tum hortatus, ut curru ſaltem veherentur, niſi equitandi ſuppeterent vires, & ſalubrem novum aerem, in quo continentur novę elaſticæ vires, & pretioſa ſalutis ſemina, reſpirarent. Hac methodo, Diis bene faventibus, utor, & reſpondet fortuna votis.

Scio quidem valere plurimum conſuetudinem, tum ad flectenda ſolida, tum ad regendos liquidorum motus; & video Hippocratem, quem mihi propoſui in Arte ducem, præcipere identidem, ut huic maxime indulgeamus: hæc tuetur remedium. Verumtamen, ſi hæc ſanationi reſiſtat, cur non ei renitendum?

Ego phlebotomiam non probibeo penitus, ac præ-

præceps, ſi pro inveterata conſuetudine celebretur, ſed callide primum hortor, ut rarius mittatur ſanguis; paulatim deinde ſubtraho, & per gradus progreſſu temporis, paulatim eo rem perduco, ut mulieres, beneficii factæ compotes, mecum ſentiant, & fateantur, ſe prius fuiſſe a remedio deceptas.

Alterum quoque non ignoro, Medicos interdum eſſe coactos (ut accidit ſæpe mihi), paroxyſmo vexante, voluntati mulierum ardentiſſime flagitantium obſequi. Væ miſeris, ſi reſiſtant! Tempeſtati in navigando obſequi artis eſt, *inquit Tullius. Levantur non inficior; ſed beneficium leve eſt, cauſa morbi quotidie magis invaleſcente. In dato tempore laxantur vaſorum fibræ, detracto ſanguine; ergo minus* oſcillant: *ſpiritus una cum ſanguine patiuntur aliquam ſui jacturam; ergo debilitatur impetus. At hæc omnia pertinent ad indicationem, quæ* curativa *dicitur; ad alteram quæ* præſervativa, *nihil. Quid poſtea? Cum facile eſt ſymptomatibus opitulari, tum eſt difficile (quod tu minime ignoras) ſuperare cauſas.*

In hoc beneficio, quod momento æſtimatur, ſpem ſalutis collocant fœminæ omnes. Magna vis eſt imaginationis. Appetunt remedium vehementiſſime; ſatis id eſt ad ſpirituum impetum alio dirigendum. Tu noſti, quantæ ſint imaginationis vires, nedum in rebus medicis, ſed cunctis humanis. Si oblectantur aliquæ, hoc magno præſidio ad temperandos ſentientis animæ motus, fruantur, per me licet, ſemperque licebit; quanquam ex his aliquas etiam hoc præjudicio liberavi; ſed ſcœnæ interdum ſerviendum eſt.

Nunc tranſeo ad remedia dicta Specifica hyſterica, *quorum uſus celebris eſt apud omnes.*

Si forte rogas me, ut quod ſentio, quod ſum expertus, & experior, libere dicam, te rogo viciſſim, ut ignoſcas dicenti pauca. Haberem multa; ſed hæc intelliges ex Opuſculo, quod propediem aſpiciet lucem publicam, De Remediorum Viribus commentitiis, *& quod jamdiu pollicitus ſum in prima parte Operis* De Uſu recto, & pravo diſciplinarum in Medicina. *cap. xvi.*

Interim dico, naturam ita me effinxiſſe liberum, ut nihil per aſſentationem, aut invidiam diſſimulare poſſim. Remediorum vires æſtimo ex effectibus. Utilia puto, & omnia ſpecifica, *quæ uſu diuturno, & obſervatione prodeſſe, & profuiſſe comperta ſunt: ſecus alia. Imo vero, neque iis, quæ centies obſervata ſunt profuiſſe, plane confido, cum noverim, hæc eadem fefelliſſe aliquando fidem.*

Vidi ſæpe, recreari mulieres odoribus, quibus utplurimum lædi ſolent. Vidi ſpecifica dicta fœtida *grate accidere aliis; contra vero in aliis paroxyſmos excitare, & alere.*

Juvantia, & lædentia apud me ſunt in honore, & iis utor, interrogando mulieres, quibus oblectari ſoleant, vel a quibus abhorreant.

Sive petantur vires remediorum a qualitatibus primis, ſive a ſecundis, ſive a mechanicis *dictis, incertæ ſunt omnes, & prudenter expendendæ, habita ratione partium ſolidarum in quas agunt, & liquidarum quibus miſcentur. Video quam multas patiantur mutationes pro multiplici ſtatu* fibrarum, ſpirituum, ſanguinis, *aliorumque liquidorum ab ſanguine proficiſcentium.* Elixiria, pilulæ, tincturæ, electuaria, aquæ cœleſtes, panacea, *& ſexcenta alia celebrata pretioſa, quanti ego exiſtimem, ex Opuſculo meo ſatis intelliges. Sunt utilia multa: ſunt etiam multa pernicioſa. Comparanda remedia ſunt cum ægrorum viribus, & de nullo judicandum facile, niſi conſulantur partes, quæ ſuſtinent remedii vim. Haberem hic multa, quæ dicerem minute ad ſingularia deſcendens; ſed habebis cito: præter nomina, nihil.*

Experientia me docuit, utendum paucis, non tam uſu, & conſuetudine probatis, quam ægrotantium varia, & ſingulari habitudine, cum certo ſciam, ſicut ſanitas eſt privatum quoddam bonum ſingularum mulierum, ita & morbos eſſe; ideoque peculiari remediorum genere tractandos. Si me opinio fallit, experientia fallit, a qua nunquam diſcedam, utcunque ratio ſecus oſtendat. Magna remedia ſunt magni doli.

Hæc interim habeto, Vir Doctiſſime, habiturus plurima pro nata re, & conſuetudine, qua tua vehementer oblector. Qualiacunque ſint hæc mea cogitata, velim bono animo excipias, & me amare pergas, ut hactenus conſueviſti. Vale.

REGIUM LEPIDI

ANIMADVERSIONES IN METHODUM JOANNIS BAPTISTÆ MOREALI CURANDI MERCURIO FEBRES MALIGNAS CONTAGIOSAS.

Regium Lepidi ne intactum relinquamus, occurrit examinanda methodus, quam pro domandis febribus malignis, & contagioſis publicam in lucem aperuit celeberrimus vir Joannes Baptiſta Morealis, ſumpto lumine ab epidemia morboſa, quæ nuperis annis inibi, & finitimis locis ſæviit, necnon a pluribus aliis experimentis, & propriis, & amico litterarum commercio doctorum hominum confirmatis, adeo ut tuto hoc arcano locupletata Ars noſtra videatur.

Aſſuetus ſum omnes alicujus remedii, aut ſyſtematis inventores plurimi facere. Qualitercumque ſiquidem res vadat, & eundo, publicum in bonum augeatur, vel pereat, ſemper laudandi ſunt eorum conatus, præcipue cum non in rixis, & hypotheſibus expatiantur, ſed ad hominum ſalutem directi ſunt. Si primum, non loquimur: ſi ſecundum, ſaltem propoſitiones in meliori lumine collocantur, futuri admonentur, ne cadant in foveam; uno verbo, tali modo veritas illa inquiritur, quæ ſcopus ſcientiarum

tiarum eſt; hinc ſumma ejuſdem utilitas in docendo quæ vitanda ſint.

His poſitis, non obſtupeſco, Joannem Baptiſtam Moreali in elapſa ſibi ſubditæ provinciæ epidemia ad mercurii vivi exhibitionem deſcendiſſe, quandoquidem illico ac conſtavit de latenti in inteſtinis vermium exiſtentia, quæ a ſignis, ab effectibus, ſed multo magis ab ipſorum exitu cognoſcitur, cur mirabimur, ſi ad decantatum illud ſpecificum confugerit? Vix aperiri poteſt libellus antiquorum, vel recentiorum hominum, qui in Arte Medica meruerunt, quin illico ſcriptus videatur mercurius pro deſtruendis vermium inſidiis; & quamvis experimenta Rediana, & Bagliviana illius in hoc potentiam aliquatenus infirmaverint, (ob vitalem auram, quam læti feliciter gaudent lumbrici mercurio commixti) attamen præconcepta jam opinio magis potuit, & invaleſcente apud vulgum illius uſu, piaculum erat, ſi non adhibebatur.

Remedium itaque novum non eſt, quia alias, & ſemper a bene multis uſitatum, ſolaque intercedit diverſitas ab ejuſdem ſimplicitate, & præparatione, cui poſtremæ magis addicti ſunt Medici, ac ipſe Morealis, qui crudum, & ſiccum proponit, & adhibet; ſed ſemper mercurius eſt, cujus inſita potentia non deſtruitur, adeo ut contrarios effectus eſſe expectandos, invito ægroto, & Medico, interdum crediderim: crudo ſcilicet, & cum catharticis, ut ipſe auctor refert, mixto ptyaliſmum excitante, & dulci, aut in panaceam elaborato, infimam per anum expurgationem interdum promovente.

Joannes Franciſcus Guadaneus, vir clari nominis, etiam antequam Morealis methodus increbeſceret, nobiſque nota eſſet, jam ſcit quoties in conſultationem una vocati, in acutis, malignisque, ut aiunt, febribus, etiam in Monialibus, & pueris exhibuimus mercurium crudum, præcipue quando de latentibus lumbricis aderant indicia; quod etiam videri poteſt in epiſtola noſtra in Saxoniam (1) miſſa, quodque adeo factitatum, decem circiter abhinc annis, in multis morbis a Medicis Venetis vidi, ut nihil amplius. Ex quibus omnibus, præter centena auctorum documenta, abunde colligitur, paſſim ab aliis Medicis id executioni mandari.

REMEDII NOVITAS

Potius novus dici meretur modus, ordo, ſemperque quaſi eadem quantitas. Novus inſuper ratione objecti, ſcilicet febris *malignæ contagioſæ*, cujus curationi, ope mercurii, quodammodo non videntur dirigi præſcriptiones aliorum Medicorum, adhibentium quidem mercurium pro debellandis vermibus, ſed abſolute, diſtincte, tute, ut Morealis facit, non tractantium de febribus illo modo curandis. Hinc diligenti, & ſollicito viro ſua laus danda eſt, qui utile remedium magis in aperto poſuit, & præter cetera, de certo tutos reddit Clinicos, ut facilius ad illius uſum inclinent, utpote qui ſemper cum moderamine, & caute adhibitus, non affert damna illa a Galenicis, & antiquioris ſectæ aſſeclis, & a quibuſcumque aliis minus in medendo audacibus, formidata. Nova denique dici meretur lex illa addendi conſuetæ unius drachmæ mercurii aliqua grana ſcamoneę ſulphuratæ, aut quid aliud ſimile purgans, quod arridet, & mihi ſummopere placet, dum præter depreſſionem craſſioris ſaburræ in ventriculo ſtabulantis, duæ utilitates ab hoc modo ſperandæ ſunt. Prima, quod mercurius carthartico immixtus, recta facilius ad anum tendet, neque in lacteas, in ſanguinem inclinabit, ut videmus ſolemne etiam in pilulis Belloſte, & Bertaldi. Secunda: quis neſcit, tormina, convulſiones, labores, dolores, irritamenta pendere ex eo, quia vermes ſæpe habent altam in inteſtinis tenuibus ſedem: hinc elucet eoſdem deprimendi, & ſaltem in craſſa reducendi neceſſitas, quod ſolum a carthartico poteſt promoveri, & fortaſſe obtineri; confirmando pariter conſilium ſuum exhibendi remedium illud, ſi fieri poteſt, primis diebus, antequam virulentę qualitates in ſanguinem ſerpant, & verminoſa colluvies dominatum ſibi arrogata ſit.

DIFFICULTATES

Sors bona hujus auctoris fuit incidere in epidemiam, in qua extremum fatum ſuis ægrotis præſcriptum non erat, quæque & per anum purgantibus, & ſpecifico mercurii anthelmintico curari debuerat, ex quo remedium duobus hiſce capitibus efformatum profuit.

Utiliſſimum erit, ſi egregius vir repetitis obſervationibus methodum ſuam confirmare poterit, quod mihi ſemper erit gratum ſcire, tanto magis, quia cauſam ſuam ſuſtinere, pro viribus, debui contra criticos Philiatros, qui aiebant, curatas a Moreali febres fortaſſe non fuiſſe revera *malignas contagioſas*, in quibus non de vermibus ſolum in inteſtinis latentibus diſquirendum eſt, ſed ad examen revocanda ſolidorum conſtitutio, liquidorum omnium qualitas, viſcerum præcipuarum ſtatus, bilioſæ amurcæ in vaſis omnibus lenteſcentes; ubi ſerio diſquirendum de maligno charactere, vel inſito, vel contagioſo, & adventitio, ubi non accidentale tempore febris delirium, ſed proſtratio virium, peticulæ, maculæ nigræ, ſubſultus tendinum, linguæ ſcabrities, & nigredo, convulſiones bubones, parotides, ſphaceli, gangrænæ, ut hinc malignæ, & contagioſæ nomine deſignetur. Addebant, febres pernicioſas bene multas, & fortaſſe numero majores a deterſis, & mundatis inteſtinis non adeo miteſcere: ſignum evidens, quod altius, intimius, & in ſanguinis gremio abſconditur, aut in ſolidis majoris uſus labes implantata eſt, in quibus omnibus ne hilum quidem juvare poſſe memoratum arcanum clamabant; imo in

(1) Vide Brixia.

in ipſis etiam febribus verminoſis, quibus ſolis aptatur, ſibi invicem opponebant, & quærebant a me, ut explicarem illis modum, quomodo remedium mercuriale, vermes non necans (1), neque e corpore eliminans (2), curare poſſet febres a vermibus pendentes, adhucque ab ipſis deſiderari mechanicam hujus admirandi effectus rationem.

Acquieſcere, & ſibi ſuadere non poterant, fluentem mercurium, quamvis a proprio ſpecifico pondere, ab undatim periſtaltico motu, necnon a ſibi nupta cathartici vi ad inferiora ductum, allectum, & pulſum, non poſſe in lacteas inteſtinalis tubi venas divertere, quaſcumque undique obvias poroſitates ſubire, aut illud fermentum ſuſcitare, vel offendere, ex quo volatilizatio, & ſublimatio oboriatur: hinc ptyaliſmus pluries ab ipſo Moreali viſus; inde totius maſſæ ſanguineæ diſſolutio, & ſpirituum animalium enormis commotio. Hanc facilem mercurii penetrationem probabant ex ejuſdem unguine corpori (quatuor integumentis cooperto) occaſione luis venereæ aptato, omniaque viſcera, paucis temporis momentis, ipſas tranſverſum fibras percurrente; ex ejuſdem reperto in muſculorum interſtitiis, ipſiſque oſſibus, quæ Anatomici, extiſpiciorum occaſione ſecuerunt; ex quibus ſolos inteſtinalis tubi cancellos, pro incoercibili, fugacique metallo, nimis interdum anguſtos eſſe prænunciabant. Non negabant quæcumque tormina, dolores, convulſiones, pathemata, febres ab ipſiſmet vermibus eorumdemque lecto, & excrementis poſſe ſuſcitari; ſed illis videbatur, vermium effectus debere eſſe violentos quidem, ſed erraticos, accidentales, ſine ordine ſævientes, multoſque morbos ſimulantes, non vero periodico rhythmo ſtipatos, ut febres graſſari conſueſcunt. Hęc, & multa alia ſuarum dubitationum argumenta Brixiani Philiatri in Patavino Archilyceo, doctoratus titulo inſigniti, & redeuntes, in circulis, & per urbem deambulando mihi refricabant. Ipſe autem, ut docerer, ut illorum ingenium magis, veritati litando, acueretur, utque optime meriti de tota Medica republica auctoris cauſam, pro viribus, agerem, alia, atque alia addebam, conſarcinabam, & mordicus ſuſtinebam; imo ut ſuſceptum onus magis tutari poſſem, legere etiam volui novitates Florentiæ litterarias anni 1740. necnon reſponſiones ipſis ab auctore factas.

RATIONES

Quibus omnibus magis inſtructus, dicebam illis, in Medica ſcientia, conjecturis procedente, expectandam non eſſe evidentiam, & certitudinem illam, quæ in puris mechanicis geometrice menſurabilibus obtinetur, ſed ſufficere, ut poſt rationes, licet objectis infirmatas, & refractas, facta canant, & repetita favorabilium ſucceſſuum ſeries, curatorumque ægrorum numerus inter dubias quæſtionum ambages vocem extollere poſſit. Relatas a doctiſſimo Moreali ſanationes non eſſe chimericas, aut inventas, ſed ſtantes, plurimiſque digniſſimorum hominum teſtimoniis confirmatas. Adeſſe inſuper ſcripta vel in epiſtolis adnotata clariſſimorum Medicorum in proximis, aut finitimis regionibus degentium ſuffragia, puta Barbieri, Andreoli, Valdrighi, Morandi, Milliani, Rotarii, Lanzi, Boſii, Zanini, & aliorum, a quibus non ſolum propoſita a docto Moreali methodus probatur, verum etiam fere omnes ad experimenta in ſuis ægris deſcendiſſe dicunt, & quidem feliciter, atque cum fortunata eventuum comprobatione. De facto a centenis ſcriptoribus magni nominis, mercurium pro primo anthelmintico ſemper habitum fuiſſe; ideoque, ſi febres illæ a vermibus pendebant, mercurium potuiſſe agere, non quę ſolus Morealis, ſed ceteri ſcriptores credunt. Febres a vermibus produci, eſſe rem, quæ fieri poteſt, & a bene multis confirmatam; quare, licet aliquatenus nova ſit productio, & remedii ſpecifici modus, tamen uſus effectum ſtare cum antiquis legibus ab omni Medicorum ſecta productis; & ad regulares ſtationarios febris periodos quod attinet, licet a vermibus non tam facili negotio producibiles; tamen auctis jam numero, & vegetatione internis hoſtibus, & implantato in inteſtinis throno, nil mirum, ſi fortaſſe abſorptis chyloſis eſculis, humanus ſanguis alimentari pabulo orbetur, eorumdem excrementa, exuvies, mortes, & humantia veluti involucra, per fermentationes, & corruptiones, ad illos deleterii, & virulenti inquinamenti gradus perveniant, ac ſi a Priſcorum præternaturali quaternione eſſent producti, ideoque febris periodica invaleſcat. Qui humorum quaternio (quoniam de illo ſermo eſt), ſcilicet bilis, pituita, &c. poſſunt etiam calcaria currenti addere, vel quia jam antea labefacta, vel quia in conſortium alliciantur.

DICTORUM CONCLUSIO.

Neque vero auctor eſſe ſumo, ut cœco uſu Morealis propoſita methodus excipiatur, atque hinc in omnibus febribus malignis, & contagioſis, aut quæ illis ſimiles ſunt, executioni mandetur, quandoquidem multa & ipſe habeo, quæ me ancipitem reddunt, neque in unius febris diſquiſitione, uniuſque ægroti examine, ſoli vermes, vel drachma mercurii, ſed totum temperamentum, tota Medicina, totus Hippocrates ictu oculi mente excurrendus eſt. Si autem aliquis urgeret, & in hac re opinionem meam ſcire percuperet: en, aio libere, me magis laudare, & gaudere, quod Morealis ſcripſerit, quam quod ſiluerit. Silentio ſiquidem nihil diſcebamus; ſuo vero opere Mutinæ cuſo, nec-

(1) Redius, & ipſe Morealis.

(2) Morealis.

necnon reſponſionibus ad Florentinas objectiones, præſtantiſſimi ad obtinendam valetudinem remedii propoſitiones in bono lumine collocantur, ut hinc ſtudioſa juventus non minus, quam Clinici ipſi, quorum aliqui fortaſſe mercurii crudi adminiſtrationem formidabant, Joanne Baptiſta Moreali facem præferente, per repetita experimenta ad probabilem illam veritatem, quæ ægrotis adjumento ſit, poſſint devenire.

ROMA

ILLUSTRISSIMO, ET SAPIENTISSIMO VIRO

JOANNI PAULO LIMPERANO

Medico inter Romanos Celeberrimo

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P.

DUobus uſque abhinc annis Illuſtriſſimus Antonius Sambuca, ex Pontificalibus poſtremis Comitiis, quibus cum Eminentiſſimo Cardinali Quirino intererat, Brixianam urbem redux, multoties mihi retulit, Te humaniter ſenſiſſe de Diſſertationibus noſtris, uno libello comprehenſis, quas & eidem Literatiſſimo Principi Epiſcopo noſtro, & ſummo Archiatro Antonio Leprotto una dono miſeram. Quamvis propterea hoc officii genus a magnis viris fere nunquam disjunctum ſit, ideoque ab humanitate tua ſingulari profectum exiſtimem, attamen Tibi libere aperio, me mirum in modum hinc devinctum eſſe: quo factum, ut eodem, & ſucceſſivo tempore ſemper cogitaverim, quomodo promeritis tuis poſſem reſpondere. Quoniam idcirco doctrinæ tuæ fama, hic etiam obſtrepens, in præconcepta opinione me ſemper magis confirmavit, patere quæſo, Vir Ornatiſſime, ut nacta Hiſtoriarum mearum, nuper in lucem emiſſarum, occaſione, unico actu, earumdem exemplar Tibi ſiſtam, & meæ obſervantiæ ſpecimen exhibendo, neceſſitudinem tuam mihi captem. Accedit, quod cum ipſe plurimi faciam Medicos Tui ſimiles, qui poſtremo ſæculo Romæ floruerunt, dum tecum literis ago, & mihimet adblandior, & placeo, & tuis reſponſionibus, quæ me plurimum recreabunt, erudiri poſſe me mihi promitto. Imo, quæ nos in Hiſtoriis, & notis obſervavimus, Romanæ praxi vel diſſona ſunt, vel non quadrant, ſi admonebis libere, non tantum non dolebo, ſed ſi caſus feret, & quotidiana praxis ſinet, ut aliquid de meo rurſus exeat, noſtra Opuſcula tuis animadverſionibus ornabo, ut non ſolum meis experimentis, ſed etiam lapſibus poſteri diſcant. Veritatis, non inanis gloriæ cupidus ſum: prima ab aliis quærenda. Ob id medendi Artes, quæ in diſſitis, plurimiſque regionibus uſuveniunt, ad trutinam etiam in præſens revoco. Sique nunc Romæ pro reſtaurando homine aliquid, præcipue a tua medendi methodo promotum, & auctum viget, ſilere deſine, & Medicam rempublicam auge. Quanquam enim librorum farragine laboremus, multa dicenda, aut ſaltem enodanda ſuperſunt.

Nonne in operibus toto orbe coleberrimi Baglivi præſcriptum ſtat bezoarticum joviale pro curandis hyſtericis mulierum inſultibus? Nonne in obſequium tanti viri, & ut aliquid agant Medici in bene multis regionibus, officinarum ſchedulæ illo repletæ ſunt, quin ex animi ſententia quiſpiam aſſerere poſſit, ſpecificum illud obſtinatiſſimam, & rebellem ægritudinem in hac, vel altera edomuiſſe? Nonne egomet, quando reperi in Lanciſianis dogmatibus methodum exhibendi chinamchinam cum rhabarbaro in febribus, & in illis temperamentis, in quibus tertianarius recurrit rythmus, & ima viſcera obſtructionibus referta ſunt, ſummopere mihi ipſi gratulatus ſum, ac ſi theſaurum inveniſſem? Mihi enim videbatur, hoc modo adhiberi poſſe pro febribus debellandis remedium cœlitus delapſum, quin moroſi ſtaſes objurgarent, & quin impediretur obructionum reſolutio, cathartica viciſſim rhabarbari vi promotis alvinis fœcibus, flatibuſque pedendo emiſſis. Et tamen, libere tecum loquor, poſt bene multa experimenta, vix unum proponere poſſum, quod certo feliciter ceſſerit. Et ecce quomodo facta rationibus non ſemper reſpondent; ideoque rationes accommodare factis neceſſe eſt, & de jam ſcriptis iterum ſcribendum.

Ne autem, dum geſtientem animum meum primis hiſce literis aperio, tuam videar laceſſere humanitatem, ab ulteriori delectatione tecum loquendi ſuperſedeo, & calamum ſiſto, id unum rogans, ut tuis juſſibus in bonam partem acceptæ obſervantiæ meæ mihi repetita non deneges teſtimonia. Vale

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Phil. & Med Doctori Meritiſſimo

JOANNES PAULUS LIMPERANUS

S. P. D.

Q*Uod ſingulari humanitate ad me miſiſti egregium opus tuum* Hiſtoriæ Morborum, &c. *atque alterum Diſſertationum quatuor, reddita mihi fuere, una cum jucundiſſima tua Epiſtola*

piſtola per eximium Virum, & utriuſque noſtrum amicum ſuaviſſimum D. Antonium Sambuca, Eminentiſſimi Cardinalis Quirini a ſecretis. Plurimis tamen urbanis, ac domeſticis curis detentus, uſque ad hunc diem non potui Tibi mutuum reddere officium, nec pro tanto munere debitas tibi gratias referre: nihil autem optatius, nihil acceptius mihi obtingere poterat: utrumque enim opus abſolutiſſimum eſt. Hiſtoria in illo pura, breviſque, morbi diſtinctis characteribus deſignati, & ad vivum expreſſi. Ex conſultationibus autem magnifacienda videntur ratiocinia, philoſophicis experimentis innixa; ſolida praxis documenta, quibus totum ad opportunitatem Opus ſcatet; Viro Nobili digna ingenuitas, qua ſua cuique reddis; de tuis tam modeſte ſentis, & ſcribis: appoſitæ autem ad hujus ſeculi ingenium notæ, in quibus notabilia ex ſuis fontibus eruta ictu oculi conſpiciuntur, mirum in modum delectant, atque erudiunt. Quid vero de Operis extraneis ornamentis dicam? niſi quod omnimode magnifico apparatu inſtructum eſt: auguſta charta, nitidiſſimis typis, elegantiſſimis iconibus, vel ut paucis dicam, tanto Principe dignum, cui dicatum fuit.

Quamobrem Tibi plurimum gratulor, ut tribus pariter abhinc annis omnigenam diſſertationum tuarum eruditionem gratulatus ſum amico integerrimo, tuique nominis ſtudioſiſſimo D. Antonio Sambuca, cum una in Comitiis eſſemus, in quibus cœlitus renuntiatus eſt Pontifex Maximus Benedictus XIV.

magnam cui mentem, animumque
Delius inſpirat Vates.

Ac tum maxime ſcias velim, in laudes Diſſertationum tuarum plus ſemel itum eſſe coram multis lectiſſimorum virorum, qui ex tota fere Europa in Vaticanum convenerant, præſertim vero cum præſtantiſſimis Medicis Pariſienſibus DD. Matthæo Lazzengre, & Joanne Franciſco Vallant, uno ſcilicet Eminentiſſimi Cardinalis de Rohan, *altero Eminentiſſimi Cardinalis* de Auvergne *Archiatris meritiſſimis, quorum conſuetudine uſi fuimus eo Comitiorum tempore, quo Senatus Purpuratorum Patrum, effuſis in Deum precibus, de Summo Pontifice eligendo ſollicitus erat.*

Unam quidem Anatomicam inſpectionem tuam, de ferreis, multiſque acubus in cadavere repertis *muſſantes nonnulli inter incredibilia habere videbantur; id tamen, quod maxime ad naturalem hiſtoriam, & dignitatem tuam pertinere arbitratus ſum, binis a me ſimilibus obſervatis hiſtoriis, neque prorſus inſolens, neque ſupra mentis captum eſſe, oſtendi. Quas de acubus in corpore repertis hiſtorias, cum a doctiſſimis viris, & in naturalibus verſatiſſimis nunquam viſas, auditas nunquam ſentiam, hic adducere operæ pretium duxi, ratus minime tibi ingratum futurum, nec forte Medicis inutile, ſi de re, quæ aliquando in praxi occurrere, & ob varia, atque implicita ſymptomata negotium faceſſere poteſt, quid compertum ſit, enarravero.*

Lotricis filia viginti annorum nata, pietate in Deum, & vitæ auſteritate inſignis, tres acus ferreas ſub mamma ſiniſtra, inter nothas coſtas defixas, & ſub cute obductas habebat. Quinque autem abhinc annis, cum fere gracili corpore, atque infirma valetudine eſſet, tandemque acuta pleuritide teneretur (quo tempore meæ curæ commiſſa eſt a R. P. D. Paulo Taglialatela Piorum Operariorum Rectore) præcepto coacta fuit, ut tam auſtero cilicii genere ſe exueret; quod, quamprimum fieri potuit, peractum in Noſocomio S. Gallicani, in quo ipſe Medicus primarius ſum, opera diligentis mulieris Magdalenæ Viſconti.

Altera puella, quæ inter Veſtales S. Mariæ de Virginibus Urbis fuerat, ſed ob frequentes implicatiſſimos hyſtericæ paſſionis inſultus domum redire coacta eſt, poſtliminio nuptum itura, queritur ſibi nonnullis abhinc annis tres æneas aciculas ſub cute ſiniſtræ mammæ latere, quæ cum revera a Joanne Dominico Antimani, phlebotomiæ periſſimo, exploratæ eſſent, levi ſectione exemptæ ſunt (1).

Haud tamen exiſtimes, Vir Illuſtriſſime, me in ea ſententia eſſe, ut iis puellis, atque etiam Moniali Capucinæ, cujus Tu hiſtoriam ſcripſiſti, aut in corpore genitas, aut deglutitas acus putem, & naturæ molimine ad cutis peripheriam detruſas, quemadmodum multi, ſimilibus in caſibus, authores (2) *opinati ſunt; imo compertiſſimum mihi eſſe ſcias, data opera, inter cutim intruſas fuiſſe tum æneas acus, tum ferreas acus per ipſaſmet mulieres, quibus id potiſſimum cilicii genus delectum, exemplo S. Catharinæ Senenſis, quæ eo ipſo quondam uſa dicitur.*

Nec mirum, ſine cutis inflammatione, ſine œconomiæ animalis diſcrimine diu extitiſſe acus, quæ ſuperficie-tenus intruſæ fuerant. Nam de aliis hujuſmodi deglutitis ſine vaſorum, aut viſcerum læſione (3), *vel collo, vel abdomine* (4) *detruſis, multæ, ac variæ afferuntur hiſtoriæ. Minime vero ferrum, quod ex terra, mercurio, ſale, & ſulphure conſtet, corporibus eſſe infenſum eſſe videtur, cum ejus ſcobibus, atque rubigine pro obſtructis viſceribus nulla ſit apud Medicos uſitatior Medicina, nec deficere, qui entium, aut ſagittarum cuſpides* (5) *diu intra corpus ſuſtinuere, cujus rei, præ ceteris, hiſtoriam narrat Hippocrates.* (6)

Quod vero inſuper mihi perhumaniter denuntias: Medendi Artes, quæ in diſſitis, plurimiſque

(1) Hanc hiſtoriam nuperrime divulgavit D. Cajetanus Petrioli Chirurgus Romanus in ſuis Commentariis ſuper tabulas Anatomicas Bartholomæi Euſtachii T. 2. cap. 7. Romæ an. 1742. apud Joannem Zempel edit.

(2) Beniven. de Abdit. cap. 20. Roder. a Caſtro lib. 4. de Morb. mul. Petrioli loco cit.

(3) Ferramentorum varii generis incredibilem quantitatem inventam fuiſse in ventriculo cujuſdam melancholici narrat D. Amyand. Tranſ. Phil. Soc. Reg. Lond. an. 1708.

(4) Langius Tom. 2. Epiſtol. 40. Valliſnerii Epiſtola ad Gaſtonem Joſephum Georgi Mediolano Florentiam miſſa. Tranſ. Phil. Soc. Reg. Londin. an 1736.

(5) Fabric. Hildan. cent. 1. obſerv. 62.

(6) *Cuſpidem invenimus nos, ipſamque exemimus, quum ſex jam eſſent anni, ex quo ſauciatus fuerat.* Hippocrates 5. Epidem.

que regionibus uſuveniunt, ad trutinam etiam in præſens revoco: *id nunc Tibi curæ eſſe valde gaudeo: nulli enim ignotum puto, quantopere valeant in Arte Medica iſtiuſmodi tentamina, quanti in hoc ſæculo plurimi fiant, in quo ad id ventum eſſe omnes ſciunt, & clamant, ut quanquam remediorum formulis confertam librorum farraginem habeamus, pauca tamen ſint, quibus propoſitum aſſequimur. Ideo nunc celebris inſtituta Academia Edimburgi in Scotia* (1), *cujus præcipuum munus eſſe videtur medicamentorum ſcrutinio, atque experimentis vacare.*

Ut ingenue tamen quæ ſentio Tibi aperiam, difficillimam rem eſſe, ac fallaciſſimam exiſtimo medicamentorum vires decernere, ac definire. Cum enim omnium medicamentorum actio non in ſeipſis tantum ſpectabilis ſit, ſed ad varias ægrorum, morborumque naturas referatur, quacumque parte ſcrutationi ſubdatur, variis æquivocis, atque defectibus eſt obnoxia.

Porro ægris ineſſe ad pharmaca pro fluidorum, & ſolidorum ſtatu (2), *pro locorum, temporum, ætatum* (3), *ſexuum, couſuetudinum, atque alimentorum varietate, aptitudines diverſas, nemo inficias ire poteſt. Quotcunque ideo illis fiunt motus, criſes, judicia, cum modo naturæ viribus moliri, modo pharmace ſoleant; nos plerumque, cui accepta referre debeamus, neſcimus; pharmacis tamen libentius tribuere ſolemus, quæ ſæpius forſitan, atque facilius ſunt naturæ molimina; hinc forte eſt, cur obſervationes, experimentaque Medicorum parum tuta ſint; cur remedia authoribus commendatiſſima parum votis reſpondeant: cur Sydenhamius* (4) *hiſtorias particulares in re Medica non magnifaciendas eſſe putaverit.*

Morborum vero quis unquam definire, quis determinare poteſt ſpecies, numerum, modum? Eorum hiſtoria, varietate caſuum, amplior eſt, quam ab authoribus deſcribitur. Implicantur ſæpe invicem, confunduntur, ac ſymptomatibus variis, incertis, ac quandoque prorſus inſolentibus erumpunt; ſed quod magis, alter non raro imaginem alterius induit; & multis eorum, qui ſede, ortu, cauſis differunt, ſub eadem ſignorun ſpecie apparere datum eſſe videtur: hinc falſæ morborum ſimilitudines, quæ prudentes etiam Medicos decipere ſolent; caput nimirum dolet aliquando membranarum ſuarum affectione, ſæpe tamen vitio ſtomachi, hypochondriorum, uteri, necnon ſuppreſſionibus menſtruorum, hæmorrhoidum. Ventriculum ad dolorem, & vomitum ſtimulant ingeſta acria, putrida; id vero ipſum faciunt præfervida bilis per cholidocum in duodenum commota, renes calculis proritati, concitatus fœminis uterus, furentes hæmorrhoides, ſuppuranteſque, ileum extra peritoneum prolapſum. Tertianas febres excitat ſuccus bilioſus, vel, ſi mavis, pancreaticus, menſentericus, chyliferus aggeſtus, rancidus, viſcidus; eaſque ipſas ſubinde gignit tumor glandularis externus, vel internus, ad ſuppurationem tendens, eryſipelas, ulcus, ut aliquando in praxi expertus eris.

His, aliiſque hujuſmodi differentiis, quæ non tam diſtinctæ unius morbi ſpecies ſunt, quam diſtincti morbi ſub unius ſpecie apparentes; ſi circumſtantias addamus temporum, locorum, complicationum, graduum morborum, atque ſymptomatum, quorum interventu, etiamſi morbi natura non variet, variant tamen remediorum occaſiones, tempora, vires; facile apparebit ex parte morborum indicationes medendi, ac medicamentorum opportunitates plurimis de cauſis differre, ſemperque incertas, obſcuras, varias, & præcipites eſſe.

Ad medicamenta quod attinet in ſe ſpectata, de eorum natura, agentibus, agendi modis, viribus, & ſubjecto vix aliquid eſt, quod ſatis conſtet. Quæ de eorum particulis diverſimode figuratis, deque eorum mechanice feruntur, meræ ſunt hypotheſes, theoriæ quidem accommodatiſſimæ, praxi vero Medicę prorſus inutiles. A ſenſibilibus eorum qualitatibus, amaritie, ſtypticitate, aciditate, acredine, ſicuti ex chymica analyſi, nonniſi pauca generica deſumi poſſunt. Ab eorum infuſionibus, mixtionibus, & inde enatis fermentationibus, mutationibuſve, ſive intra liquores, ſive intra ſanguinem eductum, alioſque humores extra corpora animalium, nihil fere deducere poſſumus, unde ſciamus, cui morborum ſanando apta ſint: num in corpore iiſdem legibus agant; num in primis tantum viis, vel in maſſa fluidorum elata. Si enim Chymicis fides habenda eſt, qui aſſerunt, fluidis, & ſolidis animalium nihil acidi (5) *ineſſe; fateantur oportet, nullum ex mineralibus, ac vegetabilibus, quæ acida omnia ſunt, remedium in ſanguinem ferri poſſe; ſed in primis viis omnem ludere aleam. Quidquid igitur a vetuſtiſſimis temporibus ad hunc uſque diem medicinarum omnis generis eſt, id non Philoſophia, aut Matheſi, non principiorum, cauſarum, agentium notionibus inventum, ſed hominum neceſſitate, induſtria, experimentis, atque experimentorum ſucceſſu, plerumque caſu, ab animalibus, vel inter barbaras gentes.*

Verum experimentis ipſis, ſucceſſibus, effectibuſque medicamentorum, quanta incertitudo, inconſtantia? Nullum uſque adhuc inventum eſt tam certum remedium, quod aliquando non fallat, non ſolum in eo, quod eſt morbos ab ægris in totum tollere, & eorum vehementes impetus obtundere (6), *ſed etiam circa materiales operationes, ut de purgantibus edixit Hippocrates* (7), *quanquam*

(1) Harum Obſervationum, quas Lingua Gallica vertit D. de Mours, quatuor volumina edita ſunt Pariſiis apud Ludovicum Guerin.

(2) Bagliv. lib. 1. de Fibra motrice, cap. 6. 7. 8.

(3) Hippocrat. 1. Aphor. 2. De Aere, Aqu. & Loc. & de Humor.

(4) Præfat. Morb. Acut.

(5) Boyleus Hiſtor. Sanguin. Pitcarn. Opuſc. Med.

(6) Hippocr. lib. de Arte.

(7) *Medicamentorum purgantium res non ita ſe habet; quemadmodum vulgo putatur; eodem enim medicamento purgantur, & non purgantur; quandoque vero alia purgat, quam quæ purgare ſolet, &c.* Hipp. lib. de Med. Purg.

quam omnium medicamentorum fortiſſima, & in obvios magis ductus agentia ſint. Vires enim omnium medicamentorum certis finibus contentæ, nonniſi determinatis hominum, ac morborum conſtitutionibus præſto eſſe poſſunt. Conſtitutionum autem ſive numerus, ſive modus tam multiplex, & varius, quam eſt ſingularum rerum, quæ ex pluribus cauſis oriuntur.

Chinachina omnium exemplo ſit, qua nec certior ulla, nec tutior uſque adhuc adverſus periodicas febres inventa eſt Medicina. Hujus tamen vim ſæpe irritam ob temporum contrarietatem, quandoque ob cauſarum, vel ſymptomatum morbi, obque naturarum ægrorum circumſtantias, noxiam experiri, fida praxis docet. Æſtate enim, atque autumno pluvioſis nulli chinamchinam ex tertianariis opem tuliſſe narrat Cl. Ramazzini (1), quod ipſe plus ſemel expertus ſum. Quibus ulcus, tuberculum hypochondriis, meſenterio, renibus, inteſtinis, pectore ſuppurans circuitus tertianariis, ut non raro ſolet, cauſa eſt. Quibus ſeroſus acerrimus ichor ex diuturnis viſcerum obſtructionibus, dato tempore in ſanguinem erumpens, febris periodicæ cauſa eſt. Quibus in tertiana mali moris ſymptoma pernicioſum, etiam remittente acceſſione, urget adeo, ut functiones vitales, vel animales lędat, his chinæchinæ uſus irritus, vel noxius. Quibus tertianariis, ſeu ætate, ſeu temperamento, aut morbo, fibra enervis eſt, ſtomacho autem plurima bilis amurcoſa inſidet, his chinachina ſyncopem inducere ſolet, aut importunam diarrhęam; præſertim vero initio acceſſionis data.

Radicem ipecacuanham pro ſupremo dyſenteriæ remedio celebratam ſcimus apud recentiores, atque ego viginti quinque annorum praxi feliciter expertus ſum. Elapſa tamen æſtate, cum graſſante in ruſticos maligna dyſenteria, complures in Noſocomio Sancti Spiritus dyſentericos meæ curæ commiſſos habuerim, neminem vidi, cui eadem radix non exitio eſſet, ſive lenitis prius, laxatiſque, tum clyſteribus, tum oleo amygdalarum dulcium, inteſtinorum fibris, ſive ſtatim initio morbi exhiberetur. Fiebat tunc confeſtim citatior alvus; tormina, ac ciborum nauſea augebantur, ſenſimque miſeri, teterrima alvi profluvie egeſta, algidi, decolores, anxii, neci dabantur, eorumque inteſtina, meſenterium, & adjacentia viſcera, poſt mortem inſpecta, gangræna, & ſphacelo corrupta reperiebantur. Quotcumque vero cardiacis, paregoricis, chinachina, ac diluentibus curati ſunt, plerumque morbo erepti fuere: ſed, quod notatu dignum, poſt æquinoctium, ac toto autumni tempore, quo dyſenteriæ pervagatæ ſunt, data ipecacuanha omnibus opem attulit; quorum effectuum contrarietas nonniſi ex diverſa aeris tempeſtate orta videtur; nam æſtate præfervida tertianæ ſimul ardentes, & dyſenteriæ germinabat; cum vero exacto æquinoctio, ſolis calor deferbuerit, genius utriuſque morbi mitior evaſit, & pharmaci ſtimulorum patiens.

Igitur cum actionem, ſeu effectus medicamentorum tam multis, tam diverſis cauſis variare poſſint, ac debeant, ut non ſolum eorummet incertitudine, atque inconſtantia, verum etiam ægrorum natura, ætate, conſuetudine, motibus occultis, atque inexplicabilibus, morborum falſis ſimilitudinibus, cauſis diverſis, differentiis, complicationibus, progreſſibus, vehementia ſymptomatum, multijugis quoque temporum, locorum, aliarumque rerum circumſtantiis, modo ſecundi, modo adverſi, irriti, inſufficientes eſſe ſoleant; quid de medicamentorum viribus, deque aliorum experimentis definiri poſſit, non video.

Non autem ex hoc putes, Clariſſime Vir, me experimenta in Phyſicis, aut ſtudium contemnere, aut evidentiam inficiari; nil enim mihi antiquius fuit, nil animo firmius, quam quod naturalium rerum notitiæ, ac Praxis Medicæ augmentum ab unis experimentis ſit petendum. Nihilominus tamen fateamur oportet, experimentorum nomine errores multos in Artem derivare, vel quia falſis veriſimilitudinibus decepti, falſa pro veris deſumimus, incerta pro certis, & pro abſolutis imperfecta, vel quia, quæ caſu abunde contingunt, neceſſario ex datis contigiſſe putamus; quæ male inſtituta ſunt, & ſine debitis conditionibus, bene acta credimus, quæque ſingularium ſunt circumſtantiarum, ægrorum, morborum, temporum, atque locorum, univerſalia eſſe volumus.

Sint duo Medici, quorum unus multis ſecundis, ut facile eſt, experimentis edoctus, chinamchinam, & radicem ipecacuanham duo eſſe infallibilia remedia, hanc nimirum dyſentericorum, illam omnium febrium periodicarum, aſſerat; alter in caſibus, aut temporibus adverſis prænarratis, aliiſque ſimilibus, expertus tam corticem Peruvianum, quam Braſilienſem radicem, ut nullius damnet, uterque experimentis fretus multis, certis judicaret, & tamen uterque deceptus eſſet, quia ex particularibus præmiſſis experimentis, univerſales conſequentias deduceret.

Ita qui rhabarbarum chinæchinæ admixtum adverſus diuturnas tertianas, a clariſſimo Lanciſio commendatum, qui adverſus hyſtericas affectiones, probatum doctiſſimo Baglivio bezoarticum joviale, certiſſima omnium hujuſmodi affectionum remedia eſſe affirmaret, hic reluctantem haberet experientiam, quod Tu expertus teſtaris, & omnes Practici fateri debent. Verum ſi quis ex tuis, vel alterius obſervationibus, omnino nullas eſſe utriuſque remedii vires contenderet, etiam hic plus inferre videretur, quam ex datis præmitteret; non enim ab aliis, quæ in una, vel altera conſtitutione naturarum, differentiarum, circumſtantiarum vera ſunt, ad ea, quæ in omnibus conſtitutionibus verificari poſſunt, rectæ illationes fiunt.

Ceterum autem tuas, Vir Clariſſime, Obſervationes Medicis gratiſſimas futuras fore, non eſt ambigendum: gratiſſimas inſuper, ſimulque fructuoſiſſimas exiſtimaverim, ſi ægritudinum, adverſus quas irrita remedia, ſive Lanciſii, ac Baglivii,

(1) Conſtitut. Mutin. ann. 1.

vii, ſive aliorum omnium, quorum medendi Artes ad trutinam *revocas, expertus fueris, integram, plenamque hiſtoriam, & circumſtantiis definitam tradideris; magni enim intereſſe videtur, ſi morborum, qui cedere medicamentis, & reluctari ſolent, ea indicentur, quæ differentiam faciunt: quibus exprimendis, exhibendiſque hiſtoria experimentorum, pura videlicet effectuum, motuumque, ac rerum naturæ expoſitio, aptiſſima eſt. Alteram autem experimentorum partem, quam Phyſicam appellamus, argumentationes nimirum, comparationes, illationes, quibus in eorum uſu, atque applicatione indulgemus, nemo niſi pro fallaci, atque incerta habere poteſt.*

Quoniam autem de Hiſtoria incidit ſermo, & Tu me excitas, ut ſi quid habeam elaboratum, in diem mittam, ſcias velim, me nonnullis abhinc annis Hiſtoriam Morborum, tum univerſalem, tum particularem ſcribere, qui in Urbe, atque Latii parte, quæ nunc vulgo Ager Romanus *dicitur, quoque die invadunt.*

Univerſalem Morborum Hiſtoriam appello, quæ, anni temporum imprimis ratione habita, morborum conſtitutiones, ſpecies, ortus, incrementa, decrementa, durationes, criſes, eventus complectitur, eorumque differentias circa locorum ſitus, aſpectuſque, naturarum hominum, ætatum, conſuetudinum, & victuum varietates. Miror ſane, nobiliſſimam hanc, ampliſſimam, fructuoſiſſimamque Medicinæ partem, cujus fundamenta jecit Hippocrates, a poſteris prætermiſſam eſſe, cum nulla alia ad præſcientiam, prudentiamque Medicos tam ſolide conducere poſſit. Hac enim una ex aeris ſtationibus, atque mutationibus prædicere poteſt, quinam morborum futuri ſint (dicat quidquid velit Sydenhamius, quem præſtantiſſima hujus hiſtoriæ morborum pars fugit), & quibus locorum, naturarum hominum, ſexuum, conſuetudinum infenſi eſſe debeant, ut etiam multo ante eorum ſaluti conſulere poſſit, quod ad tales futuros morbos p ædiſpoſitos eſſe ſciat.

Particularis hiſtoriæ nomine veniunt morborum ſpecies, eorumque motus, periodi, tempora, notæ, ſimilitudines, conſenſus, ſucceſſiones, differentiæ, ſymptomatum viciſſitudines, gradus, modi, cauſę, judicia, medicinæ, eventus, extiſpicia. Cujus hiſtoriæ partes, quanquam his temporibus auctas, perfectaſque habeamus Recentiorum diligentia, & cura, multa tamen habere obſcura, multa penitus intacta negare non poſſumus, multoque diverſam eſſe morborum faciem, dum lectis aſſidemus, ab ea, quam authores ſyſtematice repræſentant. Ex hac hiſtoria, in qua naturæ motus, quamdiligentiſſime potui, ſum proſecutus, plures morbi deteguntur, a nemine adhuc deſcripti, multorum differentia, diverſaque origo demonſtratur, qui pro individuo habebantur, omnium fere, quod magni ponderis eſt, ex univerſali conſtitutione dependentia oſtenditur.

Nunc denique ad Te rediens, Vir Clariſſime, quod nullis provocatus officiis, tantum erga me benevolentiæ tuæ argumentum præbere volueris, gratias, quamplurimas poſſum, refero. Magnæ mihi moleſtiæ fuit, quod huic officio non uſque adhuc, ſaltem per litteras, ſatisfacere potuerim. Utinam aliquando etiam munere munus penſare valerem: tuæ autem humanitatis futurum ſperaverim, ut quam mihi ultro largitus es benevolentiam, amicitiamque, diutiſſime proſequaris; atque interim certior fias velim, me Tibi omnino devinctum eſſe, & quodcunque Te velle, vel ad tuam rem pertinere arbitrabor, omnia diligenter, ac ſtudioſe curaturum. Vale.

Romæ Idibus Octobris 1743.

SICILIA ET CAMPANIA

EPidemicarum, peſtiferarumque anginarum olim in Sicilia, Campaniaque pueros præcipue vexantium, cauſam inquirit, & ſtatuit celeberrimus Thomas Bartholinus (1) præcipue in cerebro, utpote *humidi*, & *frigidi* officina, ſubſtantiaque molli adhuc coagmentato: tanto magis *per apertum diutius verticem*, *externi frigoris experiuntur injurias:* hinc inquilinos etiam ceteros, pleroſque puerorum morbos comitiales, exanthemata, aurium humiditates, convulſiones, tonſillarum intemperies; cum Hippocratis auctoritate, ſolo capitis vitio adſcribit.

Opinionem ſuam oſtendit ex modo, & medio, quo aeris peſtilentis labes irrepit, & penetrat; per narium ſcilicet ſpongioſum os, ex quo retiformi proceſſui venenum communicatur: optimis deinde fundamentis, quæ nos mittimus, ſtatuminata hypotheſi, aeris temperiem calidam deſcribit ab *urente*, & *torrente ſydere*, nominatque Siciliam, Melitam, Calabriam, Apuliam, Latium, Neapolim, Hiſpanias, ubi faciliter ex calore, & ſiccitate *inquilina hæc peſtilentia* ſævire poteſt.

Ipſe excutere nolo argumenti incertitudinem, tam ratione colli, atque jugularium, carotidum, trachealium, gutturalium, palatinarum, glandularum, & vaſorum omnium, quę cerebrum non ſunt, quam ratione ſuppoſitæ *humiditatis*, & *frigiditatis* in puerorum cerebro, ubi mirus inquilinus Siciliæ, & Campaniæ, ejuſdemque cœli calor, & ſiccitas agere poteſt; quandoquidem in hiſce rebus, & ſubtilitatibus, a nobis tempus terendum non eſt.

Quod vero adultiores contagioſam anginam ferant, & difficilius inficiantur, quam pueri, ratio in promptu eſt, ob ſolidiorum partium firmitudinem, quæ ingreſſuro veneno reſiſtit; licet contra

contra

(1) De Angina Puerorum Campaniæ, Siciliæque epidemica Exercitationes. Lutetiæ Pariſiorum.

tra aliquando viſum, & adultiores in aliquibus epidemiis magis laborent, ut dum ſcribimus, admonet celeberrimus Taurinenſis Profeſſor, Regiuſque Archiater Antonius Rezia, peculiari ad nos data epiſtola (1).

Quod vero *braſſica*, & *lactuca*, aliorumque id vegetabilium genus, & familiaris apud Campanos, Siculoſque uſus conſpirare huic contagioſo, anginoſoque morbo potuerint, non nimis probare poſſum; cum ipſe in illis nocendi vim non videam, nec viderint priſci, Græcique Medicinæ Patres, qui ulcera, herpetem, *phlegmonas* induratas, eryſipelata, lepras curare braſſicam dixerunt, illamque in tria genera (2) diviſam, non ſolum inſontem ſtatuerunt, ſed *medicatam*, & *purgantem* (3); confirmans alioquin damnoſiſſimum fortaſſe fuiſſe fungorum eſum, qui tamen nec ſemper, nec univerſalis eſt.

Suppoſita interim ſyderatione anginoſa, & ut ita dicam, idiopathico cerebri defectu, potius eſſet videndum, num laudem merere poſſit emeticorum in illa influentia uſus; quorum quidem exhibendorum, vel non, quamvis probabiles rationes hinc inde a docto ſcriptore allatæ ſint, nec peculiarem, ſævientemque peſtem illam (laus Superis), videamus, tamen in ſequenda propoſitione affirmativa hærendum eſt, tanto magis, ſi preconceptæ hypotheſi ſtemus, qua morbus in cerebro ſtatuitur, & in ventriculo curatur.

SANGUINIS MISSIO

NOn ſanguine, ſed alterantibus *medicata*, ſcilicet *ſimplicis violæ*, *roſæque ſyruporum potione in tenuiore*, *aduſtoque Siciliæ aere* curationes eſſe pertentandas interdum non obſtamus; ſed ad examen reducenda etiam ſunt cetera, quę doctus Bartholinus innuit; & quamvis ſubitanea debilitas in ſubjecto ſupponenda ſit, ſolemne acutorum, & malignorum morborum diſtinctivum, tamen quibuſcumque intercurrentibus cauſis, ægritudo certo de inflammatione participat, aut ipſa inflammatio eſt, quæ niſi vena ſecetur, vix curari poteſt, tanto magis ſi inſtet ſuffocationis metus. De revulſione, de derivatione, de venis, deque arteriis ſecandis loqui non amo, quia in arena conſilium capiendum eſt.

HÆMORRAGIA NARIUM IN ANGINA

APparentibus ſtillis, & viſo lumine naturam per pinnas motum criticum moliri, quod Ægyptii ſcarificationibus faciunt, Europæi hirundinibus, & ſetis ſuillis tentant, & præcipue Neapolitani (4), & Panormitani (5), quamvis Chebibi Medicus Hebręus multos ex hirundinum morſu inflammatione, dolore, & abſceſſu *fato* conceſſiſſe perhibet: inde hirundinibus aculeos canis hoitzlacuatzim ſubſtituunt (6).

FILUM PURPUREUM PRO CURANDO INFLAMMATÆ GULÆ MORBO

FIlum, quod viperæ collo circumdatum, ipſam ſtrangulavit, Campaniæ, & Siciliæ proponitur pro curanda angina epidemica (7); ſed hominum vita, meo conſilio, pulcherrimis hiſce cogitatis commitenda non eſt.

LARYNGOTOMIA PRO CURATIONE ANGINÆ

PAucis me abſolvam, ſancte aſſerendo, in pueris præcipue, quod actui amandari vix poteſt. Eſt opus arduum, mille difficultatibus impeditum. Et in dubia ſorte, & exitu ſimilia tormenta vitanda ſunt. Qui aliter ſentit, non reſpondeat, niſi poſt viſas multas operationes.

PANORMUS

PAnormi, poſtremis hiſce temporibus, nomen optimum in ſcientia Medica ſortitus eſt Joſeph Ruſſo, qui plurimis a ſe factis obſervationibus explicavit beneficia homini promota ab uſu ſanguinis, carnis, & hepatis hirci. Nos Brixiæ primo, & præparato utimur in morbis acutis pectoris, quando incidendum, & expuitiones promovendæ ſunt; & admodum in pretio ille eſt, qui dono hic mittitur a Nobili in Valle Tellina viro Petro Angelo Lavizario, utpote nulla fraude, quæ in tabernis ſerpit, paratus.

Ibi inſuper bonas artes nunc florere, præcipue ad rem Medicam quod attinet, ſignanter oſtendit etiam Collectio Operum Philoſophicorum facta a Thoma Campailla, ubi de morbis epidemicis, nævîſque maternis diſſeritur, & diverſæ nutritionis modus, necnon cauſa debiliorum ceteris hominibus ſpadonum inquiritur.

Gratu-

(1) Vide Taurinorum Auguſtam.

(2) Halmyris, Læophyllos, & Selinuſia.

(3) Τῆς δὲ ῥαφάνου τριχῇ διῃρημένης, οὐλοφύλλου τε, καὶ λειοφύλλου, καὶ τρίτης τῆς ἀγρίας, ἣ τὸ μὲν φύλλον ἔχει λεῖον, μικρὸν δὲ καὶ περιφερὲς, πολύκλαδος, καὶ πολύφυλλος, ἔτι δὲ χυλὸν ἔχουσα δριμὺ, καὶ φαρμακώδη. Διὸ καὶ πρὸς τὰς κοιλίας αὐτῷ χρῶνται οἱ ἰατροί. ὁμοίως δὲ καὶ ἐκείνων εἶναι δοκοῦσι διαφοραὶ καθ᾽ ἕτερα. ἐπεὶ ἄσπερμόν τι γένος αὐτῶν ἐστὶ, ἢ κακόσπερμον. τὸ δὲ ὅλον ἡ οὔλη τῆς λείας εὐχυλωτέρα, καὶ μεγαλοφυλλοτέρα.

(4) Referente clariſſimo Bartholino, de Angina Epidemica pag. 95.

(5) Alienus non ſum a mihi ſuadendo, poſſe etiam venenoſos hirundinum non ſatis purgatarum morſus ſedalibus venis aliquod vitii infligere, ut hinc fiſtulæ, & exulcerationes in promptu ſint.

(6) Auctor eſt Caſſianus a Puteo.

(7) Quod Plinius proponit in affectibus ſtrumoſis.

Gratulandum Panormitanis, quod in ſinu ſuo foveant celeberrimum virum Franciſcum Serium, a quo, gloriæ illius regionis, bono in lumine collocantur.

Ceterum Panormi Medicina probabiliter, autumo, pendebit a documentis ibi & ore, & calamo (1) relictis a præſtantiſſimo elapſi ſæculi coryphæo, nimirum Marco Antonio Alaymo, qui graſſante etiam peſtilentia, plurimum de Siculis gentibus meruit, & in illa urbe fundator Academiæ Medicæ fuit, qui inſuper in ęvum duraturis monumentis, doctrinam pietati conjunxit.

REMEDIA

QUæ Panormi uſuveniunt, videri poſſunt in Antidotario Panormitano Pharmaco-Chymico ab Auguſtino Gervaſio filio, olim Panormitanæ urbis Protomedico eximio, correcto, & magna rerum acceſſione locupletato.

TARVISINA
MARCHIA
SACILLUM

PEr Medicas obſervationes utique utiliſſimas proceſſit optimus practicus Joſeph Antonius Pugiati ex Sacillo, amplo, & præclaro oppido Marchiæ Tarviſinæ oriundus, tunc cum, dicato opere ſuo primariis Patavini Archilycei luminibus, publici juris fecit non chimericas laſcivientis phantaſiæ hypotheſes, ſed facta a patientibus ægris deſumpta, atque a luctantis naturæ viciſſitudinibus eruta, ut tutiori via a Philiatris, proximiſque, & futuris ſuis Jatreuſi addictis, iretur.

BUBONES VENEREI SEMPER, SI FIERI POTEST, SECANDI

PRobo multa a ſupradicto auctore propoſita; ſed ſemper ſumere, aut utiliſſimum ducere, ut bubones in inguinibus, hydrargyroſi in corpus humanum adacta, tuto omine ſolvi debeant, laudare ipſe non poſſum. Inguina emiſſarium ſunt, per quod natura noxium exterminare tentat. A centro ad cutim optima criſis. A bubonibus retro euntibus morbus radicitus implantatum ſæpiſſime vidimus. Diſſolutio ratione artis pertentata, nunquam cum motu naturæ comparari poterit: ergo tumores ſecandi, & expurgationes promovendæ: quinimo non ſolum ſecandi, ſi concreti ad maturationem inclinent, ſed etiam ſi lenti, ſi, ut vulgares loqui amant, frigidi, indolentes; quandoquidem damna ab hac inciſione ipſe nunquam vidi, & utilitates bene multæ ſunt.

Parcat ergo doctus Pugiati, ſi Sacillenſi, & *Pordenonenſi* medendi ſuæ methodo cæca proclivitate ipſe non aſſentior; quandoquidem in Praxi nil magis verum, utileque vidi, quam obſecundationem naturæ.

Laudes vero debitas ſuæ regionis nomine perſolvo eidemmet obſervatori alioquin circumſpecto, quod epidemicos morbos in tota provincia ſua anno 1730. & 1735. graſſantes deſcripſerit, a quo lumen ceteris Clinicis pro medendo fulgere poteſt.

SANCTA LUCIA

INter Venetias, & Opitergium ſita eſt Tarviſina Marchia, in cujus vico, Sancta Lucia, Nobiliſſimæ Patritiæ Venetæ Gentis, Comitum de Collalto, vigilat nunc inter alios populorum valetudini bonus Practicus, & optimus Medicus nomine Idamias origine Hebræus, cujus medendi methodus nobis ſuboluit ex relatione Nobilis viri Bartholomæi Spineda Venetorum Militum Tribuni, qui effœtis ventriculi digeſtionibus, corrugatis, ne dicam obſtructis, abdominalium viſcerum fibris, ubi ad ſummam emaciationem, viriumque diſſipationem pervenerit, fruſtra executis conſiliis Medicorum Bergomatum, Brixianorum, & Veronenſium, in Tarviſinam patriam ſuam ſe contulit, & oracula Sanctaluciana Judæi Clinici conſuluit.

Quia vero propoſitæ in ſchedula præſcriptiones nobis expoſitæ arriſerunt, quia ſuavem, & delicatam methodum præſeferunt, quia cum aliquo juvamine adhibitæ fuerunt, non abs re duximus eaſdem in epilogum veluti adumbratas non ſilere; ex quibus, noſtro argumento inſiſtentes, Tarviſini quodammodo agri medendi modus Philiatris innoteſcat.

Interdixit in primis omnia *acida*, *ſalſa*, *aromatica*, acetum, lac, butyrum, caſeum, herbas, excepto fœniculo, & ſelino; laudavitque vinum *dilutum*, *maturum*, & *tepidum*, necnon juſcula, oryzam, hordeum cum cinamomo correctum, pullos, vitulum, ſemper elixa.

Mane vero jus macrum, in quo bullierit radix cichoreæ, graminis, & fragariæ, raſura eboris, & cornucervi.

Bis in hebdomade duo uncias ſucci amygdalarum dulcium, ſed cochleatim ſumptas.

Pulvinar ex foliis lapathii lectum ituro aptandum abdomini, mane vero butyrum poſtquam in aceto forti infuſum fuerit.

Prohibuit legumina, ſaccharum, & lac.

Laudavit præterea thè, in quo bullierit etiam cancer vivus contuſus, cum uno grano *Badiani*.

Menſe vero Aprilis, bis in hebdomada, ſerum deſtillatum cum ebullitione ſphitamę cannę caſiæ contuſæ, ſeminum frigidorum contuſorum, radicis cannæ, & meliſſæ, colatum, & tepidum.

Aliis vero diebus, decoctum cum duabus ramis, & corticibus radicum cappar.

Loco lactis, ad nutriendum corpus, decoctiones ſeminum frigidorum contuſorum, pineorum, amygdalarum, & piſtaciorum, tepidas, in quantitate octo unciarum ante cibum.

Deinde conſervam ex cucurbita. Tandem vinum tamariſco alteratum.

TAURINORUM AUGUSTA

VIRO CELEBERRIMO

JOSEPH ANTONIO BADIA

In Taurinenſi Archilyceo Medicinæ Profeſſori

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS S. P.

INter primaria allocutionis argumenta, quæ cum clariſſimo Medico, & utriuſque noſtrum amiciſſimo Antonio Roſſi Brixiæ inire debui, tum cum Ampliſſimum Virum Marcum Fuſcarenum Equitem, & Divi Marci Procuratorem Venetias reducem, ex glorioſe peracta apud Regem Sardiniæ extra ordinem legatione, comitabatur, tu illico ambas noſtras mentes occupaſti, Vir Doctiſſime; quippe præter ea, quæ fama jam prædicaverat, tot ſcientiarum ornamentis, animique dotibus inſtructum te mihi deſcripſit, ut raptus, tuamque benevolentiam veluti concupiens, & geſtientem animum meum tibi aperire decreverim, & ſimul noſtras Morborum Hiſtorias mox e pręlo ſudantes dono mittere, quas ex Bernardo Franciſco Bertolero bibliopola in hac veſtra urbe accipies. Quid enim optabilius in hoc humanarum, heu! quam brevi rerum curſu; quid in difficillimæ ſcientiæ tenebris utilius, quam peractas improbo, & perenni labore obſervationes libero animo patefacere; ut hinc quidem Tyrones indicatam ſaltem videant viam, quam in bonum publicum inire decet; ſed in diſſitis urbibus, diverſoque cœlo fruentibus regionibus primates viri, atque in Archigymnaſiis publice profitentes, trutinamque Medicam de jure pertractantes, veluti in conſilium vocati, decernant, ſeligant, admoneant; quodque optandum magis, alienam in determinatis morbis cum propria methodo conferant, & perpendant: & poſtquam funditus ſibi ſatisfecerint, ſciant debitum toti Medicorum provinciæ ſatisfaciendi. Quod ſane ut agatur, amandare debent moroſa mentis præjudicia, prudentium more, meliora amplecti, & non ſolum fateri, per quos profecimus, verum etiam ipſis non diſſimulatis funeribus, fatales quandoque eventus circumferre: contra non nimis laudabilem morem cujuſdam alioquin doctæ gentis, ubi auctores adſcribunt, ſibique ſumunt ægrotos propriis remediis, proprioque marte fere ſemper a libitina liberatos. Hiſce propterea de cauſis, dum hac epiſtola & ingenii mei fœtum, & obſequentiſſimi animi teſtimonium ad te mitto, primum noſtram, quæſo, in Hiſtoriis methodum, in obſervationibus meditata, in adnotationibus ipſis remedia ad acerrimi judicii tui lancem redigere ne pigeat; ſecundo admone ſaltem aliqua, in quibus diſtet praxis, quæ Auguſtæ Taurinorum uſuvenit; &, oro, adde, ſi quid peculiare ſub hoc cœlo vos togati habeatis pro humana corporis fabrica in perpendiculum reſtituenda: quandoquidem fruſtra in hoc pulvere deſudamus, niſi longe miſſis cerebri chimeris, & quibuſcumque hypotheſibus uni ſcopo litemus, qui languentem hominem vindicet. Admitto etiam, ut brevibus mihi favere poſſis: publicum ſiquidem profitendi munus, Medica longe quæſita conſilia, & urbanum in medendo officium te totum rapient; ſed ita tamen, ut ne nihil omnino: ideoque, te in poſterum etiam Brixię docente, praxis noſtra minus cæcutiet. Ab incępto ordine cudendi in Operibus meis epiſtolas gravium ſcriptorum jam vides, quinam eventus & de tua futurus, Deo dante, ſit. Reliquum tantummodo eſt, ut me inter tui addictiſſimos ponas, &, aliquid jubendo, expectationibus meis ſatisfacias. Vale.

Celeberrimo Viro

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

JOSEPH ANTONIUS BADIA

S. P. D.

GRatias Tibi ago maximas, perpetuoque habebo, quod Tu, Vir Clariſſime, ingenio, doctrina, editiſque operibus nulli non cognitus, ad me litteras plenas artis, atque humanitatis dederis, tuumque Medicarum Obſervationum Librum per Bernardum Franciſcum Bertolerum bibliopolam Taurinenſem mihi deferendum prænunciaveris. Ego, quemadmodum omnia, quæ a Te ſunt, perlibenter lego, ita Hiſtorias has, Obſervationes, quaſque de Medicis præſidiis habes, annotationes intento animo evolvam, & ſi quæ erunt (quod ipſe maxime poſtulas), quæ adjicienda eſſe videantur,

antur, Tibi libere aperiam; quanquam in tua, hoc eſt in eruditi, experientiſque Viri opera cadere id minime poteſt: non enim dubito, quin ea, qua plurimum præſtas, ſolertia, acrique mentis vi omnia coſideraveris, atque ad examen accuratiſſime redegeris. Nitor ergo, ſubdolum, & varium perſæpe morborum ingenium acute, ac perſpicue detectum, aptiorumque auxiliorum delectus ſuſpicienda mihi erunt, hiſque omnibus de rebus Tecum etiam nunc gratulor. Id unum me angit, tot, tantiſque tuis in me promeritis nulla poſſe ratione ſatisfacere: ſi quid autem in me eſt, Tibi illud totum eſſe putato, certoque habeto, me nullum officii onus cuiquam reliquum facturum. Vale.

Taurini Nonis Julii anno 1742.

VIRO DOCTISSIMO

ANTONIO REZIA

Sardiniæ Regis, &c. Archiatro

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

SI Galliæ tot mirabilium ingeniorum fœcunda mater, multis regionibus in cogitando, & docendo ſupereminet: ſi Italicæ gentes, referente præ aliis Valliſnerio, & Cogroſſio, bonarum artium, & diſciplinarum cultrices, nemini mortalium unquam ceſſere, quid dicendum erit de hac tua Taurinorum Auguſta, quæ has inter felicitates poſita, propriiſque inſuper dotibus, & ornamentis dives, ſemperque magis florens conſurgit? Quid inſuper dicendum de Te, qui inibi ad primarium Medicæ Artis munus evectus, potentis, & belligeri tui Regis ſoſpitati vigilas, & magno Fantono, quem meo nomine ſalutatum vellem, aliiſque celeberrimis viris ſuffectus, aperte oſtendis, fortunam tuis meritis famulari, illumque ſcientiarum, & præcipue Medicæ Facultatis apparatum in Te latere, qui ad obtinendos honores ſola via eſt. Tibi idcirco tot obſequiis undique ſtipato mirum non videbitur, ſi ego nullo intercedente amicitiæ commercio, improviſe accedam, tuæque neceſſitudini inhians, miſello Hiſtoriarum mearum munuſculo, tuam audeam excitare humanitatem, & humiliter petere, ut ſaltem, dum oſfero, illud probes, & ſucceſſivis poſtea horis, raptim idipſum percurrens (longiores enim moras nec merebitur, nec pertæſus poteris, nec graviſſima tua negotia ſinent), quid mea ſuggeſſerint morbos inter, & ægros meditamina videas, & aperte noſcas pro conquirenda Medica Facultate inſudaſſe, non ut alios docerem, ſed ut diſcerem, & labentem hominis fabricam ſuſtinerem, & ſi fas eſt dicere, interdum conclamatam revocarem, quod utrum hactenus obtinuerim, Deus ſcit, alii judicent.

Adde inſuper, me huic veſtræ Pedemontanæ regioni addictum peculiariter eſſe. Licet enim, quando inibi per aliquod tempus moram duxi, vix eſſem in Medica Arte initiatus, utque plurimum extra urbem penes Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum Marchionem Petrum Martinengo in oppido Planitiarum hoſpitarer, medendi tamen methodus, quam iſthic carpſi, atque a clariſſimis viris delibavi, admodum recta mihi viſa eſt: Hippocratis quidem, & graviorum ſcriptorum fundamentis innixa, ſed novis detectionibus, atque experimentis, & diſſitis, & patriis aucta, atque illuſtrata. Placuit inter cetera morbos acutos curandi ordo, non ſemper purgando, & ſanguinem mittendo ſuſceptus, ſed ab indicante natura diluentium uſu, & corporis humectatione faciliori reddito, aut per inferiora, aut per diaphoreſim noxiæ, & fermenteſcentis materiæ exitu, ut jam pridem expertus eſt prænobilis Eques Carolus Martinengo, dum in Taurinenſi urbe ægrotabat: ſiquidem doctiſſimus Stephanus Benedictus Allionus ad curationem vocatus cernens, & funditus noſcens, a febri quidem acuta egregium Patientem calidæ, & fervidæ conſtitutionis, cum ipſius vitæ periculo conflictari; ſed tamen de illis eſſe, quæ ab endemica conſtitutione productæ, miliaribus ad cutem puſtulis critice judicabantur, non cœco expiantium pyxidum uſu, non adacta in œſophagum pilularum ſtrue, non ſimulata cordialium (bone Deus! Quiſnam erit Medicus cœlitus veniens, qui in eadem invehat, totque crumenæ, ne dicam vitæ, præjudicia tollat?) adminiſtratione, non ſuffocato chinachina in principibus latibulis febrili fermento; ſed ſolis, iiſque iteratis, Florentino more, clyſteribus laxavit alvum, mox cichoreæ ſucco correxit bilem, nucerino latice, proindeque ſero lactis deſtillato, & interdum ſummitatibus fumariæ alterato, necnon emulſionibus, atque aqua florum ſambuci humectatis viſceribus, ut lenteſcentes amurcæ diſſolverentur, humorum circuitus reviviſceret, atque ad cutim, commune corporis emunctorium, ubi tunc temporis ſævientes ægritudines criticæ judicabantur, morboſæ particulæ ſublimarentur: ex quorum omnium uſu Patiens Nobiliſſimus priſtinæ ſaluti integre reſtitutus eſt.

Diſſertationem præ manibus habeo, ubi diſſitarum regionum in medendo ſyſtemata ad trutinam revoco; hinc a clariſſimo Joſepho Antonio Badia Profeſſore, & concive iſthic tuo non ita pridem literis noſtris poſtulavi, ut eodem actu noſtram in Hiſtoriis Morborum productam Praxim cum Taurinenſi compararet, & quid excipiendum, vel explodendum admoneret. Dum tamen, poſt viſum Opus, majora, eaque promiſſa a doctiſſimo viro, quem meo nomine peramanter ſalutabis, expecto, ipſamet, quæ alioquin,

lioquin, ut candide fatear, mihi eſſent cariſſima, abs Te petere non audeo, ne dum publicæ utilitati, doctorum virorum conſiliis aliunde quæſitis, pro viribus adlaboro, eorumdem patientia, quæ nunquam in optatam a me neceſſitudinem, hoc pacto, tranſiret, abuti videar. Bonam igitur in partem meum hoc grati animi argumentum accipe, & faxint Superi, ut Tibi jugiter novas meæ obſervantiæ ſignificationes præſtare poſſim. Vale.

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Viro Illuſtri, ac doctiſſimo

ANTONIUS REZIA S. P. D.

MUltum ſane Tibi, multumque tuæ de me opinioni debeo, Vir Clariſſime, qui cum totus in litteris ſis, atque ægrotantium ſaluti perpetuam operam tribuas, tum in Obſervationibus ad publicam utilitatem comparandis verſeris, otium tamen aliquod nactus es, ut mihi in litteraria republica prorſus ignoto, non modo lucubrationes tuas, ſed & latinam epiſtolam mittere volueris. Quid porro debeam doctiſſimo, amiciſſimoque noſtro Antonio Rubeo, facile Tibi poteris ſuadere; is enim dum Taurini commoratus eſt, ſe mihi humaniſſimum præbuit, & multo magis, dum Brixiæ eſſet, ubi me Tibi notum facere voluit, tuamque mihi amicitiam conciliare. Illa vero, quam ad me miſiſti, epiſtola, & qua neceſſitudini meæ inhiare ſignificas, eximiæ tum humanitatis, tum doctrinæ notis referta eſt, quare ſi par in ſcribendo, aut in officio referendo eſſe non poſſum, parem tamen amore, & voluntate eſſe erga Te velim exiſtimes. Jam quod de me adeo magnifice ſentias, & quaſi virtutibus ornatum hominem magnis efferas laudibus, hoc etiam pro tua facis humanitate; ego vero, etſi a Magno Viro laudari delector, fateri tamen debeo, me nihil in me ipſo, quod ſingulari laude dignum ſit, agnoſcere; novi enim ſemper ingenii mei tenuitatem, & ſi quid ſum, aut ſi quid habeo dignitatis in Arte noſtra, illud totum ſummæ Clementiſſimi Regis noſtri benignitati debere profiteor.

Tuas Morborum Hiſtorias theoreticis, practiciſque animadverſionibus illuſtratas, magna cum voluptate, quotidie lego, quandoquidem in illis clara, & diſtincta eſt morborum expoſitio, atque ætiologia, & optimus remediorum delectus, qui nempe cum ſaniori medendi methodo conſentit. Opus vero hoc tuum, etſi per ſe omnino commendabile eſt, alia etiam ratione mihi maxime arridet; namque inter doctiſſima illuſtrium Virorum conſilia, illa in primis gratiſſima fuerunt, quæ Alexander Macoppe, & Joannes Baptiſta Morgagnus ad Te conſcripſerunt, celeberrimæ Patavinæ Academiæ, vel potius litterarii orbis clariſſima lumina.

Sub finem elapſi menſis Auguſti ſubortæ ſunt febres miliares, nonnullæ etiam poſtremis Septembris diebus in hac Taurinenſi urbe; his vero plerique robuſtiores, & validi temperamenti extincti ſunt, dum facile ſalutarem exitum ſortiti ſunt debiles, & tenui habitu præditi, quod alias etiam ita contigiſſe experientes Medici obſervarunt: porro febris hæc, præ omni alio morbo, ſemper inſida, & Arabum febri malignæ ſimillima eſt, qua cum pulſu, & urina bona, ſed cum graviſſimis ſymptomatibus, non raro ægrotantes intereunt. In quibuſdam conſtitutionibus valde lethalis, maxime auſtrinis, iiſque incipientibus, qui primi corripiuntur, eorum plurimi moriuntur; ſed ſatis in præſenti de morbo non adhuc bene perſpecto, & in cujus curatione ſagaciores Practici hærere ſolent, dixiſſe videor. Ceterum morbus iſte teterrimus, ut bene noſti, Anglis, & Germanis valde familiaris eſt.

Tu vero, Optime Vir, diu vale ad Patriæ incolumitatem, & decus, & Praxim Medicam ut frequenti morborum obſervatione adaugeas, & phyſicis ratiociniis confirmes, magnopere cupio.

Taurini quinto Idus Octobris
Anno Salutis 1742.

VENETIÆ

MI comandaſte, Illuſtriſſimo Sign. Conte, di ragguagliarvi delle malattie, che ſogliono affliggere queſta illuſtre, e popolata città, come pure de' rimedj, che vengono uſitati da coteſti Profeſſori di Medicina per debellarle: e ſiccome mi ſo gloria d' ubbidirvi per quanto poſſono le forze mie, ve ne renderò conto nel miglior modo a me poſſibile, e per quello, che ho potuto oſſervare nel corſo d' anni venticinque, che con oneſto, e per me baſtevole compatimento, vi eſercito queſto, quanto neceſſario, altrettanto penoſo meſtiere di Medico. Cercherò di rendervi conto delle malattie più frequenti, e delle endemie, ſe ve ne foſſero, o di quelle, che da alcuni vengono ſuppoſte in queſto, da me creduto, ſaniſſimo paeſe, ſenza dimenticarmi di qualche mal foreſtiere, che regnò un tempo in queſta città, di cui, o non ve n' è veſtigio, o egli è molto decaduto da ſuoi primi furori. Dopo ciò vi dirò, quai rimedj, e qual metodo rieſca più fortunato, ſapendoſi già, che ogni luogo hà qualche coſa di particolare, e ciocchè vi rieſce utile, altrove ſi ſperimenta di poco effetto, o infruttuoſo affatto. Ma prima di tuttocciò credo ben fatto darvi un' idea del ſito, in cui giace queſta città, che quantunque noto ſia a voi, ed alla maggior parte del colto mondo, tuttavia alcune particolari notizie potranno riuſcire care, e forſe nuove, a molti altri, che peranche non vi poſero il piede. Hippocrate inſegna quanto à' Medici neceſſaria coſa ſia

il

il conoſcer eſattamente quel luogo, dove debbono medicare, qual poſitura, qual aria, qual acqua vi ſi trovi, e quindi credo, che ſi ſvegliaſſe in Voi, che le veſtigia di sì grand' uomo con tanta gloria calcate, l' idea dell' Opera incomparabile, che avete per le mani. Anche il giudizioſo Baglivio (1) raccomanda in più luoghi delle ſue opere lo ſtudio della Medicina particolare ſul fondamento, che eſſendo così varia l' atmosfera, com' è vario l' aſpetto del paeſe, e delli uomini, che naſcono con affetti relativi all' aria, che li circonda.

Vi dirò pertanto in primo luogo, eſſer poſta queſta coſpicua città dentro una gran vaſca d' acqua marina detta Laguna di Venezia, che ſi eſtende per oſtro-garbino a greco-tramontana 90 miglia, ed è la ſua maggior lunghezza, larga da Marghera al lido di S. Nicolò ſette miglia, che è la ſua minor larghezza, maggiore eſſendo in tutte l' altre ſue parti. Divideſi dal vivo mare per anguſto, e lungo lido rotto da varie aperture, o vogliam dir porti, per i quali entra l' acqua del mare ad inaffiarla. Ella è tutta paludoſa, interrotta da innumerabili canali di varia profondità, e larghezza, prodotti, Dio ſa quando, dal vario accozzamento di molti fiumi, che ſcolavano in queſto ſeno di mare, dove per i moltiplici, ed oppoſti loro movimenti colle acque marine, anno dovuto le acque dolci, dove caminavan più lente, far depoſizioni, e velme, e dove più forte ſoſtenevaſi il loro corſo, reſtar il canale. Perciò queſta laguna talvolta compariſce una vaſta campagna, cioè, quando l' acque vanno al mare, che i paludi reſtano ſcoperti; ora, come dice Caſſiodoro (2), rappreſenta un ampio mare, cioè, allora che l' acque marine vi fan ritorno, tutta riempiendola, e tal fenomeno di fluſſo, e rifluſſo per quattro volte al giorno ſi va alternando di ſei in ſei ore, tolti alcuni tempi, ne' quali il fluſſo è maggiore del rifluſſo, o queſto maggior di quello, come nel Gennaio, e Febbraio, che l' acque corrono al mare con maggior velocità, e per più longo tempo del conſueto.

Ne' ſecoli ſuperiori all' era comune queſti paludi detti fin d' allora di Rialto (3), per teſtimonianza di Livio (4), furono certamente abitati, come rilevaſi da molti documenti irrefragabili; ma verſo il quinto ſecolo vi ſi moltiplicarono le popolazioni per la venuta de' Barbari nelle vicine provincie; ſicchè Rialto preſe in allora qualche forma di città, e cominciò a divenire la maggiore delle Venete contrade, principalmente per eſſerviſi trovata maggiore ſicurezza delli abitanti, che nelli altri luoghi maritimi (5): per il qual oggetto riguardevoliſſimo nel nono ſecolo, ardendo la guerra co' Franceſi, vi ſi traſferirono le più comode famiglie delle iſole Venete, e fuvi ancora fiſſata la Sede del Principato.

Queſti fortunati eſtuarj, dove mano nemica peranco non giunſe, furono eziandio in quei primi tempi coperti di molti canali, coſtando ciò dalle proviſioni fatte dal Governo d' allora per eſtirparli, e dall' antico nome di Canareo rimaſto al ſeſtiere oggi detto Canal Reggio, per le canne, che vi erano abondanti, come rilevaſi principalmente dalle licenze, che da privati furono preſe fino al 1300. (6) di tagliarvi il canedo per fabbricare, il quale vi naſceva abondante, più che in ogn' altro ſito della città, per le acque dolci, che vi cadevano copioſe dai vicini fiumi del Meſtrino, naſcendo ſempre il canedo, dove le acque dolci prevalgono alle ſalſe, ed eſſendo ſempre aria fatale, dove tal paluſtre canna vedaſi germogliare abbondevolmente. Tralle proviſioni fatte a queſto propoſito dalla naſcente città, ſi trova l' elezione d' un Cittadino de' più coſpicui, ed aſſennati, la di cui principal iſpezione doveva eſſere l' eſtirpazione de' canedi, per dar luogo alla creſcente popolazione, come pure la tutela de' lidi per garantirla dalle acque violenti del mare; e queſta, ſia detto così di paſſaggio, fu la prima origine della dignità Procuratoria, detta in ſeguito di S. Marco per l' appoggio ai medeſimi ſaggi Cittadini, creſciuti al numero di tre, dell' aurea Chieſa di S. Marco, come chiaramente rilevaſi da un' antica cronaca de' Procuratori eſiſtente nella Caſa Eccellentiſſima Grimani ai Servi, continuata per ſerie non interrotta fino al giorno preſente.

Nè ſolo in quei antichi tempi, ma altresì in quelli a noi più vicini, andava pullulando il canedo in molti luoghi proſſimi alla città, maſſime nella famoſa punta de' Lovi (7), ch' eſtendevaſi fino a S. Marco, il quale non ſolo dimoſtrava con evidenza, quanto in Laguna le acque dolci prevaleſſero alle ſalſe, ma quel che più importa, era evidente teſtimonio della poca ſalubrità dell' aria di Venezia, per tale già riconoſciuta da' Medici di que' tempi, e conteſtata da loro col regiſtro delle frequenti epidemie di febbri pernicioſe (8); a tal effetto fu riſoluto dal Sovrano Governo nel 1600. il bando generale delle acque dolci dalla laguna, ſuggerito fino nel ſecolo XIV. ed eſeguito poſcia in varj tempi, e per ultimo nel 1684. col taglio del Sile, e ſcavando con ſpeſa più che Reale nuovi alvei, che portaſſero l' acque dolci al mare, lontane, per quanto poſſibil foſſe, da' porti della città. Fino nel ſecolo XI. per i molti danni, che la Brenta portava alla Laguna colla gran copia d'acque, che vi gettava, fu riſolto dal Governo di pregare i Padovani (9), che voleſſero mutar l' alveo di quel fiume,

(1) De Medicina ſolidorum.
(2) Variarum l. 2. ep. 22.
(3) Triviſan della Laguna f. 53. 2. c.
(4) Hiſt. dec. 1. l. 10.
(5) Sabellico Faſt. ad annum 812.
(6) Triviſan 64.
(7) Zilioli Hiſt. ad annum 1506.
(8) Nicolaus Maſſa de Febri Peſtilenti.
(9) Triviſan della Laguna p. m. 28.

fiume, come leggeſi nel libro Mixtorum *eſiſtente nella Secreta: dice la Parte, che* rogentur Paduani, quod flumen Brentæ mutetur. *Col togliere le acque dolci dalla laguna, ſi pensò quaſi con un colpo maeſtro di togliere per ſempre l' accreſcimento delli interni paludi, e di provedere nell' iſteſſo tempo alla bramata ſalubrità dell' aria; perchè ſubintrando alle eſiliate acque dolci le acque del mare, acque ſalubri, e pure, queſte entrando due volte al giorno nelli eſtuarj, dovevano rinfreſcarli, corroderli, e purgarli da ogni malizia, che l' acqua marina corrode, e logora, riportandola al mare nel rifluſſo. Nè s' ingannò la Pubblica Providenza nella diverſione de' fiumi, perchè il canedo nei contorni della città ben toſto ſi ſpenſe, e l' aria provoſſi dipoi affatto innocente, non avendoſi più vedute quelle frequenti epidemie di febbri perniciose, che provavanſi per l' innanzi, nè tampoco l' affetto ipocondriaco, che dal Santorio, e da altri viene deſcritto per male crudele, e endemio di queſte lagune, e non è certamente al dì d' oggi nè più frequente, nè più feroce di quello, che ſoglia eſſere nelle città credute le più ſalubri.* Quod eſt, *dice Santorio* (1), lippitudinem Achæis, podagram Athenis, elephantiaſim Ægypto ſævire, & Venetiis melancholiam hypochondriacam vigere. *Onde ſe l' iſteſſo coſpicuo autore, che ſcriveva avanti la diverſione de' fiumi, fuſſe a' giorni noſtri, muterebbe ſenza dubbio ſentenza, nè Ludovico Teſti avrebbe avuto occaſione di fargli que' ingiuſti rimproveri, che in più d' un luogo dell' opera ſua gli fa: doveva riflettere quell' inſulſo critico, che Santorio ſcrivea in tempo, che la noſtra laguna aveva faccia cotanto diverſa da quella, che aveva a tempo ſuo.*

Dalle coſe fin' ora dette mi pare di veder con chiarezza, come queſti eſtuarj foſſero nel quinto, e nel nono ſecolo abitati dalli uomini per ſolo motivo di ſicurezza da loro nemici, quantunque l' aria vi foſſe men che buona, peggiorata certamente fino al 1600. per il continuo corrervi de' torbidi fiumi, i quali nel paſſar de' tempi avrebbero anche reſa inabitabile queſta rara città, ſe la Pubblica Sapienza, dopo due ſecoli di ſtudio, e di oſſervazioni, non decretava qual unico rimedio il general bando delle acque dolci: onde io dirò ſenza eſitanza, che queſta città gode oggidì ſito, aria, ed acqua la più perfetta, che mai ne' ſecoli trapaſſati abbia potuto godere, e per niente inferiore all' aria delle città credute di perfetta ſituazione, come dalle coſe, che andarò dicendo, ſi farà più manifeſto.

E per verità l' eſſer poſta la città di Venezia quaſi in una vaſtiſſima pianura, fa di molto alla ſalubrità della ſua atmosfera, perchè viene ad eſſer dominata da tutti i venti, infuriando ugualmente ſopra di lei la freddiſſima tramontana, il ſubitaneo garbino, il caldo ſcilocco, il furioſo levante, ricreandola qualche volta il freſco, e ſaniſſimo ponente, che qualunque volta ſpiri, apporta ſalubrità, e aria ſerena. Il garbino, quantunque impetuoſo, per eſſer di breve durata, non apporta durevole mutazione alla noſtra atmosfera, buona, o cattiva, ch' ella ſia; tuttavia ſempre giova, sferzando impetuoſamente l' aria, e gli umidi vapori, che congionti vi foſſero. Il vento levante rieſce vario, ſe dolce ſpira, e in tempo d' eſtate, rinfreſca l' aria, e fa bel tempo; ma nel verno, in cui furibondo, e con terrore ſi fa ſentire, gonfia l' acque del mare, rende l' aria umida, e fa pioggia: tuttavia rieſce più incomodo, che mal ſano. Oſſervabiliſſimi rendonſi in queſta regione i ſciloccali, e boreali, come quelli, che ſi fanno ſentire tutto l' anno, e dir ſi ponno predominanti ſopra di noi, tanto più, che producono effetti fra di loro oppoſtiſſimi, anche per relazione alle ſtagioni nelle quali ſogliono ſpirare. I boreali nel verno ſono per lo più violenti, freddi, e ſecchi, onde apportano freddezza, e ſecchezza; e ſia pur l' aria torbida, e nuvoloſa, che ſoffiando tali venti aquilonari, preſto la diſſeccano, e la riſchiarano, menando prontamente il bel ſereno; ceſſano allora le groſſe fluſſioni, le terzane autunnali, che recidivando, arrivarono fino al verno, ſi rinforzano i ſolidi, e più oſcillanti ſi fanno, onde per conſeguenza i fluidi più ſpediti caminano per i loro canali. Che ſe poi i venti boreali, com' è avvenuto talvolta, e particolarmente nell' anno 1730, durino meſi e meſi, l' aria diviene talmente fredda, e ſecca, che produce reumatiſmi quaſi univerſali, e la noſtra città divenne allora un oſpitale, quantunque l' aria ſembraſſe belliſſima, e ſaniſſima, ed il Sole ogni giorno luminoſiſſimo riſplendeſſe: però una tal diſgrazia fu comune a tutta l' Europa, ed a noi riuſcì più terribile, che fatale. Nelle coſtituzioni boreali ſono frequenti le toſſi, le pleuritidi, le peripneumonie, e le apopleſſie ancora, particolarmente quando l' aria ſta per raddolcirſi. Se poi ſpirino i boreali, ed i ſcilocchi alternatamente, e placidi, che il caldo dell' uno temperi il freddo dell' altro, la ſtagione paſſa ſalubre, come l' anno paſſato 1745; ma ſe accade, che ſopravenghino i boreali ai lunghi ſcilocchi, che aveſſero reſo i ſolidi floſſi, e ſpoſſati, ed i fluidi torpidi, e glutinoſi per l' improviſa coſtipazione, ſuccedono molte infiammazioni, e maſſime del petto. Anche il ſcilocco ſpira nel verno ſovente ferociſſimo, e tuttavolta predomina tutta la ſtagione, che la rende ſimile ad una placida primavera: l' aria è ſempre torbida, piovoſa, e calda, e fa le perſone di poche forze, floſſi i ſolidi, torpidi, ed efferveſcenti i liquidi, ſcarſe le traſpirazioni, onde ſuccedono febbri periodiche, che facilmente recidivano, diarree, diſſenterie, fluſſioni nelli articoli, dolori di denti, e di capo, udito groſſo, ed altre minori malattie ſuccedanee alli ſteſſi principj di debolezza, ed impedita traſpirazione; onde il ſcilocco rieſce ſpeſſe volte incomodo, e morboſo, non però in modo, che mai abbia

(1) Sanctorius Meth. vitand. errorum l. 1. c. 9.

abbia portata malattia epidemica, o fatale, e perciò Nicolo Maſſa non poteva indurſi a condannarlo per vento pernicioſo a queſto paeſe. Meridionalis ventus, etſi multis regionibus noxius ſit, attamen Venetiis, cum ex mari proficiſcatur, ſalubris, aut certe innoxius eſt. *In fatti nella ſtate il ſcilocco rieſce ſempre alle genti comodo, e ſalubre, quanto il borino: ambidue queſti venti ſpirano in tal ſtagione miti, e regolari; il borino ſi move dalla mezzanotte al mezzogiorno, e produce aria ſerena, pura, e freſca, ed il ſcilocco ſoffia dal mezzogiorno alla mezzanotte, e quantunque venga da region calda, e radendo il mare, pure rinfreſca l'aria, nè la perturba, o produce pioggia, come far ſuole immancabilmente nel verno. Sicchè non eſſendo queſta ſituazione dominata da venti pernicioſi, mai potrà dirſi per tal capo inſalubre; anzi per contrario, eſſendo ſempre ſcoſſa, e ben battuta la ſua atmosfera da qualche vento, non potrà ſoggiacere ad alcuna corroſione giammai, e qualche particella acquoſa, ſalmaſtra, e groſſolana, che dall'acqua inondante poteſſe alzarſi a lei, verrà ben toſto diradata, e altrove traſferita.*

Nemmeno creder ſi deve difettoſa queſta ſituazione di città per l'acqua del mare, che per sì largo ſpazio, e in sì gran copia la inonda, perchè ella è acqua viva, ſempre vergine, e freſca, utile agl' individui tutti, come comprovaſi da' naviganti, che ſe malaticci, navigando riſſanano, nè altri incomodi provano, che quelli dal vitto dipendenti, qualche volta men che buono. Che l' acqua del mare ſia acqua ſalubre, è una verità così patente, che non abbiſogna di prova: ella è incorrottibile per il ſal marino, e per certo bitume pinguedinoſo, che ha ſeco unito; onde atta diviene ad allontanar la putredine dalli ſteſſi corpi più facili alla corrozione. Il ſale, ed il bitume ſono principj eterni, che mai ſi guaſtano, e l'acqua marina conſervaſi incorrotta anni ed anni; e quindi comprendeſi la ragione, perche Hippocrate giudicaſſe luogo ſano ogni luogo di mare: Maritimus locus ad ſanitatem commodus eſt (2). *Conſeguentemente la terra de' noſtri paludi eſſendo inzuppata d'acqua incorrottibile, mai potrà eſalare vapori putredinoſi, finchè non muti natura; nè mutar la potrà, finattantocchè l'acqua del mare così abondantemente venghi ad inondarla; prova evidentiſſima, che queſte velme, e paludi, anche diſtanti dalla città, ſiano bagnati d'acqua vera di mare, ſenz'alcun miſcuglio d'acqua dolce. Sono le piante veramente, che abondantemente vi creſcono ſopra, e nel fondo de' canali, come l'alga latifoglia, e anguſtifoglia, la latuca marina, il fuco inteſtiniforme, coralline, e moſchi di varia ſpecie, piante tutte che ſolo vivono nell'acqua del mare, e muoiono immantinente nell'acqua di fiume, e ſono quelle piante, che producono talvolta quell'odor paluſtre, ingrato sì, ma non morboſo.*

Dal fin quì detto coſta, ſe mal non erro, che queſta città dir ſi debba ſalubre per i venti, che ſenza impedimento vi ſoffiano, tutti venti ſalubri, toltone il ſcilocco, qualche volta gravoſo, e ſalubre altresì eſſer debba per l'acqua del mare, che con perenne alterno moto la inonda, ſicchè per neceſſaria illazione anche l'aria vi ſarà lodevoliſſima, eſſendo queſt' elemento ſempre relativo all' orizonte, cui incombe. L'acqua è buona, dunque ſecondo il comune aſſioma, anche l'aria ſarà buona: ubi bonæ aquæ, ibi bonus aer. *Buona parimente ſarà l'aria di Venezia per qualche leggiera, ſalmaſtra, e bituminoſa portioncella ſeco unita, che ſpiccaſi dall' acqua marina, dalle velme, e qualche volta dal fondo de' canali, mentre il ſale, ed il bitume ſono veri balſami conſervatori de' noſtri liquidi; onde può dirſi, che in queſta Patria ſi beva ogni momento un eccellente rimedio, ſenza avvederſene: per verità, con l'unione di tali miſti incorottibili, l'aria dovrà farſi più reſiſtente alla putredine, e più atta ad allontanare i mali contaggioſi, come in fatti ſi è veduto in varie peſtilenze, che quì arrivarono più tardi, che nelle città credute ſaniſſime. E poi il mare così vicino darà ſempre aria ſalubre, ſenza pericolo, che ſia guaſtata dalle copioſe pioggie, come in Terraferma; perchè appreſſo noi cadano pur dirotte, e grandi quanto ſi voglia, che ſubito ſpariſcono, derivando ne' vicini canali.*

Quanto poi confluiſca alla ſalubrità del paeſe l'attenzione de' Magiſtrati nel mantener netta la città da ogni ſorta d' immondizie, ed eſcavati i canali, baſtevolmente non puoſſi eſprimerlo. Adoperaſi pure grandiſſima diligenza, perchè non ſiano venduti, maſſime alla minuta plebe, cibi men che perfetti. Qual diligenza, e ſpeſa non viene impiegata nella cuſtodia delle pubbliche ciſterne? Può dirſi con verità, che l' acqua da noi uſata per bevanda ſia la migliore di tutte l' acque, eſſendo l'acqua di pioggia acqua dolciſſima, e leggeriſſima, in cui il legume preſto, e beniſſimo ſi cuoce, e chi ne beve acquiſta buon colore, ſi fa robuſto, con buona viſta, e con gambe non diffettoſe, ſegni regiſtrati anche da Vitruvio (3) *per conoſcere l' acqua eccellente:* Et ſi erunt homines corporibus valentibus, coloribus nitidis, cruribus non vitioſis, non lippis oculis, erunt probatiſſimi fontes. *E lodando Plinio ſopra tutte l'acque la piovana, una aſſai bizzarra ragione; perchè, dic' egli, l' acqua di pioggia è già ſalita in cielo a prender anima vitale* (4). In cœlum migrare aquas, animamque....... vitalem inde conferre. *Anche Ippocrate loda l' acqua di pioggia ſopra tutte l'altre:* Aquæ ex imbribus collectæ leviſſimæ, & dulciſſimæ ſunt, tenuiſſimæ, & limpidiſſimæ. *Nè può opporſi alle noſtre acque il cader miſte talvolta cò fulmini, colle gragnuole, e colle nevi, perchè tai fenomeni rare volte accadono, e poco fanno alla* gran

(1) De Febr. Peſt. p. m. 17.
(2) 3. Percept. in fine.
(3) De Architect. l. VIII. c. V.
(4) Nat. Hiſt l. XXXI. in Proem.

gran mole delle acque, che ſi ravvolgono nelle noſtre ciſterne.

Alla ſalubrità dell'aria di queſta Patria ſuole opporſi da alcuni, che reſtando le velme, ed i paludi ſcoperti nel riflusso, queſti riſcaldati dal calor del Sole, doveranno eſalare vapori groſſolani, putridi, e di mal odore, e perciò produrſi aria groſſa, umida, e malaticcia; e che la Terraferma vicina avendo aria quaſi corrotta, e maligna dovrà anche per queſto capo renderſi perniciosa la noſtra atmosfera. Queſte oppoſizini ſi troveranno di poco momento, ſe vogliaſi riflettere alle coſe ſin'ora dette, e molto più, ſe pongaſi mente al poco tempo, che i paludi, e molto meno le velme, anche diſtanti di molto dalla città, reſtano ſcoperte; mentre nella ſtate al più un'ora per ogni riflusso, e nel verno due ore, ſalvo le variazioni de' corſi lunari, ſenz' acqua rimangono, perchè nella ſtate le acque calano meno, che nel verno; onde i vapori eſalati non poſſono eſſer baſtevoli a viziare l'atmosfera, maſſme per non eſſere tali vapori di perniciosa qualità, e con tante altre favorevoli circoſtanze, come abbiamo veduto. Nemmeno l'eſſer tali vapori qualche volta ingrati all' odorato, doveranno giudicarſi perciò di mala natura, e pernizioſi alla ſanità; prima, perchè ſono provenienti da materie ſalſe, bituminoſe, e pingui, non putride, o corrotte; ſecondariamente, perchè ſappiamo dall'eſperienza, che molti odori ingratiſſimi all' odorato ſono veri rimedj a varie malattie, ed alla ſteſſa peſte. E chi non ſa oggidì, quanto ſiano fatali alle donne, ed a molti uomini le roſe, i gigli, l'ambra, il muſchio, il zibeto, che pure ſono odori gratiſſimi, i di cui ſubitanei, e violenti ſintommi non ſono placabili, che allo ſpirito di corno di cervo, e col ſale volatile d'orine, coſe tutte e due di graviſſimo, ed ingratiſſimo odore. Il fatto poi moſtra chiaramente, che il cattivo odore de' noſtri canali non offende la ſanità, perchè tanti barcaruoli, peſcatori, ed ortolani, che vegliano, e dormono tutta la lor vita nelle barchette, mai vanno ſoggeti a particolari malattie, anzi per contrario ſono di buon colore, vegeti, ed allegri, e tanti altri uomini, che vengono impiegati nelle eſcavazioni de' canali, mai ſoffrono pregiudizio ſenſibile nella ſalute, abbenchè venga permeſſo dal Mag. Ecc. alla Sanità nelle ſtagioni più eſtuoſe dell'anno. Neppure ſi deve temere in queſti eſtuarj per la vicinanza della baſſa Terraferma, quantunque l'aria ſiavi veramente pernicioſa, e la gente abitatrice ſempre cachetica, perchè, la Dio mercè, Fucina, che pure è la più vicina terra, è diſtante cinque miglia, e ſappiamo da Ippocrate, che baſtano 150. ſtadj per variare l'atmosfera. Tanto è vero, che quì non ſi riſſentono quegli odori di paluſtri canne, nè quì regnano in alcun tempo quelle moleſte, e ſtridule zenzale, che in tanta copia ſi vedono in quei luoghi infelici, e ſto per dire mortali.

Molte altre coſe potrebbonſi dire in maggiore riprova dell'aria ſalubre di Venezia, e della ſua vantaggioſa ſituazione; cioè la vita longa di molte perſone maggiore di cento anni, di moltiſſime, che godono 80, e 90 anni di vita proſperiſſima, e tutto il rimanente de' numeroſiſſimi abitanti, che ſi contano per lo meno più di 150 m. di bella forma, di bel roſſo colore, robuſti di corpo, di raro ingegno, e per conſeguenza di lodevoliſſima temperie: aggiungaſi come queſt'aria rieſce comoda a tutte le nazioni del mondo, che quì vengono ad abitare, o tirate dal traffico, o dal deſiderio di pace, lontani dai tumulti della guerra crudele. In fatti per autenticare la ſalubrità della noſtra atmosfera, e di ogni paeſe, la ſperienza e la più bella ragione, che addur io poteſſi, non ſapendoſi veramente decidere con ragioni, in che conſiſta queſta ſalubrità così ricercata. Occulta res eſt ſalubritas, *diceva anche Baccone* (1), præſertim perfectior aeris, & potius experimento, quam diſcurſu, & conjectura elicitur. *Bensì concludentiſſima al mio propoſito ſarà l' autorità del Signor Bernardino Zendrini Matematico della noſtra Sereniſſima Repubblica, e Generale Sopraintendente de' fiumi, ſoggetto di quel merito, che è già noto a tutta Europa, e conſumatiſſimo nelle coſe di queſta laguna.* Dell' aria poſcia, *dic' egli*, e chi mai negherà, che quella di Venezia, dacchè furono ſcacciati i fiumi dalle lagune, che l' amorbavano, ed inducevano nell' inclita città frequenti, e contumaciſſime epidemie nel ſempre nocevole miſcuglio delle acque dolci con le ſalſe, non ſia gionta allo ſtato della ſua maggiore perfezione? *Convien ben eſſer affatto foreſtieri di queſto clima, per non ſaper ciò, e negarlo.*

Però quantunque Arte, e Natura coſpirino a rendere queſta rariſſima patria ſalubre, ciò nonoſtante vi ſi ammala, e vi ſi muore, e contanſi per ordinario dodici in tredici morti al giorno. Chi è nato hà da morire, ſia pure l'aria ſana quanto ſi voglia, che ne muoiono per tutto d'ogni età. Baſta conchiudere, che quì non regnano mali endemj di qualunque ſpecie, e che l' epidemie rariſſime ſono, avendovi io ſolo, tre anni fà, oſſervate delle febbri ardenti maligne, che vagarono per lo ſpazio di ſedici meſi in ogni ſorte di perſone, e particolarmante nella plebe, e può dirſi, che aſſaliſſe la venteſima parte degli abitanti.

In ſeſta per lo più compariva il delirio, con vibici per tutto il corpo, o petecchie ne' luoghi ſoliti. Qualcheduno ebbe diſcretiſſima febbre, con le petecchie in quarta, polſi minutiſſimi, e con grandiſſima quiete d'animo morì in ſeſta. Veramente tal febbre era epidemica, perchè gli aſſiſtenti per lo più reſtavano oppreſſi dalla ſteſſa febbre; ma però a molti ſopraveniva ancora ſenza tal commercio. La gioventù per la maggior parte guariva, ma le perſone maggiori di cinquant' anni morirono quaſi tutte. Pure tre Medici perirono di quella febbre, i quali di poco paſſavano i quarant' anni. Chi era giovane, robuſto,

(1) Hiſt. vitæ, & mortis ad art. v. n. 20.

(2) Trattato de' fiumi nella prefazione

buſto, e prima del quarto eraſi cavato ſangue colle coppette, dal braccio, e dal piede, e continuata la cura con cardiaci, e bezoardici in vigeſima, che rari nella decima quarta, con copioſe orine, o qualche abceſſo gangrenoſo guarirono; a molti ſi applicavano i veſſicanti in ſettima, col qual rimedio molti guarirono, e molti perirono, e parimenti ſenza veſſicanti molti morirono, e molti guarirono. Per verità l' uſo de' veſſicanti è frequente appreſſo taluno de' noſtri Medici, ed appena conoſciuto il male per maligno, ſenza a più riflettere, comanda i veſſicanti alle braccia, ed alle coſcie. Altri ſono più rattenuti nell'ordinarli, trà quali io pure vi ſono, e tengono queſto rimedio per temerario, e ſolo da uſarſi, quando tutti gli altri ragionevoli ajuti foſſero riuſciti inutili, e l'ammalato aveſſe le condizioni ricercate dal Giorgi di Genova. In tali circoſtanze anche Cornelio Celſo fa coraggio di uſare le medicine temerarie, perchè, come dic' egli, quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat. Però in queſto paeſe i veſſicanti mai producono ſtrangurie, convulſioni, deliri, o altre violenze, che diconſi oſſervate in altre regioni. Oltre queſta epidemia, quì non hò veduto, che il vajuolo, il quale regolarmente ogni ſei anni, e qualche volta più tardi, ſi fa veder contaggioſo, come nelli due anni decorſi, che invaſe quaſi tutti quelli, che non l'avevano avuto, e rariſſimi perirono. Queſto male rare volte cade ſotto la cura del Medico, correndo nel volgo l'opinione, che ſe ne laſci fare alla natura: così o non ſi chiama il Medico, o ſi chiama tardi, e ſempre aſſediato dall'opinione di non far nulla circa i maſſimi ajuti dell'Arte. Che ſe ſi poteſſe far uſo del ſalaſſo nel principio del male, e della purgazione nel progreſſo, come altrove ſi fa, è quì più che neceſſario ſarebbe, per eſſer queſti individui, benchè di poca età, di ſangue fervido, copioſo, e ben paſciuti, certamente la cura ſarebbe più ſicura, e più fortunata. Oggidì alcuni de' noſtri Profeſſori, perſuaſi di queſta verità, hanno eſeguito il ſalaſſo, e la purgazione con fortuna; ma guai, ſe la coſa foſſe andata al roveſcio. Qualche volta queſta malattia, che dirò foreſtiera, benchè da tanti anni conviva con noi, rieſce così mortale, che fa ſtragge miſeranda de' poveri fanciulli, come nell' anno 1736. Io non ſaprei ben dire, ſe il vajuolo d' oggidì ſia così feroce, come ne' tempi, che ci fu portato dall' Egitto, mentre dal confronto delle memorie rimaſte queſto non ben rilevaſi. Per altro il vajuolo diſcreto, e benigno corre i proprj ſtadj aſſai regolarmente, ed in quindici giorni la cura è finita. Talvolta l'eſſiccazione richiede più di tempo per la copia delle marcie, e vi vogliono venti giorni, ed eſſendo di più confluente, e copioſa, anche trenta, e quaranta giorni. Hò oſſervato qualche volta i vajuoli così irregolari, ch'eziandio ottanta giorni ſono ſtati neceſſarj a finir la cura. Utile vediamo la purgazione, non dirò nel vajuolo mal giudicato, ch' allora è neceſſaria, ma in quello, ch'ebbe perfetta criſi, quando non ſuccedano purgazioni ſpontanee, come ſuole il più delle volte: utile altresì trova la gente volgare l' uſo del vino adacquato tepido in ogni ſtadio del male. Oltre il vajuolo, che dirò foreſtiero, da un' altra ſpecie di vajuolo viene attaccata la gioventù, che chiamaſi dal volgo varole matte, o ſpurie, e da Avicenna variolæ cholericæ, e ſono certe puſtule roſſiſſime ſparſe per tutto il corpo, diſtinte una dall' altra, e piene di ſero acre, e pruriginoſo: ſono ſenz' alcun pericolo, ed in pochi giorni ſi ſeccano, ſenza marcirſi. Comune a tutta la gioventù è la ferſa ancora, detta da' Latini efflorescentia cutanea, che gli cuopre tutto il corpo di gran macchie infuocate, che in ſette giorni ſvaniſcono, laſciando la pelle coperta di minutiſſime ſcagliette: ma la ferſa, che per cauſa intrinſeca, o per poca cautela non bene ſi deflagra, laſcia delle febbri, che rendono tabidi i figliuoli, ovvero, come nell' anno paſſato, molti ne conduſſe improviſamente all' idrope aſcite, ed anaſarca; tuttavia quaſi tutti guarirono coll' uſo de' rimedj amari, corroboranti, e diuretici, uſcendo urine nere, copioſe, e poi roſſeggianti, nello ſpazio di trenta giorni. Fra le malattie foreſtiere, ed epidemiche, che regnano fra noi, ſenza dubbio deve annoverarſi la lue celtica, la quale di preſente non è paragonabile ai primi tempi, che ci fu portata, cioè dal 1496. al riferir del Bembo (1), il qual chiariſſimo Scrittore eſſo pure aſſicura, che nel tempo in cui ſcriveva, cioè del 1550, era ammanſata di molto. I ſintommi più comuni della lue celtica preſa di freſco ſono gonorree umide, o ſecche, con grandiſſimo brucciore nell' orinare, ulceri nel prepuzio, o buboni nell' inguinaglie. Si tolgono facilmente le gonorree colle emulſioni, fior di caſia, e mercurio dolce, alternando queſti rimedj fino al ſettimo, uſando in ſeguito una decozione di ſalſa, e guajaco per trenta giorni; ma rare volte cade ſotto la cura del Medico la lue celtica freſca, facendoſi la maggior parte de' tocchi da queſto male curare da Ceruſici Spargirici, Ciarlatani, ed altri Empirici, non escluſe le donnicciuole, che molte in queſta città vantano ſegreti incomparabili per queſto male. Gente di tal fatta ſempre fa la cura con forti purganti, i quali, oltre di eſponere l' infermo a febbri, e convulſioni, diſſeccano le gonorree, ſenza ſuperare il velen gallico, e lo portano, dopo qualche apparente calma, ad uno ſtato di lue celtica confermata. Che i purganti forti ſiano ſempre pernicioſi, lo conobbe anche a' ſuoi tempi Nicolò Maſſa (2) Medico Veneto: Sed nota, quod qui fortiter evacuant in iſta ægritudine, ſæpe exterminant calorem naturalem, & evacuant materiam ſubtilem, & groſſæ remanent, & ſic ægritudo deterior redditur. I buboni, quando cominciano a ſuppurare, ſi aprono da Ceruſici col ferro, e col rottorio, ed aperti ſi tengono ſeſſanta e più giorni,

(1) Petri Bembi Hiſt. ad an. 1496.

(2) De Morbo Gallico 15. p. m. 20.

giorni, perſuadendoſi l' infermo, ed il Ceruſico, che tanto tempo ſia neceſſario per feltrare tutto il velen gallico, ch' eraſi ſparſo ne' liquidi; ma la coſa ſuccede altrimenti; ſpeſſe volte vedendoſi quel tale, dopo meſi, o dopo anni, attaccato da dolori notturni, o gomme, offeſi tutt' i liquidi, particolarmente i bianchi d' ogni ſpecie, ed i ſolidi ancora, oſſei, & carnoſi, in tale ſtato l' unica ſperanza di ſalute è riposta nel buon uſo de' mercuriati interni, o eſterni, ſalivatori, o purgativi, i quali ben uſati, certamente ſi reſtituiſce all' ammalato la primiera ſanità. Fra' ſalivatori uſati per bocca ſi annovera il mercurio dolce, il diaforetico gioviale, il mercurio aurato, ed il diaforetico roſſo di Thompſon; però il gioviale, e l' aurato meglio rieſcono delle altre preparazioni, perchè ſono più ſcarichi di ſali, e la ſalivazione ſuccede più mite aſſai. Se la febbre faccia la principal figura, e ſia pur deciſa per etico-gallica, con l' uno, o con l' altro di queſti mercuriati mirabilmente ſi toglie. Quelli che vogliono evitare gl' incomodi della ſalivazione, che per dir vero, ſono ſempre molti, e laborioſi, maſſime quando venga promoſſa dalla unzione, uſano il mercurio crudo eſtinto con diagridio, ed aloe, per renderlo diſcretamente purgativo; col qual rimedio, uſato per trenta giorni, molte volte perfettamente ſi guariſce, ma pure ſovente recidiva; onde convien dire, che la ſalivazione ſia la ſtrada più ſicura per debellare queſta ferociſſima malattia; e già oggi i Medici di merito anno abbandonato il vin medicato antigallico, e le decozioni di ſalſa, e legno ſanto, come rimedj, che non arrivano a tagliarne la radice, arrivata che ſia a viziare le parti ſode. Saranno otto anni circa, che per guarire il mal franceſe, ed altri affetti cronici, uno de' noſtri Profeſſori ſolito affettare un' aria ſempre bizarra, e ſempre nuova, perſuaſe a' ſuoi clienti a bere il mercurio vivo vivo, qual gentiliſſimo roſolio, al peſo di due, o tre oncie ogni mattina per trenta giorni. La moda fu preſto abbracciata da molti, e preſto anche abbandonata, per non aver mai ſoſtenuto col buon effetto le promeſſe: pure alcuni ne provarono qualche buon effetto, altri nè ben, nè male; ma a qualcheduno fece orinare il ſangue, e ſvegliò delle tormentoſe palpitazioni: a tutti uſciva l' argento vivo dalle budella così vivo, e mobile, come ſe vergine fuſſe, o dormendo nel letto, o caminando ne' calzoni. La moda oggi è paſſata, ed ogn' uno ſi fa orrore di queſta medicina. Ma come abbiamo oſſervato, che queſta foreſtiera malattia, un tempo crudeliſſima, è a' giorni noſtri ammanſata grandemente; perciò non è fuor di ragione il credere, che una volta ſia per eſtinguerſi affatto, come mancò fra' Sciti una ſomigliante malattia da loro preſa in Siria, e deſcritta da Erodoto, come s' impara dalla ſpoſizione del marmo di Marcellina fatta dal celebre Carlo Patino (1), il quale ſi moſtra di più perſuaſiſſimo, che quel tal male attaccaticcio de' pudendi foſſe vera veriſſima lue Celtica. Male endemio di queſto paeſe ſi tiene da tutti lo ſcorbuto, quaſi malattia univerſale, originata dalla noſtra ſalmaſtra, ed umida atmosfera; ma queſto ſuppoſto ſi troverà falſiſſimo, quando ſi voglia por mente, che queſta tal malattia, ſe pur vi è, non regna fra la povera gente numeroſa cotanto, e ſolita menar tutta la vita ſua ſull' onde; ma piuttoſto fra la gente civile, e più fra quella, che gode una vita, che tutta reſpira morbidezza, e luſſo in ogni coſa, maſſime ne' cibi, e nelle bevande. In ſecondo luogo ſi deve oſſervare, che in queſta città chiamar ſi ſuole ſcorbuto ogni vizio di gingive, con denti ſmoſſi, o deboli, quando il più delle volte è un effetto prodotto da cacheſſia o melancolica, o iſterico-ipocondriaca, ovvero da oſtruzioni del baſſo ventre, dipendenti da febbri acute mal giudicate; tanto è vero, che in queſti caſi perfettamente ſi guariſce co' rimedj corriſpondenti alle cauſe originali. Due ſole vergini, nel quinto luſtro di loro età, ſono ſtate da me vedute ſorpreſe da vero ſcorbuto: gingive putride, luſſureggianti in modo, che i denti vi reſtavano ſepolti, ginocchia gonfie, ſiccome tutte le altre articolazioni; ogni machina muſcolare ſenza forza, ulceri nella faccia depaſcenti, polſi minutiſſimi, e per tre meſi continui oſcurati affatto; con tuttocciò guarirono ambidue perfettamente, col lungo uſo del lapacio, o ſia Britannica di Muntingio, e de' coni del Pino. Male endemio credevaſi un tempo, e maſſime dal Santorio (2), l' affetto ipocondriaco, come abbiamo veduto, più fiero, e crudele, che in qualunque altro paeſe, che però oggi non è aſſolutamente tale, riuſcendo più toſto tedioſo, che violente; anzi ſe vogliamo preſtar fede a Ludovico Teſti (3) egli è incomparabilmente più tormentoſo in molte città già credute d' aria perfetta, di quel che ſia appreſſo noi. Tanto è vero, che non è particolare del paeſe, che, come ſi diſſe dello ſcorbuto, ſolo trovaſi fra gente civile, che ſempre vive meno della plebe eſpoſta alle intemperie dell' aria. Ella è così fuori di dubbio appreſſo i Medici più illuminati, che queſta longa, e ſtravolta malattia ſia tanto comune al mondo civile, a cagione del viver morbido, e diſordinato nell' uſo de' cibi, delle bevande ſpiritoſe, e de' piaceri venerei. Vediamo ſovente travagliata da queſto male gran parte di quella gioventù sfrenata, che eſſendo viſſuta tra' bagordi, e diſordini, finalmente o ſazia, od impotente, gli conviene mutar coſtume, e paſſar in mille affizioni di corpo, e di ſpirito. Un' altra cagione, quantunque alla teſtè detta affatto oppoſta, pure allo ſteſſo infeliciſſimo male ſicuramente conduce la gente civile, cioè le gravi applicazioni di mente, ſia per pubblici affari, o per privati, maſſime poco dopo il deſinare, dalle quali diſturbato il libero corſo dello ſpirito nelle macchine motrici dello ſtomaco, la digeſtione langui-

ſce,

(1) Commentarius Caroli Patini in Monumento Marcellinæ.

(2) Method. vitand. error. I. P. cap. 9.

(3) Diſinganni ſopra dell' aria di Venezia.

ſce, ed il cibo mal attuato diviene certiſſima fonte dell' ipocondria. Che diremo dell' uſo de' graviſſimi ſtudj, o di quelle acutiſſime paſſioni d'animo provenienti dalle ſolite inevitabili diſgrazie delle famiglie, che ſtruggendo lo ſpirito direttore d'ogni humana facenda, precipitano gl' infelici in queſto penoſo male. Tra la gente civile, i ſoli Medici, benchè ſempre vivano in mille anguſtie di ſpirito, pure rariſſime volte divengono ipocondriaci; qual benefizio certamente lor proviene dalla vita attiva, che volenti nolenti far debbono giorno, e notte, ſalendo, e diſcendendo le gravoſe ſcale, e perchè, come dice Veinhart, venalem animam per totam civitatem circumferunt, Artem perpetuo execrantes (1). *Sicchè ella è coſa evidentiſſima, che l' ipocondria in queſta città è più toſto effetto d'una vita mal regolata nelle coſe non naturali, che vizio dell' atmosfera. Accomodatiſſimo ſiſtema per medicar bene queſto male è il già propoſto dal Santorio in queſte brevi, ma ſucccoſe parole (2):* Affectus melancholicus curatur vel continua cęli mutatione, vel continua animi conſolatione; *ovvero come ſi eſprime altrove (3):* melancholia duplici via ſuperatur, libera perſpiratione, vel aliqua continuata animi conſolatione. *Ma ſe per urgenti circoſtanze la cura dal Santorio propoſta far non ſi poſſa, ſi adoperano i diluenti, gli attemperanti, e gli antiſcorbutici di mezzana natura nelle medie ſtagioni, e giunto il Luglio, o l'Agoſto, ſi mandano i melancolici a Recoaro a bere le acque acidule del fonte Lelio, vero, e ſolo antidoto di queſto male, poſto però, che tutta la tragedia melancolica nelle viſcere dell' addome racchiudaſi; che per altro, ſe gli affetti nervoſi vi facciano la principal figura, dannoſe le acque di Recoaro ſi ſperimentano.*

Se molti uomini, per le cauſe già narrate, facilmente divengono ipocondriaci, molte donne altresì per diverſe caggioni facilmente divengono iſteriche, cioè ſoggette alle convulſioni, ed ai vapori. Sono le donne Veneziane nobili, o plebee, giovani, o vecchie, d' indole aſſai gentile, di carni morbide, e ſpumoſe, come le chiamava Ippocrate, quaſi ex ſpumoſis carnibus conflatæ, *d' ingegno pronto, e faciliſſimo alle impreſſioni delli oggetti, che le circondano; ora per caggione de' parti frequenti, o per diſordini de' loro purgamenti lunari, ovvero allorchè per legge di natura affatto ſeccar ſi debbano, e per altre caggioni alli ſteſſi uomini comuni, ſi vedono travagliate dalle più ſtravolte ſpaſmodiche affezioni, che talvolta paiono tribolate dal demonio cattivo. Chiamano i vapori le noſtre donne* fumane, *perchè a guiſa del fumo rapidamente dalla regione epigaſtrica al capo aſcendendo, infiammano tutto il corpo, e di un blando ſudore lo ricoprono, con che ceſſa il paroſiſmo intieramente. Sono i vapori diſturbi, più toſto che malattie; pure a liberarſene non vagliono purghe, o ſalaſſi, ma ſolo col trapaſſar delli anni molti, alcune ne reſtano libere. Uſato rimedio in tali affetti è l' oglio di mandole dolci, la giacintina, il caſtoreo, il rhob di ſambuco, il magiſtero di giove, ed il laudano iſterico del Le Febvre. Ma eſſendo queſte donne aſſai delicate, cioè teſſute di fila nervoſe faciliſſime a ſcomponerſi, perciò fa di meſtieri molta cautela nell' uſo delli opiati, mentre tali rimedj frequentemente gli ſvegliano tetri fantaſmi, anguſtie ne' precordj, vertigini, e turbazioni cotante, che miglior partito è aſtenerſene affatto. Nemmeno l' acque di meliſſa, o di cedro ſi debbono preſcrivere ſenza averſela prima ben inteſa coll' ammalata, dandoſi taluna, che di queſti medicati odori ſi offende. Non ſi può eſprimere, quanto reſtino offeſe queſte donne dalli odori, ſiano grati, ovvero ingrati, e ciocchè rieſce più ſtravagante ſi è, che alcuna oggi ſi compiace dell' aſſa fetida, e domani l' abborriſce; un' altra nel puerperio fugge quelli odori, de' quali nella gravidanza ſi compiaceva. Non parlo del muſchio, del zibeto, dell' ambra, dell' iride, delle roſe, e di tante acque nanfe, ch' erano quarant' anni fa la delizia del ſecolo, oggi ſon divenute il terrore di tutte le donne, e di molti uomini ancora, ſvegliando in ciaſcheduno dolori di capo, o fortiſſime convulſioni ſuffocative. Veramente oggidì ſarebbe di meſtieri un nuovo trattato delle malattie muliebri, a nulla ſervendo que' tanti volumi, che eccellenti Medici ſcriſſero al propoſito, fino allo ſpirar del ſecolo decorſo: e chi ſa, che un tal penſiero nella voſtra gran mente, Illuſtriſſimo Signor Conte, non ſia già nato? Di grazia, in quali ambagi non trovanſi i Medici, dovendo purgarſi una donna dilicata. L' oglio di mandole dolci, il ſale d' Inghilterra, ed il rabarbaro ſono le ſole medicine con ſicurezza uſabili a' giorni noſtri. Pure anche il rabarbaro, quella innocentiſſima medicina, comincia ad offender alcune coll' odore, ed altre con eccitargli del calore nello ſtomaco. Querela univerſale in queſta città è di trovarſi ogn' uno riſcaldato, anzi infiammato, non che nella ſtate, ma nel più gelato verno, nè quì mai ſi domandan rimedj per riſcaldarſi, ma bensì per rinfreſcarſi; ond' è, che ſi teme ogni medicina, la quale per ogni poco agiti, o come ſi ſuol dire, riſcaldi il ſangue. La verità è, che ogni rimedio acre, ſtimolante, eſtuoſo, capace di dare troppo movimento ai ſughi digeſtivi, al ſangue, ovvero al liquido nervoſo, certamente offende, nè uſar ſi può ſenza moleſtia, o pericolo; dal che ſi vede chiaramente, che il temperamento de' Veneziani è ſanguigno-bilioſo di proporzione aſſai lodevole, il di cui ſangue attuoſo, e brillante, ſoſtenuto da un ſugo nervoſo agile, e defecato, forma gl' individui maggiori alquanto dell' ordinaria ſtatura, e ben organizati, con faccia allegra, e tinta di belliſſimo colore. Dallo ſteſſo principio, al parer di Galeno, deve dipendere quell' in-*

(1) Medicus Officioſus.
(2) Sanctorius Opera omnia.
(3) Statica 5. 7. aph. 17.

gegno pronto, acuto, ed affabile, e quella ſpecie di natural prudenza, che ne' veri Veneziani ſi ammira, come pure quella facondia nel dire, e quell' amor al piacere, che li rende anche nell'età più matura allegri, e bei parlatori. Quelle particelle ſalſo-bituminoſe dell'atmosfera, che paſſano in ogni liquido, mediante il reſpiro, e quel viver ſuccoſo, ſenza moto violente, perchè il piano del paeſe non apporta fatica al caminare, molto meno viaggiando nelle gondole, fa che gl' individui divengano facilmente pletorici, di ſughi agri, ed eſtuoſi; onde per natural talento alla luſſuria trovanſi inclinati, al contrario de' Sciti, al riferir d' Ippocrate (1), i quali per il troppo cavalcare, ſono aſſai deboli nelli affari venerei: Eo accidit, quod perpetua equitatione fracti, ad coitum imbecilles redduntur; ed ecco il perchè eſſendo i Veneziani ſovente pieni di caldo ſangue, deveſi per conſeguenza in loro frequentar il ſalaſſo, maſſime in tutte le malattie acute, dove la febbre facendo ribollire i fluidi, maggiormente ſi gonfiano, e s'infiammano. Tal dottrina fu ne' tempi andati, e ne' preſenti inteſa da tutt' i Medici più accreditati, non ſapendoſi, nè da pubblici libri, nè da tradizioni, che in queſta città abbiano regnato con applauſo gli emofobi, ma per contrario tutti abbiano cavato ſangue abbondantemente, come tuttavia ſi fa: anzi deciſo che ſiaſi il male per febbre acuta, o ſolitaria, o accompagnata da interni dolori, come angine, frenitidi, pleuritidi, epatitidi, reumatiſmi, o qualunque altro male di queſto genio, quaſi foſſe canone dell' Arte, ſi cava ſangue, premeſſo al più un criſtero, replicando il ſalaſſo la quarta, e quinta volta dalle emorroidi, avanti il ſettimo, ſe poſſibil ſia, facendo ſortire verſo le quaranta oncie di ſangue, poſto un individuo robuſto, e quadrato, e nelli altri a proporzione. Queſto punto di raggion Medica così neceſſario viene da me aſſerto coll' aſſenſo de' più celebri Medici oggidì viventi, che ſaranno in altro luogo nominati con quelle eſpreſſioni di lode dovute al loro rariſſimo merito, tralaſciando a bella poſta di addurre raggioni, ed eſperienze favorevoli, perchè queſte trovanſi in tanto numero regiſtrate pro, e contra il ſalaſſo, ſenza poterne trarre un argomento evidente da far tacere l' uno de' partiti. Queſto ſolo parmi, che mai ſia ſtato con ſodezza trattato, che pur egli è il più neceſſario, cioè ſe in queſto, o in quel paeſe il ſalaſſo convenga, e quanto ſangue cavar ſi debba per guarire una malattia. Riguardo al noſtro paeſe il problema è deciſo, e tienſi il ſalaſſo come rimedio utile ad ogni età, non eccettuati i vecchi ottuagenarj, nè i fanciulli talvolta minori di ſette anni, oppreſſi da malattie, che tal eſpediente richieggano. Pochi per verità ſono i mali, dove il ſalaſſo non ſia utile, e neceſſario: nelle periodiche continue, ſiano terzane, o quartane, dopo purgato il ventre con l' oglio di mandole dolci, ſi cava ſangue, poi ſi da mano alla chinachina: che ſe vogliaſi far precedere la chinachina al ſalaſſo, la febbre ſi fa più eſtuoſa, anzi inſlammatoria. Nelle periodiche intermittenti, dove credaſi il ſangue di conſiſtenza troppo tenace, ſi fa il ſalaſſo, poi ſi paſſa alla china al peſo di dieci dramme prima della nuova acceſſione; ma nelle terzane cardialgiache autunnali, appena regolato il paroſiſmo, ſi da il febrifugo ogni quattr' ore al peſo di due dramme, il quale, con queſta ſollecitudine preſo, non manca del ſuo effetto, calmando con ſicurezza la febbre. Per altro, ſenza queſto antiveleno, tal razza di pernicioſiſſime febbri fanno progreſſi incredibili, e col terzo acceſſo portano l'infermo al precipizio. Queſto incomparabile rimedio va continuato per trenta giorni, una dramma per volta, lo che ſi deve intendere di ogni febbre, che trattar ſi voglia con queſta ſcorza. Accade qualche annata, che le periodiche dipendono da cauſa così pertinace, che recidivano tre, e quattro volte, qualunque ſiaſi la diligenza, che vi ſi adoperi: in queſti caſi ogn' uno ſegue il ſuo genio, e va maritando la china col caſcarillo, co' fiori del ſal ammoniaco, di centaurea, e chi altre coſe vi va meſcolando, tanto che alla fine la febbre più non fa ritorno. Tali oſtinate terzane, che le quartane ſono rariſſime in queſto paeſe, ſono di quelle preſe villeggiando nel baſſo Padouano, dove ſuccedendo l' autunno piovoſo, quanti vi vanno, tanti ne ritornano da pernicioſe terzane travagliati. Le acute ardenti, come ſi è detto, e le maligne ancora ſi trattano col ſalaſſo ne' primi giorni, e ſe la criſi rieſce tarda, o difficile, ſi mettono in uſo le pietre bezoar orientali, ed occidentali, e l'infuſione della pietra di porco ſpino, aſtenendoſi religioſamente da ogni purgativo. Altri per contrario, anche prima, e dopo della ſettima, inſtituiſcono l'uſo di qualche tiſana amara, e laſſante, con che vienſi a confermare il ſiſtema di quelli, che vogliono guarire le ſteſſe febbri maligne coi purgativi (2). Vi ſono in fatti molte febbri chiamate putride, che guariſcono felicemente col mover il ventre, come già anno avvertito molti Prattici, ſenza però aſſegnarne i veri ſegni patognomonici, per diſtinguerle da quelle, che coi purganti peggiorano. Rariſſime ſono appreſſo noi gli emitritei di cura lunghiſſima, e difficiliſſima, e ſolo col ſalaſſo, e con l'oglio alla finfine ſi tolgono. Anche la febbre linfatica, o reumatica che chiamar ſi voglia, ogni qual volta rieſca grave, ed oſtinata, curaſi colle copette, e col ſalaſſo. Veramente l'affetto reumatico è la malattia più frequente, che s' oſſervi in queſta città, tanto nel verno, che nella ſtate, e ſon per dire eſſer queſto l'unico male, che ſi poſſa chiamare popolare di queſte contrade, prodottovi certamente da qualche difetto dell'aria humida, e freſca, che vi ſi prova ſovente, maſſime nella notte, attiſſima ad impedire la traſpirazione inſenſibile (3), che è ſempre la cauſa vera, ed effettrice di tali affetti: e quì trovaſi pure troppo avverato l' aforiſmo Santoriano (4): ſudore madere, & auram frigidam captare peſtis eſt; perchè

(1) Hipp. de Aere, Aquis, & locis.
(2) Moreali.
(3) Sanctorius de Med. Statica 5. 2.
(4) Idem Med. Static. aph. aura jucunda, &c.

chè in fatti acutiſſimi reumatiſmi ſi ſvegliano per errori di queſta ſorta. Nelle apopleſſie tutte ſi uſa il ſalaſſo, quanto più preſto ſi può, dalla parte non tocca, e dopo gli altri univerſali, ſi fanno tagliare le vene jugulari; però le apopleſſie regolarmente non ſono troppo frequenti; ſolamente in qualche ſtagione ſuccedono numeroſe, cioè in certe invernate dominate da' venti boreali, e finiſcono in emiplegie aſſai croniche: i ſali volatili ſono di pochiſſimo uſo in queſto male, trovandoſi, per dir vero, più nocevoli, che utili. Nella mania ſi aprono le arterie temporali con evidente benefizio, e queſta Ceruſica operazione viene, come tante altre fra le più ardue dell'Arte, eſeguita con bravura da queſti Ceruſici, che in numero di 92. compongono un riſpettabile corpo, tanto neceſſario all'uman genere. Non ſi deve paſſar con ſilenzio il gran vantaggio, che apporta alle gravide il ſalaſſo della ſalvatella, ſollevandole quaſi da tutti gl' incomodi, che le moleſtano, e preſervandole con evidenza dall' abortire. Quante, ſolite eſſendo provar queſta diſgrazia, col ſalaſſo ſe ne ſono preſervate! Dopo il terzo meſe, fino al ſettimo ſi ſalaſſano le gravide una e più volte, ſe'l biſogno lo richiegga, ſenza difficoltà: prima, o dopo di queſto tempo non ſi fa ſenza matura deliberazione.

Ho oſſervato fin quì le malattie principali, dove il ſalaſſo da noi ſi giudica indiſpenſabile, e provaſi fortunato rimedio, tralaſciando di riandar molte altre malattie, dove ſenza dubbio ſi preſcrive, non eſſendo mio penſiero parlar d'ogni male, in cui tal operazione convenga. Meno univerſale rimedio è la purgazione, che quì, generalmente parlando, deve eſſer ſempre eſeguita con miti purganti, come ſenna, rabarbaro, aloe, ſal Anglico, e ſopra tutto con l'oglio di mandole dolci al peſo di tre, o quattr'oncie. Queſti purgativi non rieſcono ſoſpetti come la ſcamonea, il turbito, il magiſtero di gialappa, o di mechiocan, o altri ſemplici reſinoſi, i quali frequentemente eccitano purghe doloroſe con convulſioni fino nelli articoli delle mani, maſſime in donne, e fanciulli di tempera dilicata. Se vogliaſi medicina di poco volume ſi preſcrivono gli eſtratti di ſenna, di polipodio, o di rabarbaro, con qualche grano di mercurio dolce. Con queſti rimedj ſi tratta la cacheſia, la febbre bianca, le itterizie, le verminazioni, le oſtruzioni del baſſo ventre, framettendo all'uſo de' purgativi la gomma ammoniaca al peſo di 20. grani, e qualche polvere confortativa dello ſtomaco. Dove ſi tratta di calmar dolori, coliche di qualunque ſorte, acri fluſſioni, panacea univerſale, e l'oglio di mandole dolci. Nella diſenteria ſi purga col ſale Anglico, o col rabarbaro, ſpeſſo replicandoli; che queſto male ſi deve trattare con gran riſoluzione: dopo la purga ſi da l'opiato, cioè il filonio Romano al peſo di mezza dramma; alcuni fanno bere delle tazze d'acqua marina con gran profitto. L'ipecaquana non fa quei miracoloſi effetti, che ſi contano negli altri paeſi. Il vomito appreſſo noi ſempre ſi nomina con orrore, per eſſere gl' individui di gracile coſtituzione, nè per verità gran fatto diſordinati nel vitto: rariſſimi ſono, e ſolo fra la minuta gente, i bevitori, e mangiatori all'ecceſſo. Utiliſſima ſi prova la purga ne' fanciulli in faſce tentati dallo ſpaſimo, per dir vero, frequente in quella tenera età; però quallora raggion vi ſia di credere, che da feci ritardate, o troppo acri, come certamente ſpeſſe volte ſuccede, avvenga. Ottima medicina ſi è il ſiroppo di cicorea con rabarbaro due dramme, ovvero altrettanto oglio di mandole dolci, con zuccaro fino polverizato: ma ſe l'oglio s'impaluda nelle budella, ſi uſa il ſiroppo di cicorea, ovvero la manna freſca al peſo di una dramma diſciolta nel latte. Ancora ſciogleſi commodamente il corpo a' fanciullini, applicatogli l'unguento di artanita all'addome diſteſo ſulla carta, ed è molto utile a quietare le loro coliche; ma allo ſpaſimo avente cauſa nel ſugo nerveo non ſi da miglior rimedio dell'acqua antepilettica del Langio, e della polvere epilettica del Marcheſe. Chiuderò queſto paragrafo col dire, come in queſta città trovanſi fra Ceruſici alcuni aſſai eccellenti nel deporre le cataratte delli occhi, nel curare le rotture inteſtinali, e nel cavar le pietre della veſica col taglio, e ſenza taglio. Incomparabile nell'eſeguire tutte queſte coſe era il Sig. Romano Bonajuti, morto non è molto, il di cui figliuolo però non è inferiore alla bravura del padre. Io gli ho veduto ambidue operare più d'una volta ſopra donne travagliate dalla pietra, alle quali felicemente la traſſero ſenza taglio, benchè taluna foſſe quaſi tre oncie di peſo, aſpra, e rotonda. Trovanſi ancora in queſta città alcuni uomini di Gianina aſſai valenti nel guarire le rotture inteſtinali col taglio: tagliano appunto poco ſopra l'inguine, e trattone per la ferita il peritoneo, che prolongavaſi fin nello ſcroto, dopo legato con forte filo incarnato, ne tagliano la parte viziata, e poi lo ripongono al ſuo luogo, ſaldando la ferita con balſami comuni nello ſpazio di 20. giorni.

Se non m' inganno, Illuſtriſſimo Signor Conte, credo aver toccati i punti più principali della Veneta Medicina, quelli almeno, che potevano aver luogo in una lettera anche proliſſa. Lei deve eſſer certa, che quì non ſi contengono tutti i rimedj, nè tutte le cautele, che da queſti valoroſi Profeſſori ſi adoprano nel trattare le varie malattie, che ſuccedono alla giornata; ma deve eſſer certa altresì, che queſta città è proviſta di Medici eccellenti, che non ha da invidiare qualunque altra d'Europa, nè per la qualità, nè per il numero. Quì ſi contano cento e quaranta Medici, come appariſce dal catalogo, che ogni ſettimana ſi ſtampa per pubblico comando, ſettanta de' quali compongono un illuſtre Collegio, o ſia Univerſità decorata con Bolla Pontificia di Paolo Secondo, e con diploma di Federico III. Imperatore, con ampliſſima Facoltà Filoſofica, Medica, e Chirurgica, che la rendono uguale in queſta parte a qualunque altra Univerſità d'Europa; anzi non può alcun Suddito di queſto

ſto Sereniſſimo Dominio ricevere il grado di Dottore in Filoſofia, Medicina, e Chirurgia, che nell' Univerſità di Venezia, o di Padoua. Queſta illuſtre adunanza è la Conſigliera di queſto Eccellentiſſimo Magiſtrato della Sanità, nelle facende più ſpinoſe appartenenti alla ſalute, non dirò della città, ma dell' Italia tutta. Poſſiede una ben inteſa fabbrica poſta a S. Giacomo dall' Orio, rifabbricata nel ſecolo decorſo col proprio danaro, in cui, oltre un' ampia, ed ornata ſala per le radunanze, evvi un capaciſſimo teatro Anatomico, dove nella Quadrageſima ſi fa pubblica Anatomia da due Colleggiati, che vengono per ogni ſeſſennio eletti dal Colleggio, uno con titolo di Lettore, che legge latinamente, l'altro con quello d' Inciſore, che legge volgarmente per iſtruzione de' Ceruſici, accompagnando la voce con l'oſtenſione delle parti nell' umano cadavere già preparate: ambidue ricevono dalla Pubblica munificenza un conveniente annuo premio delle loro fatiche. Veggonſi nella gran ſala due immagini, una di Santorio Santorio, l'altra di Raimondo Gianforti, ambidue famoſi Medici, e benemeriti Colleggiati, in onor de' quali ogni anno ſi recita da due a ciò eletti dal Colleggio onorato panegirico in grata memoria del loro valore, e delle impartite beneficenze; dal che ſi vede chiaramente, quanto bella ſia in queſta città l'occaſione d'approfittarſi nella Medicina, e quanti bei ſtimoli vi ſiano per diſtinguerſi ſopra la comune de' Profeſſori. In fatti, s'io voleſſi nominare tutti que' Medici, che meritano un ben degno eloggio, troppo lungo andarebbe il mio diſcorſo: le dirò ſolo il nome illuſtre di quelli, che per età venerabile, e per conſiglio eccellente vengono dal comune applauſo ſopra gli altri diſtinti. ſono queſti il Sig. Girolamo Oddoni, il Sig. Giacomo Rodea, il Sign. Giuſeppe Grandis, il Sign. Antonio Dies, il Sign. Aleſſandro Cancellieri, il Sign. Santo Stefani, il Sign. Pietro Valatelli, il Sign. Giacomo Saletti, il Sig. Leonardo Doro, il Sig. Paolo Monticelli, il Sig. Lottario Lotti, il Sig. Bernardino Grappini, il Sig. Antonio Lazzari, tutti ſoggetti facondi nel dire, acuti nel giudicare, e ſopra tutto prudenti, e cauti nel preſcrivere le Medicine; in ſomma l'Arte è ben ſervita da ſuoi Profeſſori, e ſe non foſſe circoſcritta a certi termini, oltre i quali l' uman ſapere non può portarſi, certamente neſſuno avrebbe di che dolerſi del proprio fato. Ma con tuttocciò, ſe avvengano, come avvenir debbono talvolta, inſuperabili le malattie, o difficili, e di tarda cura, pronte s'odono contro i Medici le querele, ſiano pur attenti, dotti, ed eſperimentati, ch' ogni vil feminuccia, non che le perſone di maggior rango, ſi trova tanto di capitale da far i conti al Profeſſore più conſumato; ma queſta è antica diſgrazia dell' Arte. Anche Cicerone, quel grand' uomo, eſſo pure era preſo da queſto male, e perſuaſoſi d' eſſere, quanto buon Oratore, altrettanto buon Medico, volle taſtar il polſo ad Aſclapone, che curava in Patraſſo Tirone ſuo liberto travagliato da debolezza di ſtomaco per grave, e longa malattia. Non mi piace, ſcrive egli a Tirone, il metodo di medicare di coſtui, imperciocchè non ti ſi conveniva il brodo, quando eri di ſtomacho debole (1): Sed plane curationes ejus non probo; jus enim tibi dandum non fuit, cum cacoſtomachos eſſes: del che avvertito Aſclapone da Tirone medeſimo, gli fu d'uopo giuſtificare la ſua condotta con ragioni, con eſempli, e con promeſſe; ſicchè Tirone, quell' uomo dottiſſimo, continuò a farſi curare, e guarì finalmente. Però Aſclapone, nella giornaliera converſazione col ſuo cliente, non mancò di dar la burla a Cicerone, e di ben riderſi de' ſuoi ricordi Medici; nè paura ebbe di ſcrivere ſopra di ciò una lettera a quel famoſo Repubblichiſta, e dirgli netto netto il ſuo ſentimento, come imparaſi dal frammento della ſteſſa lettera arguta veramente, e ſpiritoſa, pubblicata non ha molto da Luca Antonio Porzio (2): Fideliter quidem, & ſine aſſentatione ego, & Tiro tuus Conſularem, Proconſularem, vel etiam ſi mavis, Imperatoriam plane riſimus vanitatem tuam: e più ſotto: Tanta enim copia utriuſque noſtrum dogma tuum eſt exagitatum, ut per multos dies ridiculus plane omnibus fueris. E tanto dovranno fare tutti i Medici, riderſi con Aſclapone de' loro ingiuſti cenſori, che vogliono giudicare quello, che non capiranno giammai. Anche in Breſcia non avrà la Medicina miglior fortuna, perchè dappertutto ſi vuole guarir preſto, e morire tardi; eppure ella vi è eſercitata da ſapientiſſimi Profeſſori, trà quali ſi diſtingue col rariſſimo ſuo merito il Sig. Ricciardo Girelli Gentiluomo di quella Patria, mio veneratiſſimo, e cordialiſſimo amico. Quì non intraprendo di lodare il Sig. Conte Roncalli, perchè egli è un nome già lodato, e cotanto celebrato per tutta Europa, che per quanto ne diceſſi, direi ſempre meno di quel che deſidero, e di quello che è ſtato detto dalle più forbite penne, con immortal gloria di lui. Chiuderò la preſente lettera col ſupplicarlo di generoſo compatimento alla mia fatica, qualunque ella ſiaſi, e di accordarmi il vantaggio di proteſtarmi ſenza riſerva,

Di S. S. Illma.

Venezia 1. Gennajo 1746. M. V.

Dev. ed Obl. Serv.
ARCADIO CAPELLO
Med. Venet. Collegg.

VERCELLI

A Vercellenſi Profeſſore Georgio Magnetta diſcendum, quæ vis, & facultas in vino & aqua contineatur, ut nutrire poſſint.

VERO-

(1) Epiſt. Fam. l. 16. ep. 6.

(2) L. A. P. Op. omnia T. 2. pag 188.

VERONA

VIRO CLARISSIMO

JOANNI MARIÆ FRACASSINO

Medico inter Veronenſes Celeberrimo

FRANCISCUS RONCALLI PAROLINUS

S. P.

SI tribus abhinc annis, Vir Clariſſime, obſtupeſcere debuiſti, a Nobiliſſimæ Ægrotæ Conſanguineis non minus, quam a me ipſo optatam videns in deplorato, quaſi dixerim, morbo opinionem tuam; profecto non minor Te ſubibit admiratio, quando uno eodemque actu & præſentes noſtræ literæ tradentur, & in Hiſtoriis Morborum, quæ nunc primum in lucem prodeunt, quaſque in obſequii teſſeram lubentes Tibi mittimus, regeſtam, & cuſam n. 82 videbis doctiſſimam Conſultationem tuam, quin tot debita per me officia prius miſſa fuerint, & facultas ad id agendum per Te mihi pervenerit. Sed antequam ſupercilia caperes, Humaniſſime Fracaſſine, permitte, quæſo, ut Tibi paulo fuſius ſiſtam, quæ harum actionum fuerint argumenta, ut proinde ſtatuere poſſis, num illa ad errorem meum, an potius ad ſummum erga Te cultum, atque ad publicæ utilitatis deſiderium referenda ſint.

Scias igitur obſervantiam meam verſus domum tuam multis abhinc annis incepiſſe, ſcilicet tunc cum D. Alexander frater tuus, in quodam regimine Brixiæ Aſſeſſor, ob nimias ad publicum bonum curas vexatus, & interdum ægrotans, vitam ſuam & D. Conſtantino Roncalli, & mihi paterna veſtigia ſequenti, concredebat; ex quo tantus amor emerſit, tantiſque modis, & vinculis me obſtrinxit vir ille eximius, ut fuſis lacrymis flere debuerim illius jacturam. Remanſit tamen ſuperſtes antiqui amoris igniculus, qui, quoties hic tui nominis fama in Medica Praxi increbeſcebat, veluti flagrans, parum abfuit, quin calamum arriperem, Tibique geſtientem animum aperirem, ut hinc vidua neceſſitudo, Te comiter annuente, reviviſceret. Ex hoc arguere poteris, quanta cum voluptate in perdifficili caſu tua oracula rogari intellexerim: ſic enim mihi fieri poſſe videbatur, ut Nobilis Ægra utilitatem, ipſe vero aliquod documentum nanciſcerer; erecta ſubinde ſpe, hunc fortaſſe fore futuræ amicitiæ prodromum. Idcirco Tibi non refricabo, quam avide idem expectarim, quam tandem tranſmiſſum libenter relegerim, & eo magis, quando vidi in homine (quod rarum) prudentiam cum doctrina conjunctam, & paucis, prout caſus anguſtiæ ferebat, res omnes explanatas, adeo ut nil addi, nil deſiderari videretur. Licet vero poſt celebratas laudes gaudens, & mihi ipſi gratulans, Conſultationem tuam dimiſerim, ac reſpuerim, nihilominus dum Obſervationes typis committendas conſarcinabam, in manus incidit, quæ quidem aptiſſima ad illuſtrandam editionem noſtram nobis viſa eſt. Haud equidem diffitebor, ad id agendum facultatem a Te petendam mihi in mentem veniſſe; ſed illud etiam venit, Te, aliquot magnorum virorum more, nimis humiliter circumſpectum, ideoque meis precibus probabiliter inficialem futurum fuiſſe; ex quo, ut quiſque videt, publicum damnum erat in limine, non edito exemplo, quod, facis inſtar, in ſimili caſu tyronibus non ſolum, ſed Medicis lucem indere poterat. Sile quæſo, nec orationis tuæ brevitatem objurga; jam ſcis, quantum temporis in ſuperfluis cantionibus nullo diſcrimine feratur: penetrat, mihi crede. Sine propterea, ut ſciant, poſſe in re Medica paucis multa dici: ſine, ut videant tua privata ſcripta; hinc arguant, quomodo ſcriberes cudenda. Etſi adhuc non quieſcis, ſique alteram cauſam, cur ego id fecerim, ſcire cupis, ſola res, ſola utilitas mea, pro quibus bene multi, quaſi nemine excepto, decipimur, mentem meam (ſi erraſſem) obnubilarunt. Meæ ſiquidem imbecillitatis conſcius videbam, Hiſtorias, & Obſervationes meas lectorum palato non eſſe arriſuras; ideoque clariſſimorum Virorum documenta addere, & inſerere decrevi, ut alterne poſt inſipida noſtra, aliena ſuavia, & ſapida, cum guſtus jucunditate, deglutirentur; ſicque mixtum ſumeretur, quod diviſum jaceret; & tuo etiam nomine ornatum Opus noſtrum præſentium, & poſterorum judicia minus formidaret.

En, Vir Doctiſſime, agendi rationes explicatas. Supereſt, ut mandatis tuis, traditæ mihi veniæ, & comiter ſuſceptæ amicitiæ ſigna tranſmittas: & ſi in quotidiana tua praxi aliquid emerget, quod docere Brixianam praxim poſſit, admonere ne pigeat. Hæ ſiquidem, agrorum ſuorum productione, Benacoque, & Mincio intercedentibus, propinquæ urbes, & æquali circiter polo gaudent, & ſuperioribus potentiis pari modo vibrantur, cum planitie ad meridiem, cum immenſurabilibus ad aquilonem montibus; ideoque & temperamentorum non adeo erit diſſona conſtitutio, nec remediorum, præſertim ex ſimplicibus, adeo diverſæ vires, ut quod Veronæ utile deprehenditur, noxium Brixiæ eſſe debeat. Ego ſane exacto jam implicatarum theoriarum cultu, Practicæ Medicæ addictus penitus ſum, utilius ducens periclitantem ex morbo hominem,

vel

vel medendi regimine, vel aliquo remedio ſervare, & ſaluti reſtituere, quam novatoris, vel controverſæ ſententiæ patroni nomen obtinere. Una idcirco pro Patria noſtra adlaboremus, Vir Optime, mutuoque commercio excuſſis implicatæ ſcientiæ tenebris, ſerenatiſque ex præconcepto aliquo dogmate præjudicatis mentibus, tutiorem ſemper magis methodum in apricum reducamus. Ad hunc finem obtinendum, præeunte Hippocrate, & clarioribus per omne ævum viris, ipſe, ut in tranſmiſſo Opere videbis, ſolas obſervationes prope lectulos factas, & a morbidæ naturæ viciſſitudinibus hauſtas ſelegi; damnans, ut libere tecum loquar, poſt primas rationales inſtitutiones, quęcumque alia excogitata, ipſamque Matheſim, optimam quidem in abſtracto pro loquacitatis pompa, ſed non aptabilem concreto, ſubjectoque paſſibili, ægrotanti, & ſe, quolibet momento, in omnibus partibus conſtitutivis moventi, totque phaſibus, imo & non cognitis expoſito, ubi pereunt propoſita tot ſudoribus principia, & geometrica omnia evaneſcunt fundamina. Sed jam a calamo me abripit, alioque vocat diuturnus viſitandorum ægrotantium labor; jejunam itaque claudo epiſtolam. Viro in literis principi M. Scipioni Maffeio meo nomine plurimam dic ſalutem; & ambo ad ſplendidæ urbis gloriam, & honeſtiſſimi populi ſalubritatem valetę.

Viro Clariſſimo

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Medico inter Brixienſes

Celeberrimo, ac Præſtantiſſimo

JOANNES MARIA FRACASSINI

S. P.

Quo ſcribendi modo, quibuſque enarrandi viribus dignas Tibi grates agere potero, Vir Humaniſſime, ac Præſtantiſſime, qui mihi prorſus immerenti, non ſolum tuum eximium Opus largitus es, verum honori meo, (ſine ut dicam) nimis ſtudens, rudem Conſultationis abortum Tibi private miſſum, tuo eodem Opere inſertum, typis tradere voluiſti? Hoc interim libare cœpi, mihique legenti jam admirationi delectationem, delectationi gaudium ſubire ſentio propterea quia hæ tuæ Morborum Hiſtoriæ *ſumma claritate, elegantia, ac eruditione expoſitæ, caſuum varietatem in Praxi adeo neceſſariam ſub oculos ponunt, ita ut de exitu aliquid prænoſci, ac enunciari poſſit, quemadmodum ex M. Hippocrate ſuis præcipue epidemiis, necnon ex Gullielmo Ballonio Conſiliis Medicinalibus diſcere ſolemus. Tu quidem rectam Medicinæ viam percurris, Tu verum medendi apicem attingis; nam obſervationes diſcurſui præferens, recte ratiocinaris, & M Hecquet docente, I. parte de digeſtione, ſyſtema Medicinæ, non Medicinam ſyſtemati ſervire, ut apud multos, tanto Artis detrimento, hodierna die videmus, ſervire, inquam, facis. Et ſane his ſyſtematibus plerique Medicorum magis addicti, maximarum obſervationum, methodique medendi obliti ſunt, proinde morborum hiſtorias, ſymptomatum ordinem, ægri temperamentum, ſexum, aerem, loca, & anni tempora, ex quibus indicationes ſumere neceſſe eſt, negliguntur; ideo Plinii objurgationes, & placita merito incurrimus:* Ad verba, garrulitatemque deſcendit Medicina. *Sydenhamii quoque in præfatione:* Ars confabulandi magis, quam medendi. *Graviſſima profecto damna Arti noſtræ attulit hæc ſpeculandi voluptas, qua naturæ magis arcana ſcrutando, quam motus obſervando detineri ſolent Medici; hinc ſyſtematum origines, quæſtionum, ac diſputationum ſeries, quæ omnia pleroſque Medicinam contemnere, vel ſuſpectam habere cauſa ſunt; ita accerſitus Medicus ſui regiminis ſæpe rationem non ſolum reddere debeat, ſed ut magis de quo loquitur, quam de quo agit, animadvertat. Increpat hic ſupralaudatus Hecquet Proemio de digeſtione, cujus verba ſunt:* Mais le tems eſt paſsè, où les Medecins etant ecoutez comme des oracles, n'avoient qu'à prononcer des ſentençes: ils ſont aujourd'hui reſponſables au Public moins de ce qu'ils font, que des raiſons de leur conduite; on exige d'eux qu'ils s'expliquent, & on les taxeroit d'Empiriſme, s'ils gueriſſoient ſans raiſonner. *Verum ne epiſtolam in diſſertationem vertam, tantum dicam, jureque dicam, hoc de Morborum Hiſtoriis Opus, abſque eo, quod ceteris quoque tuis de Aquis Brixienſibus, ac Diſſertationibus miſcellaneis meriti plauſus quidquam detrahatur, hoc, inquam, reipublicę Medicæ utiliſſimum fore autumo. Interim & ego, & filius meus, qui non minore, quam ego ipſe, Civium tolerantia, Medicinam profitetur, maximas Tibi gratias agimus, longamque Tibi, ut & nobis, & Patriæ tuæ utilitati ſis, ſalutem a cœlo deprecamus. M Scipio Maffeius, cui alterum exemplar tuo nomine tradidimus, munere devictus, quemadmodum & nos, memorem ſe futurum fore teſtatur*

PLANTÆ

IN AGRO VERONENSI

De Veronenſi provincia publico, & in ęvum duraturo monumento optime meritus eſt vir eximius Joannes Franciſcus Seguierius Nemaugenſis, qui ſummo labore, & diligentia peragrato plano, & ſuperatis montibus, methodicam ſynopſim plantarum omnium inſtituit, præmiſſiſque illius diſtrictus, luentiumque fluminum

num deſcriptione, necnon Botanicorum, qui de Italiæ ſtirpibus ſcripſerunt nomenclaturam, optimo ordine per claſſes varias diſtributo, & diſtinctas ſpecies explicante, totam hiſtoriam, quodque in ea ſcire neceſſarium, aut ab aliis omiſſum, ad examen revocavit, adeo ut Pharmaceutica, & Medica Veronenſium præcipue Ars plurimum, utiliterque locupletata dici mereatur. Utinam aliis etiam in regionibus Seguierii ſurgant, qui vegetantes theſauros a Summo bonorum omnium Datore mundanæ terræ conceſſos non inutiles marceſcere, & mori ſinant, & cum publico bono, illorum præſtantiam, & virtutes in meliori, & cunctis noto lumine collocent.

PISCHERIA

Præclariſſimo Viro

D. Francisco Roncalli Comiti,

& Doctiſſimo Philoſopho, ac Medico Brixienſi

S. P. D.

FRANCISCUS PASSIRANUS

Medicinæ Profeſſor Piſcherienſis.

Dum per litteras, nuntioſque tuos me tentas, & provocas, ut aliquid Tibi ſcribam circa morbos indigenos hujus meæ patriæ, ubi multis abhinc annis Medicinam facio, aliquid in memetipſo experior & amoris, & æſtimationis erga Te, tuamque famam, quæ ubique locorum Nomen tuum cum plauſu, & gaudio notum facit, itaut ignoto quaſi niſu ad te vehar, & arcano veluti modo impellar tuis deſideriis ſatisfacturus, tuiſque juſſibus obtemperaturus, provinciam aggredi, quæ meæ imbecillitati valde difficilis exhibetur. Scis quam abſcondita ſint noſtræ Artis myſteria; ſcis quam cognitu arduæ cauſæ morborum, quam intellectui humano obſcuri motus naturæ, quam difficilis diagnoſis, quam incerta prognoſis, quam remediorum praxis inconſtans; quare me ſæpiſſime tenent verba magni noſtri Præceptoris Hippocratis ſcribentis in libro de Arte numero decimo ſexto, quod morbi partim poſiti ſunt non in obſcuro, & non multi partim non in manifeſto loco hærentes, & multi ſunt: *quapropter facile hallucinamur Medici, & quaſi inter tenebras ambulantes facile fallimur.*

Ne vero diutius Te, Vir Doctiſſime, detineam, tuamque nimis exerceam patientiam, brevius quam potero tibi exponam, quibus morbis præcipue obnoxii ſint, & vexentur hujuſce patriæ incolæ, proximorumque pagorum, agrorumque, quibuſque remediis utplurimum eiſdem cum bono ſoleam occurrere.

Sita eſt Piſcheria ad emerſum Benaci in flumen Mincium, tamen in imo loco constructa eſt, & exponitur frequentibus ventorum flatibus, qui aerem agitantes, & in vorticem, ut ita dicam, agentes, partes ejuſdem aeris attenuant, & ſubtiliores, agiliores, ac leviores reddunt (quæ ceteroquin craſſæ, & ponderoſæ eſſent); hinc magis amicæ corporibus incolarum redduntur. Aſt dum ſpirat ventus quidam ab orientali plaga valde frigidus, morbi inprimis in agricolarum, piſcatorumque corporibus ſunt in promptu, hique utplurimum pleuritides valde acutæ, quæ multæ finiente hyeme, & incipiente vere Medicis offeruntur, dicta prævalente tempeſtate, circa æquinoctium nempe. Nec mirum hoc; nam etiam experitiſſimus Practicus, ſedulus Obſervator, & accuratiſſimus morborum Hiſtoricus Sydenhamius ſcripſit, huic morbo obnoxios eſſe frequenter homines præditos temperamento ſanguineo, ſæpe & ruſticos, & duro jam fractos membra labore, *cujuſmodi conditionis vides eſſe agricolas, & piſcatores, quorum plerique ſunt incolę Benacenſis littoris, & habitatores Piſcheriæ, ubi excipula (Pliniano utor vocabulo) multa exiſtunt pro anguillarum, aliorumque piſcium captu, cui ſententiæ ſubſcribere videtur eruditiſſimus Ramazzinus in Diatriba de Morbis Artificum, ubi poſtquam binas cauſas occaſionales examinaverit, ſubdit:* Sic in tota maſſa humorali, febrili efferveſcentia concitata, facili negotio in vaſis pneumonicis, ad quæ fit totius ſanguinis venoſi confluxus, craſſi, & lenti humores reſtagnant, &c. *Procatharticam ergo cauſam horum affectuum populariter graſſantium noſcis conſiſtere in ſuppreſſa tranſpiratione inſenſibili, quam non ignoras tanti fieri a Sanctorio in Medicina Statica, ut ſcripſerit ipſe ſectione prima, aphoriſmo ſecundo:* Si Medicus ſit ſolum capax additionis, & evacuationis ſenſibilis, & neſciat, quanta illorum ſit perſpiratio, illos decipit, & non medetur, *quod dictum commentatur a Martino Liſter, dicente, talem Medicum* incertum admodum judicium laturum eſſe, qui neſciverit, quatenus inſenſibilis perſpiratio impedita fuerit, aut exceſſerit. *Nec mirum ſit, dum a flatibus dicti venti partes quædam vehuntur, & noſtrati aeri commiſcentur, imo eundem inquinant, indolis ſane acris pungentis, & irritantis, quę ferientes extimam cutim, eamdem convelli cogunt, & quodammodo*

do criſpari ; pori ideo ejuſdem cutis figuram ſui diametri amittere cenſeas ; hinc glandularum miliarium obſtructio ſuccedit, & ineptitudo tranſpirabilis excernendi. Quid de partibus inſpiratis una cum aere dicam? Sua aſperitate pneumonica vaſa, & partes, inter quas membrana pulmones cingens exiſtit, adeo laceſſunt, irrigantque, ut earumdem villi aut criſpentur, aut rigeſcant, ſuccedatque impedimentum etiam tranſpirationi per os, quæ unica die ad ſelibram circiter aſcendere ſolet ex ponderatione clariſſimi Sanctorii, ſectione prima, aphoriſmo quinto ; unde ſequitur craſſities ſanguinis, lentor, paludeſcentia, & coagulum. Signum pathognomonicum horum morborum, nempe pulſus durities, tenſio, & rigiditas oſtendit ea, quæ explicui. Fateri enim Tibi neceſſe eſt, canalium tunicas de genere membranarum eſſe, & inſuper haud ignoras, affectiones membranoſarum partium communicari cunctis partibus contextis ex membranoſa ſubſtantia, & hoc ex principio illo celebri noſtri Hippocratis, conſenſus unus, conſentientia omnia; præterea ponderoſa, & difficilis reſpiratio, tuſſis, dolorque acutus lateris facile nobis ſuadent, ut conjectemur liquidorum lentorem, ſolidorumque rigiditatem, tenſionem, & contractionem.

Curationem ergo inſtituo horum morborum methodo, quam utilem utplurimum expertus ſum, emollientibus nempe, diluentibus, & incidentibus, inter quæ ſuccus amygdalarum dulcium cum ſpermate ceti, phlebotomia etiam repetita, fomentationes, & inunctiones dolenti parti primum obtinent locum ; ad promovendam, conſervandamque anacatharſim intentionem implent lambitiva ex ſucco amygdalarum dulcium, & ex ſyrupo altheæ ſimplici : ſi forte autem imminuatur, vel omnino ſupprimatur excreatus, cum magna difficultate reſpirii, quocumque die id acciderit, bono cum ſucceſſu ferme in omnibus applicare ſoleo quatuor phœnigmata femoribus, & tibiis. Eodem tempore hac urgente neceſſitate, bolos conficio ex lumbricis terreſtribus pp., & pulverizatis, ex camphora, ex floribus ſulphuris, ex ſale armoniaco, addito ſpermate ceti, & ſanguine hirci, quorum duos ter in die exhibeo ægris, cum hauſtu valde calido decocti radicum, ſeminum, herbarum, & florum pectoralium.

Neque, Sapientiſſime Doctor, obſtupeas, dum utor phœnigmatibus in morbis, inter quorum cauſas præcipuas recenſetur rigiditas, & nimia ſolidorum contractio ; nam ratione partium ſubtiliſſimarum cantharidum, & euphorbii, facientem impetum Tibi forſan videbitur harum affectionum cauſas augeri. Aſt quæſo, ſerio cogita, quod ſtimulo ſuo veſicantia ſolida concutiunt, quæ exinde fortiter commota, & agitata fluida flagellant, & verberant premendo comminuunt, & impetu aucto, agiliora reddunt, aptioraque motui. His adde, quod portio aliqua volatilis materiei veſicantium commixta fluidis, horum partes compellit, comminuit, ac vorticoſo more moveri cogit, & agitari, in quo motu magis ac magis comminutæ partes minutæ, paludeſcentiam, atque lentorem amittunt, niſuque aucto, coagulatum ſolvunt, ac rumpunt. Nonne vides forſan poſt applicata phœnigmata copioſiorem anacatharſim, tranſpirationem tum ſenſibilem, tum inſenſibilem promotas, urinas tandem coloratiores, & copioſiores, unde ſpe erigeris ſalutis ægrotantium.

Non negligo, præſertim ſi pertinaces vigiliæ comitentur, frequentes emulſiones quatuor ſeminum frigidorum majorum, papaveris albi, & amygdalarum ambroſinarum in aqua vel papaveris erratici, vel ſcabioſæ ; ſpiritum pariter fuliginis addo aut in lambitivis, aut in emulſionibus. Diuretica multum conferre obſervavi, quare pectoralibus rebus addo rapam inciſam, & alias aperientes, diureticaſque radices pro decocto ad uſum. Non te latet, Vir Ornatiſſime, quanti interſit urinæ examen in morbis pectoris, & quidem magis in inflammatoriis. Ex lotii natura, & quantitate prudens Medicus prognoſim facit, & ominatur bonum, vel malum : utplurimum ego urinas valde coloratas, & contentis refertas, cum multo ſedimento, taleſque perſeverantes fauſtas vidi, & boni ominis ; e contra peſſimas, malumque præſagium ferentes, ut notavi in meis Obſervationibus, atque Morborum Hiſtoriis.

Æſtate vagantur ubique, præcipue rugiente leone, & latrante ſirio, & percurrere ſolent febres inflammatoriæ nonnullæ. Scribo de illis febribus, quæ ardentes, & continuæ, ſecum vehunt facem inflammantem, & quodammodo fatuorum more, quærunt partem aliquam aptam ſuſcipere incendium, & in qua inflammationem excitent, niſi incunctanter ſedulus Medicus impediat, occaſioni præcipiti ſuccurrendo ; ego enim libenter aſſentior ſententiæ Joannis Baptiſtæ Verna contra laudatiſſimum Mortonum.

His igitur mederi conſueſco cum felici ſucceſſu, & cum ægrotantium bono, poſt expiatas primas vias leniente aliquo blando, aut clyſmate, per phlebotomiam etiam repetitam. Poſt hæc multum conferens vidi exhibere hiſce infirmis decoctum nitratum tamarindorum, radicis acetoſæ, & foliorum cichoreæ ; ſi hypochondria ſint tenſa, fomentationibus utor hypochondriorum, immo totæ gaſtricæ parti, cum decocto cichoreę, malvarum, violarum, quo etiam utor pro pediluvio, urgente dolore capitis, & pertinacibus vigiliis, talemque methodum adhibeo uſque ad ſeptimum morbi diem, ſimulque hora ſomni emulſiones quatuor ſeminum frigidorum majorum, & papaveris albi in aqua acetoſæ, addito ſale prunella, & ſyrupo ex acido citri, aut ex ſucco limonum : poſt ſeptimum repeto primum

mum leniens, poſtea pulveres diaphoreticos, ut pulverem viperinum, corn. cervi philoſoph. ocul. cancr. cum pauco ſtibio diaphor. pro quorum vehiculo mihi eſt in uſu decoctum rad. ſcorzoneræ, contrayerv. ſemin. card. ſancti, & fol acetoſ. nunquam omiſſa unctione univerſali Aetii, & identidem clyſmate ex lacte, & ſaccaro, hancque methodum experior ſemper utilem infirmis ob hanc febrim.

Pariter multi æſtate in hiſce regionibus ægrotare ſolent ob febres tertianas, aliquando ſimplices, aliquando duplices, & curationem ſoleo inſtituere incipiens a pharmaco ſolvente, & ſimul evacuante cruditates, quæ ferme in cunctis continentur intra ventriculum, primaſque vias, poſt quod ſanguinis detractionem præſcribo, vel per phlebotomiam, quam celebrare opportunum mihi videtur in habitibus plethoricis, & meribibulis, vel per cucurbitulas, ſemper conveniens remedium a me obſervatum eſt, imo, ut ſancte fatear, præcipue æſtate tranſacti anni 1743 vidi, perfecte liberos evaſiſſe ægros ab hiſce febribus ſola detractione ſanguinis, poſt evacuatas ſordes primarum viarum inſtituta, nec aliis remediis opus fuiſſe. Si autem poſt hæc adhuc febriles inſultus, & circuitus perſeverent uſque ad ſeptimum paroxyſmum, jubere ſoleo bis in die, cum decocto cicoreę, pulverem oculorum cancr. cornu cervi phil. & tartari vitriolati; deinde ſi obſtinate poſt ſeptimum ſuas acceſſiones extendat febris, capto prius ab ægro aliquo ſolvente pharmaco, corticem Peruvianum exhibeo methodo, & modo ſingulis ægris convenientiori. Raro admodum præſcribo emetica; nam cum obſervaverim, hic febres tertianas æſtivas habere comites in acceſſione vomitus bilioſos enormes, & ſimul dejectiones alvi, adeo ut hoc ſymptoma choleram morbum æmularet, ideoque ſoleo ſymptoma iſtud vocare imperfectam choleram; pro cujus curatione, ſi hallucinatus Medicus ab illo univerſali canone Hippocratis, quo natura vergit, eo ducere convenit, exhibeat emeticum etiam blandum, ut ipecacuanha, ſuccedet optima purgatio per ſuperiora, & per inferiora; tamen aliud ſymptoma oriri obſervatur etiam extra paroxyſmum affligens, nempe cardialgia, & ſtomaci languor. Vides hinc, quanta cautione adhibenda ſint emetica in hiſce caſibus, quia cruditatibus infarctus ventriculus, per ſe debilitate, & laſſitudine quadam afficitur, ab emeticis vero irritantibus, ventriculumque totum convellentibus, hujus viſceris fibræ poſtea flacceſcunt, & concidunt, tonum, elaſticamque vim amittentes, nimium fatigatæ, præterea prava cruditatum natura, a pharmaco violenter agente, & irritante nimis, unde languor; ſed quia portio aliqua materiæ crudæ acris, & pungentis, una cum reliquiis remedii irritantis, & pungentis intra cavitatem, ſeu melius dicam intra plicas, & anfractus villoſæ tunicæ remanens, nec exiſtente amplius in fundo ventriculi quid expellendum, moleſte afficiuntur villi membranarum oris ſtomaci, & ibi excitatur dolor, & affectus cardiacus; quare aſſidua obſervatione didici, ab hoc remedio melius eſſe abſtinere, cujus loco ſolventia, & evacuantia præſcribo; natura enim finxit fibras ventriculi, & inteſtinorum ad evacuationem fœcum, & cruditatum, magis per inferiora, quam per ſuperiora diſpoſitas: omnia enim animalia quotidie exonerant excrementa deorſum, raro admodum ſurſum. In Italico aere, in Italico ſolo, in Italicis corporibus, Vir Doctiſſime, facimus Medicinam; ne quęſo permittamus nos dirigi in curatione morborum a Germanis, a Gallis, ab Anglis, & aures præbeamus illi dicto, quod legimus in oratione Theſſali filii Hippocratis ad Athenienſes, non omnes loci eadem auxilia ferunt, eo quod non omnis aer nos ambiens ſimilis eſt; & ſit nobis ſemper in mente Baglivianum monitum, nempe quod omnes loci habent ſuam indigenam Medicinam, ſicuti habent ſuas indigenas ægritudines.

Autumni tempeſtate ob convaleſcentiam non rite habitam poſt febres æſtivas deſcriptas, frequentes recidivas ſuccedunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & chronicæ, quarum curationem ſuſcipere ſoleo, cum fomitem habeant in obſtructionibus viſcerum naturalium, præſcribens per aliquot dies jura cicoracea tartarizata, poſtquam purgans ex ſena, tartaro, & rhabarbaro, deinde per octo dies, pilulas gummi ammoniac. Quercetani ad quantitatem ſingula vice ℈ ij cum hauſtu decocti radicum, & herbarum emollientium, & aperitivarum: capto tandem purgante ſupradicto, corticis Peruviani uſum impero, cum rhabarbaro, & ſale centaureæ, & fraxini per decem, aut quindecim dies, bis quotidie cum jure ſumendi; aſt moneo, mihi multum placere inunctionem ex oleo capparorum, cheiri, chamęmel. liliorum alborum, cum immixto aceto roſaceo, & ſale ammoniaco hypochondriis, totoque abdomini, ſi opus ſit, calide bis in die applicandam, toto curationis tempore; nam pluries hac ſola inunctione vidi ſolutos infarctus, & ſuperatas obſtinatas obſtructiones.

In febribus æſtivis expoſitis fere ſemper lumbricorum apparatum notavi, quare ceteris pharmacis anthelmintica commiſceo, præcipue purgantibus, & inter illa multum profeciſſe obſervavi ſemen ſanctonicum, corallinam, rhabarbarum, aloem, ſyrupum florum perſicorum.

Longius epiſtolam traherem, ſi exponerem dolores capitis, nempe hęmicranias periodicas, dolores dentium, tuſſes, rheumaticas lumbagines, iſchiades hyeme has gentes infeſtantes, præſertim flante auſtro; ſed iſta omittere melius cenſeo; nam ab univerſali conſtitutione aeris iſta efficiuntur, & in plethoricis habitibus.

Opinor, Te, Expertiſſime Doctor, forſan obſervaſſe febres malignas, præcipue excitatas a putri cacochylia intra ventriculum, primaſque vias ſtabulante, lumbricis multis ſtipatas, prava excitantibus, & producentibus ſymptomata, cum magno ægrotantium periculo. Mihi pluries in hiſce regionibus mederi accidit petechialibus febribus malignis epidemice, & contagioſe graſſantibus, ut anno 1735 in proximo oppido, & anno tranſacto 1743 in alio parum diſſito rure, præſertim autem in inſula Sermionis Benaci noſtri, Lucanenſique diſtrictu, u-

bi jam aliquot annis conductus eorum incolarum ſanitati præfui, & ubi etiam obſervare mihi datum fuit, multum differre Praxim Medicam illi regioni parum hinc diſſitæ aptam ab illa, quę in noſtratibus incolis adhibetur: ſemper itaque Medico oportet ex Hippocrate primo aphoriſm., aphor. 2. inſpicere regionem, & tempus, & ætatem, & morbos. Dictæ inſulę habitatores fere omnes piſcatoriam artem exercent, qua victum ſibi quæritant; propterea, ut Ramazzinus notat in diatriba de morb. artific. cap. de piſcatorum morbis, piſces nobiliores pro Magnatum menſa ſervantur, viliores autem, & utplurimum ſale conditi, piſcatorum menſas exornant; quare arguis, gentes illas pravis cibis uti, craſſum efficientibus ſanguinem, pravamque nutritionem; propterea vino, & quidem albo, plerique abuti ſolent, utplurimum ex uvis Lucanenſis diſtrictus, qui valde humidum, cretaceumque habet ſolum: hinc veluti in indigeno morbo teneri illam gentem vidi ab obſtructionibus viſcerum omnium naturalium, & icterico quodam habitu, ut in pleriſque ex oculorum, & faciei colore conſpicere potui. Febres ergo autumnales, quartanæ, & chronicæ in eadem inſula multæ vagantur, quibus ego medebar cum fructu methodo ſupra expoſita.

Præterea ibidem frequenter accidunt dolores lateris tendentes ad ſpurias coſtas, abſque duritie pulſuum, necnon febres malignæ ſæpius occurrunt epidemicæ contagioſæ, & in utroque hoc morbo apparatum cruditatum, lumbricorumque vidi. Hiſce morbis obviam ibam methodo, quæ inſtituit curationem cum intentione expurgandi primas vias ab infarctu, & anthelmintica commiſcebam purgantibus, & alexipharmacis, & antimalignis; ſicuti in dolore lateris illa exhibebam una cum pectoralibus fauſto cum eventu. Phlebotomia valde caute adhibenda eſt in illis corporibus, quia utplurimum pernicioſam, & fatalem eſſe obſervatum eſt. Clyſteres quoque ex lacte, & ſaccharo diſtinctę in malignis febribus convenientes comperi; quia etiam diarrhœa arte promota, aut aliquando ſpontanea apparens, critica, &c. judicatoria erat. In pleuritide decumbentibus, pauca exiſtente anacatharſi, phœnigmata coxis, & cruribus multum profuerunt, ſicuti in malignis febribus, ſuccedente comate, aut lethargo; immo in conſtitutione maligna epidemica quarto, aut quinto die applicabam brachiis, & femoribus veſicantia, & obſervabam affectum lethargicum haud ſuccedere, qui alioquin ſeptimo, aut nono die ſeſe adjungere ſolebat aliis pravis accidentibus ejuſdem febris. Surditas incipiens nono, aut undecimo die mihi ſemper fuit fauſti ominis, & proſperi exitus, & profecto, favente Deo, in pleriſque curatio inſtituta deſcripto ſyſtemate ſemper fuit cum bono ægrotantium.

Plura forſan, Vir Doctiſſime, deſideras, & plura ſcribere poſſem; ſed cum brevitati ſtuduerim, ne Te nimio afficiam tædio, dum rudem epiſtolam legis, ſtrictiori ſtylo, quam potui, hanc conſcripſi; ſolum tamen præcipua, & frequentiora notavi, quæ mihi Clinicam exercenti Piſcheriæ, proximiſque ruribus in Benaci littore, & prope Mincium ſitis obſervanda jamdiu acciderunt, & aſſidue occurrunt. Quæcumque autem ſint iſtæ litteræ, Tibi acceptæ ſint rogo, nam, Te ſuadente, animum dante, & quærente conſcriptæ ſunt, & alacriter ad Te miſſæ: ſcribentis animum in ipſis deteges tuis juſſibus inclinatum, quare enixe rogo, ut me amare pergas. Vale.

Piſcheriæ die 25 Aprilis 1744.

DOCTISSIMO VIRO

FRANCISCO PASSIRANI

Piſcherienſi Medicinæ Profeſſori

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P.

Literis tuis, quibus Tibi ſubditæ provinciæ endemicos præſertim morbos mihi prenunciaveras, jam ſufficietenus reſponſum autumabam, tunc cum quatuor abhinc menſibus in meo itinere Venetam urbem verſus, Tibi coram Piſcheriæ loquens, tuos in medendo uſus probavi, & viciſſim amicitiam noſtram in adoleſcentiæ flore, & in Patavina urbe communi ſtudiorum curriculo conſtructam, novis iterum, mihique caris officiorum vinculis confirmavimus. Jamque ſatisfactum in tutum, Supremo favente Numine, Editione noſtra. Ad Ardelicæ, & finitimorum locorum Medicinam quod ſpectat, nil aliud inſerere putabam, quam humaniter jam transmiſſam Epiſtolam tuam: quippe quæ jam docte, jam graphice, ut optimum, & Hippocraticum Obſervatorem decet, diverſas morborum phaſes, & metaſtaſes explicabat: verum privatis iterum tuis literis 6 Auguſti datis excitatus, novam video a vere in æſtivos hos uſque dies, morboſam enatam conſtitutionem in infantibus ſævientem, cum gingivarum, oriſque ulcuſculis, ſero ſanari ſinentibus, quæque provectioribus interdum hominibus non parcunt.

Num vero, ut percontaris, dirus morbus inter ſcorbuticas affectiones adnumerandus ſit, negativam potius propoſitionem ſequerer, quia unica læſio, & vitium non ſufficit; ſed multiplex requiritur ſignorum, & effectuum apparatus ad hoc, ut de ſcorbutica tabe judicium firmetur. Elapſis nuper diebus de Danorum Medici-

dicina ſcribebam, ubi fatali ſydere morbus ille endemius eſt, viſiſque patriis ſeptentrionalis illius regionis Scriptoribus, Bartholino nempe, & aliis, Tibi poſſum ſancte aſſerere, ſymptomata ſcorbutum concomitantia eſſe plus, quam quinquaginta, eaque violentiora; ſique non omnia, ſaltem bene multa ſemper intereſſe.

Id oſtendit morbi exitus, fere ſemper fauſto Apolline ſuffocati, necnon dyſenterici fluxus, qui alios divexarunt, cum excretionibus mucoſis, puriformibus, & ſanguine tinctis, ex quibus potius bilis exaltatio, & ſalium in toto cruore tumultuantium aſperitas arguenda eſt.

Docti homines Salodii, & Deſenzani mihi retulerunt, a Veronenſi interdum agro quemdam ventum appellere, *Vineza* dicunt, humanæ texturæ ſumme noxium, qui in tranſitu ſuo veſtram etiam regionem pernicioſe afflabit. Tu me docere poteris, num a non adeo remotis oryzarum ſtationibus, an a Benaci lacus, Minciique paludoſis ſtaſibus, circumfluens aer aliquatenus corrumpatur, & an hyemali tempore nubeculæ terram radentes atmoſphæram, ſanguinem, ſpiritumque ita vitient, ut coercita, & ſuffocata bilis e veſtigio, aut tractu temporis, æſtivo fervore calcaria addente, tandem deflagrare debeat, illoſque morbos producere, quos Tu elapſis diebus obſervaſti, mihique refers.

Non uni ſiquidem, vel altero ægroto laboranti, ſed totius provinciæ præſervationi conſulendum eſt. Jam ſcis, quis fuit Chous, multoque magis, temporibus nobis proximis, immortalis famæ vir Joannes Maria Lanciſius, qui Summi Pontificis mentem, Romanorum ſaluti intentam, obſecundaturus, omnes illos locos peragravit, quidque Medici agere debuiſſent, ſumma cum diligentia, & utilitate commentatus eſt.

Neſcio, an inimicus boreas a Germanicis, Tridentiniſque alpibus deſcendens, atque ex jugi lateralis Baldi impedimento, ſuo in vigore ſervatus, altaniſque, & provincialibus alternarum vallium afflatibus ſemper magis crudeſcens, agros veſtros percutere poſſit. Neſcio, an inibi hortenſia ſufficienter abundent, & plantæ omnes terræ ſucco, aeriſque clementia ita connutritæ vegetent, ut hinc in hominum, brutorumque eſcam evaſæ, inculpabile alimentum conſtituant. Id unum non ignoro, me conſulto juſſiſſe villicis, in tractu Luganenſi vobis proximo prædium meum colentibus, ut uvas venditent; vinum enim illud a familia noſtra proſcriptum eſt, utpote nimis crudum, ſulphureum, ſanguinem inflammans, potiuſque ad alta petens.

Ad Te interim, tuaque in dominanti nunc morbo remedia revertens, cave, ne diſcedas a methodo, quam cœpiſti. In hiſce morbis, quando abſit plenitudo, totus cardo conſiſtit in evacuandis humoribus, temperando ſanguine, ſolvendis ſalibus, quod ſolo lacte, aquis, ſuccis, alkalicis, & humectantibus obtineri poteſt.

Cave inſuper, ne inter ſpecifica vegetabilia a temperamentis circumſpecte a Te propoſitis, & felici jam eventu comprobatis diſcedas; quandoquidem activiora, quæ ſale volatili abundant, mihi ſuſpecta ſunt, & fortaſſe ſimilem morbum, ut Hippocratis verbis utar, conſervantia. In Opere, quod tua Epiſtola ornabitur, videbis proſcriptam anteſignanam antiſcorbuticorum cochleariam, a qua expectatum effectum nunquam vidi; & tamen in oris affectibus ſaccharo conditam, & ſpiritu actuatam, omnibus ad nocendum aptis, cœca credulitate, & pecudum more propinant.

Miraberis fortaſſe, Dilectiſſime Franciſce, de meo hoc nimis libero loquendi modo; ſed poſt viginti, & quod ſupereſt, annorum praxim, judicium ferre licet, non ideo tamen ſumens, ut ab aliis ſaltem uſurpetur, ſed ut ſaltem magis cogitent, quid ſit acceptum naturæ.

Palatina ulcuſcula, & gingivarum læſiones, quas in munitiſſima urbecula tua, ſubjectiſque locis vidiſti, apud nos in infantibus, non adeo hac æſtate frequentes fuere; ſed ipſarum loco, per Brixianum agrum ſæviere phlogoſes in internis faucibus, vula, tonſillis, totaque gula, quinimo cutaneæ papulæ, & rubentes fervidæ eruptiones, aut dyſenteriæ, & teneſmi, quæ ut Tu perbelle notaſti, a ſanguinis æſtu, a ſulphureis principiis, ſaliumque deſuper nominata aſperitate pependiſſe, Medici Brixiani melioris notæ ſtatuerunt: quibuſque obviam ivimus, ſolo caſiæ flore, nucerino latice, thermis in imo ſcaturientibus, ptiſanis, emulſionibus, teſtaceis, Saxoniano ferculo, gelatinis, plantis temperatis, ceteriſque ſanguinem dulcificantibus, quæ te non callent, vitato fere ſemper ipecacuanhæ ſpecifico, utiliſſimum quippe, quando ſcena in ſolis inteſtinis eſt.

Sed jam ſuperſedeo; alio me vocat Praxis; alio me trahit voluminoſi ſuſcepti Operis ratio: ſique tanta adhuc dici poſſent de regione tua, finge quæſo, quanta de tota Europa dicenda ſuperſint. Abſit tamen, ut ab inchoato itinere divertam: Deus addat vires; Tuque tuarum gentium incolumitati diu vivas.

Brixiæ 22. Auguſti
1744.

RONCALLI PAROLINUS

VIN-

VINCENTIA

LUMBAGO, CRURALIUM NERVORUM DEBILITAS, STANDI, ET EUNDI IMPOTENTIA, CUM METU PARALYSIS.

Æger Vincentiæ degit, & agitur quæſtio, num ſudores in hypochauſto promovendi ſint.

Ex contracta ſiphylide tot morboſa ſymptomata, quæ præteritis annis, & in præſens egregium Patientem conſiſtentis ætatis, & calido-humidi temperamenti, vexare non deſinunt, promanaſſe, non eſt, ut dubitemus: quia tamen poſt mille adminiſtrata Medicæ Artis auxilia circa renum regionem, circa finitimas lumborum productiones, abſque ullo tumore, ſumma debilitas in muſcularibus tendinoſarum, & nervoſarum partium villis perſeverat, cum pertinaci ad motum impotentia, jure merito queritur, qua methodo curatio pertentanda ſit; quinimo, ut clarius loquar, num in præſens, nimirum 6. Junii 1742. hypochauſto ſudores promovendi veniant: quod remedii genus iſthic in urbe Vincentiæ propoſitum, & ſumme probatum a Nobili, & in Medica Facultate verſatiſſimo Sebaſtiano de Antoniis intelligo.

Illa idcirco ingenuitate, quæ mei moris eſt, & Philoſophos decet, carptim reſcribens, a mercurialibus, ab alexipharmacis ſpecificis decoctionibus, a ſudatoriis ipſis, ad gallicas affectiones fugandas alioquin aptiſſimis, in hoc caſu abſtinendum eſſe cenſerem; & ratio eſt:

Primo, quia hæc omnia alias, & methodice, largaque doſi, quæ affectionem tertii gradus curaviſſet, iterata pluries fuere, & præſertim elapſo anno, ubi fuſis per menſem ſudoribus, æger in pejus abiit, & affectio, ut aliqui aiebant, gallica ne hilum quidem imminuta eſt.

Secundo, quia certo non conſtat de exotici, ſummeque virulenti contagii præſentia: optimus enim ægri color, laudabilis jam viſa in extractionibus ſanguinis conſtitutio; nullus in nocte dolor, conſiſtens nutritio, quinimo obeſitas aperte oſtendunt, nec acri diſcraſia univerſales humores infici, nec vitia illa in ſolidis latere, quæ extremam hujuſce remedii adminiſtrationem requirant; & ſi labes aliqua in liquidorum maſſa adhuc reſtitat, fortaſſe illa erit, quam Redius in ſuis Conſultationibus deprædicat, quamque nos memoravimus in Hiſtoriis Morborum, hoc eſt, noxiarum particularum ſemina, quæ remedia ipſa, alioquin neceſſaria, adhibita in corpore reliquerunt.

His poſitis, in ſyſtemate nervoſo morbum radicari cenſendum eſt, ideoque in ſpinalis medullæ, imo in plexibus inferiorum artuum motui inſervientibus præpeditam, aut aliqnatenus interceptam, & ſaltem male modificatam eſſe ſpirituum animalium irradiationem. Secundo, in arteriis, veniſque ſpermaticis *e medio aortæ trunco prodeuntibus*, in vaſis deferentibus, & ſeminis elaborationi inſervientibus, aut ab immodico veneris uſu relaxatis, aut ad internum contactum, ob paſſas evacuationes, inclinantibus, ideoque ſemiconvulſis, irritatis, atque ad atoniam diſpoſitis: ex quarum omnium cauſarum una & effectuum ſatellitio rebellis perſeverat ſuſtentandi corporis impotentia, & cum aliquo metu futuræ in inferioribus artubus paralyſis, ſtandi, & eundi felicitas abolita eſt.

Non igitur, quæ liquidis corpus orbant, quæ calefacientes particulas in hæmate adaugent, quæque mercurialibus irrequietis, & ſumme viroſis effluviis, nervos lædere poſſunt; ſed ea in uſum ponenda, quæ ſpecifico ſuarum particularum nexu valeant effætas, relaxataſque in affectis ſuperrecenſitis partibus fibras erigere, ſeminale colliquamentum augere, proniorem ſpirituum animalium deſcenſum excitare, & uno verbo agere, ut ex vegetiori ſanguinis unda oſcillationum momenta reviviſcant, impedimenta removeantur, & tonica ſolidorum actio reſtituatur.

In hunc finem utiles eſſe poterunt ſuper affectum lumborum, renumque regionem leviſſimæ, & frequentes frictiones a manu oleo pineorum recentium delibuta peractæ, aut inunctiones ex ſevo hircino, ex pinguedine muris montani, cum ſpiritu lavendulæ malaxatis: myrmeciæ applicitæ, integer ſcilicet formicarum nydus, ſpongiæ calefactæ, lacte chalybeato tumentes, milii farina, Euganea luta, vervecum ventriculi recenter extracti, catellus Melitæus accumbens, ducia, ſed tepens, aquæ Recobarii, effumationes ex croco, baccis lauri, & ſeminibus ſynapis recentibus, ſuum utiliter, dato tempore, habere poterunt & uſum, & locum, præſertim ſi frequenter ligneis fulcris incedet, motumque motu promovebit.

Ad interna remedia quod attinet, vix dicere poſſum, quanta cum fide olim in hoc ægro viperinum libamen conſuluerim, a quo inſtaurari poſſe partium vitiatarum vigores ſperaveram; ſed incaſſum ad multum tempus adhibito, majora non addo: quandoquidem, dictante ipſa etiam ratione, contra experimenta, ut aliquod ultronee agamus, eundum non eſt. Jus tamen galli veteris, lac bullitum, & cum aqua ononidis dilutum, tinctura ſuccini, pulveres guttetæ, confectio alkermes, ungula alcis, ſericum bombycum opere factum, chalybeata in uſum poni poſſent, ſemper tamen a ſapientiſſimis adſtantibus Profeſſoribus directa, atque ad exigentiam moderata.

De-

Decoctio denique theiformis omni mane ſorbillata ex iva artetica, radice peoniȩ, avena, floribus anthos, bellidis majoris, paralyſis, tiliæ, ruthæ caprariæ utilis erit, potiſſimum ſi aliquot guttis ſpiritus ſanguinis humani irrorabitur.

RONCALLI PAROLINUS

RESPONSIO CLARISSIMI VIRI SEBASTIANI DE ANTONIIS VICENTINI, QUA, NON OBSTANTIBUS PROPOSITIS DIFFICULTATIBUS, SUADET, ÆGRUM IN SUDATORIO ESSE PONENDUM.

NOn tenax nimium opinionis meæ amor, ſed amici viri valetudinis deſiderium ad pauca quædam circa ſudores in hypochauſto a me probatos animadvertenda me impellit; & ego quoque non morbum ipſum gallicum, at potius ejus effectus remediis eſſe oppugnandos cenſeo, & ideo ab extremis auxiliis, utpote a validis mercurialibus, violentiſque ſudationibus, igneis tantum effluviis prolicitis abſtinendum; ſed blandas ſudationes cum aqueis, & medicatis vaporibus in hypochauſto improbare neſcio. Fomenta enim ab eximio viro præſcripta imitantur, & efficacius ad partes inertes, & nervorum ipſorum propagines impeditas penetrare valent, præſertim inunctionum balſamicarum adjumento, & hauſtu decoctionum antiſcorbuticarum, & cephalicarum ante ſudorem, præcipue cum foliis oſmundæ regalis, quæ adeo in rachitide commendatur, & a præſenti impotentia parum diſtat, cum illa a ſucci nutritii inordinata irroratione promanare videatur, & hæc a ſucci nervei, & ſpirituum animalium inæquali irradiatione dependeat.

Si ad prȩgreſſas inefficaces ſudationes animum advertamus, cum his cautelis forſitan non fuerunt peractæ, quare cum a juvantibus, & lȩdentibus ſint probanda, vel improbanda remedia, per decem, aut quindecim dies ſudores in hypochauſto his cautelis tentare non indecens arbitrarer, & ſi aliquid in motu emolumenti deprehendemus, ſudor erit in blando vaporum tepore continuandus; ſin minus, domi præſcripta remedia tentabimus, inter quæ balſamum Gherili in ſuis obſervationibus pro cura paralyſis tantopere commendatum. Ad ſudoris præterea tentamen, quamvis alias inefficacis, ſuadet experientia patientis, ex mutatione aeris de calido in frigidum; nam in calore ad motum eſt impotens minus, in frigore vero ad motum ineptus omnino redditur.

At quod præcipue ad hoc tentaminis genus me movet, eſt in propria domo delinquendi facilitas, ubi multiplex ſe offert occaſio inordinate vivendi, quod in hypocauſto non accidet. Pauca hæc eximii viri conſiderationi obtuli, ne me nimis in ſudore præſcribendo incautum ſuſpicetur, cui me commendo.

SEBASTIANUS DE ANTONIIS

PRO NOBILI MULIERE VINCENTIÆ DEGENTI, ET FLUORE ALBO DETENTA CONSILIUM

MOrboſæ affectiones aliquot abhinc annis in egregia muliere fervidæ, & ſanguineȩ conſtitutionis obortæ, earumdemque nunc magis, nunc minus rediviva ſymptomata, quæ in lumborum præſertim regione ſævire non deſinunt; poſtque ſuppuratorias inflammationes in vagina, & lancinantes dolores in hæmorrhoidibus, perennem conſtituunt album fluorem, qui tot adhibitis remediis, miteſcere quidem viſus eſt, ſed iterum decurrit, cum debilitate, & languore, ab acri humorum genio, a ſalſuginoſis totius maſſæ ſanguineæ inquinamentis pendere conjectandum eſt: ſique his acceſſit bilis æſtus, qui animales ſpiritus inflammavit, & calcaria currenti addidit, improviſa menſtruorum ſuppreſſio, quȩ ſanguinem infecit, & virulentiſſimum venereæ luis miaſma, quod liquida omnia contaminavit, admirari non debebimus, ſi remediis hactenus adhibitis morbus non paruit: hinc ad majora, & utiliora admovenda Medicus excitetur. Quoniam vero autumnale methodicæ purgationis tempus jam exactum eſt, & principes magnorum remediorum adminiſtrationes (hydrargyrum ſcilicet, & decoctum) jam in uſum poſitæ fuere, fidere juvat, exoticum contagium imminutum, & quaſi domitum eſſe, reſtitante ſolum in lumbaribus ſolidis, in renum cribris, ſed prȩcipue in capſulis, in glandulis, & in pelliceis uterini oſculi, & deſcendentis vaginæ indumentis, pareſi, laxitate, diloricatione, ad ulcus, ut opto, & ſpero, non perveniente, ubi humores, ſeroſitates, & ſpurci illius loci purgamenta ſudant, fermenteſcunt, corrumpuntur, adeo ut corroſis, violatiſque vaſorum tunicis, & cutibus, ichor perennis ſub nomine fluoris albi extillet, atque ab adventitiis, aut procatharticis cauſis interdum augeatur.

His poſitis, breviter de agendis locuturi admonce-

monemus in poſterum a fonte acido Recobarii in Vicentino patrio agro ſcaturiente, quamvis alias utili, tam docte a Gratiano deſcripto, ab aqua calcis abſtinendum eſſe. Vitanda inſuper ea omnia, quæ ſpecifico ſuarum particularum nexu movere, exſiccare, & calefacere ſanguinem poſſint; ſed Patavino, & Florentino celeberrimorum Medicorum more, & delicata methodo, humorum quieti incumbere, ſalium diſſolutionem promovere, ne naturalia liquamina ad affectam imam regionem ubertim corruent, præpedire, & agere, ut non irritata ſolida, oſcillationes minus frequentent, & fibræ tonus erigatur.

Huic ſcopo collimare poſſet lac, ſed bullitus, ideoque & caſeo, & acido orbum, addita tertia parte aquæ hederæ terreſtris; verum quia alias adhibitum ſine integro fructu, ulterius non inſto, licet inſtare poſſem, quia mutata miſcella, effectus variare poſſunt.

De cetero, nec arcana, nec mille remedia in Pharmacopolarum gratiam conſarcinata expectari a nobis debent. Natura paucis contenta eſt. Juſculum ex ranis, & avena Anglica, quæ in Veneta urbe venalis proſtat, ſub nomine *Pilata d'Annover*, omni mane per dies quadraginta ſumptum, ſcriptis indicationibus ſatisfacere poterit, aut per totidem dies

Aqua plantaginis tepidiuſcula, in qua ſolutus fuerit ovi vitellus, & additæ tres guttæ balſami orientalis, *della Mecca* dicti.

Neque vero tantum mihi ſumo, ut Vicentinos celeberrimos Profeſſores docere valeam, & vim in hiſce exequendis facere velim; ſed tantum propono, ut alterutrum ſeligant, & executioni tradant, quatenus opportunum exiſtiment.

Denique ad ipſam egregiam Matronam me converto, rogans, ut diætetico regimine noſtras præſcriptiones ſecundet; ab animi pathematibus, & præſertim a bilis in motu poſitæ æſtu, & a quocumque violento corporis motu abhorreat; alba juſcula ex amygdalis, pulmenta, & intrita ex Liguria provenientia ſumat; amet carnes, præcipue pullorum, elixas, additis, ſi lubet, vitulorum pedibus, ut tollatur naturalium liquidorum diſſolutio, ut nutritio non deficiat.

MOSCHO-

MOSCHOVIÆ

SITUS, CLIMA, EXTENSIO, CONFINIA, FLUMINA, RUTHENARUM GENTIUM ORIGO, INDOLES, MORES, ET USUS.

MAGNA Ruſſia, quæ & Alba dicitur, regio eſt ampliſſima ex præcipuis Europæ verſus ſeptentrionem, ubi terminatur a mari concreto: ab ortu dividitur a Tartaria Obio, & Jaicio fluviis; a meridie Tanai minore; ab occaſu vero Boriſtene, & Narva, quibus intercedentibus Polonię Regno finitima eſt. Parique lege dividitur in quatuor partes, Orientalem, Occidentalem, necnon Tartariam, & Lapponiam Moſchoviticam, quibus ſubſunt quadraginta circiter provinciæ, a primariis ſuis urbibus nomina recipientes.

Regionis amplitudo, & diverſa poſitio facit, ut vario climate, & mutata Solis facie gaudeat; hinc orientales, & boreales partes ſteriles ſunt, aut ſolis nemoribus fœcundæ; meridionales vero magis cultæ, & incolis frequentes, adeo ut temporibus nobis proximis vites, præcipue prope Suecos, & Poloniam, ſatæ fuerint, & vina undique pendeant.

Si Pomponio Melæ fides habenda eſt, populi Moſchi Aſiatici fuere (1) circa Caſpium mare; ſi vero Plinio, circa Phaſidis fontes, ubi montes Moſchici; hinc ampla occupata regione, a nullo mari diviſa, ſed multis in locis humectata, eandem incoluerunt, tenuerunt, propriumque nomen impertiti ſunt toti Imperio, & primariæ urbi Moſchuæ, quæ quamvis tota fere lignea (2), ex populorum, & civium frequentia ad magnam extenſionem tractu temporis ampliata fuit, ſemperque magis creviſſet, niſi Precopenſes Tartari anno uſque 1572. irruentes egiſſent, ut multa pars incendio conflagraret.

Latitudinis ſeptentrionalis extenſio menſuratur a quadraginta gradibus uſque ad ſeptuaginta quatuor circiter, adeo ut prope polum regiones inhabitabiles ſint; ex parte Auſtrali dies decem & quinque horis longior cum dimidia; in ſolſtitio vero æſtivo, ex parte boreali, nox deſideratur. Extremitates vero quoad longitudinem magnæ ditionis deſumuntur a promontorio Litarmin uſque ad oppidum Czircaſſium; quoad latitudinem, a confinio Finlandiæ uſque ad fluvium Obium. (3)

Abundant inibi grana, adeo ut non omnia in illa regione abſumantur, ſed in finitimas, ſi opus eſt, tranſportentur. Abundat inſuper regio lino, & cannabe, necnon præcipue verſus ſeptentrionem, animalibus ſylvaticis, & feris, & alibi raris, quorum pelles, nempe muſtellarum alpinarum, taurorum Ponticorum, vulpiumque nigrarum grandi pecunia venduntur. Præter hęc non deſunt illa, quæ ad humanum victum, commercium, & utilitatem neceſſaria ſunt, ex quo oritur, Ruthenicam regionem aliis non invidere.

Irrigatur quippe a magnis fluminibus, quę perennes aquas, fontes, & thermas ſuppeditant, nempe a Volga in Lithuaniæ limite, & Reſcovienſi Ducatu ſuam originem mutuante; a Tanai in Meotidem paludem ſeſe exonerante; a Duina (4) Vologdam etiam Sarmatiæ urbem totam paludoſam efficiente; ab Obio (5) deſuper nominato, necnon ab aliis lacubus (6), & fluviis minoris famę, & præcipue Moſco Ruſſiæ Albæ proprio, & in Tuverenſi Provincia ſcaturiente, ipſamque metropolim Moſchuam rigante, & dividente; quorum omnium curſu, motu, atque a pluviarum, nivium, & glaciei (7) perpetuo augmento tota ampliſſima regio humectatur, multis in locis navigabilis redditur, & humani uſus ſummopere adjuvantur.

Ad inhabitantium vero populorum indolem quod ſpectat, antiquitus gens erat penitus illiterata; & ſi ante Moſchica jam ſuppoſita primordia de antiquiori adhuc germine diſceptandum eſt, de illo ſcilicet remotiſſimo, quod ipſis Moſchis originem dedit, nempe de Roxolanis, & Varagis, qui primum Novogardiæ, & Kioviæ, deinde Voldomiriæ ſedem tenuerunt, antequam Moſcha in metropolim erigeretur: quiſque in hiſtoriis vel leviter initiatus ſcit, fuiſſe gentes tranſ-

(1) In Colchide.
(2) De qua vide ſuo loco.
(3) Oritur in regione Kalmuki, in lacu Katay, & tranſacta Siberia, terminatur in Oceanum ſeptentionalem. Hic autem eſt finis, & terminus orientalis totius Europæ.
(4) Exit a lacu in provincia Bulgariæ.
(5) In Tartaria oritur.
(6) Inter quos Ladoga, & Onega ampliſſimi.
(7) Vide Examen noſtrum de Aquis Brixianis, ubi perennis origo fontium deducitur a pluviis, nivibus, & glacie.

marinas ſine ullo cultu vagantes, quamvis ex Græco ritu, quem profeſſę ſunt (1), non extra rem eſt arguere, poſſe etiam eſſe, ut aliqua Gręcarum literarum veſtigia, etiam circa Artem Medicam, ſuperfuerint, quæ illis agendi lumen inſtillarent.

De cetero hæ regionis conſtitutiones deſumendæ potius ſunt a ſitu, origine, & fato, quam ab ipſis populis, & temperamentorum ſpeciebus; quandoquidem ſuapte natura Moſchi ad omnia apti ſunt, ſpiritu pollent, intelligunt, & leviter edocti, ad majora petunt, & ſpe honoris, vel lucri agenda ſibi præfigunt, & in præconcepta ſententia ſtant.

SCIENTIARUM PRIMORDIA ET MEDICINÆ ETIAM INCREMENTA.

MAgnus Petrus Albæ Ruſſiæ Imperator poſtremo hoc ſæculo tanta fecit, quanta futuri homines vix credere poterunt, & quanta ſufficiebant ad mutandam barbaricam, feramque Ruthenarum gentium aſperitatem in cultam, domitamque aptitudinem, ut hinc undequaque auro, & honoribus acciti a principibus Europę Archigymnaſiis Profeſſores, brevi potuerint ſcientiarum ſemina ſerere, adeo ut mutato aſpectu, florentes hinc inde, præcipue in Moſcha, & Petropoli bonæ Artes, & diſciplinæ mirum in modum in firmam, ſtabilemque culturæ gloriam excreverint, aliquibus aliis nationibus æquiparandam, & fortaſſe anteferendam.

Omiſſis igitur glorioſis facinoribus omnibus, quæ conſilio, & opere Magnanimus Monarcha geſſit, utpote a noſtro inſtituto alienis, & ſummis tantum labiis delibatis, quæ ad Artem ſpectant, jure ac merito dici poteſt, tantum operatum eſſe, ac ſi ſolus fuiſſet ſuarum cogitationum, ſuæque diligentiæ ſcopus, & finis; quandoquidem inter ceteros in omni, quaſi dixero, ſcientia celeberrimos homines a Galliis, Britannia, Germania, & Hollandia accitos, & in Moſchuenſi Archilyceo, ut docerent, poſitos, voluit, ut præluceret Medicina, ejuſque omnes famulatrices reliquæ ſcientiæ ſingillatim ſuis in locis poſitæ, ſuiſque veluti in ſedibus tutæ, Ruthenicæ inſtituendæ juventuti operam darent. Hinc volupe, & utiliſſimum videre fuit Aruntium Azzariti, & Joannem Georgium *du Vernoy*, Heiſteri loco, Anatomica extiſpicia facientes, partiumque uſus enodantes, Jacobum Hermannum, & fratres Bernoullios Matheſeos præcepta commentantes, Graveſandium in inſtitutiones Philoſophiæ Newtonianæ verſantem, & Phyſica experimenta ad ſeculi genium celebrantem; necnon Fridericum Maier eadem ſecundum mentem Wolfii repetentem; Chriſtophorum Buxbaum plantarum omnium ſcrutatorem diligentiſſimum; Georgium Wolff Krafft experimenta Phyſica exhibentem; de Bruce Chymicarum rerum expertiſſimum cultorem, Laurentium de Blumentroſt quatuor Czarorum Archiatrum, Theophilum Schober, & Antonium Thelis Practicos Moſchuenſes diligentiſſimos; denique Magnum Bidloo hodiernæ Ruſſiæ Hippocratem, & Chirurgiæ etiam Profeſſorem, quorum omnium ſtudio, ſedulitate, & doctrinis, Moſchuenſis Medicina ad ſummam perfectionem redacta eſt.

His poſitis, nemo inficias ire poterit, Artem Medicam brevi annorum curſu grandævam factam, plus apud Ruthenos, quam alibi profeciſſe. Sique ſuper jacta a Magno Czaro Petro fundamenta, nunc etiam, ut mihi referunt, Auguſtiſſima Regnans Domina glorioſe, ſcientiarum amica, & protectrix, ædificat, tutam ſpem habere poſſunt Rutheni, ut præteritis annis mutuata a variis nationibus virtus, fuſius in poſterum illis rependatur.

Interim ad rem noſtram redeundo, magis in poſterum, quam in præſens diſcere poterimus, quandoquidem antiqua inibi Medicina parum utilitatis ſuis populis, parum luminis exteris gentibus poterat præferre. Præſens ab aliis mutuata eſt; eundo igitur ſemper magis augebitur, & creſcet ejuſdem fama, atque utilitas. De facto, ſi coram illis, qui inibi fuerunt, alloquor; ſi ſcriptores volvo; ſi Moſchuenſe Antidotarium excurro, noſco, & de certo ſcio, inibi vigere plures methodos, quæ in finitimis præcipue Germaniæ regionibus uſuveniunt; ideoque multa, quæ de illis ratiocinandi occaſio feret, de Ruthena quodammodo Medicina dicta cenſebuntur.

CIBUS ET POTUS

MOſchi omnes carnium eſui parum aſſueti ſunt, vel quia inibi non nimis abundant, vel quia Lex ſua ipſarum uſum proſcribat, aut limitatum reddat. Illud indubium eſt, & pluries in anno eſſe jejunio addictos, & piſcationes inibi abundare, multo ſale condiri, fumo, & aere exſiccari, quæ omnia probant, illorum ſanguinem non eſſe euchymis cibis ſaginatum, adauctum, & nutritiis maſſulis turgidum, ſed potius acrem, particuliſque acido-muriaticis refertum; unde Medicina potius in corrigendo, humectando, attenuando, & ſolvendo verſabitur, quam in purgando; quamvis ſciamus, plus uno die a ſeptentrionalibus ſub frigida zona populis manducari, quam tribus in calidiori regione.

Vegetabilia tamen hortenſia, quæ præcipuas prope urbes, & habitacula ubertim, Ruthenis ruſticis operantibus, progerminant, melopepones videlicet, cucumeri, rapæ, & ſimilia, ſata in corporibus, ſalitorum piſcium præjudicia vindicabunt, præſertim ſi vera, quæ hiſce ſignanter diebus, dum ſcribimus, typis commiſſa ſunt a

(1) Schiſmatico tamen, licet anno 1596. a Clemente VIII. plurimi fuerint recepti in Sanctæ Eccleſiæ Communionem, qui *Uniti* appellabantur, ad diſtinctionem Schiſmaticorum.

á celeberrimo Antonio Cocchi Mugellano in Tractatu ſuo de Victu Pythagorico, ubi humana ſalus, a paucorum vegetabilium uſu pendere, & præſervari contenditur.

Hæc dicta ſint de vulgo, & de plebeis gentibus, cum non lateant Nobilium, & Magnatum commoda, ipſorumque convivia, & accubationes epulares carnium, pullorum, & volatilium edulliis paratæ, quibus aptior nutritio promovetur, chyloſeſque lacteo redivivo albumine inſtaurantur.

In hoc tamen ſummopere nos ab illis diſtamus, nempe quia Rutheni fere omnes addicti ſunt, & præ deliciis habent panem ſecalis, frumenti non curato, & præcipue ſi biſcoctus (1), & nauticus, in fruſtulaque redditus ſit, quod utique in utroque caſu laudandum, ob utilitates a ſcriptoribus ipſis memoratas, atque a navigantibus probatas. Mandibularum triturantium motus magis ſubigens, poroſitates in panis ſubſtantia magis patulæ, & gaſtricæ aciditates magis abſorptæ id probant, fermentationibus, & digeſtionibus felicius ſuccedentibus.

Verum enimvero, ut aliquid etiam de Ruſſorum potu addamus, ſi panis ille ſiligineus, & interdum ex ſolis radicibus confectus, aut ante, aut poſt in ſtomacho vini ſpiritu humectabitur; ſique mos eſt, ut in conviviis dominus, aut domina, quæ, heu! fortaſſe & in illis regionibus in domo ſua jubebit, convictoribus omnibus, etiam ante prandium coronatum craterem aquæ vitæ, ſe interdum, ut aiunt, oſculari ſinens, exhibebit, veriſimile eſt, ut calidiſſimum pabulum ſanguini paretur, diris fortaſſe ægritudinibus piandum.

Accedit etiam per totum epulationis curſum perenniter ingurgitari vina, præſertim Hungarica, etiam ex Tokæo, ceriam admodum ſpirituoſam, necnon *Mead*, & *Quaz* (2), quibus omnibus, dum litant, ebriulantur, in terram cadunt, dormiunt, & rationis uſu privantur.

Cumque ratione frigiditatis illarum regionum, id fere ſemper perpatrent in hypochauſtis, quid dicendum erit de internis viſceribus, partibuſque centralibus omnibus a ſupradictorum liquorum miſcella, ſeu potius embammate accenſis, & turgefactis? Quid de cute, externoque toto ambitu ab actuali hypochauſti igne, fere dixero, aduſtis, proindeque ad aerem liberum, prout fert regio illa, exeundo, penetrabile frigus ferendo. Profecto facta hæc omnia bonus Practicus exclamaret, ut ægrotent; ſique hæc una Italus noſter perpatraret, de certo morbidus evaderet. Quia vero noſtrarum pulcherrimarum regionum ipſe amans, concedere nolo, Ruthenos in temperamentorum viribus energeticis Italos ſuperare, illud admittere debebo, illorum uſui a parentibus in nepotes propagato ſupradicta omnia eſſe tribuenda.

Num vero mulieres Ruthenæ id etiam agant, data opera ut inflammentur, & in genis ſuis pulchrum, rubrumque colorem repræſentent, ſummopere dubitandum; quia generis illius fucorum amantes ſunt, & ille color illis in gentibus ſummo in pretio.

GERONTOCOMIA XENODOCHIA

INter provida Principum conſilia illud primarium dicendum eſt, quod conſulit ſaluti, & ſtatui pauperum ægrotorum, ſenum, mutilorum, & quovis modo ad ſuſcipienda opera inhabilium, cui rei maxime incubitum video in Moſchovitica ditione; quodque me recreat, eſt audire, & intelligere, militaribus Noſocomiis præſidere optimum Medicum Michaelem Schendo: ex quo in mentem venit recordatio amici olim mei, dum Medicinæ elementa in Patavino Archilyceo diſcebam, quo tempore, ſcilicet anno 1712, aderat inibi quidam Schendo, nomen intercidit, inter Græcos adſcriptus, vir ſummi ingenii, quocum frequenter ad privatas ſcholas celeberrimi toto orbe Antonii Valliſnerii accedebamus. Num vero ille idem ſit, non ſatis ſcio; ſed nolui, ut hæc laterent, in amoris, & obſervantiæ teſſeram erga doctiſſimum amicum.

ANATOME

QUod me plurimum rapit, & optimam præconceptam opinionem de Ruthenorum Medicina auget, eſt ſingularis, & ſollicita diligentia, qua inceſſanter, & perquam attente faciunt experimenta Anatomica, quæ quantum Medicum Practicum inſtruant, vix poſſum dicere. In hoc etiam neque volui ſilere, ut merita laus illi regioni tribueretur, & inſuper ut animadverterem, optimo quidem conſilio & hic in Italia noſtra lectiones cadaverum iterari, & præcipue Patavii, docente incomparabili viro Morgagnio; necnon in urbibus præcipuis, Roma nempe, Venetiis, Piſis, Bononia, Ticino, & aliis bene multis. Sed hoc non ſufficit, quia inibi utpote ubi Archilycea, adſunt juvenes Philiatri, ſed qui non omnium capaces ſunt, plerumque diſtracti, & terra nondum ſatis ſubacta, & apta. Idcirco poſt hæc vellem, & optarem, ut etiam in reſpectivis ceteris urbibus a Chirurgis (qui ſi Anatomen non callent, exſibilandi) cadavera ſecarentur; hinc non Philiatri ſolum, ſed Medici cujuſcumque ætatis, neque ſenibus excluſis, accederent, obſervarent, diſcerent: ſiquidem firmam opinionem habeo, plus diſcere Medicum conſiſtentem, aliquot annis onuſtum, & Praxi jam diu deditum, in unica obſervatione, & examine unius cadaveris, quam in centum, quando adoleſcens erat: & ratio inter mille præcipua eſt, quia ſupponitur, Medicum vidiſſe totam ſeriem præteritæ ægritudinis, ob quam homo periit, pluries hæſiſſe circa hanc, vel illam cauſam, etiam hoc, vel illud ſymptoma, & circa illa non corriſpondentia ſigna,

 quę

(1) Rutheni *Saccary* dicunt.

(2) Duo potus ex melle compoſiti; eo quia nullibi apes tam abundant, quam in Imperio Rutheno, & in nemoribus feliciter nidulantur, & vivunt.

quæ therapeiam difficilem reddebant; quæ omnia unica Anatomes interdum apprime explicat, & docet in ſimili caſu, qua via eundum a Clinico ſit. In Chirurgorum itaque examine utilis foret additio, & experimentum, ut coram ſapientiſſimis Medicis inciſiones facerent, atque reſponderent de partium nomenclatura, & uſibus, a quo mille beneficia in populos promanarent.

Tanto magis diſſimulare non poſſumus, Medicinam multis tantum conjecturis inniti. Hinc cur non inquiremus, cur non laudabimus illum, qui non conjectura, ſed facto unicum exemplar profert, quod homines in Arte cæcutire non ſinit?

BIDLOO.

A Bene multis literarum amatoribus, qui Ruthenas provincias peregre viderunt, intelleximus, rem Medicam inibi exercitam, ſed præcipue Anatomen, & Chirurgiam inniti præſertim fundamentis in illo ſolo ſatis a magno & celeberrimo Bidloo, ex cujus operibus, & documentis haurire poſſumus, quinam medendi modus illis in regionibus vigeat. Inter omnia tamen, quæ immortalis famæ vir publice & ore, & ſcriptis geſſit, ſummam laudem mihi meruiſſe videtur Opus Anatomicum, centum & quinque tabulis diſtributum, tam nitida, & magnifica editione productum, ut illi æquale deſideretur (1).

A leviter idcirco tactis fundamentis non eſt contra rationem arguere, Clinicam Artem in Moſchovitica ditione admodum florere.

MONSTRUM HUMANUM BICEPS

RAra res eſt, quam Moſchæ vidit Nicolaus Bidloo, Czareæ Majeſtatis Archiater, in Anilia Boulagagou, fœtum mortuum monſtroſum, anno 1705, emittente, quia jam antea alteri, primoque homini juncta, alterum monſtrum pepererat beſtialis formæ, quod figuram canis præſeferebat (2).

TUSSIS
MORBUS RUSSIS INCOGNITUS

SCribit Salmon (3) (4), Ruthenos populos immunes eſſe a coryza, necnon a fluxionibus ad laryngem, ad pectus, adeo ut nunquam tuſſientes ſint. Admiror ſane, & quaſi difficulter hoc mihi ſuadeo, quod temperamentorum indoles, glandularum trachealium, fibrarumque pectoralium energia iiſdem faveat, ut minus ægrotent. Eſto tamen: ſed quod penitus illæſi a, quaſi dixero, univerſali hoc morbo ſint, credat qui velit. Nimis multæ ſunt cauſæ, quę tuſſim efficere valent, ut hinc in Ruthenis ditionibus penitus abeſſe non credam.

Et in illa regione aer omnia circumambiens ſuas viciſſitudines, & mutationes patietur, atque a mari concreto, a Tartaria, a Polonia finitimis accedent illi ventorum incurſus, qui viventia barometra agitabunt; unde mechanica lege debebunt inſiti liquores, ſanguis, ſerum, ſuccus nerveus, majori pernicitate aſcendere, ſe movere, a glanduloſis labyrinthis extricari, & aliquam vellicationem prope proximam laryngem, & tracheæ ſummitatem efficere, ex quo tuſſis.

Damnum eſt, quod hiſtorici libenter potius miracula canunt, quam mediocria, atque ab uno in alterum, exigua (quod ſibi licitum faciunt) dempta veritate, ſurgit mendacium.

ANIMADVERSIO
CIRCA IGNOTAM RUSSIS TUSSIM

NOſtras ſupradictas hæſitationes circa fortunam Ruſſorum a tuſſi liberorum confirmat Opus typis Academiæ Scientiarum Petropolitanæ editum ab illuſtri viro Damiano Sinopeo Medico ordinario marini Noſocomii (5), qui de morbis Ruthenorum nautarum agens, ſignanter inter alios notat *pulmonum affectiones, tuſſes, aſthmata*, iiſdemque optata remedia preſcribit: nec latet, dici forſan poſſe, eſſe mala in maritimis expeditionibus offenſa, atque in thoracis viſceribus implantata, quæ ſævire non deſinunt, aut recidivas promovent; ſed ſi felix illius cœli ſors eſſet adeo pectori, & interno gutturi amica, ut nunquam irritari pharingis fibellas contingat, profecto ad meliora ſemper ægri evaderent. Sed quid ego, præcipua, & frequentia illius regionis neſciens, & hiſtoricum ſcriptorem ſequens, a veritate fortaſſe diverto?

PLANTÆ
IN IMPERIO RUTHENO
PROVENIENTES.

PRæter ea, quæ circa Botanicam Artem proſtant, & inter ceteros præcipue a Chriſtophoro Buxbaum in apricum poſita, acceſſere etiam icones, & deſcriptiones collectæ a Joanne Ammano (6) in Regia urbe Petropoli Academiæ Imperialis Scientiarum, necnon Regiæ Societatis Londinenſis Membro, qui quadraginta præcipue rariores plantas illuſtrat, ſed præcipue loquitur clariſſ. Auctor de *cymbaria* valeriana lutea humili, caſſida montana foliis oblongis, latyroide, ranunculo repente gramineis foliis, cor-

(1) Amſtelodami editum eſt.
(2) Scripta hæc fuerunt ab eodemmet Bidloo ad clariſſimum Huyſſenum. Sed neſcio ubi a nobis viſa.
(3) Lo Stato Preſente di tutti li paeſi, e Popoli del Mondo T. VII.
(4) Novelle Letterarie an. 1738. pag. 323.
(5) Parerga Medica.
(6) Petropoli. Ex Academiæ Typographia, &c. 1740.

cornu ſylveſtri fructu albo. Utinam & Itala juventus, Ruthenorum Medicorum exemplo, in ſua ſignanter regione, & peculiaribus provinciis in patrias herbas inquirerent, ſuorumque natalium locum indigitarent: quod de Brixianis in hoc opere a nobis factum proſtat.

De cetero mirabile dictu eſt, quomodo Ruthena terra progerminet, & quamvis non culta, reſpondeat. Prædicant ſcriptores omnes facillimam fructuum, & plantarum productionem, & cito, & optime maturam, etiam in illis vegetabilibus, quæ apud nos ſerotina ſunt; de quibus ſufficiat dicere aſparagos percraſſos, & frequentes adeo præminere, ut fœnificibus falce ſecandi veniant.

PULVIS ALEXIPHARMACUS ARESKIN ARCHIATRI CZARORUM CELEBERRIMI.

IN morbis a malignitate, a contagio, atque a peſtilentibus inquinamentis, necnon in intus genita qualitate illa, quam Medici non ſatis noſcunt, & qualitatem occultam veneficam, exoticam, malignam appellant, & ubi adminiſtratis jam præſtantioribus remediis corrigendo ſanguini incumbendum eſt, adhibent Medici Profeſſores in Moſchovitico Imperio pulverem alexipharmacum, quem inibi inſtituit, & auctor fuit celeberrimus Areskin, tantamque fidem illi præſtant, ut poſitus, & deſcriptus fuerit in Pharmacopolio Moſchovienſi, qui conſtat ex nitro, floribus ſulphuris, & myrrha rubra in pari portione, addito tantillo camphoræ. Negandum non eſt, hæc omnia, etiam ſejunctim ſumpta, plurimum pollere, & inſuper eſſe illa ipſa, quæ multi auctores, & præcipue Germani, & Itali ſuadent: num vero illum effectum efficiant, quem Rutheni Medici in mente conceperunt, promittere non audeo, quia neque ipſi eventus ſatis interdum rem declarant, alia quippe cauſa illos producente: natura tamen remedii mihi videretur eſſe optima tempore hyemis in dominante ſero, in corperibus obeſis, in ſanguinis lentore, in clauſis emiſſariis omnibus, in ſuppreſſis evacuationibus, in pectore infarcto, in thorace laborante, in urinis decoloribus, in cauſa, ut Priſci aiebant, frigida, in abſtemiis, in ſedentariæ vitæ addictis, in viridi ſenectute, in viſcerum obſtructionibus, pedum œdemate, pulſu tardo, & quacumque membrorum atonia, & fibrarum laxitate; quibus omnibus prodeſſe poſſe alexipharmacum Moſchorum pulverem non ambigerem, ſi hora, & modus exhibendi accederent, quæ duę circumſtantiæ neglectæ ſunt: ex quo provenit, remedia illos effectus non producere, quos Medicus, & æger valetudinem optans præconceperat.

BALNEA

ET joci, & mundandi corporis gratia, necnon ut ægritudines tollant, balneis Ruthena gens frequenter immergitur; utque commodius id facere poſſint, etiam in propriis domibus parata habent balnea, quæ ſaltem bis in hebdomada frequentant: quo in uſu mirabile illud eſt, data opera, os hypochauſti obturari, ut vix obſignatis reſpirandi libertas ſuperſit: cumque jam imminet ſuffocationis periculum, tunc portas aperiri, & foras exire, & nudos per urbem, per agros diſcurrere.

Quæ omnia non eſt ut exclamem, a nobis imitanda non eſſe, cum primo intuitu quiſque, qui ſanum habeat ſinciput, ab hiſce deſperabundis uſibus jam abhorreat; nec religioni, aut ſaluti conſonos credat.

Ceterum uſus ille Ruthenus, poſt balnea, oleo, & axungia fricandi juncturas omnes, improbandus non eſt, quandoquidem laxata balneis poroſitatum omnium compage, & vice verſa a ſicco, dein frigido ambiente corrugatis nimium fibris, motus partium quodammodo lęderetur, ideoque ab emollienti unguine membranaceæ, & pelliceæ partes ad majorem flexibilitatem utiliter diſponentur.

LACONICA, ET FURNI SUDATORII

IN aliquibus locis Ruſſici Imperii, ad ripas fluminum fabrefacti ſunt furni ſudatorii ad ſolvendos internos humores *contra febres*, & alios morbos. Verum ipſe neſcio, quid furnus, vel clibanus febri prodeſſe poſſit, cum jam tunc calor augendus non ſit. Dari tamen quaſdam febres negandum non eſt, quæ frigidæ, aut a cauſa, ut cum Antiquis loquamur, frigida pendent, puta leucophlegmatia, cachexia, obſtructione lienis, hydrope, & ſimilibus, in quibus infarctum fibrarum, & utriculorum omne genus, nonniſi a ſolvente, & commovente vi, ad naturalem tonum reduci poteſt, excluſis, expreſſis, & abeuntibus ichoribus illis, qui ſtagnando nocebant. Num vero hiſcę peractis, & promotis jam ſudoribus, ægri in proximum flumen demergendi ſint, auctor eſſe nolo, dum calor, & frigus eodem quaſi actu ab ægris excepta, non ſaluti, ſed omnium fato viam ſternerent: ideoque ſi poſt ſudatoria, frigida adhibenda non ſunt, fruſtraneus eſt Ruſſicæ gentis labor in hiſce prope flumina pręparationibus, quia eodem actu eadem adhibenda non ſunt.

Verum illorum uſibus, quamvis ratio in contrarium ſtet, quieſcendum eſt; quandoquidem non fortuito, ſed data opera, hiſce contrariis, uno actu & frigoris, & caloris, in temperamento productis, morbos ſuperare curant (1); ſed nobis ſat eſt animadvertiſſe, hanc methodum in

(1) Seque in nivem, & glaciei ſtruem projiciunt, ut hunc, vel alterum morbum curent.

in Italicum noſtrum cœlum non eſſe advehendam.

DOMUS LIGNEÆ

NUlla præſtantior Medicina in toto rerum omnium genere dari poteſt, quam illa, quæ non per accidens, ſed perpetuis, quaſi dixero, momentis ad humanam, proſperamque valetudinem conſpirat, quemadmodum eſt continens, & habitaculum, quod nos ambit, & in quo degimus, &reſpiramus. Quærunt homines Medicinam in vaſis, & pixidibus Pharmacopolarum, ſed negligunt illam, quæ domi ſuæ paranda eſt.

Caſus ne fuerit, an neceſſitas (1), & adhibendorum apparatuum penuria, quæ populos Ruthenos coegit ad ædificandas ligneis tabulis, & trabibus urbes, & præcipue ipſam Moſcham peramplum celebre emporium, & totius Imperii caput; illud unum ad rem noſtram debemus animadvertere, num ille uſus in Italia etiam noſtra ad imitandum proponendus ſit, numque ad humanam incolumitatem magis conducat domus, aut ſaltem cubiculum ex ligno, & tabulis, an ex ſolidis muris calce interlitis.

Video Hippocratem (2) rationem reddentem obitus Hermocratis, *qui decumbebat juxta novum murum*. Lego Verulamium (3) ſcribentem, *Jovinianum Imperatorem ob moram in conclavi recenter incruſtato mortuum eſſe*. Scio, Romanis edicto (4) vetitum fuiſſe, ne *ædificia* recenter *conſtructa incolerent*. Nec ignoro, illos qui adlaborant in calcariis fornacibus, atque in ædificandis muro domibus, præcipue ſi in humectanda recenti calce minus cauti ſint, incidere in phtyſicos affectus ab inſpiratis calcis particulis de alkali, & acido urenti participantibus: quare pulmonum lobi exſiccantur, corrugantur, & a virulenta acrimonia ad organicum vitium diſponuntur.

Hæc cum veriſſima ſint, patet ſententia noſtra abſtinendi, quam fieri poteſt, ab illis, quæ quomodocumque noxia eſſe poſſunt; & licet hęc omnia veriſſima ſint, præcipue quando agatur de calce recenti, muriſque noviter inſtructis (inter quæ, ut degamus, triennium prius tranſire debet, & amplius): attamen cum in ſiccato jam muro vis noxia latuerit, & fortaſſe aliquatenus reſtitet, aut ab humanis interdum morboſis evaporationibus, aut ab igne, aut ab aliquibus eſculentorum effluviis, aut ab inſita calcis qualitate non ſatis in ipſo limine ſubacta, aut denique ab aere forſan corrupto, intercapedines, meatus, & rimas ſubeunte, iterum (videmus quippe muros interdum fieri mucidos, fracidos, labefactos; ideoque atmoſphæræ, & vicinorum locorum, aquarum, cloacarum præjudicia patientes) ad nocendi aptitudinem ſemper magis poteſt excitari.

Tutius agendo igitur conſulerem omnes, & præcipue Magnates, ut, ſi hypochauſta (5), & laconica, Germanorum more, reformidant, ſaltem habitanda cubicula circumquaque, & ſupra ſolum etiam ligneis tabulis cooperiant. Sic enim de certo tollentur calcis damna; ſicque ligneum conclave erit etiam in algida hyeme magis amicum, & tutum, & Ruthenorum mos, caſus, neceſſitas, vel documentum, nobis quammaxime acceptum, Italorum ſaluti conſpirabit.

ARSENICUM
PRO CURANDIS FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS

PLebei homines Ruſſici Imperii, etiam in urbibus principibus, utebantur arſenico ad fugandas febres; ſed neſcius ſum, num adhiberent ſmaltum citrinum, vel rubrum, cujus veneni, non remedii, lethifera vis, ubi in ventriculum fuerit adacta, dolores, ventriculationes, anxietates in promptu eſſent: quibus mediis aliquando quidem, ſed raro, expreſſis, at violentiſſimo ſtimulo excluſis hoſpitantibus, febremque producturis ichoribus, ſalutis corruſcamina videbantur, quibus decepti vulgares idiotæ ſe fortunatos credebant; verum, heu! poſt tubercula, ſcirrhi, & organica ſolidorum corroſorum vitia extremum fatum efficiebant. Præterea ſubitaneæ ętiam mortes manifeſtabant deleteriam veneni activitatem: idcirco Magna Mulier, & Imperans Ruthenis Domina, viſis etiam repræſentationibus doctiſſimi viri, & de literaria republica optime meriti Joannis Chriſtophori Rieger, ſeveriſſimo edicto juſſit, ut ſubditæ amplæ ditiones ab uſu interno arſenici abſtinerent: quo documento inſtructis ceteris omnibus, non eſt, ut prolixe moneam de vitando in Medica Arte hoc uſu, ad fugandas intermittentes febres, quandoquidem jam ſufficienter res ex ſe ipſa loquitur.

PULVIS ANTISPASMODICUS
RUSSORUM

℞ RAd. pimpinell. albæ, unicorn. marini, ſuccini albi, corall. albi, ungul. alcis ana drachmas duas; lapidis prunell. cinnabaris nat. pp. ana drachmas ſex, & ſacc. cand. albi ſemiunciam, quæ pulverizata miſcentur.

PUL-

(1) Inibi abundant ſylvæ, & nemora immenſurabilia.
(2) 3. Epidemiorum ægro 2.
(3) In Sylv. Sylvarum.
(4) Ex Plinio.
(5) Nimis ſiquidem calefacta ſunt, & ſuſpecta, quando inhabitantur, & quando derelinquuntur.

PULVIS SOLARIS
IN PHARMACOPOLIO MOSCHOVIENSI

♃ Cinnabaris antimonii, nativæ ana ʒ x. ſacchari Canarienſis ℥ viii. olei cinamomi, ambræ gryſeæ ana ʒ ii. ſol. auri n. viii. miſce.

BALSAMUM RACKASIRA

Michael Schendo Van-der-Beck Medicus celebris Exercituum Ruſſici Imperii, in gonorrhæis copaibæ præcellere dicit rackaſiram; ſed doctus Rieger timet, ne factitius ſit.

GINSEN

Laurentius Blumentroſt Magni Czarii in Moſchovia Archiater liquorem bibendum proponit, *qui multum roborat hominem viribus deſtitutum*: decoctio autem eſt radicis Ginſen ex China allatæ a D. Nicolao Spathario.

ANGURIA

Habent Rutheni in deliciis, tempore æſtatis, Angurias, quæ poſt Hiſpaniam, Italiam, aliaſque calidiores Regiones, nullibi felicius naſcuntur, quam in Braſilia; hinc Aſtracano, & Kaſano fructus nondum penitus maturi Moſchuam, & Petropolin advehuntur, *Arbus*, nomine a Turcis mutuato, dicti, qui pro pretioſiſſimo edullio aſſervantur.

KASANUM

THERMÆ

Quantum ad humanam tuendam, recuperandamque valetudinem conducant thermæ, & ceteri fontes medicati, non eſt hujus loci inquirere; cum ſatis jam, & fortaſſe nimis de ipſis locuti ſimus, quando, data opera, egimus de Aquis Brixianis. Solum non debemus reticere laudes, quas ob hanc cauſam meruit celeberrimus vir Theophilus Schober, qui non ſolum Thermas in Moſchoviæ magis fructifero Kaſanenſi Regno detexit, verum etiam pluribus experimentis & chymicis, & practicis eaſdem tentavit, & docte proinde deſcripſit. Utinam id ceteri Medici in ſua provincia agerent, nec eſſent adeo ſocordes, ut quando audiunt aliquem rumorem de detecto fonte, rideant, & alia oſcitando cogitent: ſed inquirant, atque per licita experimenta de illo periculum faciant; poſtque chymica tentamina, exhibitoſque potus, alios epiſtolis moneant, & doctorum virorum examini ſubjiciant: quoniam ſic præſertim pro civibus, & proximis incolis patrium, indigenumque remedium invenitur, cum patriæ pariter decore, & proximi non modica utilitate.

LAPPONIA
MOSCHOVITICA

In morbis inibi peſtilentibus illud eſſet utilitatis, ut de adjunctis vermibus non eſſet pertimeſcendum, ſi verum eſt, quod ſcribit Valliſnerius (1), nempe ob climatis ſummam frigiditatem non poſſe germinare, & nutricari.

LIVONIA

LUMBRICI LATI, ET LONGI, MORBUS ENDEMIUS IN LIVONIÆ DUCATU MOSCHOVITICÆ MONARCHIÆ NUNC SUBDITO.

Peculiari epiſtola celeberrimus vir Philippus de Violante Regis Poloniæ Archiater, & Conſiliarius nos admonet de morbo frequenti, & per totam Livoniam, Sarmatiæ Europeæ partem, ſæviente; de lumbricis ſcilicet latis, & viginti ulnas longis, & inteſtina pro ſede ſua noſcentibus. Verum centeni, & ultra Profeſſores ſapientiſſimi circa vermium originem, exiſtentiam, & præjudicia jam optime, & utiliter deſudarunt, & præſertim Baglivus, Morgagnus, Schwammerdamius, & recenter hiſce diebus quibus ſcribo, Joannes Erneſtus Hebenſtreit Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Socius, qui vermes vivos in hepate reperit. Quare ſuper iiſdem non inquirimus, tum quia peculiare (libere loqui amamus) arcanum pro iiſdem exterminandis non habemus; tum quia poteſt etiam eſſe, ut celeberrimus in Livonia Medicus Kempff nobis ſcribat, & fortaſſe aliquid circa hæc noxia in animantibus animata moneat.

(1) De' vermi peſtilenziali in generale. p. 79.

OLO-

OLONICENSIS DISTRICTUS

ACIDULÆ.

INter duos lacus, Ladoga, & Onega, ad montis radices, in declivi ſcaturiunt aquæ limpidiſſimæ, de vena ferrea, & vitriolica participantes, ut mixtiones, infuſiones, ſeparationes, deſtillationes, & cetera Chymica experimenta, diverſis temporibus peracta, apertiſſime demonſtrarunt.

De facto, ſi vera ſunt, quæ de ipſis a Medicis Moſchuenſibus circumferuntur, nempe quod reddant *urinas nigerrimas*, hoc a chalybe magis, quam a ceteris aquarum Olonicenſium qualitatibus provenire poteſt, eodem modo, quem videmus in mulieribus chloroſi, hoc eſt febri alba laborantibus, in quibus exhibito chalybe, primario, & fortaſſe unico morborum illorum curativo, illico fæces evadunt atræ; imo diligentes Practici ab hac circumſtantia deſumunt rationes tranſitus ipſius chalybis; hinc effectus ſalutis ſperant, & obtinent. Secus ſi contra, quia ſignum eſt, remedium viſceribus non aptari, & in ſtomacho ſubſiſtere; ex quo oritur dubium, num hoc caſu chalybi purgantia addenda ſint.

Quando tamen illis inſit etiam vitriolum, mihi videtur, quod jure merito dicuntur acidulæ, & aſſimilantur Brixianis noſtris Bogiarianis in Valle Camunorum, & Hirmæ; ſecundum tamen magis, & minus, hoc eſt ſecundum majorem mineram, qua invicem fœcundantur, ut plurimum in obſtructionibus palmarium remedium eſt; ſuſpectæ in morbis pectoris, præcipue in gracilibus, atque ad hecticam properantibus; quibus unico modo aptari poſſe crediderim, nempe exſequendo monita clariſſimi Hoffmanni, quando ait, aquis medicatis addendam eſſe aliquam lactis partem, quem modum jam incœpi, aliis etiam auctor fui, nec tam facili negotio derelinquam.

Nec eo quia Magnus Czari Archiater D. Areskin, dum aquas Moſchoviæ Olonicenſes potabat, obiit, ſuſpectæ illico evadere debent, dum moritur etiam, qui cordialia ſumpſit, jus tenue parvę pullæ ſorbillavit, & qui panem comedit, quę probant, fatum ab alia cauſa pendere. Videantur in hanc rem Martiniere (1), & Remus (2).

Supradictæ conjecturæ confirmantur a fodinis, & mineris æris, & ferri, quas prope lacum Onega Rutheni repererunt, & in quibus excavandis indeſinenter laborant, fuſis, & inſtructis militaribus tormentis pro ſuis Exercitibus, quæ de certo oſtendunt, ferręam in occultis terris qualitatem, quæ præterfluentibus aquis addita, medicatos latices conſtituet.

PETROPOLIS

IN Petropolitana urbe non ſolum proſtat, & rarioribus voluminibus ditata ſurgit pulcherrima Bibliotheca, verum etiam hortus vernaculis, & exteris plantis inſtructus eſt, ut Botanices (3) (4) ſtudium Ruſſi Philiatri colere etiam poſſint, & nihil Pharmacopolis deſit, quod ad humanam Moſchuenſis populi incolumitatem conducere videatur. De illis ſingillatim non agimus, quia nobis penitus non innoteſcunt, & quia loquendo veremur, ne non ſolum Ruſſa, verum etiam reliquę totius Europæ Medica Ars elato ſupercilio noſtram ſententiam deſpiciat, & nonniſi obtorto collo ferat.

Quia tamen in ipſo primo ſuſcipiendi operis limine propoſui quidem venerari Scriptores omnes, & auctoritatibus rationem habere, verum etiam non reticere ea, quæ rationibus, & factis innixa erant, quæque currentes, & in foveam caſuros Medicinæ candidatos monerent, atque expergeſacerent: meo propterea ſapientes Medici propoſito parcant, imo æqui bonique conſulent, ſi eadem, quæ alii ſenſerint, ego quandoque non teneam.

NULLA VIS IN PLANTIS

QUid, quæſo, ſperandum, aut nobiſmetipſis promittendum eſt a tot vegetabilium quantitate, & qualitatibus, quæ plenis buccis promittuntur ab Arabibus, & Græcis antiquis Scriptoribus, necnon a tota Botanicorum, & Medicorum Practicorum ſecta. Bone Deus! Vel ipſi viderunt, vel ipſis contigit, quæ ipſe in Praxi Medica non offendi; vel libere, ut Philoſophos, & præcipue Medicos decet, fateri debeo, in viginti quinque annorum praxi, me adhuc videre debere unum caſum de certo enatum, in quo vegetabile illud ſuam ſpecificam vim exercuerit ſecundum potentiam illam, quæ a Botanicis Scriptoribus ſuppoſita eſt, potiſſimum in illa parte, quæ reſpicit virtutem ſpecificam alicujus morbi domativam.

De inſipidis herbis non eſt, ut dubitemus; quandoquidem unum ſimplex, ſi ſummis labiis tangitur, ſi dentibus aliquatenus comminuitur, & nullus erit ſapor, nullus odor, quis magna ab ipſo ſibi promitteret?

Si adeſt ſapor, aromaticus ſpiritus, ſal volatile, & ſimilia

(1) Dictionaire Geographique *verbo* OLONITZ

(2) In Epiſtola de Aq. Mart. Olonicenſibus.

(3) Sub auſpiciis, ut in limine diximus, celeberrimi Buxbai, qui Petropoli, in Typographia Academica Centurias de morbis pertractantes in lucem emiſit; inter quas, quarta agit de plantis circa Byzantium, & in Oriente obſervatis.

(4) Profecto tamen præter eas, quæ in artefactis hortis Petropoli vegetabunt, non multum inibi ſperandum erit a forenſibus in aprico poſitis, quandoquidem ſolum prope novam urbem planum, imum, & paludoſum eſt, a flumine Nieva nimis humectatum; ideoque aquatiles tantum herbæ poterunt facilius florere.

& ſimilia, quid, quæſo, de certo his viribus non menſuratis, non cognitis, concreto viventi non aptabilibus, & fortaſſe noxiis, efficiemus? Parcite Scriptores omnes, & præſertim vos, qui, licet a maritimis oris diſſiti, ſcorbutum ſemper in omni morbo clamatis, culpatis: ipſe adhuc curare debeo ſcorbuticum affectum cochlearia veſtra, quam pro Dea harum curationum colitis: & tamen, ut morem gererem Magiſtris meis, illam adhibui, atque in conſultationibus coram ægro factis, illam permiſi, ne rixam cum amicis Collegis haberem, & ne ſolus contra auctoritatum omnium flumen ire contenderem. Scorbuticum ens noſcit pro origine ſua ſal acre, acidum, muriaticum, volatile; eadem ſunt in cochlearia; ergo ſimilia ſimilibus conſervabuntur. Potius reſpondet methodus lactis, & aquarum lactearum, ſeri, ptiſanæ, ferculi, teſtaceorum, emulſionum, diluentium, & nutrientium omnium.

Scio, ſennam, tithymalum fęces excitare, aſparagum urinam ciere, & hoc eſſe aliquid agere; ſed pauca numero illa ſunt: hæc non eſt vis ſpecifica ſanandi hunc, vel illum morbum. Quæſtio mea eſt ſuper millenis plantis illis, quę refrigerant, calefaciunt, cordiales, capitales ſunt, & cerebrum habent, & pedes, ubi in ventriculum adactæ, eundi in illam determinatam partem, & viam, quam Medicus in mente ſua ſibi præfixit. Proh luſus de humano corio! Proh crumenas dilapidatas! Proh Pharmacopolarum pyxides inutiles, & mucidas! Adderem quaſi: Proh Clinicorum conſcientiæ vim, nunquam tandem aliquando remorſam. Mihi, quæſo, reſpondeat Practicus ille lungas, ſcriptaſque a tergo ſchedas dilecto ſuo Aromatario mittens, quid ſibi promittit a multiplici illa vegetabilium pulte, qua ſtomachum quotidie ſarcinat: ſi de certo ſcit, unum ægrum in toto ſuo Medicinæ factitandę curriculo media illa convaluiſſe, illam adhuc adhibere ſequatur: ſin vero hæc nunquam nota nobis certitudine evenerunt, cur naturam, & crumenam ægroti laceſſit?

Hæc, quæ dicebam, tanti ſunt momenti, tantamque vim mihi faciunt, ut tremens, quamvis nullum damnum inferre poſſit, ad præſcriptionem hujus, vel alterius rei accedam. Quandoquidem etſi Auctores, ceteri Medici Collegę, quos veneror, & quotidianus uſus aſtipulentur; attamen in puteum jacta mihi eſſe videntur, quinimo ab Antiquis arte ſic denominata, ut Medicus ad ægrotum accitus, dictatoria majeſtate ſuper cathedram ſedens, munus ſuum adimpleviſſe credat, ſi, quando capite laborat æger, herbas capitales præſcripſit, in obſtructionibus aperitivas, in ſpaſmodicis mulierum convulſionibus anthyſtericas: profecto quilibet gregarius juvenis tali modo brevi evadere poſſet Medicus, dum unica tabula morborum, & herbarum tota Jatrica Ars poſſet contineri.

Neque vero vellem quis crederet, me eſſe a credendis herbarum viribus penitus alienum, quibus potius ſcio, præcipuum totius Medicinæ cardinem inniti; ſed alienus ſum, ut me perſuadeam de tot ampulloſis, & ſpecificis illarum viribus, de uſu nimis cœco, multiplici, & ſibi invicem oppoſito; de fide, quam deſtillatis aquis habent Medici, quæ nihil aliud perſæpe ſunt, quam aqua communis; de vi, quam habent, eundi in illam determinatam corporis partem; de ſpecifica indole curandi hunc, vel illum morbum; denique alienus ſum a credendis dotibus, & virtutibus, quas boni Antiqui illis attribuerunt: imo utiliſſimum in re Medica crederem opus criticum, in quo tot errores circa vegetabilium vim ad Philiatrorum lumen tollerentur; quia volumen in magnam molem non excreſceret, ſi vera ſunt, quæ ipſe ſentio, nimirum majorem, & plus quam dimidiam vegetabilium partem eſſe exſibilandam.

Et hæc obiter, dum de Moſchuenſibus Petropoli plantis, & nuper inſtructo horto diſſerebamus, dicta ſint, ut uni ſcopo, cui litant Botanici Moſchuenſes, inveniendi ſcilicet, & in medium producendi plantas novas, novaſque ipſarum vires, addant & alterum, corrigendi, & retractandi illas, quæ habent ſine facto nomen (1).

ESSENTIA AMARA

Medici in Petropoli urbe Medicinam facientes, quoties corroborandus ſtomachus eſt, quoties inteſtina vermibus infarcta ſunt, inſuper in tumultu, in flatibus, lymphæque cruditatibus corrigendis præſcribunt ſequentem eſſentiam amaram, & quidem felici cum ſucceſſu.

♃ Flavedinis cort. aurat. centaur. min. ana ℔ I. rad. gentianæ ℥ VIII. coſt. amari ℔ I. contuſis; affund. ad extractionem vini albi ℔ XXIIII.

Magna eſt amarorum in corpore humano vis, quibus & ipſe, poſtquam vidi tantam potentiam in chinachina, addictus quammaxime ſum. In hoc Ruſſia magna procedit, ut Italia, & reliquæ literatæ gentes; & a nemine de morbis ventriculi agitur, quin amara in promptu ſint. Sed jam quaſi ſtupens animadverto, in diſſitis etiam regionibus pari paſſu in medendo procedi; & interdum plus eſſe diverſitatis medendo in una urbe, quam in diverſis Regnis, & provinciis.

(1) Nuper etiam Joannes Georgius Siegesbeck Horti Petropolitani Præſes publici juris fecit Catalogum Plantarum, cui titulus: *Primitiæ Floræ Petropolitanæ*. In 4.

UCRAINA

LAPIDES CANCRORUM

IN Ucraina, provincia Moſcoviæ ſic dicta, quia in limine Tartariæ Minoris, ſeu Precopenſis, multi erant campi ſteriles, & deſerti, qui poſterorum Regum inſigni cura, & ſtudio hominibus, pagis, oppidis impleti, & muniti ſunt: in Ucraina inquam, necnon circa Boryſtenem, & Tyrum, in aliquibus diverſoriis, & foveis a longe concurrunt ruſtici remotarum ſylvarum habitatores, qui ſtatutis temporibus incredibilis, & innumerabilis copiæ cancrorum capturam faciunt, & pedibus, ligniſque conculcant, enecant, & in illo ſtatu per totum, ſi lubet, hyemem derelinquunt, tempore veris reverſuri, ad illos mundandos, & cribrandos, ut hinc deterſa, & abluta lapidum quantitas venalis proſtet, & in propinqua Regna vehatur.

PESTIS ANNI 1738, 1739, ET MOSCHUENSIUM MEDICORUM METHODUS MEDENDI

ANno 1738, & 1739 populi in Ucraina Ruthenorum Dominæ ſubditi vexati fuere a carbunculari peſte, de qua docte ſcripſit Regiomontanus vir, & Phyſicus Moſchuenſis Joannes Fridericus Schreiberus, qui præmiſſo examine differentiarum venereos bubones, & peſtilentiales carbones intercedentium, duo remedia præſertim laudat, quæ nova non ſunt, mercurium nempe, & corticem Peruvianum. Primoque addit camphoram, ea ſpe fretus, ponderoſiorem ipſo ſanguine, ceteriſque fluidis mercurii gravitatem, ſpecifica camphoræ vi magis actuatam, facilius ab obſtruentibus difficultatibus extricari poſſe, ſicque emiſſariorum portas magis aperiri, & patere, ut ſoluta a remedio fluida utiliter abeant.

Si in hac re clariſſimum Moreali (1) conſulemus; ſi inſuper coactam violentiſſimam neceſſitatem agendi attente rimabimur, profecto non tam alieni erimus a confirmando Moſchuenſis Profeſſoris documento: & poſtquam diligentiſſimus Clinicus cetera, aut ſuaviora remedia inutiliter pertentavit, mirandum non eſt etiam, ad hoc extremum accedere: tanto magis, quia illud propoſitum video paulatim, & partitis vicibus, ne affatim commota univerſali ſanguinis, ſed præcipue lympharum unda, citius æger pereat.

(1) Vide Regium Lepidi.

IPECACUANNHA, ET VITRIOLUM

IDem Moſchuenſis Phyſicus Schreiberus in peſtis initio proponit etiam emetica ex ipecacuannha, & vitriolo parata; cujus uſui non obſtamus, cum cibus, & aer poſſint luis prima ſemina in ventriculo figere, e veſtigio in univerſum corpus reptatura: promota igitur ventriculatione, & conatibus, per emiſſarium proximum exprimitur, id quod noxium eſt.

Animadverſio.

ILlud corrigere audeo circa Moſchuenſem methodum, aut, ut melius loquar, dubium Doctis proponere; num ſcilicet peculiaris illius emetici qualitas ex ipecacuannha, & vitriolo reſultans, damnanda veniat, eo quia ſtypticam, & adſtringentem naturam ſapit, quod in illo caſu ſuſpectum, & damnoſum mihi videtur, naſcente potius vomitu a fibrarum, villorumque conſtrictione, & criſpatura, quam eorumdem laxitate, & evacuatione, ut perbelle patet in dyſentericis fluxibus, & ab ipſa vitrioli natura; hinc parum levaminis ſperari poteſt a modico vomitu, multum damni ab obſignatis in fibrarum ſinu peſtilentialibus excrementis. Potius igitur arrideret emeticum non adſtringens, ſed potius laxans, & theriacali alexipharmaco menſtruo nuptum, ut maligni ichores exeant, non figantur, & domiti, ſubactique, ſuffocentur.

DIAPHORETICA.

AD ſtibina diaphoretica quod ſpectat, ſummopere inclinant etiam Noſtri, & in hoc Moſchuenſis cum Italica Medicina pari paſſu ambulat; imo & antehac, & nunc, dum hiſce incumbimus, ad examen revocatis plurimarum regionum medendi modis, candide fateor, non ſolum in peſte, & contagioſis morbis, ſed in epidemicis etiam, ſporadicis, & ceteris, quaſi dixero, quibuſcumque, vix accerſiri Medicum, quin in uſum prius poſitis magnis remediis, deinde ad diaphoretica tranſeat: & lumine a natura ducto, quæ aſſueta eſt criticos ſudores moliri, & docente ratione, quia ab intus ad extra fere ſemper bonum.

ILLUSTRISSIMO, ET CELEBERRIMO

JOANNI CHRISTOPHORO RIEGER

FRANCISCUS CO: RONCALLI PAROLINUS S. P. D.

AD normam tuorum juſſuum, miſi Bibliopolæ Genevenſi Henrico Alberto Goſſe Hiſtorias Morborum, Acta Academiæ Brixianæ, 1687,

1687, & tomum tertium Magiſterii Naturæ, & Artis P. Lana. Ipſe vero addidi Epiſtolam Eminentiſſimi Cardinalis Quirini, necnon Opuſculum R. P. Calogerà in urbe Veneta Publici Librorum Reviſoris, & egi provide per amicum Clavennæ commorantem, ut a Rhætia in Helvetiam volumen tela cerata thecatum perveniret; & Tu igitur eumdem Goſſe poteris ſollicitare, ut iteratis ſtimulis, & tarditas mea, & cœli diſtantia penſetur.

Decimo uſque Septembris anni elapſi longa Epiſtola Belgicam Medicinam tetigi, & tuam patientiam laceſſivi; num ad te pervenerit, neſcius ſum.

Pro ornanda noſtra *Europæ Medicina*, quæ prope aliquot dies typis tradenda eſt, deeſt peculiare aliquod lumen circa Praxim Moſchuenſem, & Petropolitanam. Propterea ſi illam mihi adumbrabis, ſi cum noſtris animadverſionibus cudi ſines, ſi demum unum ſaltem Hollandicum medendi uſum in altera pariter Epiſtola patefacies, gemino in loco Editio decorata prodibit, & Te etiam apud nos docente, Clinicæ Belgicæ, & Ruthenæ leges cum publico bono promulgabuntur.

Brixiæ 12 Julii 1745.

Illuſtriſſimo, & Celeberrimo Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

S. P. D.

JOANNES CHRISTOPHORUS RIEGER

Accepi heri humaniſſimas literas tuas duodecima hujus menſis ſcriptas. Video Te mihi non deſtinaſſe modo libros, quos rogavi, & præterea alios, ſed etiam perferendos curaſſe ad bibliopolam Genevenſem Henr. Alb. Goſſe. Exoſculor benevolentiam tuam, qua me non meritum complecteris. Nunquam me oblivisci patiar beneficii, ſaltem ut gratum teſter animum, ſi par referre impar fuerim. Dicis, Domine, Te exaraſſe epiſtolam ad me anni elapſi decima Septembris, de Medicina Belgica: ſed velim credas, me illam non vidiſſe, neſcio quo fato, quod certe doleo. Opus tuum, quod meditatus de Europæ Medicina typis traditurus es, uti doctum, ita utilitatis ſummæ futurum perſuaſus ſum. Quod vero a tenuitate virium mearum illi accedere aliquid poſſe exiſtimas cura tua dignum, favori tuo unice tribuo. Ne tamen detrectem, quæ habeo cognita de methodo medendi in Ruſſia, & hic inter Belgas uſitata tibi aperire, quantulacumque illa ſint, prohibet amicitia tua, quam mihi ultro declarare dignatus es, cujus voluntati non obedire religioni mihi duco, quamvis nihil, quod reſpondeat expectationi tuæ, protulero.

Ruſſorum corpora durata ſunt, 1 a cœlo; 2 a victus genere; 3 a prima infantia, dum hyemali tempore gelidæ immerguntur aquæ, ut baptizentur; 4 a frequenti (ſaltem hebdomadali inter plebeios) balneorum uſurpatione laconicorum calidiſſimorum, ita ut non aſſueti in iis reſpirare nequeant, in quibus illi, ut ſudorem copioſiorem eliciant, frondibus arborum, communiter betulæ, flagellant ſe, & fricant; tunc vero, cute ſua rubra gammaros percoctos æmulantes, nudi aperto aeri ſe committentes, in proximum inſiliunt flumen, vel ſibi ſuperfundunt frigidam; hyeme autem nive injecta perfricant corpus: ſexus ſequior hic non excipitur. Non tamen hanc refrigerandi rationem de ditioribus intelligi volo. Media æſtate calor intenſiſſimus, maxime Petropoli; hyeme frigus adurens obfirmat homines ad ferenda, quæ aliis exitio forent paratiſſimo. Moſchuæ cœlum mitius quidem, roborat tamen dictis aſſuetos, quia alternat fere quotidie aura frigida cum calore æſtivo, ita ut orientem, & occidentem ſolem frequens comitetur frigus. Adde, quod univerſa natio hyeme in validiſſime calefactis per fornaces figulinas degens conclavibus, hinc prodiens, ſtatim ſe committat cœlo gelidiſſimo. En, quantum, a teneris aſſueſcere ſubitis mutationibus obſirmet corpora. Gaudent natura valente ita, ut viderim ipſe viros ex primi ordinis præfectis militaribus, ſeptuagenarios, bene paſtos, quos crediidiſſem ſaturos, tendinibus pedum bovinorum coctorum ex aqua ſola cum ſale adhuc delectatos. Potus ordinarius eſt duplex, tenuiſſimus, & fortiſſimus, quibus utuntur alternis; aquam volo farinæ ſecalis, vel hordei ſuperfuſam, quæ hinc fermentando evaſit acidula (vocatur Quaſt), & ſpiritum frumenti ſtillatitium, vel cerviſiam generoſam. Quibus fortuna blanditur, ii interponunt hydromel, & vinum Hungaricum, & Burgundicum. Jejunia ex legibus Grecę Eccleſiæ obſervantes vel demonſtrant, vel a pueritia ita conciliant haud parum naturæ ſuæ robur: aliquoties enim in anno per integram ſeptimanam nil non modo carnium, ſed nec piſcium, imo ne vegetantium quidem ignem expertorum culinatem, comedunt, ſed hiſce, juxta panem, vivunt omnino crudis, aqua ſalſa conditis, quorum ut cruditatem corrigant, largum ſuperfundunt in ventriculo hauſtum ſpiritus frumenti ſtillatitii. Ita viventium ſpectator fui ipſarum Virginum Deo ſacratarum. Quando per jejunium conceditur piſcium uſus, eos ſæpius ſalitos, fœtentes, ſemiputridos ingerunt crudos cum additis aceto, & pipere, quam, ut decet, ad ignem coctos. Quæ jam talibus nutritorum, dictoque ante vitæ generi aſſuetorum, medicamenta ſint prophylactica, quibuſque gaudeant iſtiuſmodi homines auxiliis ad propulſandos morbos, intelligis vel me non monente: effutire coram Te liceat paucula. Draſtica ubique ſunt accepta, tincturæ, eſſentiæ ſpirituoſæ, doſi maxima: ſudorifera amantur imprimis ex valentiſſimis; & ex purgantibus laudantur fortiſſima, quæ vel vigeſies alvum exonerare faciant oportet. Venę

ſecio, ubi inſtituenda venit a Medicis Chirurgis, qui primi ex advenis Artem exercuerunt Medicam, introductus eſt mos, ut ſaltem unciæ ſanguinis duodecim extrahantur una vice. Hirudinum ad hemorrhoidalia applicatio haud infrequens eſt præſidium cum prophylacticum, tum curativum utroque in ſexu. Plura, ni fallor, ſuppeditat Damiani Sinopei *liber, cui titulum fecit* Parerga Medica, *& quem edidit Petropoli 1734 octavo, inprimis pag. 803, & 109: non eſt mihi nunc tractatus ipſe ad manus; ſed in ſchedis meis notata invenio citata loca. Morbi obſervantur Petropoli, & Moſchuæ tantum non ſporadici, & chronici præ ceteris frequentes ab hepate obſtructo, indurato, ſcirrheſcente, quos ego quidem derivandos cenſerem a frequenti potuum, & medicamentorum acrium, inflammantium abuſu, & inter plebeiæ ſortis homines, a luſus, & pugnæ genere, quo petunt pugnis, vel lapidibus latus dextrum. Inter fœminas, maxime in familiis nobilibus, multas reperias, licet cruribus ulceratis, apertis, manantibus, laborantes, a defectu, ut credo, motuum voluntariorum (ſunt enim deſidioſæ valde), & humorum abundantia ſtagnantium, &c. attamen ceterum ſat commode valent, & reliquis muneribus vitæ ſufficiunt. Febres intermittentes frequentes ſunt tempore Paſchatos, poſt ſeptem hebdomadarum jejunia, excipiente tunc illa hilariore convictu: parabile autem febriſugum, & polychreſtum ſimul remedium eſt hauſtus ſpiritus frumenti cum injecto contuſo pipere, & ſulphure, vel pulvere pyrio, & pipere. Hac aſſumpta Medicina, componit ſe æger ad ſudorem, ſtragulis gravatus. Quid? quod arſenicum fuerit uſitatum Ruthenis antipyreton dixi in introductione Mea Tom. 2. pag. 915. Non dixerim tamen, non alia etiam medendi methodo tractari feliciter a Medicis Artem ſuam fideliter edoctis decumbentes Ruthenos: expertus ſum ipſe, quod medicamenta ſolventia, ſaponaceæ indolis, ſalia media nunquam me deſeruerint Clinicum, modo regimen vitæ antiquum mutatum fuerit in melius. Morborum ex impura venere magnus eſt proventus, præcipue inter plebeios homines, qui illos circumferunt per annos, & ptyaliſmo admovendi majore doſi mercurialium indigent, quam quidem uſitatum eſſe novi alibi.*

Dixi, ſeu potius garrivi coram Te, quæ novi, quia id a me poſtulaſti: ſpero accepta Tibi fore, quia obedivi juſſibus, non vero, quod credam protuliſſe me aliquid haud Tibi cognitum. Vale, Vir Optime, & me amare perge.

Dabam Hagæ Com. 30
Auguſti 1745.

P. S

De Medicina Curlandorum: *In Ephemer Natur. Curioſ. dec. 2. an. 10. app. p. 1364.*

Danorum *domeſtica peculiaris extat tractatus Thomæ Bartholini.*

Coſaccorum: *In Sinopei Parerg. Med. P. 2. pag. 84 87.*

Tartarorum: *Idem ibid. P. 1. pag 110. P. 2. pag. 87. uſq; 109.*

Græcorum *hodiernorum: Tournefort Voyag. de Levant T. 203. 259. Edition de Lyon 8vo.*

Anglorum: *Harvey de Febribus 8vo.*

POLO-

POLONIÆ

SITUS, CLIMA, FLUMINA, ACADEMIÆ, ET PRÆSENS, AD REM MEDICAM QUOD SPECTAT, SCIENTIARUM STATUS.

POLONIA regio ampliſſima Sarmatiȩ Europeȩ ad occaſum, terminatur a ſeptentrione mari Baltico, Livonia, & Moſchovia, a qua etiam ab ortu, ab occaſu Germania, a meridie Hungaria, Tranſylvania, & Moldavia: totaque ſimul ſumpta rigatur, & ſecatur a Viſtula fluvio, illam dividente in majorem, ubi urbs caput Poſnania, & minorem, ubi Cracovia: ipſiſque accedit magnus Ducatus Lithuaniæ (1), in novem Palatinatus diviſȩ, quorum caput eſt Wilna.

Clima eſt aliquatenus frigidum, non ita tamen ut nec meſſes ad optimam maturationem (2) perveniant, nec aer inſalubris ſit. Ratione magnitudinis, & amplæ ditionis plurimæ etiam interſunt urbes, & oppida, quæ Geographi in triginta quatuor Palatinatus, & octoginta ſeptem Caſtellanias dividunt. Terra dat quantum ſatis; magis eſſet fertilis, ſi magis excoleretur; utque nihil Polonis deſit, & magnas ſylvas & nemora, ubi abundant animalia domeſtica & ſylvatica, præter eſcam, ſuis etiam exuviis & pellibus, aliunde conquiſitis, toto Polonico Regno utiliſſima, & paludes volatilibus, mineraſque ſale & chalybe fœcundas, amnes navigabiles (3), atque piſcoſos provida rerum mater natura largita eſt; quibus omnibus ſi addamus immenſa ſpatia, in quæ ſolum Polonum horizontaliter complanatur, ſolis ſufficietenus irradiantis faciem, necnon latitudinis ſeptentrionalis gradus a quadraginta ſeptem (4), ad alios decem commenſuratæ, fateri debebimus, felix illud regnum aliis bene multis non invidere.

Prima Academia in Poloniæ Regno erecta fuit anno 1364 in Metropoli Cracovia (5), tribus urbibus integrata, totiuſque ampliſſimæ regionis Regia, & primaria in illa parte, quæ Polonia major dicitur, ibique adeſt arx munitiſſima.

Secunda in Hockerlandiæ metropoli, Elbinga ſcilicet, urbe munita Poloniæ in Pruſſia Regia, quæ elegans, & pulchra, duplex dicitur, *nova*, & *vetus*, anno 1542. ab Alberto Brandeburgenſi Pruſſiæ Duce.

Tertia in Regio Monte, *Konigsberge* (6), urbe primaria Sarmatiæ Boruſſiæ, & emporio, anno 1543. ab Alberto Pruſſiæ Duce.

Quarta denique in Lithuaniæ capite, ac metropoli, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi, Wilna anno 1579. Erecta fuit a Rege Stephano, & Univerſitatis titulo decorata ex Bulla Pontificis Gregorii XIII.

NONNULLI MEDICI CELEBRES POLONI

INter alios floruit Martinus Bernitius, Andræas Cnoeffelius, qui tamen Helmontio nimium addictus fuit, Simon Schultze, Joannes Paterſon Hain (7), Aloyſius Sinapius, Onuphrius Bonfili Liburnenſis (8), Heucherus (9), Chriſtianus Henricus Erndl (10) Medicus pariter

ter

(1) De qua notabile eſt, Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe anno 1389. Duce Jagellone in Poloniæ Regem aſumpto, ac baptizato.

(2) Etiam cum modico labore ruſticarum gentium, quia inibi terra potius fructifera eſt; ſtercorationis loco, accenſo in vaſtis tractibus igne, crematiſque, & in utilem cinerem converſis paleis, & vegetantibus herbis, quæ in agris prius creverant.

(3) Quatuor præcipui Poloniæ fluvii ſunt 1. Viſtula; oritur in Sileſia, deciditque ex monte Carpato in ipſo limite Hungariæ; hinc recepto Visloco fluvio, & humectata Mazovia, Czerco, & Varſavia, per Pruſſiam navibus oneratus, labens, diviſus tandem, major pars in Balticum ſe exonerat. 2. Rubo, ſeu Duina ortus in Moſchovia occidentali, per Lithuaniam, Poloskam, Livoniam, & ad ſinum Rigenſem vadit. 3. Boryſtenes ibidem ortus, & ad Mare Nigrum tendens. Denique Tyrus, Nieſter dictus, oritur ex lacu parvo in Ruſſia Nigra; rigata Podolia, & Moldavia, in Pontum Euxinum ſe exonerat.

(4) Sic vult D. de l'Isle.

(5) Quaſi Gracchopolis a Graccho conditore.

(6) Anno 1160. ab Equitibus Teutonicis extructa.

(7) In Hungaria etiam Practicam Medicinam exercuit.

(8) Præcipue in urbe Cracovia.

(9) Regis Poloniæ Archiater.

(10) De quo legi meretur hiſtorica Relatio febris peſtilentialis in Aula Regia Polona anno 1710. poſtquam Rex Varſavia Mariæburgum conceſſerat: quam quidem præcipue ab æſtu Junii, & Julii, ab imbribus Auguſti, dein ab humida aeris tempeſtate putredinem producente, derivandam contendit, accedente *nota Pruſſici cœli, ac telluris conditione*, atquiſque *gravibus*, *ingratis*, *fȩtentibus*, *calce aluminoſa*, *& nitro impuro* infectis. Curationes ſuſcipiebat optimus Polonus emetico citius, quam fieri poſset, exhibito, aiens, primis viginti

quatuor

ter Aulicus, Janus Abrahamus a Gehema Regis Conſiliarius, & Medicus ordinarius (1), Jonas Deutchlander Medicus Aulicus (2).

POTUS

Duo præſertim potus a Polonis in uſum vertuntur. Primus cereviſia eſt ex hordeo, tritico, aliquando etiam ex avena, additis dein floribus lupuli: interdum eadem cereviſia vivificatur herbis aromaticis, & ſpirituoſis, roremarino nempe, & ſerpillo ſylveſtri (3); additque præcitatus auctor, hyoſciamum ipſum in uſum trahi, illos fortaſſe effectus producturum, quos Tractatu de Græca Turcarum Medicina tetigimus.

Alter potus a Polonis *Mulſum* dicitur, ex *aqua*, *melle*, *& fermento*, dato tempore fermentatis: aliqui addunt tertium, de quo Sennertus (4) locutus eſt, quod fit furfuribus triticeis, vel farina, addito *jure carnium*, *& beta rubra*.

LAC

Lac etiam in Polonicis regionibus ſummopere abundat, & viſcera illarum gentium lætificat; quod præcipue conſtat, & probatur ſolis celeberrimis nundinis bubilibus Jaroslaviæ in Ruſſia Nigra quotannis celebratis, ſcilicet 15. Auguſti in feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ubi triginta & amplius millia boum venundantur.

VINUM

Vineta ſerotina ſunt in fructu ſuo, raroque uvæ ad perfectam maturationem perveniunt, niſi in montibus Carpatiis, a quibus aliqua pars per Sarmatiam Europeam tranſducitur (5).

PRÆMITTENDA UT LUMEN A POLONICA MEDICINA ERUI POSSIT

Ut juſtæ rationes inſtituantur, conſtitutio temperamentorum noſcenda eſt, in quæ proponenda medendi methodus agit, nempe in homines *phlegmatico-ſanguineos*, in quibus molles, aquoſę, vapidę, & concreſcentes particulę abundant, non excluſis etiam ſulphureis, quæ ex neceſſario uſu olei ſeminum lini in cibariis omnibus, in ſanguine cumulari, & exaltari poſſunt.

MORBI

Affectus *ſoporiferi*, catarrhales, reſtagnationes, membrorum impotentiæ, ſtupiditates, flacciditates, ſeroſæ excretiones, inflammationes, acutæ febres, arthritis, rheumatiſmus, nephriticæ, & iſchiadicæ affectiones, hydropes vero, icteri, cachexia, tabes in illis, qui cibis aromaticis, & *ardenti ſpiritu* ſe implent: tandem interdum febres endemiæ purpuratæ, petechiales, cum diarrhęis, & dyſenteriis.

ERYSIPELAS MORBUS IN POLONIA RARUS

Chriſtianus Henricus Erndetelius Polonicæ Medicinæ anteſignanus (6) damnat D. Connor (7) eo quia crediderit, eryſipelas eſſe frequens, quod potius cuidam plicæ effectui, aut ſymptomati tribuendum putat.

ANIMADVERSIONES IN REMEDIA ERYSIPELATOSAS AFFECTIONES CURANTIA

I

Suſpecta noſtro ſub cœlo eſſet *theriaca cum aceto* exhibita, & a docto alioquin Polono propoſita; præter enim tantillum calorem, & opium retardantem criticam deſpumationem ad cutim, tota mea difficultas eſſet in *aceto*, utpote calido, aſtringente, & acidum corrumpente, quod furentibus, & in motum poſitis humoribus calcaria addere poteſt: libertate idcirco quæ Philoſophos decet, & in operis limine propoſita eſt, ſuaderem tyronibus noſtris, ut circumſpecte Polonum hoc documentum ſequerentur.

II

De cetero ambabus ulnis probamus, & hic etiam profuturas eſſe præſcriptiones credimus, quæ proponuntur: nempe roob ſambuci cum cornu cervi uſto, lapillos cancrorum, antimonium diaphoreticum.

PLEU-

quatuor horis lue correptos eſse medicandos ex *arcano duplicato, tartaro emetico, ſemper admixta camphora*, omiſsaque ſępius venæ ſectione. Quæſtionem agit, num ſuper bubones veſicatorium aptandum ſit, negativam propoſitionem ſequens, indeque recedens, ut electuarium diaſcordii, theriaca, ſal volatile C. C. camphora, & acetum bezoarticum in magna quantitate adhibeantur.

(1) Diatriba de Febribus. Item Decas Obſervationum Medicarum, &c.

(2) Qui de unicornu ſcribere promiſerat.

(3) *Szmer* Poloni vocant.

(4) In Praxi lib. v. P. 3. lect. 2.

(5) Ex Moravia, Auſtria, & Hungaria frequens pro nobilibus, & divitibus in Polonas ditiones vini proventus, cujus ſumma ſale montano, nitro, plumbo, & ære rependitur.

(6) Capite quinto de Morbis VVarſaviæ.

(7) In Deſcriptione Epiſtolarum Poloniæ.

PLEURITIS

RAro indicari per ſputum pleuritidem, ut aſſerit doctus Polonus, non admiror, multoque minus ſolam ſectam venam profuiſſe. Annuo, & ſancte dico, ut plurimum Clinicos ad illius morbi curationem ſine Chirurgo, lanceola inſtructo, accedere non debere, & in hoc Polonica doctrina cum Itala pari paſſu ambulat, etiam in calidis potibus, Bagliviano more, exhibendis (1).

PARALYSIS

COntra Lanciſianum documentum interdum extrahendi ſanguinem ex ſyderata parte, Poloni utilius autumant ex parte ſana: *bene autem in oppoſita*. Ut vera fatear, multæ auctoritates, multæque rationes hinc inde proſtant, ut judicium tuto pede feratur. Dicam ſolum, hiſce in caſibus omnia eſſe tentanda, omnemque lapidem movendum, ut ſtaſium obſtacula moveantur; ideoque in utroque etiam loco licita eſſe poſſe: inde tranſeunt ad vomitoria antimonialia, ad purgantia, reſinam ſcilicet jalappæ ſpiritu, & ſale volatili actuatam (2).

CATARRHI,

ET CATARRHALES FEBRES

CAtarrhos vero, oriundas febres (3), & quaſcumque leucophlegmatias curant volatilibus, cornu cervi, & ſuccino, aquis deſtillatis, & ſyrupis pectoralibus: ſique juncta eſt acrimonia ſanguinis, addunt temperantia, incraſſantia, anodina, maſtich, olibanum, electuarium diaſcordeon Fracaſtorei, cum cynogloſſa, & ſtyrace.

MORBI DÆMONIACI

PEr incantationem morbos Poloniæ illatos plorant nonnulli, & Medici etiam Poloni: ideoque in morbis longis, chronicis, hypochondriacis, hyſtericis, veneficia ex omni parte clamant: quod fatum quandoque, licet raro, & in Italia noſtra evenit: ſi ſacris chartis fides habenda, res eſt, quæ fieri poteſt, quamque Medici vulgares in re deſperata interdum confirmant, ut a culpa non ſanandi ægrotum præſerventur: verum enimvero frequentius, quam re vera ſit, has incantationes, & veneficia in medium poſita video, videoque id contingere, quando *ægritudines complicatæ*, *corruptæ*, *malignæ*, *conſuetudinales*, *hæreditariæ*, *retropulſæ*, *ex abſconditis internis cauſis provocatæ ſunt*. Laus tamen Superis, in Italia noſtra ipſe non video crematas ſagas, nec magos rogo uſtos, ex quibus præcipue, ut olim, hæc damna in humanum genus propagari poſſint. Præter quam quod omni ævo, ſi ſcriptoribus fidem habemus, morbi longi, & rebelles evenere, quin diabolus lateret; & ſanitati reſtituti ſunt, quin ejiceretur: ergo interdum totum chaos pendebit a mentibus præjudicatis, multo magis ſi æger, adſtantes, & Clinicus, decepti omnes, ad confirmandam diaboli exiſtentiam conſpirabunt.

ARTHRITIS

PRo cujus curatione adhibent Medici Poloni antimonialia, ſalia, cinnabarina, c. c. vol. lapill. cancr. antihect. Pot. antimonium diaphoreticum martiale, panaceam Holſaticam, mixturam ex aquis articularibus, ſpiritum formicarum, lumbricorum cum camphora, necnon ipſum corticem Peruvianum.

ANIMADVERSIONES IN METHODUM POLONAM CURANDI ARTHRITIDEM

I

LAudamus utile experimentum exhibendi corticem Peruvianum, pariter & a nobis in multis doloribus, multiſque morbis ex convulſione alias propoſitum (4); ſiquidem, ut alibi diximus, chinachina fere nunquam nocet, etſi multas, & auctas ſanguinis dyſcraſias, & motus brevi tempore moderatur, tanto magis erit apta, ſi arthritici dolores quoddam veluti tempus in ſuis acceſſionibus ſervabunt: indicantes morborum cauſam data hora fermentari, & effervеſcere; hinc propoſitionem Polonam ab Italis, & ab aliis etiam nationibus amplectendam eſſe cenſemus.

II

Cinnabarina, & camphorata, ſpiritus formicarum, & lumbricorum pro curatione arthritidis non nimis a nobis laudari poſſunt, cum in arthriticis doloribus fere ſemper *acre*, & *ſalſum* in ſanguine dominatum habeat, quod a ſupradictis remediis potius actuari poteſt, quam ſolvi, tanto magis ſi temperamentum macrum, & ſiccum eſt. Verum, cum, ut in limine diximus, Poloni habeant temperamentum ſanguineum quidem, ſed etiam phlegmaticum, aliquatenus acquieſco, & ſaltem dico, caute illic, fere nunquam

(1) Difficulter alioquin credens, quæ de Polonis referunt, ſcilicet morbos inibi pectoris raros eſſe, & minime periculoſos.

(2) Candente inſuper ferramento tangunt loculum inter primam, & ſecundam vertebram cervicis.

(3) Medici Poloni febribus ſemper aptant remedia nitrata, &c.

(4) Vide Hiſtorias noſtras Morborum.

quam apud nos eſſe adhibenda remedia illa, & præſertim formicarum ſpiritum, ab aliquibus auctoribus ad promovendam febrim propoſitum.

CACHEXIA, HYDROPS, ICTERUS

CRapuloſi poſt *anorexiam*, & *vomitus matutinos* incidunt in cachexiam, hydropem, icterum (1). Adhibitis prius, ſi adeſt febris, abſorbentibus, teſtaceis, & nitratis, in ditioribus lactis aſinini, vel humani fit experimentum; ſique adſunt agrypniæ cum ſudoribus colliquativis, fit tranſitus ad pilulas ex cynogloſſa, & ſtyrace paratas, & ad decocta amaricantia, & pectoralia: plebeii vero adhibent mulſam ex melle, & ſucco germinantis ſecalis.

OPHTALMIA

ARridet, & a nobis laudatur Polona methodus in curatione ophtalmiæ, ubi primum ſi ad veram inflammationem pervenerit, venam prius ſecant, deinde veſicantia non omittunt; tandem *diaphoreticis clementioribus*, *teſtaceis*, *nitro*, & lignorum decoctis curationem moliuntur; extra vero aquam ophtalmicam cum tutia ſief albo ſine opio, & tantillo camphoræ.

ANIMADVERSIO PRO CURATIONE OPHTALMIÆ

DUbium eſt, num externe collyria adſtringentia adhiberi poſſint; repellunt quippe, reprimunt, coarctant undique fibras, ut hinc aliquod damnum metuendum ſit. Res hæc bono in lumine collocatur a docto Polono (2) laudante quidem adſtringentia, *ſed nonniſi ſub finem* morbi: & ratio eſt, quia in primo confluentium liquaminum, & ſeroſitatum omnium concurſu, & tumultu exitum quæritante, ſi lacrymalia vaſa adſtringerentur, & ſtyptico remedio obſignata, tranſitum denegarent & ſero, & lacrymis, ambo poſſent coacta retroire, & vitioſius concentrari, mutataque a circumferentia ad centrum & meditullia metaſtaſi, æger non de viſu, ſed de vita periclitari poſſet. Contra vero poſt primos dies, evacuatis jam per alia emiſſaria ſaburris omnibus, & imminuto per conſequens verſus affectam oculorum regionem impetu pravorum humorum, cum, laxatis plus juſto ſolidorum ocularium fibris, fluxus, & ophtalmia ob hanc præſertim cauſam perſeveret, (quia portæ ob pareſim oſcillant); ideo reſtituendus erit ſolidorum vigor, & atonæ pelliceæ membranæ, & fibellæ ad ſuam elaſticitatem reducendæ ſunt, ut veluti coeuntibus, & in axim, renata vigoratione, nitentibus, pravi humores, ſtagnans, ipſam ſubtus corneam, ſanguis exprimantur.

Et ita adſtringentium in ophtalmiis uſus evadit rationalis, quodque rationi innixum eſt, & ab aliis præſertim clariſſimis viris adhibitum, adhiberi iterum poteſt.

APOPLEXIA

A Temporum viciſſitudine, & præſertim a ſubitanea gelida tempeſtate cum aquilonari vento in *humidam*, *auſtrinam*, vel *occidentalem* mutata, primariam procatharticam cauſam Medici Poloni deſumunt. Ipſe addo etiam temperamenta phlegmatica, quibus Sarmaticæ illæ regiones abundant: ideoque ſi vel levi ſpirituoſa cereviſia, vel mero, vel aliquo inibi uſitato embammate ſanguis ad concretiones, ad ſtaſes diſponetur, apoplexia erit in limine.

SANGUINIS MISSIO

FEre ſemper venam ſecandam eſſe in vera apoplexia, etiamſi a ſeroſa colluvie gigneretur, & ipſe cum Medicis Polonis confirmo, & quo citius id fiet, facilius erit profuturum.

Practici Itali meditentur, num ad rem etiam poſſit eſſe animadverſio in apoplexia, poſt meridiem utilius eſſe debere emeticum, quam venæ ſectionem, eo quia fortaſſe ex nimium diſtento ventriculo morbus promoveatur, & compreſſiones producantur.

ESSENTIA CANTHARIDUM

NEc diſplicet Polonicus uſus exhibendi in apoplexia, etiam per os, eſſentiam cantharidum; circa quod tamen prius de ſui preparatione, deque ſuo agendi modo diſquirendum quammaxime eſt, dum inter corroſiva venena numerari poteſt, quæque mictum cruentum, interdum incurabilem ciet; nihilominus in periculoſiſſimis hiſce ægritudinibus extrema etiam remedia, ut alibi in hoc opere diximus, licita eſſe, incomparabilis noſter ipſe Chous animadvertit: dum exhiberi poſſunt correcta, paulatim diſſoluta, atque a primis effectibus ducta ratione, num iteranda ſint.

FEBRIS APOPLEXIAM NON SOLVIT

AB Hippocrate, & a ſubſecutis eundem diſcipulis, tanquam axioma infallibile promulgatum, febrim apoplexiam ſolvere; ſed quod refert doctus Medicus Polonus, a nobis etiam viſum frequentiſſime eſt; hoc eſt, raro, & fere nunquam febrem illam dari, quæ apoplexiæ curatrix ſit. Præter ſupradictam auctoritatem, fateor:

(1) Qui fere ſemper in illis Polonorum ditionibus niger eſt.

(2) Citatus jam Erndtelius cap. VI. de ingreſſu ad infirmos pag. 193.

fateor, ratio etiam aſtipulatur; ſtaſes ſiquidem intra ſanguinis ductus, & vacua concreſcentes, nil magis exterminare, & ſolvere poteſt, quam ipſa febris, quæ tota, & præſertim liquidorum, motus eſt: concludamus ergo, hoc fieri poſſe, ſed raro utiliter evenire.

FEBRES MALIGNÆ

Apud Medicos Polonos uſus invaluit in *acutis*, *malignis*, putridiſque febribus adhibendi nitrata, antimonialia, bolaria, bezoartica, pacativa, & aquas deſtillatas, optimo conſilio, ut fuſius innuimus etiam de Medicis Hungaricis, qui potius abſtinent a purgantibus, imo etiam emetica laudant in ſolo febrium initio, totuſque curationis præcipuus cardo in venæ ſectione, opportuno tempore celebrata, poſitus eſt; additis dein conſuetis cardiacis, & alexipharmacis, necnon interdum in morbi proceſſu applicitis hirudinibus ad ani venas ſedales.

VARIOLÆ

Quo tempore ad drachmam integram & ultra datus liq. C. C. ſuccinatus in larga aquæ appropriatæ quantitate ſolutus (1), *& cum ſyrupo quodam pectorali edulcoratus, omne tulit punctum, & imminens catarrhum ſuffocativum quaſi in momento diſſipavit*.

Nos Itali tantum de remediis noſtris non ſumimus, & præſertim de illis, quæ magna dici non poſſunt (juxta clariſſimum Piſonem Patavinum amicum noſtrum) Artis auxilia. Liquor C. C. in variolis aptatiſſimus eſt, & a quamplurimis etiam aliis & exteris, & Italis Medicis adhibitus; ſed tantis pollere viribus, credat qui vult.

De ſanguinis miſſione in variolis, non eſt ut plene diſſeram, neque in Polonicam medendi methodum inquiram; quandoquidem poſt multa verba, adhuc veritas in puteo latebit.

SCORBUTUS

Scorbutum vero in Polonia quaſi ignotum (2) ratio, crediderim, erit, quia, fere dixero, tota Sarmatia Europea, in continenti, quem *Terraferma* dicunt, ſita eſt, diſtatque admodum a mari, quod meo calculo ſcorbuticæ affectionis primus auctor; cum videamus illos præſertim populos eſſe ſubjectos, qui inſulatim in Oceano ſedent, aut ab eodem multis in locis circumdati alluuntur. Unicuique quippe in rebus Geographicis inſtructo conſtat, Poloniam ex ſeptentrionali tantum latere a mari Baltico humectari; inſuperque, ut ſuo loco diximus, a multis lacubus, & fluminibus eſſe ditatam, quorum beneficia, diſſolutiones, fuſiones, vapores, uſus potius a ſcorbuto præſervabunt.

CAPUT SAGITTA TRANSFIXUM ÆGRO FELICITER SUPERVIVENTE

Rara res eſt, quam refert Joannes Georgius Felverus, olim Regis Poloniarum Archiater, de quodam nobili Polono circa oppidum Zbornow ſauciato, & ita a Tartarica ſagitta per caput transfixo, ut *nulla pars illius magis, aut minus ex uno, vel altero latere promineret, qui per conveniens temporis ſpatium, afflante aura Divina, integre valetudini reſtitutus fuit*.

Rara, inquam, res eſt, ſed de illis, quæ contingere poſſunt, & cui non diſparem caſum nos etiam aliquot ab hinc annis vidimus Brixiæ in Borrono caupone, & penſatore ad ſtateram magnam ſuper *viam curſus*, qui in medio colli ſubtus utramque aurem ſtilo transfixus omnimode fuit, apice exeunte, & feliciter, Chirurgicas operationes adminiſtrante Dom. Pompeio Mandini, nobiſque etiam in conſilium pluries accitis, convaluit: vel quia arteriæ carotides, venæ, & nervi majoris uſus tacta non fuere, vel quia natura admodum propitia favit, vel quia cœlitus bonum delapſum eſt.

ROSA

Papuloſitas, hoc eſt, abundantia eruptionum rubentium, quas in purpuraſcente cuti videmus, & currenti vocabulo *Roſalia* dicimus, Roſa apud Polonos audit, & frequens inibi eſt, quam utplurimum Medici Itali naturæ curandam committunt.

PLICA POLONICA

Plica Polonica aliquatenus alopeciæ a corrupto pilorum alimento, necnon trichiaſi ab inverſis ciliorum poris affini eſt. Hinc obſervante incomparabili Onuphrio Bonfigli, cum capilli habeant ſubſtantiam vegetantem, cum bifidis, & trifidis extremitatibus, ſintque intus cavi, cum figura *triangulari*, *quadrata*, *terete*, *pulita*, & intus *tubulata*, cum ſuis radicibus intra poros cutaneos implantatis, quæ tulipanum bulbis ſimillimæ ſunt, per quos patet liquorum in ipſam capillorum ſubſtantiam ingreſſus (3), clare patet, ab ejuſdem liquidi irrigantis peculiaribus, & naturalibus qualitatibus capillos varie colorari, & fieri magis, vel minus criſpatos.

Sin vero alimentum illud capillorum a nativa ſua

(1) Medici Poloni jus quodammodo habent exhibendi ſuccinum in aucta quantitate, quippe quod ſuis in regionibus hoc eſt, Curlandia, Lithuania, Samogitia, ſummopere abundat.

(2) Ut refert recentiſſimus Scriptor: *Stato Preſente della Polonia* pag. 611.

(3) Evidenter, ſi aduruntur, ex odore ſalino volatili fœtido comprobatus.

ſua craſi degenerat, ad radices ſublimatum per tubulos ſubintrat, atque ad illam determinatam diſtantiam pervenit, quam capilli anguſtiæ concedunt; tum propter craſſitiem amiſſa fluiditate, ſemper magis oleoſo-rancidum corrumpitur, humor exit, in reſtitante coma humor deficit, & *extenuata* exſiccantur, & humiditas aliquos capillos extendit, calor vero alios retrahit, & ut convellantur agit; hinc nodus, & plicæ primordia. Pendentia tamen ſemper, & ut ita dicam, producta a particulis ſanguinis *ſulphureis*, cum *ſalis volatilibus non rite digeſtis, ſed in aſperam, & rancidam viſciditatem converſis*.

Num vero aquis a Carpatiis montibus per Pocutium deſiduis, auctaque Tyra, in mare Nigrum euntibus, tum in terræ viſceribus, & abſconditis latebris bitumine, petroleo, thermis, mineris, ſulphure, & vaporum unctuoſorum agmine fœcundis, in terræ ſuperficiem, in vegetabilia, & in humanam ſubinde eſcam ſublimentur, & diverſis viribus agant: num denique peculiaris aeris Polonici, præcipue Lithuani conſtitutio, ſecundum plani, montium, fluminum, ipſiuſque maris Baltici, & Nigri poſitiones, aut propinquitates, ad illam lædendi potentiam diſponatur, probabiliſſimum eſt, omnia veroſimiliter conſpirare.

PLICÆ TRANSPLANTATIO

QUod vero nefando crimine, a Judæis patrato, alter homo plica infici poſſit, ſi propria abſciſſa plica, in cereviſia, aut alio liquore coquatur, & potabilis propinetur, quodque ex hoc abſurdo invaluerit mos apud ingenuos Polonos ceremonioſe prius bibendi in aliis ad bibendum invitandis, ut idem Bonfigli aſſerit, ipſi judicent Poloni, quia res hæc nobis nota non eſt.

PLICÆ DIVISIO

IN *marem, dum prolungatur; in fœminam, dum late caput operit*.

PLICAM POLONI COLUNT, AUT UT MELIUS DICAM, NEGLIGUNT, UT AUGEATUR.

NOſtri *vero Poloni ſtatim ac illius implicationis principia obſervant*, germen (1) *veræ plicæ pullulaſſe putantes, diligenter colunt, ut in fœdum, & Meduſæ ſimile ornamentum excreſcat* (2). Mirandum ergo non eſt, in dies *caudam* augeri, & uſque ad pedes pervenire (3).

ERNDTELII OPINIO DE PLICA POLONICA

NEque a Viſtula fluvio, neque a voce *VVicht* apud Hungaros, luem quamcumque ſignificante, ſed a vernaculo Polonorum vocabulo *Koltun*, aut etiam *Gozdz*, *Pexillum*, vel *Clarcum* exprimente, eo quod crines convolvantur, Auctor nominis originem explicat; nec diſſentit, a majoribus per deſcenſum, & a proximis per contagium plicam eſſe communicabilem apud cujuſvis ætatis, & conditionis homines, etiam ſi ſectis capillis incedant, aut de illis pectendis ſolliciti ſint.

Longum nimis eſſet referre ſymptomata omnia, quibus ſævus plicæ morbus ſtipatur, quæque penes Scriptores videri poſſunt: duo tamen a clariſſimo Auctore obſervata non omittam, ſcilicet aliquos capillorum cirros ad tot ulnas interdum creviſſe, ut, *erecto ſtante homine, pavimentum* attingerent; necnon fere ſemper magis eſſe damni, ſi plica abſcindatur; quandoquidem *recentia pathemata recrudeſcunt*, & *duplicantur* (4) (5).

PLICÆ REMEDIA

DAmnat libere vomitoria, purgantia, venæ ſectionem, totumque curationis opus conſiſtere ait in recto uſu antimonialium, abſorbentium, & præſertim vegetabilium, inter quæ lycopodium extollitur (6).

Addit dein *diaphoretica*, *ſuccinata*, *viperina*, necnon pulverem ex *lumbricis terreſtribus*, millepedibus, cinnabari, bezoartico minerali, item theriacalia, ſcordeata.

AQUA PLUVIALIS

SI verum eſt, aquam e puteis Polonicis ſufflavo colore vaſorum parietem tingere, ſignum eſt, ſalino-ſulphureas particulas continere, quæ non curandæ, ſed promovendæ plicæ aptæ eſſent; quare ſeligendæ pluviales, &c.

BETA ALBA

℞. SUcci condenſati betæ albæ ℥ I. ſtibii diaphoretici ʒ II. flor ſal. ammon. ʒ III. m. f. maſſ. cujus doſ. a ℈ I ad III ſs.

BALNEUM

VEſpere balneetur æger per horam ante cœnam in aqua fluminis, in qua folia ederę arbo-

(1) Quod quandoque una tandem nocte fit, & evidens producitur.
(2) Onuphrius Bonfilius.
(3) Qui multa de plica videre vult, legat Diſſertationes Philoſophicas Amſtelodami cuſas 1734 apud Iſaac Tirion; necnon Conſilium de plica Polonica Joannis Prævotii editum a Sennerto in Praxi Medica.
(4) Idem Auctor de Morbis VVarſaviæ cap. v.
(5) Videndus VVilhelmus Daviſſonus, necnon Thomas Minadorus, Rodericus a Fonſeca.
(6) De quo videatur Daniel Fiſcherus Hungarus recenter editus pag. 7.

arboreæ, & ſaponaceæ, ac tota planta ſigilli ſalomonis, latifolii, ſcrophulariæ, lapatii acuti, & fumariæ bulboſæ ebullierit.

RULANDI

℞. Trociſch. alhandal ℥ ſs. ſpiritus vini ℔ I. m. in vitro optime clauſo, & poſt ſufficientem digeſtionem ſervetur ad uſum: doſis ſit a ʒ II ad ℥ ſs.

Animadverſio

Hic autem non poſſum non animadvertere, ſupradictam præſcriptionem noſtris in oris non nimium eſſe uſitatam, eamque ipſe pro remedio non curativo, aut palliativo, ſed ignifero ſalutarem.

RELIQUA AD PLICAM REMEDIA

De cetero procedunt Medici Poloni viperinis, vegetabilibus, diaphoreticis, ſalſaperilla, lycopodio (1).

BONFILII CONSILIUM

Per curam hanc præviam, ſatis purificato ſanguine, plica tuto abſcindatur, & caput abraſum ſemel quotidie abluatur ſpiritu vini, ſeu frumenti.

ALOETICA

HÆMORRHOIDES APERIUNT

Uſum a Medicis Germanis propoſitum, nobiſque oretenus relatum, etiam a Polonis executum video in febribus longis, in quibus natura indicat neceſſitatem alicujus commodi emiſſarii, per quod noxii humores extillare poſſint: hocque ab aloeticis viribus ſibi poſſe promittere Medicum, & ægrum, non ambigimus; imo addimus, perbelle uno eodemque actu deſcenſum bilis, & catarrhalis amurcæ moliri, necnon ſedales mariſcas ſignari, ut exitus ſollicitetur, & ex ſeipſo fortaſſe utiliter promoveatur. In melancholicis idcirco, cachecticis, ictericis, obſtructis, ſpleneticis, & longo morbo detentis, licitum hoc experimentum ſalubre admodum eſſe poteſt.

IPSIUS ERNDTELII, ET ALIORUM POLONORUM MEDICORUM NONNULLA, QUÆ ITALICO SOLO APTARI NON POSSUNT, ET CORRIGENDA VENIUNT.

ACETUM IN FEBRI CONTINUA

Alter Medicus potionem diaſcordeatam, cum aceto, & abſorbentibus paratam ordinaret. Ipſe non nimis intelligo hanc medicinam cum aceto, multoque minus intelligerent illi, qui ab acido omnes morbos deſumunt, aut illi, qui a vermibus (quibus interdum acetum abundat), aut ceteri demum methodici multi, qui canunt, materiem morbificam figendam non eſſe; præterquamquod quis in Chymicis adeo initiatus ſolum eſt, qui neſciat, acetum *abſorbentibus* additum fermentativam luctam e veſtigio efficere; de qua ulterius argui poſſet: lucta illa vel facienda, vel facta eſt: ſi facienda, ergo poſt adactum remedium fieri poterit in ventriculo: ſi facta, totum concretum remanet caput mortuum in corpore, illarum virium, quas Clinicus cogitavit; ergo inſuper cœco uſu non exhibendum, quod nocere poteſt; ſed in febribus, magni Hoffmanni documento, potius inſtandum, ut aquoſis, & humectantibus materia morbifica ſolvatur, & eat.

PAROTIDES NON RESOLVENDÆ

Parotis circa aurem ſiniſtram emergebat, cui apponebatur pro reſolutione, &c. Bona lingua remedium quod reſolvit, agit, ut incœpta pone aurem ſtaſis a ſanguine iterum ſuſcipiatur, quod in morbis hiſce periculi plenis Medicus nunquam promovere debet: & hæc fortaſſe ratio fuit, ob quam emollientia, quæ dein applicita fuere, juvare non potuerunt, quia ſero Medicina parata; idcirco illius ſum ſententiæ, ut in emergentibus parotidibus illico de emollientibus, & maturantibus cogitandum ſit.

Addo etiam, & ſapientiſſimis viris mitto diſcutiendam propoſitionem: num, licet immaturę, parotides ſecandæ nihilominus ſint: quod in Hiſtoriis Morborum affirmative nos etiam diximus de venereis bubonibus.

CINNABARIS IN FEBRIBUS

Cinnabarina pariter multoties adhibita video in febribus ipſis acutis, & inflammationi proximis, quod aliquatenus ſuſpectum eſſe debet, ob motum, quem in toto ſanguine ciere poteſt.

Ggg 2 MEN-

(1) Lemery pag. 216. pro curatione plicæ Polonicę lycopodium proponit. Vegetat in agro Brixiano ſupra Montem d'Enno.

MENSIUM FLUXUS

Dato ſpiritu vitrioli cephalico, elyx. vitriol. aromat. cum eſſentia aloes, interpoſito ſal. volat. oleoſ. Sylvii, curari, &c. Vitriolica in menſium fluxu & apud nos Italos uſuveniunt; ſed nec aloes, nec ſalia volatilia tam opportuna eſſe nobis videntur, totumque concretum remedium ſummum calorem præſefert, quod ſanguinem promovere magis poteſt.

PESTIS POLONICA

A Turcicis ditionibus provenientem Poloni metuunt peſtem, cujus diros effectus ferre debuerunt 1707, & 1708. poſt Leopolim Cracovia, ſubinde Warſavia, & fere totum Polonicum Regnum.

In Epiſtola Joannis Bernardi Sthaar Cracovia ad celeberrimum Henricum de Huyſſen S. Czareæ Majeſtatis Conſiliarium miſſa, culpatur tanquam primaria cauſa eſus in nimia quantitate cucumerum immaturorum, & acidorum, ex quo onuſtus, & cacochymus factus Polonorum ſanguis, luis venenum facilius reciperet; hinc morbi theoria a Medicis Cracovienſibus inſtructa fuit in tardo, & impedito cruoris circuitu, & in ſurgentibus *ab acido minus volatili, & corroſivo* epidemicæ, & contagioſæ fermentationis primordiis, ex qua plebeii preſertim homines infectabantur, cum nigris maculis, lypiriis, jactationibus, tremoribus, ſphacelis, deliriis, adeo ut mulieres e veſtigio maniacæ, *ſine pudore nudæ* urbem percurrerent.

VOMITIVUM

In Actis Eruditorum Lipſienſibus menſis Maii anni 1710. refertur, in Polonica illa contagioſa conſtitutione evacuationes ſuperiores, medio vomitu (1), feliciter ceſſiſſe, potiſſimum ſi principio morbi in uſum poſitæ fuerint; quod confirmat ratio, ſi a ſupradicto cucumerum immaturorum eſu morbus dependit, quodque confirmavit etiam Praxis Domini Schonbergeri Medici campeſtris, qui bene multos hac methodo, ſuoque elyxirio (2) antipeſtilentiali redemit.

REMEDIUM EXTERNUM

Spiritum vini rectificatum, & camphoratum ſcrobiculo cordis Medici Poloni aptare jubent.

POTUS ORDINARIUS IN PESTE

Nec aderat, qui experiretur aliud hujus luis antidotum, prærer ſpiritum vini camphoratum, quem nonnunquam etiam pro potu ordinario, loco bezoarticorum ſanguinis circulum promoventium, &c.

Extremis morbis extrema aptanda eſſe remedia, vetus adagium eſt; aliquid inſuper eſſe concedendum uſui (ſiquidem illis in regionibus & vinum, & vini ſpiritus in frequentiſſimis deliciis eſt) pariter non ignoramus; ſed verbo illo *pro potu ordinario* ipſe acquieſcere non poſſum; multoque minus auctor eſſe volo, ut noſtras in oras flammeus hic modus advehatur.

ALKALICORUM FIXORUM ET VOLATILIUM DAMNA

Quod alkalicorum uſus appetitum dejecerit, res eſt ſecundum rationem; quia ventriculi in ſubigendo cibo activitas ponitur in gaſtrica aciditate, quæ neceſſaria eſt, quæque alkalicis tolli, aut ſaltem hebetari poteſt.

Animadverſio

Ex hoc diſcant Philiatri omnes, neque abſorbentium, ut illi vocant, pulviſculorum, teſtaceorumque omnium adeo tutam medicinam credant; quandoquidem ultronee obtundere forſaſſe poſſunt energiam illorum, quæ pro adjuvando digeſtionis negotio neceſſaria ſunt.

PESTIS POLONICÆ CAUSA A BONFIGLI PROPOSITA

Cauſam peſtis Polonicæ anni 1710. inquirit Bonfigli in planetarum inter ſe oppoſitorum influxum, in putrida effluvia ab aquis ſtagnantibus, a mineris venenoſis aucta, a ventis circumpulſa; viſos vero vermes effectum peſtis, non cauſam fuiſſe, auctor eſt.

Obſervatio

In Polonia obſervatum, illos, qui ulcere hæmorrhoidum expurgantium, aut venerea labe laborabant, minus fuiſſe vexatos.

THERIACA

Parum ſibi promittunt Medici Poloni a purgantibus, necnon a venæ ſectione, quæ tamen non adeo proſcribi debet, quin aliquando adhibenda ſit; potius magnam fidem habent in uſu theriacæ, quam aliquis uſque ad quantitatem trium drachmarum, in una tantum exhibitione, augendam eſſe dicit.

HI-

(1) Tartaro emetico promovebatur.
(2) Conſtat ex bezoart. elyx. prop. ſine acido, tinctura radicis gentianæ, & eſſentia camphoræ in ſpiritu vini cremato ad præſervandum, in cereviſia ad curandum.

HISTORIA NATURALIS

Polonia graphice deſcripta proſtat a Gabriele Rzaczinski Societatis Jeſu, cujus præcipua relata, quia extra noſtrum inſtitutum ſunt, ideo ſicco pede ſine ulteriori examine relinquuntur.

AGYRTARUM, ET CIRCULATORUM FREQUENTIA

Neſcio intelligere, quæ mihi relata fuerunt a perſonis fide digniſſimis, a quibus tota Sarmatia Europea fuerat peragrata, quæ relata video a clariſſimo Konnor, & Salmon, & quæ denique nuperis hiſce diebus nobis Brixiam ſcripta miſit amicus noſter, nempe ampliſſimis illis in ditionibus Medicinam non nimis in cultu eſſe, ſed potius agyrtis, atque circulatoribus fidem præſtari, nobilibus perſonis Artem Medicam veluti dedignantibus. Id, inquam, intelligere neſcio, non ſolum ob infinitam inibi Magnatum frequentiam, propriæ ſoſpitati conſulturam, ob univerſalem Latinæ linguæ uſum, obque tam egregios in Arte Apollinea Proceres, qui præceſſerunt, & de quibus nos ipſi in hanc rem proficiendo mentionem fecimus; ſed potius ob, quaſi dixero, innumerabilem illam Philiatrorum Polonorum quantitatem, quæ quotannis ad Patavinum noſtrum Venetum, Italumque Archilyceum accedit. Profecto frequentiſſime natio illa ceteros diſcipulos numero ſuperat, qui inſuper honeſtate, optimis moribus, generoſitate, & doctrina, ſi alios non antecellunt, tamen ſecundi non ſunt. Peto humiliter, illi omnes doctorali laurea decorati quo vadunt? Certe, aut probabiliter numero majores in Poloniam. Admitto, multos dediſcere, & a Praxi alienos nunquam perfectos homines evadere; ſed alios ſupereſſe crediderim jam Patavii recta in via poſitos, optimiſque inſtitutionibus initiatos, ad Clinicum ſubeundum munus aptiſſimos, quibus Polonica undique Medicina juvari quammaxime poteſt.

LUIS VENEREÆ CURATIO

Quod ideo agyrta (1) in nemore habitans, parvo etiam abhinc tempore, arcanum haberet luis venereæ curativum, idque mediis balneis aptaretur, & exequeretur, octo tantum diebus, infuſis ſimul multiplicibus herbis, inter quas elleboraſtrum, & capilli veneris, non admiror: quandoquidem dantur morbi, qui ſanari volunt, etiam ſi exhibueris venenum; in fine omnia juvant, pororumque apertio, attractio, & fortis expulſio miracula poteſt efficere, tanto magis ſi energeticam elleboraſtri vim addemus, a Priſcis etiam noſtris in arthritide, ſcabie, podagra, impetigine, ſtrumis, & fiſtulis (2) adhibitam: ergo ſi medio balneo calido illius qualitates exaltabuntur, & in lymphis omnibus, ipſaque pituita irrequietus, fundenſque motus introducetur, non poteſt, qui ad circumferentiam allectis, & ſubactis exotici tabi particulis, ſi non curatio, ſaltem ſubdoli morbi incantamentum, & pſeudo ſalus ſuboriatur; tanto magis ſi, ut notatum video, illius decoctionis internum uſum ægrotantes Poloni, & veſanus vulgus faciebant, ex quo penitiores ipſi viſcerum meandri purgabantur.

Sed de his omnibus rebus per Polonicum Regnum contingentibus ſupercilia capere non debemus. Quænam quippe eſt urbs, nobiliſſima licet, in ceteris etiam regionibus, quæ agyrtas, & circumforaneos declamantes non habuerit, aut fortaſſe in præſens non habeat? Quinam ille pagus, platea, via, aut diverticulum, quidem minimum, quod ab fœce illa non fuerit viſitatum? Quod idcirco paſſim in Italia, & Germania intuemur, cur pro raro ſucceſſu de Polonis proponitur? Nonne Gallicum Regnum ſcientiarum omnium emporium, bonarumque artium ſedes dici debet, & meretur; & tamen inibi præſtigiatores, & divinatores circumeunt, & in burſam, ne dicam aliud, humani generis graſſantur. Præter hos adſunt etiam vulgares Profeſſores, qui nimis rei ſuæ amici, utque agroſi evadant, plenis buccis quanti plurimi ſua arcana venditant, & orant auctores novitatum Hollandicarum, ut currenti charactere, ad foliorum calcem, ſua miracula toto orbi proponant. Hoc nonne eſt Medicinam mercari, ſuaque laudare, ut emantur? Hæc omnia contra Medicam dignitatem ſunt. Tempore uſque incomparabilis Magiſtri Choi ipſiſſimo fatali ſydere contingebant, & turpi exemplo in hoc uſque ævum perpetuata ſunt. Faxit Deus, ut in poſterum extirpentur.

SUDORES STERQUILINIO PROMOTI

Apud ruſticos res rara non eſt, multos morbos, ſudore circumdantibus tepidis ſtercorationibus promoto, curatum feliciter iri: inter quos lues venerea, ut faciunt pauperes Poloni, qui uſque ad atlantem ſe demergunt, defenſoque tantum capite a ſole, & pluviis, ibi ſepulti jacent: interdum ſemper. Quid ipſe dicam de hujuſmodi Medicina, proponere non audeo; niſi adderem, hæc eſſe pauperum deſperabundodorum experimenta, ex quibus aut vita, aut mors (3).

PTYA-

(1) Auctor eſt Salmon pag. 610.
(2) Videatur Lobellius, Pena, Rovillius, &c.
(3) Præcipue id agunt in pago Rebenovv Polonico, *ubi liberi ex parentibus per hæreditatem quandam hujus curationis rationem obtinent*. Lindeſtolpe. De Venenis, pag. 963.

PTYALISMUS

SAlivationem vero mercurialem in Polonicis regionibus non nimis in uſu venire, poteſt eſſe accidens, & juſta neceſſitas: accidens, quia remedia habent ſuas viciſſitudines, atque ſydera; ideoque quod adhiberi una in provincia videmus, ab altera vitatur, ipſaque ſeligit, quę olim oderat: ideoque Poloni illius probabiliter uſum non habent, aut formidant. Neceſſitas vero fortaſſe pendebit a peritis Clinicorum obſervationibus, quarum continuato criterio viderunt, in Polonica ſeptentrionali plaga utiliter mercurialem ſalivationem non cedere, Sarmataſque, & Lithuanos homines, aut ratione anguſti pectoris, & ſtrictarum faucium, aut a mulſa, ut diximus, & cereviſia non ſatis inſtructorum ſolidorum, ſanguinis ſumme neceſſariæ liquiditati ineptorum, vel extraordinarii motus ab hydrargyro excitati nimis ſuſceptibilium, non poſſint ea utiliter actu curationis evenire, quæ aliis in regionibus contingunt: ſed de his jam ſatis alibi locuti ſumus, laudando Medicos Polonos, ſi ab illitu, producendaque expuitione abſtinent interdum, non ſemper.

MUSCÆ VENENOSÆ

DE muſcis Polonicis exitioſis ſcripſit olim Gottifredus Samuel Poliſius Phyſicus Francofurtenſis ad Viadrum. Num revera adhuc perſeverent, nos latet.

CRACOVIA

PRope Cracoviam in ſuburbiis adeſt fons Caſimirianus dictus, qui cum e propinquis lamis, & uliginoſis locis, præcipue circa agrum Sanctæ Crucis, ſuas aquas mutuetur, ſuſpicandum ſummopere eſt, non eſſe tantæ perfectionis: quamvis negari non poſſit, per internas cryptas, & latebras aquarum laticem poſſe depurari.

ALTER FONS FRIGIDUS IN PALATINATU CRACOVIENSI

ILlud habet raritatis fons quidam in minoris Poloniæ Palatinatu Cracovienſi, quod dum luna creſcit, ipſe imminuitur, & admota fonti fax ignem accendit, ac ſi non aqua, ſed vini ſpiritus eſſet: referunt dein, arborum ramis aquam verberari, & commoveri, ut ignis extinguatur. Facile eſt aſſerere, ſulphur, & bitumen latere, ſed nihilominus quomodo ea eveniant explicare, non audeo.

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

HYACINTHUS LOPACHI M. D.

S. P. D.

ARtem hanc, quam experientia fecit, exemplo monſtrante viam, tuis, Vir Doctiſſime, accuratis Morborum Obſervationibus illuſtratam, dum ſorte proſpera recipio, multum tuo labori debere ſtudium Medicum, & utilitatem publicam, exiſtimo. Hoc enim præſtas, quod illi Artis noſtræ parentes fecerunt, & nos facere docuerunt, ut ſcilicet per exactas obſervationes ſaluti humanę conſulatur, & ſolidiora Artis incrementa felicius promoveantur. Relictis enim ſyſtematum, & hypotheſium ſæpe minus neceſſariis diſcuſſionibus, dum tempus, & animus obſervationibus impenditur, utilitati publicę conſulitur, & deſiderata ſuccurrendi methodus cum decore Artis obtinetur. Te ergo nobiliſſimæ hujus Artis vindicem, & ſæculi noſtri ornamentum dum veneror, cum ſumma animi voluptate audio, Te meditari aliud Opus de Medicina variarum regionum. Nam licet hæc ſcientia, more rerum mundanarum, ſuas experiatur viciſſitudines, & in variis regionibus neglecta, in aliis depravata, & per agyrtarum fallacias vilior facta, fata ſua, & criſes patiatur, ubique tamen locorum experimentalem vigere methodum medendi exiſtimandum eſt, quia hanc ipſa magiſtra docet natura, cauſas, & criſes morborum manifeſtans, & remediorum in certis locis uberius productorum, morbiſque ibidem graſſantibus appropriatorum copiam ſuppeditans, unde hac indigitante ex uſu, experientia, & continua obſervatione, hæc quæ vel maxime deſideratur utilis, pura, & experimentalis Medicina conſervatur quod & Tibi forte animus eſt futuro opere comprobare, hanc eſſe veram, perfectamque Artem, quæ per ſerias obſervationes, & uſum ſalutarem excolitur, & ſuccurrit, quod & Plin. lib. 18 H. N. obſervavit, non minus ingenioſam fuiſſe antiquitus obſervationem, quam nunc rationem.

Ut ergo tuis, Vir Doctiſſime, obtemperem deſideriis, de ſtatu Medicinæ in noſtris regionibus hęc breviter defero. Cum hic parum vigeat recta ſtudiorum Medicorum inſtitutio, non ſine dolore obſervamus, quod ſingat ſe Medicum quiſquis idiota, prophanus, Judæus, Monachus, hiſtrio, tonſor, anus: hinc Artem hanc methodice, & rationabiliter per paucos prudentes exercitatam experimur; hos tamen, quos rite Profeſſores Practicos vocare poſſumus, gloriamur eos nobis ſuppeditare Italiam, quæ uti a primis ſæculis fuit parens Medicinæ Polonæ, ita hucuſque eſt benefica altrix, dum quos amore ſtudiorum peregrinari contingit, hos nobis in Theoricis, quam Practicis exercitatos ſubminiſtrat magiſtros, qui ratione climatis, & tem-

temperamentorum accommodata Praxi, ſtudent recte ſuccurrere morbis, memores illius dicti Celſi in Proem. differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto.

Notum eſt, nos inhabitare regionem ſeptentrionalem, non tamen ſub rigido cœlo, quia illud incolumitati, & longævæ vitæ contrarium non experimur. Ratione tamen climatis, ex obliqua ſolis actione, circumdamur humidiori, & hyeme rigidiori aere, quem Hippocrates libr. de Flat. authorem, & dominum appellabat eorum, quę in noſtris corporibus accidunt. Unde ex pluviarum, nebularum, & inundationum copia, tum ex ventorum humidiorum, vel frigidiorum afflatu, aer craſſioribus ſaturatur effluviis, & ex diverſis in ſanguine diſpoſitionibus, nimirum laxitate, vel adſtrictione varii inducuntur morbi, ut opinio fuit Aſclepiadis relata a Gal. 2. dec. Elem. & a Vegetio in Arte Veter. lib. 1. c. 18. His addenda communis victus ratio ex leguminibus, & varii generis carnium uſu copioſo, quas vocat Hippocrates graves in ore, & ad ſtateram, ut quæ aliis graviores duræ concoctionis, & ſtomacho ſunt ponderoſiores, uti carnes ſuillæ, bubulæ, & ſylveſtres, item uſualis cereviſiæ, & apud plurimos vini Hungarici in copia potus, quæ omnia ducunt ad cognitionem, in corporibus harum regionum recolligi humores craſſiores, unde motus ſanguinis, tam fermentativus, quam localis pigrior redditus, cum tranſpiratione minus libera, ut plurimum diſponit temperamenta ad morbos, ut vocant, frigidos, a lentore, viſciditate, & ſalſedine productos; fermenta glandularum, ſanguinis maſſam, & lympham præcipue afficientes. Hinc obſervantur)potiſſimum in inordinata victus ratione utentibus), vomitus, dolores colici, & ſucceſſive viſcerum, & glandularum meſenterii obſtructiones, icterum, cachexiam, & hydropem inducentes, quibus reſpective ſuccurrunt blanda emetica, vel purgantia aperitiva, deobſtruentia, & amara, & pro varia morbi circumſtantia non omittitur ſanguinis miſſio, vel venarum hemorrhoidalium apertio, quæ in obſtructionibus imi viſceris, cum febribus, & in affectionibus hypochondriacis a principio celebrata dignoſcitur. Dyſenterias non adeo frequentes experimur, ſi tamen hyeme opprimunt, magis ſunt periculoſæ. Diarrhęæ vero (ſi ſanguinis, vel ſolidorum vitium non obſtet) ſæpe periculo vacant, & hæ, æſtate minus calida, ex fructibus horariis non bene maturis ſæpius graſſantur, in quibus malis utplurimum a principio radix ipecacuanhę bis vel ter propinatur; in aliis rhabarbarum, item amara cum corroborantibus bonum præſtant effectum. Affectio calculoſa, & arenoſa, tum ſtranguriæ, & iſchuriæ a ſero acri provenientes multos moleſtant, vel maxime lauta, & inordinata victus ratione utentes, & baccho nimium indulgentes, quibus ſuccurritur per dulcificantia, oleoſa, emollientia, & balſamica diuretica viſcidum abſtergentia, & acrimoniam corrigentia, inter quæ ſerum lactis, & herba virga aurea, hic in copia creſcens, in uſu eſſe ſolet. Pleuritides, & anginæ frequentes circa temporum mutationes obſervantur, ſed raro ſunt periculoſæ, & repetita ſanguinis miſſione, oleoſis tum antipleuriticis reſolventibus propinatis, utplurimum cedunt, & ſi coagulum in ſanguine obſervetur, etiam veſicatoria applicantur.

Tuſſes aliquando epidemicæ graſſantur, quæ ſi ſiccæ longiores ſunt, & moleſtiores, periculo quidem vacant, ſi lenius per oleoſa emollientia, attemprrantia, & tranſpirationem promoventia tractantur; ſi vero calidiora, vel ſpirituoſa reſolventia taliter laborantibus propinantur; facile in hemophtyſim, hypropem, & phtyſim, in malo corporis habitu incurabilem degenerant: multos in tuſſi ordinaria ſine febre uſus caffè, & thè, utriuſque cum lacte, vel herbarum pectoralium uſus juvare dignoſcitur.

Capitis, & dentium dolores, coryzæ, tinnitus aurium autumno, & hyeme ſæpe moleſtant, & per diaphoreſim reſolvuntur. Paralyſes, epilepſię, vertigines a vitio lymphæ ortum ducentes, ſi caput idiopatice non patiatur, præmiſſis quæ fluida dulcificare, congeſtiones, & irritationes tollere, & ſolida ad debitum tonum reſtituere valeant, per appropriata decocta, & balneorum thermalium, vel arte paratorum uſum, tum ſanguinis miſſionem, ſi adſit plethora, aliquando curantur.

Febres putridæ, & malignæ raro occurrunt, ſi tamen opprimant, utplurimum ſunt periculoſæ. Tales epidemice præſertim æſtate calidiore in aliquibus locis graſſantur convulſionibus, deliriis, cardialgia, & aliis ſtipatæ ſymptomatibus, ſed cum mutatione temporis ceſſant, vel in intermittentes deſinunt, quæ ſæpius ſunt communes, & raro chinæ remedio cedunt, felicius per vina medicata cum ſpeciebus aperitivis, & amaris curantur.

Inter univerſales morbos, qui præcipue lautiori victu utentes, raro colonos affligunt, eſt ſcorbutus, juxta diverſitatem in corpore locorum, diverſas affectiones producens, in cujus curatione Praxis Villiſiana utplurimum adhibetur, & uſus viperarum, tum medicamentorum chalybeatorum bonum aliquando præſtat effectum.

In mulieribus præſertim civilioribus contumaciſſimi, & frequentes fluores albi obſervantur, ita ut hic morbus quaſi endemius fœminarum ab aliquot luſtris ſit dicendus cum affectionibus hyſtericis, qui difficile remediis cedit, ſi cum ſcorbutica, vel hypochondriaca affectione conjungatur.

In his affectionibus dulcificantia, diluentia, & abſtergentia propinantur, ut fluida, & ſolida a copioſa ſalium congeſtione liberari, & tandem tonus fibrarum roborari poſſit: in quibus malis, pręmiſſis præmittendis, martialia ſæpe juvare dignoſcuntur. Uſus caffè, quo largiore civiliores mulieres utuntur, huic morbo cauſam ſubminiſtrare a multis creditur.

Epidemicis affectionibus raro hæc tota regio affligitur (conſiderata enim vaſtitate Regni, alię provinciæ aliis morbis ſubjacere poſſunt). Ulti

ma

ma, quæ univerſalem ubique cladem intulit, memorabilis eſt anni 1736. cum enim poſt rigidam hyemem ver, & æſtas multum pluvioſa, cum inundationibus, & ventis humidioribus uſque ad Septembrem perduraverint, multum diminuta frugum copia, & in his, quæ colligi poterant, non bene maturis rubigo obſervata, ruralis vel maxime epidemiæ cauſa extitit; hæc vero fuit febris lenta, cum vitiis digeſtionis, & congeſtionis humorum in glandulis inteſtinalibus, ubi inductis obſtructionibus, languidi, pallidi, & icterici, cum tenſione, & duritie ventris miſeri ægri deficiebant, uſque ad futuri anni æquinoctium; & cum obſervatum fuerit, pluries occubuiſſe planas oras inhabitantes, quam in montanis degentes, hinc præter univerſales cauſas aeris, & victus nocivi, etiam turbidas, & limoſas aquas morboſam diathesim auxiſſe vidimus, a qua minus lædebantur, qui ex fontibus, vel per ſaxa depuratas aquas hauriebant. In hac epidemia concurrentes ad urbes miſeri infirmi juvabantur per aperitiva, amara, deobſtruentia, & diaphoretica, ſanguinis miſſione, ut nociva, intermiſſa; univerſaliter pro anchora fuit periclitantibus rob juniperi, & ſambuci, & ex his vario modo parata remedia cum aperitivis, ſuperbibendo juſcula, & decoctiones ex herbis amaris, quę multis auxilio fuerunt, quibus non læſa fuerant viſcera: hinc adoranda Providentia Creatoris, quę his regionibus copioſiores, & particulis activioribus pollentes, magis quam alibi, tribuit herbas amaras, uti in abſynthio, hyſſopo, abrotano, &c. obſervatur; quaſi ubique etiam ferax terra profert ſalviam, ederam terreſtrem, betonicam, juniperum, & ſambucum, ex quibus in diverſis morbis communis Medicina paratur, & quos ſæpe mala a viſcidis, & ſalinis humoribus provenientia opprimunt, his appropriata amara, & incidentia natura ſubminiſtrat.

Anni præſentis conſtitutio minatur pariter (quod Deus avertat) aliquam epidemiam; nam a menſe Maio continuis obruimur pluviis, & paucos ſerenos numeramus dies, qui ſi illuceſcunt, intenſo adurunt calore, mox in rigidos, & pluvioſos mutantur.

De morbo his oris familiari, Plica Polonica dicto, pauca refero, non enim (quod & in aliis morbis evenit) tam moleſte, nec tam frequenter nunc incolas affligit, uti olim authores obſervarunt, & exceptis ruricolis, inter civiliores raro obſervatur. Si qua tamen vera (nam a neglecta capillorum munditie ſæpius producitur) plica cum ſymptomatibus internis occurrit, conſiderata ſanguinis craſi, & morbi natura, juxta qualitatem morbi ægri tractantur; experientia tantum docet, antiſcorbutica in hoc morbo multum prodeſſe, ita ut eundem morbum ab humoribus ſcorbuticis ortum ducere exiſtimemus.

In morbis venereis, præter decocta ſudorifica, & alia dulcificantia, vel maxime ſalivationis remedia mercurialia in uſum veniunt, quæ ſi debito ordine adhibentur, ſæpe bonum præſtant effectum, ſi tamen malum ſcorbuto copulatur, nulla remedia juvare ſolent.

Notandun etiam, temperamenta hujus regionis emetica, & purgantia convenienti doſi pro exigentia morbi præſcripta cum levamine ferre; nam humorum ſaburra liberato ſtomacho, felicius digeſtionis officia peraguntur. Pariter miſſio ſanguinis pro diverſitate morborum repetita juvare ſolet; ſic enim rarefactus ſanguis ad criſes diſponitur, quas ſæpius, & tutius per urinam, quam per tranſpirationem abſolutas obſervamus.

In fluxionibus, & in morbis a copia ſeri, vel coagulo provenientibus, veſicatoria in uſu eſſe ſolent, uti & in aliis chronicis cauteriorum apertio non intermittitur. Hoc etiam obſervatur, quod ulcera pedum ex quacumque cauſa difficiliter, vel raro perfecte curantur: capitis vero tam vulnera, quam ulcera tutius, & citius conſolidantur.

Et licet varia ſint temperamenta Polona, & pro humanæ conditionis natura, variis ſubjaceant morbis, clima tamen ſat ſalubre experimur, quod ex iis patet, qui rura colunt; hi enim raro morbis chronicis afficiuntur, oppreſſi a morbis facilius ſudant, & a ſanguinis miſſione celerius ſublevantur, abſynthio, & juniperi baccis pro communi medicamento utentes, quibus vini cyathus, cum piperis, vel zinziberis pulvere plus præſtat, quam alexipharmacorum, vel eſſentiarum uſus: e contra in his, qui lautiori, & inordinata victus ratione utuntur, morbi chronici cum obſtructionibus, affectiones, calculi, podagræ, ſcorbutus, & his ſimilia difficilis curationis obſervantur.

Hæc Tibi, Vir Doctiſſime, breviter innuenda duxi, qui cauſas malorum noſtrorum, lædentium, & juvantium rationes melius inquirere, & invenire ſcies: ego, dum tuis mihi deſideratiſſimis obedio mandatis, futura expoſco, ſemper nominis tui verus cultor, cui omnia proſpera, cum incolumitate vitæ ad annos plurimos ex corde apprecor.

Dabam Cracoviæ 14. Aug. 1744.

CURLANDIA

CUrlandi Livoniam, quaſi dixero, meridionalem incolentes, quoties ſudorem in ægris promovere volunt, in ſcamno ſuper vapores ſedentem frondibus, & verberibus cædunt, & percutiunt, ut humores ad cutim alliciantur.

DUBLINUM

IN Dublinenſi urbe, ſex leucis Germanicis a Mittavia in africum diſtante, celeberrimus Dominus Proby acum crinalem, media inciſione, pollicem unum cum dimidio longam e veſica cujuſdam mulieris, nomine Dorcas Blake, extraxit (1); ex quo ſumma dexteritas hominum Chirur-

(1) Ex Tranſactionibus Anglicis anni 1700.

Chirurgicas operationes adminiſtrantium in Curlandicis, Poloniſque illis Semigalliæ Ducatus regionibus arguenda eſt.

BALNEA

DUblinenſes vero ruſtici, præcipue in Samogitiæ confinio, totam ponunt Medicinam, & recuperandæ ſalutis fidem in balneorum uſu, ſed adeo violentorum, & inflammantium, ut balnei vaſa plerumque ex vivis lapidibus confecta rubeant, & accenſa videantur; ibique prope clibanum aut ſtantes, aut ſedentes largo profuſo ſudore humectantur, proindeque viminibus, & faſciculis exſiccatis betæ pectus, & tergum percutiunt (1). Ad hæc uſque ſilerem, ſolumque damnarem violentiam, igniſque nimium urentis gradum, & indiſcriminatim remedii ſelectum, quin Curlandus, Dublinenſiſque Medicus præſideat, & docendo ſeparet caſus illos, in quibus balneum ictus ſclopeti eſt. Illud dirum, & quod audiatur indignum, nempe accenſos, inflammatoſque homines illos ab aquæ frigido flumine ſtatim dilui, & humectari, & Ruthenorum morem proſequi, de quo jam ſuo loco verba fecimus.

LITHUANIA

MIhi videor videre, riſum tenere non valens, vafram manum (mulieris probabiliter) illam, quæ in ore Lithuani pueri aureum dentem poſuit, ut propinquum, & fortaſſe etiam remotum populum raperet in admirationem, eo quia in utero genitus haberetur. Id autem Polonicam elapſi ſæculi plebeculam crediſiſſe non obſtupeſco: quod me rapit illud eſt, Adalbertum Tylkowski ſuper illud argumentum ſcripſiſſe, & tanquam verum peculiari libro (2) indigitaſſe.

WARSAVIA

IN ſumma mediterranea Poloniæ planitie ſedet; ibique aer purus (3) a nullis lamis, aut foveis conſpurcatus circumit, Polonoſque populos lętificat; quandoquidem cuique in geographicis rebus initiato conſtat, Sarmaticas ditiones eſſe multis in locis paludoſas, cęnoſiſque aquis (4) fœdatas, ſi excipias finitimas, & montuoſas illas partes, quibus Hungariæ, & Valachiæ adhæret, ubi Carpathum, & Bieſciadicum in altum aſcendunt.

BIBLIOTHECA

PRoſtat apud RR. PP. Societatis Jeſu, qui fere ſemper Poloni, aut Lithuani ſunt, ejuſdemque numeroſæ amplitudini conſpirarunt Reges, Magnates, ipſique pro tempore Patres, qui libros Bibliothecæ legarunt. Parum longe adeſt etiam Gymnaſium Zaluskianum (5) (6).

HORTUS REGIUS PLANTARUM

AUſpicatiſſimo poſtremis hiſce temporibus Potentiſſimi Poloniarum Regis Friderici Auguſti III. imperio tota Sarmatia florere viſa eſt: hinc prope Warſaviam palatium erectum, Hortuſque Regius ſuburbanus amplificatus, ſoloque ſex menſium ſpatio perfecte abſolutus.

VIAZDOVIUM

LOcus eſt prope Warſaviam altus, & monticulis impoſitus, cui munitiſſimum oppidum adjunctum eſt, proximus horto in ſiriis ardoribus a Polonis populis frequentato; celebris etiam ob balnea, quorum Supremus Regni Mareſcallus Lubomirius inventor fuit; poſtremis hiſce temporibus, ad majorem utilitatem, & amœnitatem excultus. Ceterum balneationes extra mœnia civitatis in ſuburbiis poſitæ ſunt: de quarum utiliſſimo uſu plura non addimus, cum ſatis jam alibi in hoc opere, & præſertim ubi egimus de Turcarum Medicina, balneorum efficaciam in propatulo poſuerimus. Illud unum addam, caute eſſe adminiſtranda, neque imitandos Moſchorum modos; quandoquidem præcipuum præjudicium eſt, ſi ſtatim, ac eodem tempore corpus & frigori, & calori exponetur, dum extrema ſemper naturæ noſtræ inimica ſunt, ut ſupra dicebamus.

Hos Regni tractus quandoque beare ſolet laudatus Monarcha, deliciæ noſtrorum temporum, non minus quam ſuorum Titus jure ac merito appellandus, de cujus munificentia erga ſtudioſos homines alia ego præteriens innumera, quæ publice conſtant monumenta, unum tantum, quod me propius tangit, grati animi ergo obſequioſiſſime juvat adjicere.

(1) Flagellorum, & percuſſionum in Practico Medico uſu non eſt quod memorem, cum ad ipſam morborum curationem transductus ſit. Sed Curlandorum percuſſiones illas crediderim eſſe cum noſtris frictionibus comparandas, tantumque differre ſecundum magis, & minus.

(2) Gedani 1674. in 12.

(3) Præcipue quando orientales, & boreales venti ſilent.

(4) Ex Auſtrali tamen plaga, necnon ab aquis ex lique facta nive a Cracovienſibus montibus decidunt, interdum *lacunæ cęnoſæ* inibi fiunt.

(5) Sic ab Epiſcopo Plocenſi fundatore Ludovico Zaluskio nuncupato.

(6) Altera etiam adeſt Bibliotheca Radzivviliana dicta.

AUGUSTUS III

DEI GRATIA REX POLONIÆ, MAGNUS DUX LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIOVIÆ, VOLHINIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNICCHOVIÆQUE; DUX SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ MONTIUM, ANGRIÆ, ET WESTPHALIÆ; SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-MARESCALLUS, ET ELECTOR, NECNON EJUSDEM IMPERII IN PROVINCIIS SAXONICI JURIS, ET IN PARTIBUS AD ILLUM VICARIATUM PERTINENTIBUS HOC TEMPORE VICARIUS, LANDGRAVIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, NECNON SUPERIORIS, AC INFERIORIS LUSATIÆ BURGRAVIUS; MAGDEBURGENSIS COMES; PRINCEPS HENNEBURGENSIS; COMES MARCHIÆ RAVENSBERGÆ, BARBII, ET HANOVIÆ; DOMINUS RAVENSTENII.

Univerſis, & ſingulis, quorum intereſt, præſentes viſuris, lecturis, vel audituris, notum, teſtatumque facimus. Poſitam in manibus Principum, provida Omnipotentis Dei diſpoſitione, honorum, & dignitatum juſtitiam diſtributivam, unde ad virtutem homines excitarentur, & benemeriti præmia caperent, non aliter partiri ſuevimus, niſi inter eos, quos recte factorum gloria conſpicuos, uſuique publico utiles, & aptos videmus. Hinc cum perſpecta habeamus merita, dotes, & qualitates generoſi Franciſci Roncalli Parolini Nobilis Brixiani, profundam ejus ſcientiam, tum ſtudium aſſiduum, quod impendit illi Philoſophię parti, quæ ad prolongandam vitam humanam contribuit, cujus literaturæ clara teſtimonia extant in traditis luci publicæ operibus ejus, tam in exteris Nationibus, quam in Patria illius plurimum æſtimatis, cognitam inſuper habentes ejus devotionem, quam erga Perſonam Noſtram, Domumque Regiam, & Electoralem conſtanter profitetur, ad exhibenda publica documenta, qua clementia, & protectione in viros ſcientia, & virtute præditos libenter ferimur, faciendum eſſe duximus, ut nobilem ejus ortus conditionem amplioribus titulis decoraremus, pręfatumque generoſum Franciſcum Roncalli Parolini, una cum legitimis de lumbis ejus Deſcendentibus, Hęredibus, ac poſteris utriuſque ſexus natis, & naſcituris in veros Comites crearemus, ac ſublevaremus, ac Comitatus titulo, honore, & dignitate inſigniremus, aliorumque Comitum cœtui adſcriberemus, & aggregaremus. Quemadmodum tenore præſentis Diplomatis Noſtri, de peculiari gratia, & authoritatis noſtræ Regiæ, motu proprio, & ex certa ſcientia creamus, exaltamus, facimus, ſublevamus, inſignimus, atque aggregamus, decernentes, & hoc Noſtro Regali edicto firmiſſime ſtatuentes, ut prænominatus generoſus Franciſcus Roncalli Parolini, ejuſque Hæredes utriuſque ſexus nati, & naſcituri in infinitum Comitum nomen, & dignitatem aſſequi, & ferre, tam in litteris, quam nuncupatione verbali, necnon in rebus Eccleſiaſticis, & temporalibus, in quibuſcumque negotiis, & Nationibus, a Nobis, & Succeſſoribus Noſtris, & aliis omnibus, & ſingulis cujuſcumque ſtatus, ordinis

dinis, dignitatis, conditionis, aut pręeminentiæ extiterint, pro veris Comitibus haberi, nominari, & honorari poſſint, valeant, & debeant. Prout Nos ipſum, ejuſque legitimos Heredes, ac poſteros utriuſque ſexus Comites nominamus, declaramus, ac approbamus, ac ſi a quatuor Avis paternis, ac maternis tales nati eſſent; volentes, & auctoritate Noſtra expreſſe ſtatuentes, quod ubique locorum, terrarum, tam in judiciis, quam extra, omnibus, & ſingulis privilegiis, indultis, & immunitatibus, libertatibus, juribus, conſuetudinibus, honoribus, prærogativis, & exemptionibus, gratiis, & favoribus uti, frui, potiri, & gaudere valeant, quibus alii Regni Noſtri, Sacri Romani Imperii, ac aliorum Regnorum Comites, etiam ex vetuſta propagine orti uti, frui, potiri, atque gaudere ſolent, potiunturque quomodolibet de jure, & conſuetudine, omni conditione, & impedimento remoto. In teſtimonium vero uberioris propenſionis Noſtræ, & gratię Regię, inſignia ipſorum antiquæ nobilitatis, & virtutis indicia decore mediæ Aquilæ albæ Polonæ amplianda, & cumulanda eſſe duximus, decoramuſque, & ampliamus, quemadmodum hic (1) pictoris induſtria conſpicue delineantur, damuſque eidem nobili Familiæ generoſi Franciſci Roncalli Parolini cum omnibus, & ſingulis ejus deſcendentibus, legitimis ſucceſſoribus maſculis, & fœminis plenariam poteſtatem ſua arma, & inſignia Comitatus ubique terrarum, quovis tempore, & occaſione pacis, & belli, in ſeriis, & jocis, cunctiſque actibus, & exercitiis decentibus, præſertim generoſis certaminibus, haſtiludiis, aliiſque exercitiis equeſtribus, privatis, & publicis in ſcutis, in vexillis, in tapetibus, centuriis, annulis, ſigillis, mobilibus, clenodiis, in oſtiis, feneſtris, parietibus, & ædificiis, cunctaque etiam ſupellectili, quomodocumque libuerit, jure, & more ceterorum Comitum, libere, abſque contradictione cujuſvis geſtandi, affigendi, & exponendi, atque ut iiſdem cum tota poſteritate ſua tam ſacris, quam prophanis in locis officiis, honoribus, & juribus gaudere, & frui valeat perpetuis temporibus, benigne plenam poteſtatem impertimur. Quod omnibus, quorum intereſt, pręſertim vero Principibus Eccleſiaſticis, & Sęcularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, & Officialibus Civitatum, Communitatum, earumque Pręſidibus, Gubernatoribus, Magiſtratibus omnibus in univerſum, cujuſcumque ordinis, conditionis, & pręeminentiæ exterarum Gentium fuerint, ad notitiam deducentes, jure Gentium innixi, conſtanter requirimus. Dignitariis vero Officialibus, ac toti Nobilitati Regni Noſtri firmiter notum eſſe volentes; mandamus, ut pręnominatum generoſum Franciſcum Roncalli Parolini, ejuſque legitimos Hęredes, & Poſteros utriuſque ſexus ab ipſo deſcendentes, & deſcenſuros in dicto Comitatus gradu, ordine, honore, & dignitate permanere, omnibus, & ſingulis pręeminentiis, privilegiis, pręrogativis, & immunitatibus, exemptionibus, gratiis & favoribus Comitibus de jure, & conſuetudine ſervientibus, & hoc Diplomate Noſtro conceſſis libere, quiete, & abſque ullo impedimento uti, frui, & gaudere ſinant; & circa hęc Privilegia manuteneant. Atque alios, ne quid in contrarium attentent, vel moliantur

(1) Indicatum Stemma jam proſtat ſubtus Effigiem Auctoris pagina, quæ eſt ante Præfationem.

pro viribus impediant pro gratia Noſtra. In quorum fidem, ac robur perpetuum preſentes manu Noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo Regni communiri juſſimus.

Dabantur Dreſdę die prima Menſis Maii Anno Dñi 1742. Regni vero Noſtri Anno IX.

Preſentibus Reverend. in Chriſto Patribus Magnificis, Generoſis, & Nobilibus Andrea Stanislao Koſtka Comite in Zatuskie Zatuski, Epiſcopo Culmenſi, & Pomeſaniæ Abbate Commendatario Cervenecenſi, Supremo Regni Polonię Cancellario, Ordinis Aquilæ Albæ Equiti. Joanne Matachovvski Pro-Cancellario Regni, Diſtrictuum Opocznenſis, & Oſtrolecenſis Gubernatore, Miniſtris Status. Nicolao Dembovvski Epiſcopo Nominato Camenecenſi, Præpoſito Commendatario Miechovienſi. Jacobo Alexandro Principe Lubomirski Enſifero Regni, Generali noſtro Locum-Tenente. Vladislao Lubienski Notario Regni. Principe Lubomirski Palatinida Czernicchovienſi, Camerario Noſtro. Theodoro de Hovvel Canonico Coadjutore Metropolitano Gneſnenſi, Sigilli Majoris Regni Secretario. Joanne VVolski Subdapifero Diſtrictus Chęcinenſis, minoris Sigilli Regni Secretario; aliiſque plurimis Conſiliariis, Cubiculariis, Secretariis, & Familiaribus Noſtris.

Auguſtus Rex

Archicancellariatu Illuſtriſſimi, Excellentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Andreæ Stanislai Koſtka Comitis in Zatuskie Zatuski, Epiſcopi Culmenſis, & Pomeſaniæ, Abbatis Commendatarii Cervenenſis, Supremi Regni Poloniæ Cancellarii ſigillatum.

Hyacinthus Ogrodzki Regens Cancellariæ Majoris Regni Poloniæ.

Clariſſimo, & Doctiſſimo Viro

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Academiæ Bononienſis Socio, & Nobiliſſimi Brixiani Medicorum Collegii Priori.

ANTONIUS FORMICA SICULUS

Supremi Cancellarii Polonię Medicus Ordinarius

S. P. D.

Cum volumen tuum inſigne Hiſtorias Morborum continens, Opus ſive eruditionis, ac Medicarum obſervationum varietatem, ſive Scriptoris accuratam, & elegantem tractandi rationem ſpectes, præſtantiſſimum recepiſſet Illuſtriſſimus ac Eccellentiſſimus Dominus Andreas Comes Zatuski Culmenſium Epiſcopus, ac Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, bonarum Artium, & imprimis Medicæ Protector eximus, illud ad me Dreſda Varſaviam tranſmiſit. Voluit ſcilicet Vir Illuſtriſſimus, me participem fieri præclariſſimi hujus doni, priuſquam volumen ipſum in ampliſſima ſua bibliotheca, plus quam centena voluminum millia continente, quam publicis uſibus deſtinare decrevit, reponatur. Præcepit inſimul, ut obſervationes Medico-Phyſicas, quas de morbis in climate iſto frequentioribus, eorumque remediis, ac aliis ſcitu, ac animadverſione dignis rebus feciſſem, ad Te, Eruditiſſime Roncalli, tranſmitterem. Quamvis mihi videar ampliſſimo, ac limpidiſſimo flumini guttam additurus, mandatis tamen Optimi Patroni, cui jam ab annis 17, ut ordinarius Medicus, conſtanter ſervio, parendum fuit. Id vero eo libentius ago, quod ſingularis tua comitas, ac humanitas, cujus argumenta tuus ipſe liber non obſcura præſefert, me in ſpem erigat, fore ut opellam hanc, quantulacunque ſit, benigne recipias, errores (quod ſupplex rogo) emendes, ac negligentiori ſtylo indulgeas: nec enim a me expectes digeſtam, ac pexam diſſertationem: narrationem ſimplicem aggredior, quam ad capita aliquot ſi volueris redigere, & ad uſus tuos, ſi dignum judicaveris, convertere poteris.

Polonia vaſtiſſima continens in ſe Ruſſiam, Podoliam, Podlachiam, Lithuaniam, Livoniam, Mazoviam, Pruſſiam, &c. eſt regio tendens ad Mare Balticum verſus ſeptentrionem ſemper in planitie, abundantiſſima rebus comeſtibilibus neceſſariis ad vitam. Homines ſunt humaniſſmi, liberales, hoſpitalitatem ſervantes, quorum temperamenta fortiſſima: ſunt ſemper in motu, de loco in locum diſcurrunt, quos tædet diu morari in aliqua parte, & ni infirmentur, vagantur per loca diſtantia, & cum frequenti exercitio, & aeris mutatione confirmantur in bona valetudine, quibus mole-

moleſtiam plurimam adfert Medica ordinatio, vel morandi, vel ſervandi dietam. Solent utplurimum parum bibere in prandio; at poſt prandium quaſi qualibet hora bibunt ſuum ordinarium potum cereviſiam: panis valde parum comedunt, rariſſime herbas, at carnes, piſces, & volatilia ſemper, & in quantitate. Abborrent aquam propter timorem hydropis; verum tamen eſt habere aquas craſſas, & fœculentas ſolum ex puteis, quos neque curant purgare: ſcaturigines, & fontanæ non ſunt, niſi in montanis locis diſſitis valde. Eorum cereviſia, & prandium ex dictis aquis putealibus parantur; ideo, meo judicio videri, ſcorbutus in omnibus viget.

Scorbutus in hac regione prædominatur, ſicut in oris ſeptentrionalibus cunctis: eſt morbus endemicus, & tantum inter incolas per gradus magis, & minus diſtinguitur. Per caffè, qui non ſunt ſcorbutici fiunt; ſcorbutici bibentes caffè fiunt incurabiles. Hypochondriacis, hyſtericis, & ſcorbuticis ſi non probibetur caffè, nunquam fit curatio, & crematum ſimiliter. Curatio fit per anteſcorbutica; adminiſtrantur ſucci talium herbarum expreſſi in Maio, & Junio, & aliis temporibus anni; ordinantur earum ſpecies collectæ, & bibendæ ad modum thè. Balnea ex ramis pini parata juvant. Phlebotomia prodeſt. Purgantia fortia nocent. Lac eſt utile. Chalybeata, balſamica, & ſtomachica curant, & decocta lignorum. Variantur juxta temperamenta, & ſymptomata, quoque curationes non ſemper eædem per prudentiam Medici.

Poloni panem ſiligineum comedunt, cujus paſtam fermentant fœcibus cereviſiæ, ſæpe terreum, grave, ponderoſum, nec bene coctum. Carnes utplurimum ſemicoctas, & duras amant. Pultibus multarum ſpecierum, quibus abundat Polonia, veſcuntur, cibum aromatibus condiunt, pipere, nuce myriſtica, zinzibere, & croco; in omni olla cibi, etiam in carne imponunt butyrum. Loco olivarum, oleo utuntur expreſſo ex ſeminibus raparum, lini, & nucis. Sal eſt foſſilis, mineralis, ſicut ſal gemma; eruitur ex fodinis Cracoviæ. Hæc adnotavi lædentia ex conſideratione ſcorbuti. Item populi vel ſemel, vel pluries bibunt crematum pro die, quod eſt ſpecies aquæ vitæ elicitum arte per deſtillationem ex putrefacto frumento, quod inebriat, & reddit ſtultos: & mulieres ſi cremato, & caffè abutantur, ſtatim incidunt in fluorem album, & in hyſtericam paſſionem: viri vero per caffè, & crematum in hemophtyſim, & hypochondriacum malum incurrunt. Centenas perſonas ſcorbuticas vidi ex contracto vitio bibendi caffè, & crematum miſere periiſſe; neque lac caffeatum illis eſt utile. Unico verbo caffè, & crematum augent, confirmant ſcorbutum, & bibentes redduntur incurabiles; nec Medicus explere ullam curationem in ſcorbuticis ceterorum morborum valet, niſi caffè, & crematum exulent; nec in temperamentis ſcorbuticis alii ſuperadvenientes morbi ſuperantur, niſi ſpecifica morborum jungantur anteſcorbuticis.

Notatu dignum habe, eruditiſſime Roncalli, quoque, tantopere deprædicatum liquorem anodinum Hoffmanni per Germaniam totam, in Polonia vero experiri nocivum; non ita tamen ſpiritus nitri dulcis. Nunc ad alia pergo.

Hyems in Polonia incipit cito, & finit tarde, ſæpe per quinque, vel ſex menſes perdurat: mediis Octobris areſcit terra, deſinit pluvia aquæ, & incipit gelu matutinum, frigora, & nives, quę ſemper augendo, continuant per totum Martium; in Aprili incipiunt decreſcere, & mediis Maii terra rejuveneſcit: unde hyems furatur ab autumno, & primo vere duos menſes, vel tres, & quidquid amiſerunt autumnus, & ver, rapiunt poſt ab æſtate, taliter quod ſæpe æſtas nec durat per unum menſem. Circa vigeſimam quintam Maii incipiunt tonitrua, & pluviæ, ſupra quas primas aquas pluvias colligitur ſulphur flavum ſimillimum ſulphuri communi, quod quolibet anno colligi tam ſuper herbas, quam in doliis impoſitis, & ſuppoſitis ad colligendam aquam de cœlo pluviam. A vigeſima Decembris ad vigeſimam Februarii, aucto frigore, gelantur flumina, lacus, piſcinæ, & paludes glacie fortiſſima, ad craſſitudinem brachii, ſupra quod tanquam ſupra pontem diſcurrunt homines, & jumenta onuſtis curribus pondere incredibili, & graviſſimo, & ſubtus glaciem aqua continuat curſum ſuum. Hæc fortitudo glaciei ſolet plus, & minus durare ad duos menſes. Hæc eſt climatis conſtitutio temperata, & ſalubris, & fertilis. At vero ſi frigus exceſſerit nimium, areſcunt, & moriuntur arbores fructiferæ: & ſimiliter ſi hyems non erit nivoſa, glacioſa, & frigida, ſed erit humida, pruinoſa, & pluvioſa, pro certo patognomonicum erit ſignum epidemiæ imminentis ſecuturæ, ut infra patebit.

In Octobri muſcæ ſe abſcondunt, & ſervant in fiſſuris domorum, ubi penitus areſcunt, & nunquam exeunt per hyemem, nec apparent; tandem ceſſante rigore hyemali in Aprili, forſan ſentientes aeris benignitatem per ſolis calorem contemperati, denuo animantur, & ex fiſſuris cadunt in domibus ſicciſſimæ, & quaſi mortuæ, & poſt puſillum incipiunt ſe movere, ambulare quaſi ebriæ, & tandem volare. Forſan dormierunt per totam hyemem.

Alius conſimilis caſus ſuccedit cum hyrundinibus, quæ incipiente rigore hyemali, omnes concurrunt ad aquas, & ſe conjunctis pedibus ad invicem tenentes, formant globum, & ſub aquis in ſtagnis, & paludibus ſe abſcondunt, at non in fluviis currentibus. Piſcatores quærentes piſces in piſcina faciunt foramina in glacie, per quæ immittunt retia, & ſic capiunt piſces, in quorum retibus ſæpe trahunt globum hirundinum, quem portantes domum in calido hypocauſto, vel in camini calore reponentes, hirundines quaſi a calore vivificantur, & incipiunt volare. Credo illas dormitaſſe ſub aquis per hyemem. Sed quomodo vivant ſine ullo pabulo nutritivo, & aere vivificante ſub aquis, ſiquidem non ſunt piſces, adhuc non comprehendo. Quælibet avis aquis ſubmerſa moritur,

ritur, & putreſcit, hirundo vero non putreſcit, & vivit per ſex menſes in aqua ſepulta. Hæc duo retuli, ut darem campum Phyſicis ratiocinandi circa vitæ principium, & conſervationem ejuſdem.

Sylvæ immenſæ quoque ſerpunt per totam Poloniam arborum ſylveſtrium, & ſunt abies, larix, pinus ſylveſtris mugo, pinus, picea, pinus ſylveſtris, & pinus cemero, unico verbo omnes ſpecies pini, ſed nulla producit fructus, neque ab illis colligitur thus, ſed grana thuris inveniuntur collecta a formicis in nido formicarum ſub pinis.

Ante ſexdecim annos, dum meus Dominus erat Epiſcopus Plocenſis, illo tempore perambulabamus ſuper ripam fluvii Buk, & Narevv, ubi, ſicuti dixi, ubique ſunt pini; meus Dominus ex relatu habebat, illo in litore inveniri ſuccinum; ille curioſitatis gratia baculo arenoſam terram fodiebat, & invenit, & collegit ſuccinum album: ratiocinando inde de ortu ſuccini perſuadebar, eſſe ſubſtantiam gummoſam ortam ex arboribus pini, quæ tractu temporis in terra dureſcit, & tandem per pluvias, & rivos liquefactæ nivis deſcendit in flumina Viſtula, Buk, & Narva, quæ currunt in mare Balticum, ad cujus maris litus colligitur ſuccinum.

Et etiam in montibus Carpatis Poloniæ, ubi ſunt arbores pini, invenitur ſimilis ſpecies ambræ griſæ, ſed non eſt odoroſa, credo propter defectum ſufficientis caloris ſolis.

Dixi ſuperius, quod ſi hyems in Polonia non fuerit ſicca, frigida, & nivoſa, at humida, ventoſa, & pluvioſa, expectanda erit epidemia, vel malignæ infirmitates in primo vere, æſtate, & autumno, ſicut anno 1737 ſucceſſit, quo in anno de hyeme pluerat, nix raro comparuit, aer ſemper humidus, & aquæ nimiæ, & ex duobus puteis VVarſaviæ excreverunt, & foras currebant, unde putreſiebat terra, & febres malignæ, cum nigris exanthematibus inceperunt; ſed prius variolæ in pueris in Martio; & duravit afflictio, & infectio uſque ad Januarium ſequentis anni, in quo per adventum nivis, ſiccitatis, & gelu præcipitati vapores venenoſi in terram ex aere, & ſepulti ſub nive, purificato ſic aere, ceſſavit infectio. Non calor, ſed frigus in Polonia purificat aerem; & quandocunque fuerat peſtis, ſive aſportata ex Hungaria, omnibus deterior, ſive ex Turcia, mitior, ſemper in hyeme nivoſa, & frigida ceſſavit. Et in anno relato 37 mortui ſunt in Polonia ad ducenta millia hominum. Notandum, quod aliquando ſit tantum hominum epidemia, & non quadrupedum, & aliquando neque hominum, neque quadrupedum, ſed arborum: propter pabulum, & aquas infectas in quadrupedibus; in arboribus propter exceſſum frigoris, non tantum aeris, ſed terræ, per quod areſcunt radices, & ſic moriuntur, uti evenit 1740. Notandum quoque, fuiſſe validiſſimos ventos ſeptentrionales in Decembri, & Januario 1737, per quos plus quam tertia pars ſylvarum pinorum eradicata cecidit in terram. VVarſaviæ, ex permiſſione mei Domini Magni Cancellarii Andreæ Zatuski, eo tempore commorans, ego munere meo fungebar; procurabam juvare infirmos juxta poſſibilitatem, & vires, & Miſericors Deus dedit mihi aſſiſtentiam, & benedictionem in curis. Uſus ſum tincturis bezoarticis, alexipharmacis, & cordialibus aquis, & theriacalibus interne, & multis concedebam vinum: externe ablutiones ex aceto bezoartico ordinabam, & veſicatoria, & clyſteres, ſine purgantibus, ſine vomitoriis, & ſine ſanguinis miſſione, quia adverteram, hæc talia male ordinata a Chirurgis, & adminiſtrata occidiſſe. Symptomata erant repentina proſtratio virium, inappetentia, dolor capitis continuus, acutus, & gravis; hæc erant initia: interim genæ rubebant, pulſus tardus, & non frequens ſine ſiti. At in tertio, & quinto febris manifeſtabatur cum frequentia pulſus, & continua apparebant per totum corpus exanthemata nigra, lingua nigra, urina cruda, & aquea, & in aliquibus ſimillima jumentorum.

Decretoria dies erat decima quarta. Quibus Chirurgi miſerunt ſanguinem, vel dederunt purgantia & vomitoria, in nono, vel undecimo, vel antea moriebantur: at quibus fuerat facta curatio per diaphoretica prædicta, curabantur feliciter. Pauperibus in villis ordinatum fuit decoctum milii, ſive ſyrupus ambroſianus; ſic infirmi per ſolos ſudores reſtituebantur ad ſanitatem; ſudores olebant quaſi ex cadavere promanantes.

Primus, qui me vocaverat ad illum curandum in quarto die, fuit Confeſſarius Pater Congregationis Miſſionariorum ætatis 35. annorum, qui aſſiſtendo moribundis, ex infectione contracta, dejectis viribus, ſummo dolore capitis, reverſus domum, jacebat in lecto ſine ullo alio ſymptomate. Credens ego, quod natura in ſecundum diem oſtenderet mihi certiora ſigna ad judicandum, & ad operandum, diſtuli in craſtinum. At quando veni in quinto, inveni illum jam mortuum: unde horrore ego perculſus incepi cogitare, & judicavi, ſerpere morbum contagioſum, & peſtiferum. Me præmunivi diæta, & quotidie in fine prandii comedi unum caput allii cocti ſubtus cineres, ſemper bibi vinum, & de mane, antequam irem ad infirmos, ſumebam in cochleare vini quinque, vel ſex guttas balſami Orientalis de Meca, & ſic continuando, gratia Dei, fui ſemper ſanus. Duos tantum caſus, qui evenerunt, credidi bene non præterire ſilentio, & ſunt:

In Illuſtriſſima Familia, & Domo Dembouski erant 14. perſonæ decumbentes ſimili febre maligna, inter quas Dominus Stanislaus Dembouski ſeptimo die innuit mihi ſe male habere in genu dextero, & ibi ſentire magnum dolorem: dixi, ut oſtenderet genu; oſtendit, & vidi carbunculum magnitudine caſtaneæ rubrum in radice, lividum, & lucidum in corpore, nigrum in medio, quo viſo, exhorrui, & immediate feci vocare Chirurgum Regis, qui vocabatur Dominus Trof; venit, & viſo carbunculo, judicavit immediate facere operationem, quo ſciſſo, & avulſo, proſecutus eſt topicam

cam ſuam curationem partis, ex quibus exhalationibus, & effluviis contrectando infectus, ſecundo die Chirurgus infirmatur, & freneticus in quinto moritur.

Demboſcius vero evaſit, & uſque nunc vivit.

Mercator Italus, cognomine Bellini infirmus in Junio morbo epidemico cum tota familia, excepta uxore, non ſolum exanthemata habebat nigra, ſed excreverunt illi) duo bubones in inguinibus, cui ordinatis cordialibus bezoarticis, & alexipharmacis, cogitavi relinquere curam bubonum ad manus Chirurgi, at interim, neſcio ex quali inſpiratione impulſus, ordinavi coquere ſalviam, & rutham in vino, & in eo immergere ſyndonem, qua poſtea ſyndone feci involvere totum corpus infirmi ad inſtar infantis in faſciis, & hoc factum eſt me preſente: erat quarta dies ſui decubitus; ſic jacuit, & ſpatio medii quadrantis incepit ſudare, & ſudor duravit per totam noctem; ordinavi ſic illum relinquere uſque ad meum adventum, ſed de hora in horam illum refocillare aquis cordialibus, & aliquando dare parum optimi juſculi carnium; in ſudoribus dormiebat, & ſudores fuerunt ita copioſi, & continui, qui lectum perforantes, expanderunt in terram ſubtus lectum. De mane ad illum viſitandum primum vado, & invenio eum, poſt tantam criſim, hilarem, & ſerenæ mentis, ſed debilem. Feci parare alia lectiſternia ad illum reponendum; & exuta ſyndone, inveni liberatum a maculis, & a bubonibus, & ſine ulla febri, refocillatis viribus bona nutritione, & convenienti, poſt quatuor dies exivit foras, & primo ad Eccleſiam ad gratiarum reddendum tributum Domino Deo: qui adhuc ad præſens vivit VVarſaviæ ſanus.

Talis fuit epidemia 1737. in Polonia cauſata, ſicuti dixi, ex putredine terræ per illuviem aquarum in hyeme. An vocari poterat peſtis, Medicis relinquo judicium.

Solent bis in anno apparere variolæ, primo vere, & Octobri; hoc in menſe credo ratione fornacis, quam quilibet domi accendit propter frigus; unde in parvulis oritur ebullitio, & refermentatio humorum. Primo vere ratione diſpoſitionis aeris, mutationis continuatę, & halitibus coinquinati aeris, & quia terra per ſex fere menſes remanſerat ſepulta ſub nivibus, & regio eſt plana; in Aprili, liquatis nivibus, terra aperitur, & vapores putridi aſcendunt agente calore, qui inſpirando, & reſpirando attrahuntur ab hominibus, in quibus juxta diſpoſitionem ſubjecti fit actio, & paſſio.

Variolæ ſæpe benignæ, aliquando malignæ, & aliquando confluentes. Benignæ penitus nil dando a natura curantur; & quia mares deſiderant, ut aliquid ſubminiſtretur, ordinantur cordialia.

Variolæ mali moris tractantur cum validioribus cordialibus, & pulvere Pannonico rubro, cuſtodiendo infirmos in continua tranſpiratione.

Variolæ confluentes vero tractantur ſimili methodo, additis bezoarticis, & diaphoreticis blandis, excluſis antimonialibus, & mineralibus, utpote nocivis, & ſuſpectis.

In hoc climate, qui tentarunt per ſanguinis miſſionem curationem variolarum facere, lacrymas in ultimo profuderunt.

Duo Illuſtriſſimi filii Excellentiſſimi Palatini Mazoviæ, & Senatoris Regni Domini Poniatovvski, unus poſt alterum habuerunt variolas, ambo mali moris, per ſupradictam methodum curati ſunt; tandem alius filius minorennis annorum octo etiam infirmatus, variolas in majori numero habens, quæ expleverunt feliciter curſum cum decreſcentia, & exſiccatione decimo ſeptimo; hic erat puer pinguis, & carnoſus. Ecce denuo decimo octavo inceperunt apparere novæ, & confluentes; decimo nono, & vigeſimo magis augebantur; vigeſimo primo in majori copia per totum fere corpus, ad latera antecedentium, & in partibus ubi primæ non fuerant; vigeſimo ſecundo occuparunt totam ſubſtantiam oculorum, & inter uveam, & corneam apparebat vermiculus in ſiniſtro oculo, qui ſerpebat cum maximo infirmi pruritu, & moleſtia, cui non valens reſiſtere puer, impatiens manu fricando oculos exulceravit, & deſtruxit, & cœcus factus, vigeſimo tertio mortuus eſt. Tres vermiculi ex ſiniſtro oculo exiverunt ſimiles illis ex caſeo, quos vivos repoſui in ſpiritu vini, & illico mortui ſunt. Ex ejuſdem Familia Illuſtriſſima filia ante octodecim annos ex variolis quoque mortua eſt, cui ſuperadvenit gangræna in lumbis, ex applicatione hirudinum a Chirurgo, ſic illo tempore diſponente, & curante, quam Principiſſa mater flevit amare, una cum hoc ultimo filio per confluentes defuncto.

In hac regione ſerpit morbus, plica vocatus, a complicatura capillorum. Et quamvis ab exteris credatur morbus fictitius, & ex incuria productus, tamen qui ita credunt falluntur. Per continuatam praxim fateri cogor, eum eſſe morbum particularem, graviſſimum, & realem, cujus Hercules Saxonia doctiſſimum, & diſertiſſimum fecit Tractatum, ſicuti & alii Doctores, ſed tantum ex relatione; at ego ut teſtis oculatus præſens per tot annos, hunc morbum repono in numero morborum cutaneorum ex cauſa interna productorum. Mi Expertiſſime, & Doctiſſime Roncalli, ſpero per hanc ſinceram relationem, me in parte Tibi ſatisfacturum, aperiendo viam ulterius philoſophandi.

Botium, lepra, tinea, ſcabies, pſora non cognoſcuntur a Polonis; at eorum loco plicam cognoſcunt. Et antequam illam definiam, vel deſcribam, permitte, ut pauca referam, quæ mihi occurrerunt in Praxi, relinquendo multo plura, ne tædio afficiaris per multa exempla, & varios ſimiles caſus: duos, vel tres refero, & ſunt:

Quidam Italus Neapolitanus, cognomine Caſela, homo ſanctiſſimus, ætatis 30. annorum venit in Poloniam, poſt annum nupſit cuidam Polonæ in pari ætate, & infra annum ſui conjugii incepit laborare cephalalgia; nunc patiebatur hemicraniam periodicam, & ſæpius vagos capitis dolores, & varios per artus dolores; per dies quadraginta ſic cruciabatur: poſtea ſuperadvenit ophtalmia cum rubore,

re, inflatis palpebris, ſeroſitate plenis, & continuo lachrymando; & dolores erant per totum corpus arthritis vagæ; & ſic jacebat in lecto. In quinquageſima nocte, per ſomnum excitatus, ſentit habere faſciculum, quaſi ſpinarum, ſub alis, & axillis utriuſque brachii; tangit, palpat pilos criſpos, duros, & implicatos; & non ſufferens talem moleſtiam, forſicibus a ſua uxore ſcindere fecit; at ſequenti nocte omnes crines capitis implicati ſunt, & in chordam unam criſpam, & duram redacti, & tali modo unus crinis contortus, & involutus cum aliis, quod unus crinis nullatenus ab alio poterat disjungi, niſi ruptus in partes, & non eſt poſſibile amplius illos pectine ſeparare, factus ut nodus Gordius, niſi ferro ſcinderentur. Ille comam ſolebat nutrire, & continuo illam pectebat; unde notandum, non per incuriam hoc illi advenerat, ſed ex cauſa interna. Ægre ſufferens tantum incommodum capillorum, raſit caput, & capillitio arte facto uſus, incidit in tarditatem auditus, & in brevem viſum, cum continua ophthalmia, qui adhuc vivit, ſed in continuis languoribus; ex impoſſibilitate nullam curam admiſit, paupertate preſſus, credulus cum mulieribus, tale malum provenire ab Angelo percuſſore, quia fere omnes ita ſentiunt. Hic notandum, quod morbus plica faciat curſum ſuum, in cujus initio ſentiunt ſummam melancholiam, inappetentiam, & moleſtiam in parte lienis; in augmento catarrhus univerſalis, & dolores punctorios per corpus, & caput; in ſtatu arthritis vaga, & hoc tempore implicantur capilli; in declinatione, formata jam plica, incommoda interna diminuuntur, & remanet morbus chronicus. Propterea qui paſſi ſunt antecedenter tantas afflictiones, & poſtea orta plica ſe ſentiunt in magna parte ſublevatos, non audent illam tollere, imo eam cuſtodiunt, nec perſuaderi poſſunt aliter, credentes illam habere per providentiam naturæ factam, quam ſi tollerent, fierent in illis pejora prioribus.

Quidam advena 26 annorum cupiens explere libidinem ſuam ad ſatietatem, ſemper in lupanari; poſt 5 menſes coinquinationis continuatæ, derepente una in nocte aggreſſus eſt a doloribus cholicis, & de mane a diarrhęa, & ſequenti nocte a doloribus articularibus, & capitis dolore; in quinta nocte excrevit plica, cujus crines quos habebat taliter implicati fuere in faſciculum, quod ille idem attonitus, & admirans ſtupebat, qui præ dolore nec caput ſupra pulvinaria reponere audebat, & vagi ejus dolores diminuti ſunt. Hic perterrefactus a tali ſubitaneo caſu, die decima abſceſſit, redeundo in patriam.

Nobilis quidam pari nobili viduæ nupſit; hora concubitus ſtat, quia ingreſſus erat occluſus a maſſa piloſa, quam mulier ſcindere timebat, ne ei pejora mala eveniſſent, & maritum rogavit petere conſilium a Medico, qui venit ad me ſciſcitando, ſi ſine periculo perſonæ plica illa potuiſſet tolli; remiſi, & ordinavi, ut per tres dies bis pro die eam poneret in balneo ſulphureo arte parato, ſecundo die raderet ſine timore pubim, & ultimo partem linire balſamo ſulphuris: ſic factum fuit; at mulieri ſucceſſit, ſciſſa plica, fluor albus, quem fluorem dicebat non habuiſſe antea, ſed ſolum hyſtericos dolores paſſam fuiſſe: & quia diſceſſerunt in longinquam provinciam, ideo nil de ea aliud poſſum referre.

Mulier ruſtica plicoſa habens quinque viperas in capite, id eſt quinque chordas implicatorum capillorum pendentes (unde notandum, quod non ſemper capilli in unam contorquentur maſſam, at in plures) in matrimonium ſe viro ſano junxit, & facta illa prægnante, maritus incepit infirmari, continuo tortus doloribus viſcerum, & capitis, qui tandem ex tympanitide obiit, nulla orta plica in capite.

Nobilis cognomine Kreſcina, homo 40 annorum, relicta uxore, perrexit Conſtantinopolim, ubi moratus ad tres annos, more Orientalium nutrivit barbam: ſic barbatus reverſus in patriam ad conjugem, cum ambitione ad oſtentationem eamdem barbam portabat. Quodam die domum illius ingreſſus Rabbinus Judæus, quoque barbatus, ſine negotii ad vendendum, quem inſpiciens Nobilis Kreſcina ſibi ſimilem, pro ignominia ſe eidem aſſimilari reputavit; unde detento Rabbino, & accerſito barbitonſore, juſſit Rabbini barbam radere: volens nolens Rabbinus fuit raſus, & dimiſſus, qui deceſſit maledicendo, imprecando contra dictum Kreſcina. Tandem poſt menſem, perſuaſione amicorum, ne aſſimilaretur Hebræis, annuit, & vocavit barbitonſorem ad tollendam barbam. At ſtatim ac artifex novacula faciem, ac pilos tetigerat, immediate ſuperadvenerat lypothimia; diſtulit propterea ad ſequentem diem. Poſt deliquium horripilatio, & frigus invaſerunt eum; de nocte tormina ventris, & diarrhęa, & fluxus hæmorrhoidorum; de mane vero apparuit plica tam in barba, quam in crinibus capitis; & ſic mortificatus jacuit domi per annos quinque. Tempore poſtea convocationis generalis totius Nobilitatis pro Regis electione venit ad me quærendo remedia ſalutis, & narravit mihi hiſtoriam credulus, quod Rabbinus Judæus illum veneficio infecerat. Hic ergo habebat plicam in barba, & magnam plicam in capite, cujus crines erant implicati in una ſola maſſa, item dolores per omnes juncturas, & fiſtulam in ano. Sciendum, quod ejus uxor patiebatur fluorem album.

Curationem incœpi per decoctum ſalſæparillæ, & reliquorum lignorum, cum antimonio minerali, per decoctum viperinum, & per purgantia de tempore ad tempus, ideſt hebdomadatim; externe vero per veſicatorium in collo, & balneum paratum de decoctis ramis pini, & ſulphure; & ultimo linimentum ex balſamo ſulphuris.

Curatio perduravit ad dies 35: poſt duas hebdomadas ceſſarunt omnes dolores; & poſt 20 dies raſa fuit illa barba, & plica ſine ulla ejus moleſtia. Plica capitis, & barbæ ponderata eſt ad duas libras & unciam, maxima tamen erat capitis,

tis, & nimis ponderoſa; fuit ſanus inde ex omni parte, excepta fiſtula ani, & quia non potuit invenire Chirurgum capacem pro tali explenda curatione, poſt quatuor annos facta canceroſa, ex hac occaſione obiit.

Nobilis Modlecki ex Podlachia annorum 28. cum plica in capite, plenus doloribus vagis per totum corpus petiit curationem, quæ feliciter adimpleta eſt per veſicatorium in collo, & per ſulphurata balnea, & ultimo pro præſervatione apertum eſt illi cauterium in brachio, & jam a ſex annis continuo fruitur bona valetudine, ſine ulla recidiva, nec capilli creſcentes implicantur amplius, a quo nuper recepi, circa ejus incolumitatem, gratam epiſtolam. Similes centenos caſus non refero, quos in praxi habui; notati intelligenti ſufficiunt ad judicandum.

Cum mater plicoſa habet prolem, non oritur filiis neceſſario plica; at ſæpe filii patiuntur incommoda capitis.

In infantia obnoxii ſunt convulſionibus; in adoleſcentia diarrheis, & dyſenteriis; in pubertate, & juventute patiuntur hemicraniam, & morbum caducum; & poſtquam ſe junxerunt fœminis, manifeſtatur in capite plica, præcedentibus ſignis jam dictis. Poſt apparitionem, & excretionem plicæ, qui plicam formatam habent, delectationem veneream amittunt; imo eis coitus tædium, & faſtidium parit. Timent illam ſcindere propter pejora mala inde interne futura.

Fœminæ præſentientes in ſe incommoda interna, qualia ſentiebant plicoſæ, arte procurant implicare capillos capitis ſui decocto alicujus herbæ ſmegmate, & oleo parato, & faciunt ſibi plicam, credulæ ſic attrahere ad crines cauſas internas, & inde alleviari, ab ignorantia fœminea perſuaſæ.

In Polonia, qui caſte vivunt, plicam non habent, nonniſi hæreditariam: ſcorbutum vero vel hæreditarium, vel acquiſitum fere omnes.

In plica phlebotomia eſt nociva; adminiſtrata, exacerbantur ſymptomata: at plicoſis veſicatoria conducunt.

In Polonia eſt Judæorum numerus maximus, liberi, & ubique diſperſi per omnes provincias mercimonia facientes, & tabernas tenentes, ſic permittente Republica, lege ſancita ab antiquo. Suſpicantur nunc Poloni, Judæos eſſe juratos inimicos Chriſtianorum, apud quos Chriſtiani, ſi emunt mulſum, vel hydromel, ſive melicraton, credunt ſtatim infici plica, imo dicunt, in doliis inveniſſe plicas capillorum dolo a Judæis impoſitas ad bibentes Chriſtianos inficiendos, & ſimiliter in doliis cremati, quod continuo eſt in ore cunctorum; quæ ſuſpicio mihi non videtur certa; ſed potius quia mulieribus ſe implicant. In copula ille ſpiritus ſalinus, qui exaltatur, eſt qui inficit, & generat plicam, cujus ſymptomata ſymbolizant, & ſunt ipſiſſima luis venereæ; non eſt tamen idem morbus in ſpecie; ſed per parvas circumſtantias differunt intra ſe; at in genere mihi videntur idem. Olim antiqui Poloni inculpabant Tartaros; præſentes inculpant Judæos; ego vero eos non inculpo, neque excuſo, ſiquidem eos credunt inimicos; certum eſt, quod inimicus Hebræus odio perſequatur inimicum ſuum per Legem: Odio habebis inimicum tuum, credens ſic obſequium præſtare Deo: at quoad ortum plicæ aliter ſentio. Nec nego, quod plica infuſa in mulſo non poſſit inficere ſanum hominem bibentem; ſed primam originem plicæ quæſivi, quam declaravi: at de ſecundaria, non dubito poſſe communicari, ſicuti per induſium infectum, immerſum in dolio mulſi a Judæo in Lithuania fuerunt infectæ morbo gallico 30 virgines, quæ illud biberunt, quod emerant a Judæo, & extracto ex dolio induſio, facta perquiſitione, fuit Judæus detentus, jure convictus, & punitus.

Non dico tamen, ſemper, & neceſſario plicam a concubitu carnali provenire, ſed ſemper ab illo ſpiritu ſalino-volatili excitato vel motu, vel calore interno, qui, ſi ſe ſublimat ad caput, facit plicam, ſi vagatur interne, facit arthritidem; ſi ad cutim, facit ulcera; ſi alteratus remanet inferius, cauſat fluorem album, pollutiones, gonorrheam ſimplicem, quæ cuncta in virginibus etiam ſuccedere poſſunt abſque ullo præcedente concubitu; at ubi concurrunt duo ſpiritus ſalinoſi volatiles ſimiles in natura, & diſſimiles in qualitate, unus ab alio alteratur, nempe a qualitate fortiori præpollente, ſicuti videre eſt in ſcorto varia ſemina admittente, inficitur. Experimur quoque fieri in conjunctione rerum fortius id, quod prius ſolum erat forte, utpote ab uno ſpiritu ſalis remanet activitas fortis tantum; ſi duos junges, erit fortior; ſi tres, erit res fortiſſima.

Omnes morbo venereo infecti, ſive ſint arthritici, ſive ulceribus pleni, ſive gummis, &c. pauperes ſe in fimo equino ſepeliunt per duas hebdomadas, in ipſo die noctuque morantur nudi fimo cooperti undique, ſolo capite apparente pro reſpiratione, & tantum pro exoneratione alvi ex illa fovea exeunt, & ſtatim revertuntur, & ſic per ſudores pauperes ſe curant, ut convaleſcant: hoc faciunt in Maio, Junio, & Julio.

Eſt quoque apud quemdam meum amiciſſimum Medicum Phyſicum verus mercurius relatus in praxi a Doleo, qui in pauca doſi intra 11. dies hos morbos curat ſine ulla ſalivatione, ſed ſolum per ſudores.

Ruſtici radicæ tormentillæ ſe curant ex febribus chronicis; at floribus, & foliis virgæ aureæ ex calculis.

Fungi comeduntur ſecure, ſine ſuſpicione ulla veneni, & ſunt multarum ſpecierum; unam tantum ſpeciem rubram non manducant, quam dicunt venenoſam.

In Polonia nulla lepra, nulla ſcabies, nulla tinea, nec pſora; at morbi ordinarii ſunt ſcorbutus in primo loco, in ſecundo plica, tertio variolæ, morbilli, febres petechiales, & ſimplices.

Pro ſecunda claſſe fluor albus, morbus venereus, & affectio calculoſa.

Tertio loco apoplexia, epilepſia, phthyſis, hemophthyſis, dyſenteria, hydrops, & pleuritis valde raro.

Multi morbi ſunt complicati, qui trahunt originem a ſcorbuto, qui niſi adminiſtrentur ſpecifica morborum conjuncta anteſcorbuticis, nec ſpecifica juvant, nec morbi curantur.

Phlebotomia, ubi convenit, celebratur, veluti in angina, pleuritide, hemophthyſi, & phthyſi; eſt quoque uſus, & conſuetudo in prægnantibus aliquibus, & in ceteris caſibus a ſcorbuto concomitatis eſt utilis; ſcorbuticis omnibus fere proficua, non vero hypochondriacis.

Apparet inde plicam capillorum procedere a naturæ motu interno intendentis ad extra facere criſim materiæ impuræ per ſales volatiles impetum ſurſum facientes, excitatos calore non naturali, ſive aucto.

Et ut hanc deſcriptionem Tibi, mi Sapientiſſime Roncalli, redderem clariorem, illam hoc experimento fulcio, a me facto bis, quod ſine invidia communico, per quod habebis ad philoſophandum, & invenies plura majora.

Crin. human ſine ſord. q. l. vel
Veller. agnin. ℔ III.

Pone ſicut eſt, ſine ullo liquore, in cucurbita alta, aliter urinali alto terreo intus loricato ſufficit replere ad medietatem. Colloca urinale ſupra tripodem ferreum, vel in furno ad hoc apto, adapta alembicum vitreum, id eſt capellum cum naſo dicto urinali terreo: alembico poſtea adapta ſuum recipiens vitreum amplum; luta juncturas omnes; accende ſubtus urinale ignem carbonum gradatim augendo; intra horam, vel duas labor ceſſabit, & hæc invenies.

Ecce omnia vaſa replentur albo fumo, qui reſolvitur in tria principia. Invenies in recipiente ſpiritum, ſalem volatilem, & oleum: oleum ſepara per cochleare, & pone ad partem, cujus uſum dicam alia vice. Salem volatilem, & ſpiritum miſce, & per retortam vitream iterum deſtilla, & habebis ſpiritum animatum. In fundo urinalis prioris remanet caput mortuum leve, & multorum colorum, quod etiam eſt utile in Medicina.

Salem volatilem inveniſti in quantitate, quibus viſis, nunc procede philoſophando, & ſi vis experiri hujus ſpiritus animati efficaciam, accipe unam partem limaturæ cupri, & duas, vel tres partes dicti ſpiritus animati, impone in phialam vitream, & in momento videbis rem delectabilem, valde amœnam, & quaſi in momento ſic ſeparabis animam veneris, quod ſulphur; poſtea poteſt per balneum mariæ ſeparari a ſpiritu animato.

Per hoc revelatum experimentum Tibi a me, quod in nullo libro invenies declaratum, vidiſti oculis propriis quantitatem ſalis volatilis capillorum, quo abundant, qui ſales excitati interno motu, & calore, capillos criſpant, contorquent, & plicant; & nota, illum ſpiritum ſalinoſum eſſe animam capillorum, qui ſpirituoſi ſales ſi non eſſent, per ferrum calidum non criſparentur capilli, ſicuti non criſpantur fila lini per ferrum calidum, quia linum tali anima caret. Tu, mi Expertiſſime Roncalli, judicare poteris inde originem multorum morborum, & formare aliud ſyſtema per experimentum, quod Tibi aperui. Si examinas ulcera venerea, ibi non acidum, non alkale fuit, & fecit, ſed ille ſpiritus ſalinoſus volatilis fuit in promptu excitatus per calorem a motu, ille ſpiritus ſalinovolatilis aſcendit ſurſum, & occupavit guttur, & naſum, vel cutim, & fecit gummata in capite ſe fixando, & fermentando ſubtus cutim. Notandum, ſpiritum eſſe receptaculum ſalis volatilis, & vehiculum, qui ambo ſublimati concurrunt. Notabis, facto experimento, & poteris guſtare ſpiritum illum animatum, tam unitum, quam diviſum in prima deſtillatione, & non invenies acidum, neque corroſivum, ſed tantum volatilem, & ſpirituoſum. Tu, Eruditiſſime virorum, ſi experimentum meum, ut ego feci, facies, & manu propria pro delectatione parabis, quod facile fit, & brevi tempore, non ſolum pervenies ad genuinam cognitionem plicæ Polonicæ; ſed ulterius ad reales curationes multorum morborum pertinges; unde, Te ſupplico, tenta experimentum, & me veridicum invenies. Si procedes, inquirendo modum, & medium ligandi effrenos ſpiritus animales, dictos ab Helmontio archeum furentem; & ſimiliter illum calorem accenſum in corde a Galeno, & triumviratum Sylvii emendabis.

Et ut hanc Epiſtolam concludam, utor terminis ſcholæ Hermeticorum, quæ docuit, morbos plures provenire ex ſale, & mercurio, dicens: Morbi, qui ex ſale proveniunt, curantur mercurio, & morbi, qui ex mercurio proveniunt, curantur ſale. *Iſte aphoriſmus hermeticus indiget profunda conſideratione, ut bene intelligatur; ſed quia multum favet experimento facto, præſertim examinando cauſam plicæ per ſpiritum ſalino-volatilem productæ, tantum innuere volui, ne me temerarium reputares, vel falſæ opinioni hærere, ſiquidem ante me Veteres dixere ſimilia. Addo vero eorum dictis hoc unum, quod neque ſal, neque mercurius poterunt domari ſine ſulphure, quod ſulphur elicitur per activitatem illorum duorum, & non per alia media, ad uſum internum, & ad uſum externum; ideo pro curanda plica adhibui ſulphurata, uti praticantur feliciter in morbis cutaneis.*

Hæc judicio, cenſuræque tuæ, Vir Doctiſſime, lubens ſubmitto, expectans eas, quibus rem litterariam ditare pergis, eruditiſſimas lucubrationes. Vale.

VVarſaviæ pridie Nonas Aprilis
M. DCC. XLIV.

NON-

NONNULLA REMEDIA IN POLONICIS REGIONIBUS FREQUENTISSIMA

EST *quinta eſſentia coralliorum Stralenheimii*, ſumme acida, & per multiplicem, & laborioſam cohobationem in alkool ſubtiliſſimum, & penetrantiſſimum redacta.

EXTERNE VERO

OLeum formicarum, lumbricorum, cum axungia caſtorei, oleo laurino expreſſo, & alumine plumoſo, ut magis penetret.

ALIUD ARCANUM CIVIUM VVARSAVIENSIUM EXTERNE ADHIBENDUM

MEmbra paralytica cum maſſa ex ſemine ſinapis, & allii, addito aceto, fricando tractant, & illico poſt ſuffitum ex ſola myrrha ſubſtituunt.

PRO CURATIONE OPHTHALMIÆ

COllyrium adhibent Medici Poloni ex corticibus granatorum, cum eorumdem floribus, fructibus cydoniorum, roſarum, cyani, addito vino rubro, imo etiam vitriolo albo.

DYSENTERIÆ CURATIO

MEdici Poloni dyſenteriam curant medio clyſtere *ex jure capitis vervecini*: externe vero aptant ſacculos ex foliis quercus, furfure, floribus chamæmel. verbenæ in aceto coctis, calide applicitos.

AD TENESMUM

EXhibent decoctum hordei, cum caſia lignea.

AD URINÆ MORBOS

PUlvis gemmatus Volkameri. Conſtat teſtis ovorum calcinatis.

URINÆ SUPPRESSIONEM

TRium ſeptimanarum feliciter curatam *ſpiritu ſalis armoniaci acido* in Poloniæ urbe Croſna (1) dicit Andreas Cnoeſſellius, teſteſque eventus profert Proconſules Faber, & Hering.

CALCULORUM REMEDIA

PRæcipue apud plebeios ſunt ſuccus betulæ ex arbore primo ſtatim vere per inciſionem uberrime extillans (2), & in doliis aſſervatus, & ſemen dauci, vel flavæ paſtinacæ ſylveſtris cum cereviſia.

FONTICULUM

SPonte in abdomine productum, & utilem memorat ſupradictus Schultzius in honeſta matrona ſuperſtite vidua Proconſulis Thorunienſis.

VENTRICULI ARDOREM

ETiam a potu aquæ regiæ, ſive fortis productum tollere nitebatur celeberrimus Meiſnerus (3) Medicus Polonus mucillagine ſeminum pſyllii, & cydoniorum, quod confirmat etiam Foreſtus.

IN SINGULTU

UTuntur Medici Poloni vino cydon. tinctur. roſ. ana ℥ I. ſyrup. cydon. ℥ ſs. extr. zedoariæ gr. xv. ol deſtill. cort. aurant. g. IV. laud. opt. gr. II. cap. cochleatim.

IN VARIOLIS

UT deformitas, & cicatriculæ vitentur, quæ faciem conſpurcare ſolent, aptari debere *ſpiritum vini myrrhiſatum*, proindeque *ſaccharum ſaturni aquæ roſarum mixtum*, celeberrimus Medicus Polonus auctor eſt.

PLEURITIDEM

CUrare ſatagunt nonnulli Poloni, inter quos Cnoeſſelius, intus exhibito *ſanguine hircino* ℈ I. *antimon. diaphor. g.* XII. *flor. ſulphuris g.* VIII. extra aptatis bol. Armen. pp. ℨ I. ſantal rub. ℈ I ſs. camphor. ℈ I. in pulverem redactis, & cum aceto ad fermentandum coctis. Circa quæ fatendum, in Italico ſolo acida, & adſtringentia pro curatione pleuritidis non nimis uſuvenire.

MARASMUS

ÆGroto maraſmode laboranti, cum pulſu *parvo*, *crebro*, & *arteriarum circa tempora* celerrimo, balnea *aquæ dulcis fluviatilis tepidæ* celeberrimus Schultzius præſcripſit: ſed per

(1) Poſita eſt juxta fluvios Jaſioldam, & Viſlocam, verſus Carpathos montes.

(2) Ita ſcribit Simon Schultzius.

(3) Experimentum feliciter ceſſit in Cive Thornienſi Poloniæ urbe munita ad Viſtulam fluvium.

quam caute hoc documentum ab aliis gentibus accipiendum eſt: ab adapertis quippe cutaneæ circumferentiæ poris ſpirituum diſſipatio, majorque in colliquato corpore debilitas pertimeſcenda ſunt; præterquam quod relatus arteriarum pulſantium ſtatus de febri dubitare facit; at quid aio, dubitare? Si maraſmus, tabes, atrophia, marcor una eadem ſunt, hoc eſt *hecticæ febris ſummus gradus*, ubi balneum quammaxime ſuſpectum eſſe debet.

SYRUPUS PECTORALIS CL. V. CABLOVVITSKI

℞ RAd glycyrrh. ℥ ſs. polipod. ℥ I. farfaræ, helenii, petroſeleni, tuſſill. fœniculi ana ℥ ſs.

Herb. capill. ven. m. I. botryos, ſcabioſæ, ſalviæ, cochleariæ, veronicæ ana m. ſs.

Flor malv. arboreę hederæ terreſtris, viol. matr. geniſt. ana pug. II.

Sem. aniſ. fœnicul. ana ℥ I. urtic. naſturt. aquat. ana ʒ II.

Squill. pp. ʒ VI. paſſul. maj. exacin. ℥ II.

Dactyl. pinguium a cuticula interna purgatorum n. XX.

Caricarum n. XXV. jujubarum Sebeſten. ana n. X.

Inciſa, & craſſiuſcule contuſa coquantur in aq. hordei ℔ X. ad conſumptionem tertiæ partis. In expreſſione adhuc calida infunde per horas 24. fabarum antiquarum, & groſſo modo contuſarum, furfuris triticei a farina bene excuſſi ana ℥ I. fiat lenta una atque altera ebullitio, & colatura ſine expreſſione, in qua infunde

Fol. ſen. el. ʒ V. agarici albi ſem. carth. excort. ana ℥ I.

Fol. hyſſop ℥ ſs. cinamon ʒ VI. mac. ʒ II. zinzib. ſal. tart. ana ʒ I.

Macerentur per 2. dies continuos in balneo tepido; deinde f. omnium levis ebullitio, colatura, & expreſſio; cui adde

Sacchari albi lib V. clarific. album. ov. & coq. lento igne ad ſyrupi conſiſtentiam.

PRUS-

PRUSSIÆ

SITUS, DIVISIO, CONFINIA, PRÆCIPUÆ URBES, ET IN FREQUENTIORIBUS MORBIS USITATA REMEDIA

PRUSSIA pars Poloniæ, proindeque Sarmatiæ Europeæ a Geographis dicta, inter oſtia Viſtulæ, & Memelli ad Cęciam continetur, Marique Baltico ad boream finitima, Mazoviæ ad meridiem, Lithuaniæ ad ortum, Pomeraniæ denique ad occaſum, communiter dividitur in Regiam, & Ducalem, quæ nunc in præſens Regnum erecta eſt. Primæ clariores urbes ſunt Gedanum, Mariæburgum, Elbinga (1), Torunia, & Conitza: ſecundæ vero Regiomons (2), Memelia, Bransberga, & Brandeburgum.

Quoniam vero climatis conſtitutio, ſolis facies, maris propinquitas pari paſſu ambulant, aut parum diſtant ab illis gradibus, quos mox de Polonia agentes tetigimus; ideo potius ad aliquos Boruſſos populorum Sarmatiæ Europeæ in medendo uſus tranſibimus.

PLANTÆ

Circa illas videndum opus, quod jam diu in lucem prodiit, ſcilicet anno 1654. Regiomonti, cui titulus: *Plantarum ſponte naſcentium in Boruſſia Catalogus*; necnon Joannis Roſini, Joanniſque Vigandi vera Hiſtoria *De ſuccino Boruſſico, de aloe Boruſſica, & de herbis in Boruſſia naſcentibus*.

NONNULLI MEDICI CELEBRES BORUSSI

Floruerunt in Boruſſicis provinciis Martinus Willichius, Erneſtus Auguſtus, Matthæus Flacci, Guſtavus Caſimirus Gahrliep (3) Archiater Electoris Brandeburgici, & Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Socius.

Pariter Thomas Pancovius, Joannes Sigiſmundus Elsholtius, Fridericus Wilhelmus, Otho Boetticherus.

THE, CAFFE, CEREVISIA, VINUM

Celeberrimus vir Gaſpar Neumaun Conſiliarius Aulicus Regis Pruſſiæ in Regali Collegio Medico-Chirurgico Berolinenſi publicas fecit lectiones, & meditamina ſua circa hodiernos uſitatos potus, ad hoc, ut Boruſſæ gentes cautiores eſſent in ſeligendo, propriæque valetudini magis proſpicerent. Plurimi fuere, qui de hiſce potibus ſcripſerunt; ſed neſcio, an certitudo, necne ſit bono in lumine collocata, dum trahit ſua quemque ratio, & voluptas: antequam tamen thè, vel caffè plurimum damni afferat, multoties potanda ſunt. Probabilior quæſtio eſt de vino: verum video, & relego Scriptores Pruſſos dicentes, magnam adeſſe in illa Sarmatiæ parte meri penuriam, quod tamen inde populos non tutat, quandoquidem quo magis deeſt, eo magis deſideratur. Ex dictis elucet, illis etiam in gentibus ſummum vigere de tuenda valetudine conſilium, dum etiam de rebus modicis in deliciis habitis, ſed tamen ad incolumitatem pertinentibus agunt, & per publica problemata veritatem quæritant.

MORBI, ET REMEDIA

1. De ſalutari uſu veſicatorii in febribus petechialibus.
2 De apoſthemate interno.
3 De infante hydropico ex mala diæta matris in lucem edito, & feliciter curato.
4 De calculo veſicæ, cum materia quadam oſſea in arteria aorta circa iliacas obſervato, ſcripſit Joannes Henricus Starchius Conſiliarius, & Archiater, necnon Profeſſor Publicus ordinarius Regiomontanus.

MA-

(1) Anno 1542. ab Alberto Pruſſiæ Duce ibi erecta Academia fuit.
(2) Academia ab eodem pariter erecta 1544.
(3) Qui Boruſſam Medicinam admodum illuſtravit, ut videre eſt in Actorum Germanicorum Obſervationibus, fuſaque deſcriptione conſtitutionum epidemicarum Berolinenſium anni 1697. etiam 1704.

ACTA BEROLINENSIUM

IN primo, & ſecundo volumine deſcribuntur epidemici morbi annorum 1717, & 1727, *febrium ſcilicet petechialium, & miliaris purpurę, aſthmatum, humoroſarum tuſſium*, atrophiæ hypochondriacæ, hemophtyſis, aliorumque deſcriptiones, & depoſitiones Medico-legales a Medico Præſidiario Regio factæ.

AQUA GRYSEA MIRABILIS

INſuper in volumine tertio proponitur aqua ſummæ efficaciæ *pro ſiſtendo fluxu ſynovię circa juncturas*. Talis eſt. ♃ *Mercurii vivi, aquæ fontis ana ℥ I. ſolve, & repone aliquandiu in loco frigido, ut congeletur quaſi in cryſtallos; ſeorſim paretur ſequens decoctum:* ♃ *herbæ rut. hortenſis, ſolani, ariſtoloc. long. rad. chelydon. maj. flor. roſ. ana m. I. inciſ. coque cum ſuff. quantitate aquæ ſimplicis. col. menſ. V. calentibus adde priorem ſolutionem; atque tum abibit decoctum antea fuſcum in colorem gryſeum, deponens ſenſim ſedimentum, ſub uſu commovendum.*

Animadverſio

FLuxs ſynoviæ ad juncturas fortaſſe erit morbus ille, quem nos arthritidem, rheumatiſmum, aut podagram dicimus. Sed ſi ſupradicta decoctio per potum erit ſumenda, toto pectore, atque omnibus artubus æger prius contremiſcat. Externus uſus poſſet permitti.

FEBRIFUGUM CHIRURGORUM

IDem dicendum de febrifugo ex *arſenici partibus tribus, & nitri parte una conflatum*, quod dari poterit illis, qui morti adjudicati ſunt.

FONS FREYENUVALDENSIS

LAudatur a Medicis Berolinenſibus *in pſora pudendorum, contractura, & aridura brachii, menſium defectu, partium imbecillitate rheumatiſmo, ſerpiginoſo affectu cutaneo, faucibus exulceratis, &c.* Fons alter Eryenwaldenſis ſalutaris admodum in paralyſi, atonia, & tremoribus artuum ex mercurii uſu.

OPHTALMIA

OCulis inflammatis rubentibus medentur Profeſſores Boruſſici *Echio* planta, quam bugloſſam dicimus, *contuſa*, & inter *duplicatum linteum* poſita, & applicita.

ARTHRITIS

TUmentibus, & dolentibus in arthritide locis aptant *fimum tauri ſimul cum urina*.

IN MENSIUM SUPPRESSIONE

EXhibent *prima ſtamina viridia frumenti*.

IN FEBRE QUARTANA

INferiorem tunicam cichoreæ nigræ.

MORBORUM GRADUS ET TEMPORA BEROLINI OBSERVATORUM

POſt ſolſtitium brumale, *febres catarrhales, peripneumonicæ, rheumaticæ, continuæ*, petechiales, affectus ſpaſmodico-convulſivi.

Circa æquinoctium vernale, *repurgationes, morbi chronici, variolæ, febres verminoſæ, aſthmata*.

Sub ſolſtitium æſtivum, *dyſentherię, febres quotidianæ petechizantes*.

Poſt æquinoctium autumnale uſque ad ſolſtitium hybernum, *continuæ, duplices, quartanæ*.

BORUSSORUM MEDICORUM IN MEDENDO USUS

1 IN febribus rheumaticis abſtinent a venæ ſectione.

2 Febres verminoſas profligare ſatagunt muſco corallino, & mercurio dulci.

3 In ophthalmia puerorum adhibent urticam minorem.

4 In eryſipelate ulcerato aptant ſequens unguentum, quod aureum dicunt. ♃ *Ceræ ℔ ſs. terebynt. reſ. pin. ana ℥ II. maſtich. ell. thuris ana ʒ II. croci pul. ʒ ſs. ol. hypericonis q. ſ.*

5 Damnant pariter venæ ſectionem in podagricis affectionibus, etiamſi dolorum tormina deſæviant; multique caſus referuntur in Actis Berolinenſibus in incrementum Artis, & Scientiarum collectis.

6 Paracenteſes in aſciticis aliquando inſtituunt, & in ſupradictis Actis refertur caſus cujuſdam Chirurgi, in quo feliciter ceſſit.

7 In ortopnoea ex pectoris hydrope utuntur *rad. ariſto. & arnica vera*, necnon *ſquilla*, & *ſucco irid. noſtratis*: de quo Facultates Medicæ plurimas diſſenſiones habuerunt.

8 Scorbutus inibi non eſt endemius; potius adulti pereunt ex phthyſi, infantes vero ob epilepſiam.

9 In

9 In ſphacelo utuntur corroſivo Gundelsheimeri (1).

MANIACORUM CADAVERA

Bina maniacorum cadavera, a Boruſſis Medicis cultro inciſa, demonſtrarunt in uno ſubjecto venam cavam admodum inflatam, & amplam, in altero vaſa ſanguinea majora: ex quo conſequentia ducenda eſt, ſolidorum vitium illo in morbo latere, difficulter Clinica Arte averruncabile.

PRUSSIACUS CULTRIVORUS

Quid de Pruſſiaco cultrivoro dicendum ſit, apprime commentati ſunt Ant. le Grand, Menzelius, & alii, atque inſuper cultrum ope emplaſtri magnetici e ventriculo extractum fuiſſe, credat qui poteſt, ac velit. Vide Baſilea.

VARIOLÆ

In Actis Berolinenſibus duas præcipue propoſitiones factas video circa variolarum curriculum, earumdemque curandarum modum. Primus reſpicit inſitionem, quæ ſemper nobis ſuſpecta fuit, & erit: temperamentum quippe, ſanguis illius, in quem implantantur, diſpoſita non ſunt, & funeſta eſſe poſſunt, quamvis primis fuerint ſalubria. Sique infelix exitus, major culpa, quia promota.

Ad alterum vero curandi variolas modum, nimirum emeticis, quod Gundelsheimerus Archiater Brandeburgicus faciebat, quod ſpectat, me potius diſſentientem fateor; quia aliam a natura productam viam promovere, piaculum eſt.

APOPLEXIA IN INFANTIBUS ET VARIOLÆ NON INSERENDÆ

Et apoplexiam in infantibus contingere, & variolas non eſſe introducendas, nos quoque cum Boruſſicis Medicis probamus: quia tenuiſſimum nervorum ſyſtema laxari, & obſtrui poteſt interdum a ſolo lacte corrupto, & in venenum converſo: corpus vero varioloſæ luctæ diſpoſitum non eſt, clauſi pori, & multa alia.

CHORDAPSUS

Ileus ſcilicet, ſeu volvulus, qui chordapſus in Actis Berolinenſibus dicitur, periculoſus magis eſt, & *malignior*, ſi febri ſuccedat, quam ſi eidem præeat.

QUARTANA FEBRIS

Memorant Berolinenſes methodum a Georgio Clavio Practico Hannoverano indicatum curandi ſebrem quartanam per decoctum reſolvens, & eſſentiam caſcarillæ cum eſſentia radicis gentianæ rubræ maritatam.

MORS EX HELLEBORO ALBO

Dominus Glockengieſſerus Poliater Berolinenſis caſum refert repentinæ mortis ab helleboro albo.

MORBI IN BORUSSICIS REGIONIBUS FREQUENTES

Paralyſis, epilepſia, amauroſis, morbi inteſtinorum ſpaſmodici, hemiplegia in ſenibus, ophthalmiæ chronicæ, cataractæ, glaucomata, atrophiæ verminoſæ poſt febres, quæ catarrhales videbantur.

VIRO ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISS. EXPERIENTISS.

D. D. PHILIPPO DE VIOLANTE

Archiatro, & Conſiliario Aulico Regis Polonię

S. P. D.

SAMUEL SCHAARSCHMIDT

Doctor Medicus

Litteras, quas die 27. Decembris 1743. ad me dediſti, Vir Excellentiſſime, accepi die 21 Aprilis. Gratulor mihi, quod inde occaſionem nactus fuerim Tibi innoteſcendi; gratulor mihi, quod me, & Tecum Illuſtriſſimus Dominus Roncallus pro digno habueritis, cui negotium arduum, & doctum confidere voluiſtis. Pro viribus veſtris deſideriis ſatisfacere ſtudebo, & allaborabo ea cuncta congerere, & decenti ordine vobiſcum communicare, quæ circa Medicinam Boruſſo-Brandenburgicam notatu digna videntur. Quemadmodum vero ego ſolus, qui unica tantum in urbe Medicinam facio, non omnes totius regionis idioſyncraſias (ſit venia verbo) deſcribere poſſum; ſed plures Medicorum, qui in variis Boruſſiæ provinciis Praxim exercent, amicos partim meos conſulere debeo: ita expecto mihi veniam temporis a Vobis, & ſpondeo fore, ut ſimul ac debitas relationes con-

(1) Hoc eſt, *antimonio crudo, calce viva, & ſale alkalino ad lib. 2. coctis in larga aquæ quantitate: colatura ad ſiccitatem inſpiſſata funditur in crucibulo.*

congeſſero, has Tibi, & tua ope doctiſſimo Roncallo perſcribam. Interim ſalutes eum meo nomine humillime. Vale, mihique fave.

Dabam Berolini die 4. Maii 1744.

VIRO CELEBERRIMO

SAMUELI SCHAARSCHMIDT

Summo Boruſſo-Brandeburgicorum Archiatro

S. P. D.

Franciscus Comes Roncalli Parolinus

Epiſtolam Tuam 4. Maii datam Illuſtriſſimus Philippus de Violante Regis Poloniarum Aulicus Conſiliarius, & Archiater, Brixiam etiam nobis transmiſit. Summopere lætatus ſum, Te in bonam partem notitiam accepiſſe meorum in Medica Arte tentaminum, atque inſuper, ducto prius lumine a ſubditis, finitimiſque regionibus, paratum eſſe ad nos admonendos de præſenti in Boruſſicis ditionibus Medicinæ Practicę ſtatu, deque nunc in uſum poſitis remediis pro ſuperanda ſporadicorum, aut endemicorum morborum ſævitie. Quandocumque id feceris, valde nobis carum, acceptumque erit: imo Opus, in quo agitur de totius Europæ Medicina, typis non tradetur, niſi prius Brixiam pervenerint literæ tuæ una cudendæ, quibus pars de Pruſſia ornata illuſtrabitur.

Interim Tibi animum noſtrum aperire voluimus, imo & deſiderium, ut incępta hæc bonis ominibus officia in perfectam, ſemperque magis auctam, & duraturam neceſſitudinem matureſcant. Vale, & ſi quid Tibi deeſt, aut optas, vel de librorum penu, vel ex alio fonte deſumptum, quod ſuppeditet Italia noſtra, libere, ingenueque jubeas oro. Quamdiu enim ſpiritus hos reget artus, me redamantem habebis.

Brixiæ Venetorum 15 Julii 1744.

Illuſtri, atque Excellentiſſimo Viro

Domino

Francisco Comiti Roncalli Parolino

S. P. D.

ANDREAS ELIAS BUCHNER

Ignoſcas quæſo, Vir Illuſtris, imo iterum iterumque ignoſcas nimiæ meæ in reſpondendo tarditati: lubentiſſime enim citius ad Tuas honoratiſſimas, die vigeſima ſecunda Maii anni præterlapſi ad me datas reſpondiſſem litteras; ſed negotiorum innumerorum multitudo, concatenati labores Academici, varia itinera ad exteros ægrotos ſubinde ſuſcipienda, tandemque febris catarrhalis, quæ per integrum fere menſem lecto adfixum me detinuit, in cauſſa fuerunt, quominus & Tuo, & meo ſatisfacere citius potuerim deſiderio. Jam vero dum aliqualem ſaltem iterum nactus ſum moram, & amiciſſimus meus Collega Dominus Profeſſor Junckerus, ſe quædam ad Te miſſurum eſſe refert, paucis ad minimum, ob temporis penuriam, nimis diuturnum meum excuſare volui ſilentium, ſimulque diutiſſime jam promiſſum Diploma receptionis in Academiam Cæſar. Naturæ Curioſorum, una cum Legibus ejuſdem, & officioſa exhortatione ad Bibliothecam, & Muſeum ejus liberalius inſtruendum, hac exoptata occaſione ſimul tranſmittere, toto ſimul corde vovens, velit Deus T. O. M. ſeram uſque in ſenectutem Te, Vir Illuſtris, ſalvum, ſoſpitemque conſervare, ut noſtra quoque Cæſarea Academia Tua ab eruditione inſignia obtineat incrementa; ſiquidem certiſſime confido, Te in poſterum etiam utiles, ac rariores quaſdam obſervationes, pro augendo, & exornando novo Actorum noſtrorum volumine, quod, ſi vitam, vireſque Deus conceſſerit, menſe Septembre hujus anni publicam, ut ſpero, in lucem prodibit, gratioſe communicaturum eſſe. Interim noli mirari, ſi videbis Diploma præfatum adhuc Erfordiæ, & quidem anno 1743. exaratum eſſe; conſulto enim id a me factum eſt, ut præ iis Dominis Collegis, qui proxime elapſis annis 1744. & 1745. in noſtram cooptati ſunt Academiam, prærogativam, & altiorem quemdam obtineres locum. De reliquo etiam brevibus ſimul indicare volui, me ante octiduum, cura procul dubio Illuſtris Domini Archiatri de Violante, rite obtinuiſſe Diſſertationes tuas doctiſſimas, una cum Tractatu egregio de Aquis Brixianis, qui libri quidem hinc inde in ligatura, & interius maculati erant, forſitan ob injuriam tempeſtatum, quas in itinere tam longo ſuſtinere coacti fuerunt, hoc vero non obſtante perquam grati mihi, & jamjam quoque in Bibliothecam Academiæ noſtræ in perpetuam Tui memoriam tranſlati ſunt. Grates itaque devinctiſſimas Tibi pro egregio hocce dono perſolvo, totumque me Tibi & in poſterum devoveo. Vale Vir Illuſtris, mihique favere nunquam deſine.

Dabam Halæ Magdeburgicæ die XX. Januarii M. DCC. XLVII.

IMPE-

IMPERIALIS ACADEMIÆ
LEOPOLDINO-CAROLINÆ
NATURÆ CURIOSORUM

PRÆSES

Illuſtri, Excellentiſſimo, atque Doctiſſimo

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

S. R. I. COMITI

Medico Brixiano longe Celeberrimo

S. P. D.

Cum nihil prius, nihilque antiquius habeat Academia Noſtra, in eruendis Naturæ rerum, & Artis ſalutiferæ myſteriis NUNQUAM OTIOSA, quam ut, etiamſi Legibus, & Inſtitutis Ipſius debite exequendis minime deficiat induſtria Domeſticorum Eruditorum, Exterarum tamen Nationum VIROS DOCTOS, atque induſtrios, tanquam COLLEGAS novos ſubinde ſibi conciliet, TUAque, ILLUSTRIS, ac EXCELLENTISSIME COMES, inſignis eruditio, & in indagandis rerum naturalium phœnomenis abunde jam demonſtratum acre ſtudium omnino mereantur, ut vel ultro TIBI occurrerem, atque in Societatem Noſtram, quæ ad eundem quoque finem connititur, Te reciperem: Utique hoc eo lubentius exequor, quo magis ad accedendum propenſam voluntatem TUAM e Litteris humaniſſimis cognovi, TUÆque eruditionis, & induſtriæ præſtantiam aliunde jamjam perſpectam habui. Quod igitur felix, fauſtumque eveniat, Ego Dr. ANDREAS ELIAS BUCHNERUS præfatæ Academiæ legitime electus Præſes, ex ea, quæ mihi ab eadem conceſſa, atque Cæſarea auctoritate confirmata eſt, poteſtate, TE prælaudatum Illuſtrem, ac Excellentiſſimum Dominum FRANCISCUM RONCALLI PAROLINUM S. R. I. Comitem, Medicum Brixianum longe celeberrimum in Academiæ noſtræ ſinum recipio, ejus Privilegiorum participem reddo, COLLEGAM noſtrum hoc Diplomate ſolemniter renuntio, atque pro tot, ac tantis TUIS in Rempublicam Literariam meritis hactenus abunde jam demonſtratis, pro more noſtro, TIBI Agnomen PALLADII II. confero, collatumque volo ſolemniter. Agedum, ILLUSTRIS, & EXCELLENTISSIME COMES, deſiderata hactenus, & abdita Naturæ arcana ſedulo nobiſcum rimare, ac ſuaviſſima iſta profundioris Ingenii TUI dexteritate intimius excuſſa, & clarius expoſita, Litterato Orbi ſiſtere perge. DEUS autem T. O. M. TE, HONORATISSIME DOMINE COLLEGA, non ſolum in univerſi Orbis Litterarii, ſed & præcipue Academiæ noſtræ ſingulare decus, & ornamentum vivere, ac valere jubeat feliciſſime, ac diutiſſime. Dabam Erfordiæ Thuringorum Metropoli pridie Nonarum Junii A. S. R. M. DCC. XLIII.

D. ANDREAS ELIAS BUCHNER
S. R. I. Nobilis
Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris Conſiliarius Actualis, & Archiater, Chymiæ Profeſſor Publicus, & Facultatis Medicæ Adſeſſor Ordinarius, ac pro tempore Decanus, necnon Regiæ Berolinenſis Societatis Scientiarum Sodalis.

Locus Sigilli, ſeu Stemmatis Academiæ, quod geſtandum Sociis tranſmittitur.

ILLUSTRISSIMO ET CELEBERRIMO VIRO

D. JOANNI JUNCKERO

Publico Medicinæ Profeſſori

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

ANtequam Europa noſtra quaſi ad umbilicum redacta, & cuſa, in Literarum theatrum exponatur, in mentem venit iterum accedere, mediaque hac epiſtola me coram ſiſtere Præſtantiſſimo Junckero, ſemper magis confirmans obſervantiam meam, & rogans, ut nonnulla Practica, laconice ſcilicet, in ſolo epiſtolio adumbret circa Medicinam hodiernam Boruſſo-Brandeburgicam, ob quod obtinendum etiam clariſſimum Schaarſchmidt ſollicitaveram. Id autem duplici ratione præſertim ago: primum, quia nunc video regiones has veſtras bonis in artibus, & optimis diſciplinis quammaxime florentes; hinc ad vos venire, & diſcere res eſt inter illas, quæ poſſunt contingere: ſecundum, quia in Actis Berolinenſibus propoſita video remedia aliquatenus violenta, puta aquæ gryſeæ ex *mercurio, & aqua forti pro ſiſtendo fluxu ſynoviæ circa juncturas; arſenici*, & *nitri* a Chirurgis adhibiti pro fugandis febribus; vomitorii a Gundelsheimero Archiatro Brandeburgico pro curatione variolarum. Quare, cum eadem, & plura alia, quæ deſcripta in iiſdem ſunt, & enumerare ſuperſedeo, plurimum diſtent a methodo noſtra; ideo Te interpellare non erubui, ut aliquid mihi tangeres circa uſitatiora in Pruſſiaco Regno remedia.

Dices, nonne illa proſtant in Operibus meis Brixiam tranſmiſſis? Veriſſimum eſt: at peto epilogum illorum ſolummodo, quæ nunc magis ſpecifica proſunt, ab aliorum præſcriptionibus differunt, tuo cœlo conveniunt, & quatuor pagellis continentur. Age igitur, fave, & me Tibi adeo devinctum crede, ut nihil poſſit fieri magis.

Brixiæ 15 Novembris 1746.

ILLUSTRISSIME COMES

Fautor ac Patrone omni obſervantiç cultu Suſpiciende

LItteras tuas, Vir Illuſtriſſime, die 15. *Novembris ad me ſcriptas recte quidem accepi, & ſumma cum lætitia perlegi. Minime vero (ubi ſuſpicabar tamen) perſpicere ex illis mihi licuit, epiſtolam meam, quam per D. Doctorem de Bavier Curienſem Medicum, ad Te Brixiam, una cum* 10. *thaleris Imperialibus, mittendam curaveram, Tibi allatam fuiſſe. Deſtinati nimi um erant illi quidem* 10. *thaleri emendando errori, quem bibliopola admiſerat, homo lucri juſto paululum avidior, dum pecuniam nuper, me inſcio, atque invito, pro ſcriptis meis acciperet, quippe quç dono Tibi exhibenda mandaveram. Ceterum in manus mihi tradita eſt ſplendidiſſima tua Morborum Hiſtoria, quod egregium donum, ſicuti de ſumma tua in me voluntate, ac benevolentia teſtari quam luculentiſſime videtur, ita non potuit non maximam quoque mihi creare voluptatem. Quamobrem perſuaſum Tibi quæſo habeas, Vir Illuſtriſſime, grata mente gratiſſimum hocce donum me eſſe reconditurum, & ad omnia mutua officiorum munera promptiſſimum fore, paratiſſimumque. Jam vero ad princeps litterarum tuarum argumentum venio, quod propoſitum mihi tuum declarat, in proxime publici juris facienda, & ſupra commemorata præſtantiſſima iſta Europæ Medicina. In qua quidem re, niſi ſummopere efferrem, ac laudarem pereximios tuos, eoſdemque ſaluberrimos conatus, profecto non omnino debitum, ac juſtum celſo, atque erecto animo tuo teſtimonium exhibuiſſe viderer. Quod ſi enim vel fugitivum (ut aiunt) in orbe litterato circumferre libuerit oculum, primo celeriter obtutui incredibilis fere obſervabitur multitudo Medicorum, qui quidem turpi, abjectaque ſocordia, ſegnitie, & otio difluentes, nihil agendo vitam tradunt, aut quod magis adhuc dolendum, omnium voluptatum allectamentis, atque illecebris ſeſe vinctos tradunt, & conſtrictos, eaſque, pruriente inſania, veluti filiolam ſuam exoſculantur. Quantum igitur Tu, Vir Illuſtriſſime, diſtes ab hac eruditorum ſentina, qui ſtruendis ſcientiis inhæreas, materiamque laudabiliter conferas ad condecorandum, exornandumque Artis noſtræ ædificium; id vero ulteriori explicatione mea, quum in propatulo ſit, nullo omnino pacto egere videtur.*

Divinando optime ceteroquin prædixiſti, Vir Illuſtriſſime, ad deſideria tua me reſponſurum eſſe, quod mea medendi methodus in ſcriptis meis jam ſit contenta. Ita vero eſt. At quomodo illa demum, cumque ſeſe habeant, nolui tamen ego voluntati tuæ refragari, Tibive deeſſe in ſex remediis ſingularibus, quæ quidem, præ aliis, in frequentem abs me uſum vocantur, & ob egregiam efficaciam, ac peculiarem plane virtutem non tantum ſemper mihi fuere quam probatiſſima. Sunt autem fere hæc. I. Oleum animale rectificatiſſimum. II. Arnica vera. III. Sulphur antimonii auratum ultimæ præcipitationis. IV. Mercurius dulcis. V. Cortex caſcarillæ. VI. Bella donna.

Quorum ſingulorum ſpecialia, ut eo accuratius diſpaleſcant, ſex diſſertationes, quæ de iis explicatius agunt, jam tranſmittere, & nonnulla, quæ in iis non leguntur, hic ſubnectere ſingillatim,

&

& adamuſſim quaſi, id vero minime putavi a re fore alienum.

I. Oleum animale *ad hunc uſque diem egregios illos effectus aliquando præſtat, qui in Diſſertatione mea enodatius recenſentur: monendum autem, quod debeat eſſe rectificatiſſimum.*

II. Arnicæ *uſus mihi nunc eſt ampliſſimus, quoniam reſolvendo, ac diſcutiendo generatim, in contuſionibus autem ſpeciatim, optime ſeſe commendat, modo ſit genuina; nam cum ea, quæ Suecica audit, nihil magnopere profligare ſolemus.*

III. Sulphur antimonii auratum ultimæ præcipitationis, *non ſolum in motibus deficientibus, ſuffocativis, paralyticis, & apoplecticis, ſed etiam in auctis, ſpaſmodicis, & convulſivis, evacuando partim, partim vero placando, & commitigando efficaciam ubique fere exſerit multo exoptatiſſimam.*

IV. Mercurius dulcis *dulciſſimum mihi eſt remedium: præter enim iſtos caſus, quos cum Roemplero tunc temporis doctorando communicavi, longe memorabiliores poſtmodum obſervare licuit; & quod maximum eſt, morbos venereos, qui altiores radices egerunt, ipſique ſalivationi cedere nolunt, hoc remedio curare ſoleo, ea quidem methodo, ut quatuordecim diebus generalia antivenerea, deinde totidem diebus, verſus ſomnum, pulverem mercurii dulcis duo, vel tria grana continentem exhibeam, & ne ptyaliſmum excitet, matutino tempore blandiſſimum laxans, per diem vero decoctum antivenereum, cum regimine diapnoico, propinem. Sic vicibus alternis per tres, & plures menſes, donec malum radicitus extirpatum ſit, continuandum.*

V. *Uſum* corticis caſcarillæ *polychreſtum ab eo tempore præcipue expertus ſum, quo mirificum iſtum effectum, qui in Bohemeri noſtri Diſſertationibus legitur, in matrona nobili per octo annos cephalæa afflicta obſervare licuit. Dolendus autem eſt ſapor, qui quidem ægrotantibus perquam moleſtus eſſe aſſolet.*

VI. Bella donna *præſtat quidem in cancro, præprimis occulto, jucundam paſſim medelam; multa autem cum circumſpectione, multiſque cautelis, in Diſſertionibus legendis, propinari debet. Eſt formoſa domina, blandiens, alliciens, ſeducens. Factum eſt aliquando, ut ſub illius uſu cœcitas in fœmina quadam fuerit oborta, & niſi mamma canceroſa, dolente tumore, & ſcirrhoſa duritie affecta, celeriter decreviſſet, abſtinuiſſem ab illa: verum enimvero antorgaſticis pulveribus cæcitatem poſt paucos dies ſuſtuli, ac tum denuo decoctum hujus herbæ continuavi; cumque iterum cœca redderetur, eamdem viam ingreſſus, tandem finem plenariæ curationis obtinui.*

Denique, Vir Illuſtriſſime, quæ de heroicis quibuſdam curationibus ex Berolinenſium Medicorum Actis commemoras, ſcito, eas hodie quidem a nemine facile in noſtris adhiberi regionibus, & Gundelsheimerum non ſimplex emeticum, ſed blandiſſimum emetico-catharticum in variolis aliquando propinaſſe; de cujus methodi ratione in Conſpectu meo Practico tab. de Variolis explicatius eſt dictum. Quod reliquum eſt, Vir Illuſtriſſime, cum omnigenæ proſperitatis ſincero voto, favori tuo ſempiterno de meliori nota me commendo, & ſpondeo, Te nullo non tempore me habiturum eſſe

Illuſtriſſimi Nominis Tui

Dabam Halæ

Obſervantiſſimum Cultorem
JOANNEM JUNCKERUM

MARIENWERDER

Marienverder Ockerlandiæ Brandeburgenſis metropolis eſt, cui non longe, ſcilicet uno milliari, ſcaturiunt aquæ Ottalvienſes, in ſolo nigra fœce, & rubra terra conſperſo, quæ hyemali glacie nunquam dureſcunt: hinc peracta analyſi, celebratiſque poſtremo etiam hoc ſeculo experimentis, repertum eſt, eſſe virium abſtergentium, aperitivarum, roborantium; ideoque utiliſſimarum in obſtructionibus, cachexia, artuum debilitate, ſolidorum omnium atonia; præſertim quando lotii viæ ſollicitandæ ſunt, ob ſummam, qua pollent Boruſſæ aquæ illæ in tranſeundo promptitudinem: idcirco quia non tot fontes, ut in Anglia, Francia, Italia, illis in regionibus ab auctoribus notata video; per conſequens in diſſita etiam loca Pruſſiæ aquæ illæ vehi utiliter poterunt. Supranotatus ſiquidem effectus non gelandi ſuadet, activiſſimis effluviis, & mineralibus ſpiritibus eſſe fecundas: quæ ſicuti prope fontem a macris, & pichrocoli habitus caute bibendæ erunt, & obeſis relinquendæ; ita organis vitreis transductæ, majorem quidem amittent potentiam, ſed etiam in nocendo minus aptæ erunt. Sed jam ſatis de aquis mineralibus alibi (1) egimus.

TRAJECTUM
FRANCORUM
AD VIADRUM

Joannes Fridericus Cartheuſerius in Academia Viadrina Publicus Profeſſor nuperrimo ſuo Pharmaceutico Opere in propatulo poſuit Medicas præſcriptiones, quæ in regionibus illis uſu-

(1) Vide Francia.

veniunt, & a quibus colligi poteſt Francofurtenſis ad Oderum Jatreuſis: miſſis vero multis, quę cum ceteris diſpenſatoriis paria ſunt, nonnulla delibabimus aut rara, aut utiliora.

Aqua virtutum. ♃ *Fol. meliſſ. rec. m.* VI. *ſalv. m.* XV. *flor. lavend. lil. convall. ana* ℥ VI. *caryophil. cinamon. ell. gran. parad. ana* ʒ X. *galangæ, macis, ana* ʒ III. *vini Hiſpanici generoſ. menſ.* IV. *inf. dig. deſtill. Doſis cochlear unum.*

Spiritus mellis. ♃ *Mellis depur.* ℔ II. *ſalis decrep.* ℥ VI. *m. b. arenæ deſtilla.* Multa fides hoc in ſpiritu ponenda eſt pro deſtruendis nubeculis, & ſtaſibus, quæ in oculis fiunt, ſi in aquis ophthalmicis impoſitus adhibeatur.

Pulvis pro fumo. ♃ *Maſticis, myrrhæ, olibani, ſuccini flavi, baccharum juniperi ana* ℥ I. *m. f. pulvis. Prunis inſpergitur; roborat pulmones nimis laxos.* Vide pag. 130. Commentarios clariſſimi Petri Giller Sangallenſis in Hiſtorias Morborum noſtras, ubi olim egimus de aere medicando, deque vitris in hanc rem in urbe Veneta elaboratis.

Utilem pariter dicit citatus Cartheuſerus fumum hunc in membris *œdemate ſumme correptis, ſi in majori quantitate admittatur.*

Looch de papavere. ♃ *Amygdal. dulc. rec. decort. pinear. enucl. gum. Arab. ſuc. glycirrh. ana* ℥ I *ſs. amyli* ʒ III. *ſacchari albiſſ.* ℔ *ſs. papav. alb.* ℥ III. *mucilag. & ſem. cydon. & portul. ana* ℥ *ſs. aq. tuſſill. q. ſ. contuſa cum mucilagine, & ſemin. extr. ſubigantur, & cum addita ſyrup. de papav. ſuff. quantitate, ad conſiſtentiam loock red.*

Oro Philiatros Italos, & conſulo Pharmacopolas, ut plurimi faciant ſupradictam præſcriptionem Germanico-Francofurtenſem ad Oderam, quandoquidem multa bona ab illius adminiſtratione ſperanda ſunt: ſique hunc ſolum floſculum ab utili apparatu Viadrini Publici Profeſſoris ſeligeremus, multum profeciſſe fateri debebimus.

In colliquatis, macris, tuſſientibus, taboque conſumptis mirabilem præſtabit operam; ſique aderunt vigiliæ, & liquidorum tumultus, vel dialyſis, poſſent etiam eidem addi aliquot guttæ laudani liquidi Sydenhamii.

SUE-

SUECIÆ

CLIMA, EXTENSIO, PARTES, MONTES, ACADEMIÆ, GOTHARUM GENTIUM TEMPERAMENTA, ET MORES

SUECIÆ Regnum verſus ſeptentrionem extenſum, Lappiæ, atque Oceano boreali finitimum, ab oriente cingitur Ruſſia Magna, a meridie mari orientali, ſeu Baltico, ab occidente Dania, & Norvegia.

Regionis vero conſtitutio admodum frigida eſt, utpote quia aliqua pars zonæ frigidæ ſubjacet; nihilominus aſſueti Sueci homines valide obſiſtunt, & æſtatis tempore, ob dies longos, calor agit; ideo ſemina, & grana in opportunam ſegetem matureſcunt.

Latitudinis ſeptentrionalis gradus a 59 ad alios decem extenditur. Magnitudo autem poſtremis ſæculis multas viciſſitudines paſſa eſt, interdum imminutá, interdum aucta, & præcipue a Magno Guſtavo Adolpho, necnon a Carolo XII. quorum cor, & bellifera indoles, fractis Suecorum legibus (1), etiam ultra maria victorias, & palmas reportarunt.

Partes denique ſunt ſex. 1 Suecia ſtricte ſumpta. 2 Finlandia. 3 Ingria. 4 Livonia (2). 5 Lapponia Suecica, ubi homines ſunt parvi, & gibbi. 6 Tandem Gothia, quæ magis meridionalis eſt, pulchrior, fertilior, populiſque abundans, quæque fuit memorabilium Gotharum, & Longobardarum gentium patria.

ACADEMIÆ

IN Sueco etiam Regno bonis artibus incubuerunt: quandoquidem in Finia anno uſque 1260. Chriſtina Regina Aboenſem Academiam inſtituit; in Livonia vero anno 1631. Guſtavus Adolphus Rex Derpatenſem; Lundenſem (3) Carolus IX. præter Upſalenſem, quæ jam antiquitus extabat.

SOCIETAS REGIA SCIENTIARUM

PRæter ſupradictas Academias copioſa adeſt Bibliotheca, floretque inſuper Societas Regia Literarum, & Scientiarum, ubi omnis movetur lapis, ut utiles diſciplinæ promoveantur, publiciſque expenſis, & doctorum virorum itineribus veritas magis in aperto ſit (4).

FLORA LAPPONICA

SUpradicti aſſerti utiliſſimum teſtimonium nuperis hiſce annis publici juris fecit Carolus Linnæus Academiæ Imperialis Naturæ Curioſorum Socius (5), qui *expenſis Regiæ Societatis* totam Suecicam Lapponiam (6) peragravit, ut ibi orientes, & vegetantes plantas noſceret, & natalium locos, vireſque medicatas indicaret: quod ſumma cum totius præcipue Suecici Regni utilitate factum intelligimus; & a quo arguendum nobis eſt, illis uſque ſeptentrionalibus regionibus terram non eſſe ingratam (7), & ſummum vigere circa Medicinæ ſtudium amorem, ſi non ſolum privatim Clinica gens, verum etiam publicus Societatis Regiæ cœtus Botanices delectui addictus eſt.

AER SUECICUS, ITEM LACUS, FLUMINA, CIBUS, POTUS.

COnſtitutio tamen Suecici ſoli me multum ſuadet de omnimoda vegetabilium vi, & quantitate, ob immenſam arborum, & plantarum omnium frequentiam ipſis viatoribus incommodam; licet Suecia immenſos undique habeat

(1) Lex fundamentalis antiqua in Regno Suecorum aderat, ut ſolum per quinque leucas ultra confinia proprii milites in inimicos irent, armaque exportarentur.

(2) Nunc ſubjacet Czaræ Ruſſiæ Magnæ Dominæ.

(3) Videantur in hanc rem opera celeberrimorum olim in Suecia Medicorum Gabrielis Block, & Olai Rudbeck. ubi & gentium origo, & in bonis artibus cultus exponitur.

(4) Ideoque & Carolina dicta.

(5) Flora Lapponica, exhibens plantas per Lapponiam creſcentes, &c.

(6) Dividitur in quinque Marchias, *Umalapmark*, *Kimilapmark*, *Pithalapmark*, *Lulalapmark*, *Tornelapmark*, a fluminibus ſic vocatas.

(7) 1709. In hortis Comitis Nicolai Gyldenſtolpe in prædio *Noor* ſex milliaribus a Stockolmia aloe Americana floruit.

beat montium tractus (*Doſrini* dicuntur), qui eandem a Norvegia dividunt, & etiam pluribus aliis in locis ſaxosa cacumina ad cœlum uſque elevata, oculos intuentium terrent. Venerus, & Veterus primarii ſunt illius Regni lacus, quibus tamen Melerus non cedit, utpote Holmiæ totius Regni metropoli proximus, quique ex uno latere dominantem tuetur urbem, ex oppoſito a mari Baltico defenſam; ex quo fit, ut abſque artis auxilio inſuperabilis videatur.

Verum ſors non undique ſecunda, ob ſcilicet ſolis optatos radios, qui tempore hyemis vix per momenta coruſcant.

A dictis Dofrinis montibus, & lacubus multa deſcendunt, & interfluunt flumina in Sundicum, Balticumque ſe exonerantia, quorum tamen nullum navigabile eſt.

Cibus Suecorum non multum differt ab eo, quem de aliis ſeptentrionalibus regionibus memoravimus; quando tamen ſufficiens annona non proſtat, quod non adeo inſuetum, vulgus, pręcipue Lapponenſe, cogitur ſibi parare victum ex pinorum radicibus, piſcibus ſalitis, carnibuſque fumo conditis, aut in aere libero exſiccatis (1). Quod vero in conviviis Nobilium nemo prandere poſſit, niſi prius uno ciatho potaverit vini catinum quatuor continens tertiarios, res eſt, quæ ſtomachum movet.

In aliquibus tamen remotioribus Sueci Status confiniis, tanta adeſt cervorum (2) quantitas, ut caro exſiccata pro cibo ſerviat, & eorumdem lac in butyrum, & ſerum pro potu utiliter convertatur; quæ duo fortaſſe neque Italis delicatioribus ſtomachis diſplicerent.

Aer denique Suecici Regni, quamvis in ſumme frigida ſeptentrionali regione poſitus, attamen ſalubris eſt, ſiccus, & ſubtilis, a quo, neceſſitate cogente, populiſque operantibus, lacertoſæ fibræ inſtaurantur. Licet hoc materiale corporis robur non nimis in animum ſublimetur; quandoquidem vivaces, & agiles ſunt Sueci, ſed non in ſummo gradu, ad quem tamen, vexatione vim faciente, pervenire contendunt.

SUECORUM SANGUIS

SI a genere, & a proavis conſtitutiva ſanguinum elementa in nepotes propagantur, quę in puncto ſaliente humanos embryones informant: ſi ab aere, quam reſpirant, a victu, quo fruuntur refocillata liquida, inſtaurataque ſolida tam minoris, quam majoris uſus per totum vitæ curriculum ſuo in ſiſtaltico motu rediviva perenni miraculo conſervantur; ſtatuendum eſt a tribus præcipue prædictis principiis & humanam vitam, & ſanguinem, in quo vita, pendere. Qualiſcumque propterea ſit in Suecis hominibus agilitas, & relata in præcedentibus capitibus promptitudo, nihilominus ii qui in ſeptentrione ſunt, atque a ſeptentrionalibus producuntur, ubi (3) ſol perſeverat per horas decem & octo ſuper orizontem ſolſtitii æſtivi, ideoque tempore longæ hyemis, pulcherrimum, primarium, proque ad vitam revocandis temperamentis utiliſſimum, ne dicam neceſſarium planetam, vix videbunt; ex quo probabiliter torpida fibra oblangueſcere poterit, & ſegnities in liquidis dominari.

Quia vero de aliarum quidem regionum Medicina ſcribere ſumpſimus; ſed non cancellos nobis ponendo, quin noſtram etiam ſententiam ſuper rebus ad nos pertinentibus dicere non poſſimus, crediderim ex datis circumſtantiis, hebetem Suecorum poſſe eſſe ſanguinem, qui in curandis inibi ægrotis indicet quidem ſui extractionem, ſed limitatam, & potius mediocrem, quia luxurioſe non vivitur, neque vinum abundat, niſi adſcitum, aut conquiſitum, apudque divites, aut crapuloſos (4) exiſtens, qui legem facere non debent. Radices, avena, piſces ſale conditi, quæ mox memorabamus, quale, quæſo, pabulum ſanguini dant? Profecto inſulſum, muriaticum, exſiccans, obſtruens, & multis nocendi viribus infectum: cui ſi accedat & cutis a longo, & penetrabili frigore obſignata, aut ab hypochauſto nimium laxata, multæ metamorphoſes in patienti ſubjecto efficientur, mille ægritudinibus piandæ; & Deus nos liberet a morbis illis, in quibus a circumferentia ad centrum noxiæ amurcæ inclinant. Profecto ſi in extremis illis doloribus deſunt etiam induſia, lineæque prope cutim aptæ veſtes, quę ſudores coadjuvent, & poros in naturali ſtatu manuteneant; ſi deeſt integumentorum opportunus, & gradatus ordo, qui naturalem ſervet teporem; neſcio ſane, quomodo ſolis pellibus animalium ſalutis œconomia dirigenda veniat.

Ad cibum vero quod attinet, in præſervando, & medendo Suecorum ſanguine video totum, aut fere totum optatæ valetudinis opus inibi pendere ab eſu carnis cervinæ, in qua, ſi Scribentium auctoritati fidendum eſt, latere dicitur cordiale (5), & venenum (6) (7).

Non obſto tamen, quin caro illa, & præcipue

(1) Quibus interdum addunt medullam abietis, plantam *Myſſein* dictam, ad ripas fluminum naſcentem, necnon avenam ſylveſtrem in nemoribus ortam.

(2) Suas habent cerviles mandras ad bis centum pervenientes.

(3) Etiam in inſula Stockolm, ubi metropolis Regia,

(4) Quibus ebriis curandis aptari poterit myrti corona. juxta Athenæum lib. 15. Ἐντεῦθεν δὲ εἰς ἡδονὴν τραπέντες, τὸ μὲν εἰς συμφέρον, καὶ τοῖς ἐκ μέθης ἀῤῥαβονδῶν ἐλαττώματος ὁ στέφανος, τοῦ πρὸς ὄψιν ἢ πρὸς ὀσμὴν ἐπιτερποῦς διὸ μυῤῥίνης μὲν στέφανον στύφοντα, καὶ τὴν οἴνον ἀναθυμίασιν ἀποκρουόμενον, ἔτι δὲ ῥόδινον ἔχοντα τε καὶ παρηγοεικὸν σὺν τῷ κατὰ ποτὸν ψύχειν. Καὶ ὁ Φιλωνίδης δὲ εἴρηκεν, ὡς ὁ τῆς μυῤῥίνης στέφανος τὴν ἐκ τοῦ οἴνων ἀναθυμίασιν ἀποκρούεται, καὶ ὁ τῶν ῥόδων ἔχει τι κεφαλαλγίας παρηγοεικὸν πρὸς τὸ καὶ ἐμψύχειν.

(5) Oſſa cordis cervi proſtant in omni officina, atque a vulgaribus Medicis præſcripta nummarios reddunt Pharmacopolas.

(6) Scribit Mathiolus, viridem, venenoſum, imo mortiferum humorem in caudis cervorum latere.

(7) De vermibus vero in cervorum capite exiſtentibus videatur Red. pag. 201.

pue hinniculorum, quos Germani *Hind-Kalb* dicunt, utilis, & ſalubris eſſe poſſit, ab eademque perfecta interdum juſcula detrahi pro reficiendis ægrotantium viribus: videmus quippe Antiquos, inter quos Heſiodus, & Plinius, admodum longævos cervos crediſiſſe, & inſuper rejuveneſcentes. Videmus ſummam ipſorum velocitatem, & lacertoſam vim: relatum videmus nunquam eoſdem a febre pertentari, & pro multis morbis curandis eorumdem carnem, vel ſpiritum, vel ſanguinem a Foreſto (1), a Plinio (2), Muſitano (3), & aliis quamplurimis commendadari: quapropter quando, ſi fieri poteſt, ſecundum Sethi (4) documentum vetuli mittantur, de carnis cervinæ eſu nobis Suecis condolendum non eſt.

NASI AMISSIO EX FRIGORE

NOn uno tantum in loco regeſtam video hiſtoriam plurium Suecorum, qui in ſummo hyeme aliquibus magis ſeptentrionalibus provinciis novem menſes perdurante, naſum ipſum a frigore ſphacelatum, & corruptum perdiderunt: quod etiam de pedum extremitatibus ab aliquo Scriptore dictum videmus.

Rationi conſona eſt animadverſio, quam referunt de infortunatis illis montanis Sueciæ ruſticis: hoc eſt, quando per longum iter per nives, & gelida loca de amittendo naſo pertimeſcunt, atque ad pagos, & ſtabula perveniunt, non tamen illico ſe igni, aut calori exponere audent, alioquin de congelatis, & gangrænæ proximis cartilagineis pinnis actum eſt. Antequam igitur ſua hypochauſta ingrediantur, compreſſa nive multoties totum naſum fricant, variis irritant frictionibus, & compreſſionibus, quo fit, ut pars paulatim ad calorem, rigidæ fibræ ad flexibilitatem, diſponantur, ſanguiſque ad derelictam quodammodo regionem revertatur. His præmiſſis, calor deinde utilis periclitantem partem inſtaurat, & focillat.

Animadverſio.

COmpoſitum humanum duobus contrariis agendi vi ad ſummum pollentibus eodem momento reſiſtere non poteſt, infelixque idem experimentum olim in praxi vidimus, nempe in egregia muliere NN. Duſina, orta Foreſti, quæ cum igni accumbens, & dormitans, primas ſuarum veſtium flammas non perſenſiſſet, tandemque auctis, & accenſis, vivæ ipſæ coxæ, & crura aſſarentur, a dolore expergefacta, & ſolitaria, dum de extinguendo igne, & refrigerandis partibus cogitat, in proximamque fontanam ſe demergit: en talis plaga ictu oculi ab umbilico ad talos implantata eſt, ut fruſtra inſudaverint Medici Brixiani, itinere a meritiſſima ægrota adhuc juveni ad plures facto.

Cumque ſolus ignis prima tantum integumenta violaſſet, per conſequens citra læſionem partium primarii uſus in corpore humano, non erat extra ſpem vaticinari poſſe, caſum non fuiſſe funeſtum; ſed memorata illa agentium antipathia lacrymabilis eventus in cauſa fuit.

Et ab hoc ergo, & ab uſu Suecæ montanæ gentis, & denique a ratione ipſa illud in hoc capite documentum mentibus noſtris infigere debemus, quod extrema ſemper ſuſpecta, etiam per ſe ſola, tanto magis una corpus humanum invadentibus.

PESTIS SUECICA ANNI 1700. ET 1709.

POſt hyemem pluviam, ver frigidum & ſiccum, æſtatemque calidam, pertimeſcendam eſſe peſtem, dixit olim Suecicus Auctor, dum de venenis ſcribebat; quia illam ipſam lacrymabili fato viderat graſſantem per totum Suecicum Regnum, ſtipatamque tuſſibus, anginis, pleuritidibus, & peripneumoniis, a quibus vel ſollicita mors, vel lenta tabes ſubſequebatur (5).

MORBI ENDEMII IN SUECIA, STOCKOLMIA SCILICET, ANGERMANIA, FINLANDIA, LAPPONIA, UPLANDIA, DALIA, ET RELIQUIS PROVINCIIS, SECUNDUM VARIOS CŒLI ASPECTUS, ET DOMINANTIS SEPTENTRIONIS VIRES.

VEnti ſæpe mutati ex *borea*, *vulturno*, cæcia (6), coro, hinc imbres, frigus, & variæ tempeſtates faciunt, ut atmoſphæra viciſſim variet, hominum vita morbis perquam acutis in ancipiti ponatur, morbidaque evadant Suecorum corpora ex rheumatiſmis, variolis, affectionibuſque aſthmaticis convulſivis, ob quas initio hujus ſæculi, ſignanter in Holmia metropoli e vivis ſublatus fuit celeberrimus inibi Medicus Olavus Winge.

Memorant inſuper Suecicarum peſtium Scriptores, extremum fatum ibi productum a febribus purpureis cum *ſcabie ulceroſa* conjunctis, præcipue circa *manuum carpos*, umbilicos, femora, tibiaſque; hinc ſurgebat epidemicus *capitis dolor*, *anxietas*, *anguſtia pectoris*, vomitus enormes, media poſtea diarrhea lethales, aut ſalubres (7).

AL-

(1) Obſervat. Med. lib. 30.
(2) Libro 8. cap. 32.
(3) Pyret. pag. 121.
(4) Pag. 25.
(5) Populi Holmenſes in peſte ad aſylum confugiunt, nimirum ad *Fabulna*, & *Caprimonte*, & Salberga, ubi ſulphura, & argenti fodinæ.
(6) Quem vernacula lingua *Nord-eſt* dicunt.
(7) Joannes Lindeſtolpe De Venenis pag. 249.

ALKALICORUM USUS

ALkalicorum uſum Holmenſis Medicus (1) clariſſimi nominis in ardentiſſimis febribus damnat, de quibus ait: *Præterita æſtate febres fuerunt, ut comperi, ardentiſſimæ, & pluribus lethales, iis præſertim, qui per quamdam infelicitatem in Medicos incidiſſent ignem igni, alkalia alkalicis curantes.*

Ab alkalicis poſſe in corpore humano ſubitaneam produci efferveſcentiam patet, ex Chymicis tentaminibus, & ex variis miſcellis, quas experiendi gratia inſtituimus; ſed illud utiliter evenit in effectu, quod nempe tota maſſa miteſcat, & acidum ſolvatur, ut quidem in febribus etiam interdum optandum eſt. A propoſitione itaque Sueci Profeſſoris Clinica juventus non debet abſterri, præcipue ſi moderata alkalica, & uſitatiora in Praxi adhibere vult.

NORD-VVEST

COrus eſt vulgari Suecorum ſermone ita dictus, qui alpes præcipue Wemerlandicas, & Lapponicas percutit; hinc deſtillationes, catarrhi, cephalalgiæ, *naſi obſtructi*, uvulæ inflammationes, peripneumoniæ, morbique pectoris, ob quos magna pars montanas regiones inhabitantium periit.

VARIOLÆ

SUecorum modus curandi variolas non nimis noſtris in oris laudandus eſt: *mercurialia* quippe, *antimonialia*, *ſales polychreſti*, *flores ſulphuris*, *cinnabaris*, *acetum vini*, *potuſque vitrioli ſpiritu irroratus* mihi videntur aptiſſima ad inflammandum ſanguinem: quare eadem tangere volui, non ut excipienda, ſed vitanda.

ANGINA PLEURITIS

IN Gothia, Lapponia Suecica, & Ingria eadem methodo procedunt, ut Itali, & fere dixero, ut reliquæ gentes, ſanguinemque primis diebus pluries, ſi opus eſt, mittunt in inflammationibus gulæ, & pectoris: non enim undique preſto ſunt veſpertiliones (2) ſponte, aut per accidens lanceolæ ſubſtituti.

SKOT, AUT FINNE TYRER

SUeciæ nonnulli populi vocant epidemiam interdum inter homines, & beſtias ſævientem, quam etiam *ignem magicum* dicunt. Cumque, *ſanguinem coagulando*, *peripneumonia contingat anginoſa*, in mentem veniunt, quæ nuper ad me ſcripſit ex Brixiano vico Pontiſvici vir clariſſimus Julius Cicogninus: hoc eſt, ab obſervationibus, & tentaminibus circa morbidum bubile genus ſua in regione factis, illud luminis collegiſſe, ut crederet, ab adaucta ſanguinis grumefactione, & *coagulo* rebellem ægritudinem cum frequenti agone pendere: quæque hoc in Opere cuſa ſunt pag. 254. ſcribente viro celeberrimo Martino Ghiſi, *anginoſam*, inflammatamque gulæ ſtricturam, tanquam morbi ſedem ſtatuente. Hæc ambo a doctis viris graphice expoſita concordi paſſu eunt cum illis, quæ diligens Scriptor (3) de Suecis Wemerlandis (4), & Nord-Hollandis commentatus eſt.

ALTERA EPIDEMIA

QUæ Stockolmiæ ſævìit anno 1709. poſt ſummum frigus, feliciter ceſſit uſu opii; ſed præſertim chinæ chinæ, *flaccida vaſa roborantis*, ac ſanguinem *ad perſpirationem naturalem deducentis*.

IN MORBIS ACUTIS

ADmodum amici ſunt remediorum acidorum, & præcipue mineralium, nempe *ſpiritus vitrioli*, *nitri*, *ſalis*, *ſulphuris*, *& aluminis*; quod, pace ſua, ego non nimis laudarem.

NONNULLI IN SUECIA MEDENDI USUS

FLuentes hæmorrhoides in hypochondriacis, & plethoricis etiam Sueci Medici magni faciunt, eaſdemque *Gyllen-adran* dicunt. Mulieribus melancholicis venam ſecant. In morbo *Heinſiuka*, quem ego *amorem patriæ* vocarem, ægrotos in ſuas regiones dimittunt. Itinerantibus ſuper naves, Balticumque, & Germanicum mare excurrentibus, & ventriculationes cum vomitibus, & convulſione patientibus, exhibent opium, crocum, & laudanum liquidum Sydenhamii. In gonorrhęis virulentis exhibent ſemina cannabis. Utero gerentibus venam ſecant, ſed primis prę-ſertim menſibus. Interdum & inibi agyrtę circumeunt, & arcana ſua plurimi divendunt, ut anno 1708. Holmiæ faciebat quidam Judæus ex Gothlandia veniens, qui pulverem, ut ille aiebat, ſympathicum in ægri urinam immittens, ſalutares ſudores promovere dicebat, hacque arte plurimos cum utilitate decepit. In febribus interdum adhibent aquam, pro ſaponacea ſua natura mellitam. In pleuritide aptant pectori cataplaſma ex farina ſiliginea cum aceto cocta; dant decoctum thè, & ſennæ mixta, utiliterque adhibent, ut in Italia, papaver rheados, & oxymel

(1) Lindeſtolpe de venenis p. 249.
(2) Refert Lerius in Navig. Braſil. cap. xı. veſpertiliones Chirurgi fungi vice in aperienda vena.
(3) Idem Lindeſtolpe pag. mihi 698.
(4) *Kringgang* epidemiam vocant.

mel ſcilliticum. In rheumatiſmo vetant carnium uſum, vitantque narcotica, ne morbus figatur. Tertianam vero, quartanamque febrim tollere debere *ſal ammoniacum*, *camphoram*, *arſenicum*, *mercurium*, eademque *prudenter data* nunquam fallere, non intelligo.

Utuntur inſuper Holmienſes Medici lacte in podagra, ſaponaceis in lue venerea, aeris mutatione, geſtatione varia, & littorali ambulatione in affectibus chronicis.

NOVA METHODUS
CURANDI FEBREM TERTIANAM

Suburbium eſt prope Stockholmiam ad boream, cui nomen *Norre-Malm*, ubi inhabitantes mulierculæ illico ac vident hominem, vel mulierem febri tertiana laborantem, primo ſub ſtragulis, ſecundæ ſub veſtibus aerem follibus inſufflant, credentes, frigidam novam atmoſpheram utilem eſſe. Hæc legendo, riſum tenere non poteram.

CHINACHINA

Ait Lindeſtolpe (1), in Suecia chinachina *gangrænam producit*. Ait Heiſterus, in Germania gangrænam ſanat. O auctoritates!

MEDICI CELEBRES SUECI

Præter jam memoratos, Stroem etiam (2) plurimum meritus eſt, necnon Joannes Falk Botanicus inſignis, Ericus Ochelſtierna (3), Urbanus Hierne Regis, & Reginæ Archiater olim inſignis, Vittevon, Lillienaw, Nicolaus Regiæ Majeſtatis Suecicæ Medicus.

ARBOGA

MINERÆ ÆRIS, FERRI, ARGENTI.

Ab extantibus in Suecæ terræ viſceribus varii generis mineris, colligere poſſunt naturalis Philoſophiæ ſectatores, necnon Medicæ ſcientiæ addicti, quales aquæ in occultarum venarum cryptis lateant, quales pro extinguenda ſiti, & domandis morbis in apertam lucem emergant. Proſtant jam hiſtorica documenta, prope Arbogam in provincia Weſtmaniæ obſtrepere ædificia, & incudes reſonare pro ferro ſubigendo. Ad parvam vero urbem *Salsberg*, mineras abundare, quæ quando repertæ fuerunt, omni anno viginti mille libras perfecti argenti fructificabant. In Dalecaria denique, ejuſdemque extremitatis montibus, & regionibus, multas æris (4) venas circumlatere, centum & quadraginta paſſibus interdum profundas, ubi, ut aſſuetum eſt, magnum ſulphuris cum ære connubium. Ab harum igitur minerarum viribus præterlabentes aquas medicantibus, & in Sueci ſoli ſuperficie nunc effluvia conſtituentibus, nunc fructus, beſtiarum pabula, & vegetabilia omnia, quæ in humanam Suecorum eſcam cedere debent, alterantibus, colligere debemus, & probabiliter ſtatuere, quænam erit illorum ſanguinum indoles, quænam aquarum vis. Quæ ſaltem de certo, ut de rebus parvis loquar, ratione æris, lippientes curabit, ſulphuris vero, ſcabioſos poliet.

BOTNIA
OCCIDENTALIS

ANGELICA

Cibum exquiſitum, una & in multis morbis remedium habent Sueci Lapponenſes in ſua Botnia occidentali, toto ſcilicet tractu illo, qui excurrit a mari Baltico uſque ad ſummos montes Sueciam a Norvegia dividentes, ubi abunde progerminat angelica, quam Germani *des heiligen geyſt vurtz* dicunt. Si Fuchſio, & Dodonæo fidem dare volumus, duo adſunt ejuſdem genera, ſativa, & agreſtis; ſi Pena, tria; ſi Mathiolo, & aliis, plura (5): quando tamen vera ſint, quæ exponit Gulielmus Rovillius (6), quod nempe *montes*, *gelidaque amat juga*. Qua utuntur Sueci, ſylveſtris illa erit, ſativæ (7) tamen non abſimilis, licet cum minoribus foliis, minuſque inciſis, & caule graciliori; deinde vero, ejuſdem ſuccos adhibere pro arcendis populatim ſævientibus contagiis, enervando veneno, diſcutienda *craſſa in thorace pituita*, glutinandis internis ulceribus, concretum reſolvendo ſanguinem, diſcutiendis ciborum faſtidiis, & laſſitudinibus denique reficiendis, mirandum non eſſet, dum ipſæ laudes illi tribuuntur etiam ab Italis Scriptoribus noſtris; de quibus tamen credat quiſque, quod poteſt, ac velit. Illud me plurimum rapit, cum videam angelicæ caules a ſeptentrionalibus illis populis devorari (8), & in deliciis haberi (9):

(1) Lindeſt. De venenis cap. 21. theſ. 9.
(2) In Nov. Theor. Machin. animal.
(3) Qui Tractatum Academicum ſcripſit de metallis noxia effluvia evibrantibus.
(4) Et ibi adſunt mineræ argenti, ut exponit doctus Cazzaiti in ſua Geographia pag. 255.
(5) Geſnerus addit aquaticam, archangelicam dictam.
(6) In Hiſtoriis Plantarum umbelliferarum pag. 723.
(7) In ipſa Holmia urbe Regia, præcipue ubi dicitur *Ladduggarland*, adſunt viridaria, & plantarum horti, ubi multa vegetabilia ſata ubertim proveniunt.
(8) Videatur incomparabilis Rieger in ſua Introductione ad notitiam rerum naturalium, & arte factarum T. I. P. 2. pag. 553.
(9) Anglæ etiam gentes eadem utuntur pro condiendis cibis; *fœtidum* quippe halitum emendat tetri ſpiritus ex prava concoctione manantis. Petr. Peri fol. 311.

num vero radices primarii, antequam caule-ſcant, optimæ etiam ſint pro prolonganda vita (1), ſperare non audeo.

FINLANDIA
ET
NYLANDIA

IBI ELEPHANTIASIS, ET LEPRA AB ESU HALECUM MINORUM

IN ſupradictis Suecicis provinciis, juxta ſinum præcipue Finnicum ſitis, victus piſcoſus, præcipue halecum minorum, in cauſa eſt, ut lepra laborent; & ægroti pauperes curandi mittuntur ad Noſocomium Nequenſe.

LAPPONIA
SUECICA

ASTRAGALUS

ASTragalus, quem in collibus quibuſdam, (quos ſupra Ulyſſiponem, Italis *Lisbona*, Tagus alluit) Cluſius inter vepres ſe olim obſervaſſe ſcribit, & Lobellius Syriacum ex Alepo provenientem dixit, poſtremis annis in Suecica Lapponia (2) reperit Carolus Linnæus, Alpinumque jure ac merito vocavit. Quare populi Lapponenſes paratam habebunt medicinam pro ſiſtenda alvo (3), pro diureſi adjuvanda, pro antiquis ulceribus medicandis, proque ſupprimendis hæmorrhagiis.

LIVONIA

PRaxis Livonienſis adminiſtrata olim feliciter fuit ab incomparabili viro Dom. Nicolao Vitte a Lilienaw, Regiæ Majeſtatis Suecicæ Archiatro, & Reipublicæ Rigenſis (4) Practico ordinario, in exteris etiam linguis verſatiſſimo.

SATYRI

SAtyros in Eſtonia Livoniæ ſeptentrionali parte exiſtere Gottlob Schoberus Medicus Imperialis Majeſtatis Ruthenæ Auctor eſt.

NARVA

IN Ingriæ urbe Narva, ubi Rutheni olim dominabantur, vulnerati inter Ruſſos, & exercitum Magni Herois Caroli XII. Suecorum, Gothorumque Regis, difficilem curationem admittebant. Opinabantur quippe, globos plumbeos in Suecos a Ruſſis exoneratos, allio, Ruſſis familiari, fuiſſe tinctos, & pollutos, ut hinc irritatis carneis fibellis a vegetabili viru, convaleſcentia eſſet difficilior: quod tamen ego non tam activum, aut pernicioſum putarem.

SCANIA

IN Scanienſi Regione prope urbem Uſtediam in ora maris Baltici ex lapide ſciſſili, unctuoſo, nigrumque colorem emittente, alumen rupeum paratur, quod in fruſtulos fractum, traditur operariis, & pueris comminuendum: in ſtratis ſub terra poſitum, deinde accenſum, & multis præparationibus ſubactum, tandem in album corpus dureſcit, interdum pyramides quadrilateras transparentes præſefert.

Hinc Suecicæ gentes Suecicum habebunt remedium in ſcorbuticis gingivarum affectionibus, in fibrarum laxitate, in ſanguinis diſſolutione, in diarrheis, in febribus intermittentibus, in ulceribus fœtidis, in plagarum carnibus excreſcentibus, & fungoſis, atque in tot aliis morbis fuſe a quolibet Scriptore indicatis.

SMALANDIA

PRope Culmariam Suecicæ Smalamdiæ urbem populi utuntur quodam potus genere, *Mask-murr* nuncupati, *ſapidi*, & *clari*, atque inebriantis, ita ut *omnia inverſa oculis appareant*. Interdum etiam alterum potum parant ex radice myrti paluſtris.

UPSALIA

UPſala (5) olim Suecici Regni caput, Archiepiſcopalis, ubi antiquitus, ut diximus, & nunc floret Academia, peculiari, & ſpecificæ peſti ſubjecta eſt tempore veris, ab exportatis in eamdem minimis piſciculis (6), vulgari Suecorum ſermone *Nors* dictis, quos Latini Apuas no-

(1) Sic ſentit Carolus Linnæus in Flora Lapponica pag. 79.

(2) *Flora Lapponica. Amſtelodami, apud Salomonem Schovvten.*

(3) Si radix in vino potabitur.

(4) Urbs metropolis, & Archiepiſcopalis.

(5) Ab Eugenio III. Pontifice Maximo erecta.

(6) Quos a fluviorum ſpuma, aut pluvia naſci Veteres dicebant.

nominant: quare illico timent (1); ſed gula dominatur, præcipue in pauperculis, ob vile prætium. Damnum interea a duabus cauſis pendet, & a corruptibili alimento, quod intus apuæ in corpore formant, & ab aere fere dixero peſtilentiali, quod in urbi propinquo amnis Salæ littore ex putreſcentibus, & emortuis piſciculis producitur. Huic quomodo obviam eant Medici Sueco-Upſalenſes, non ſatis ſcio. Si tamen ab illorum ingluvie morbus peſtilens, de certo & tollenda erit a ventriculo putreſcens amurca, & alexipharmacis animali œconomiæ erit conſulendum.

UPSALIÆ CALAMITAS

QUoniam de Upſalia ſermo eſt, ſilere non debemus lacrymabile fatum, quod evenit elapſo finiente ſæculo. Cum enim celeberrimus Rudbekius plantarum Suecicarum, Upſaliæ præſertim, catalogum, deſcripſiſſet pluribus iconibus ære inciſis ornatum, pluribuſque voluminibus diviſum, qui prope diem publicam ſubire debebat lucem, ſubitaneo exorto incendio, totum præſtantiſſimum opus Botanicum abiit in flammas, & favillas.

ABOA

SUb Archiepiſcopatu Upſalenſi ſurgit urbs metropolis Aboa in meridionali Finonia, cui parum diſtant aquæ chalybeatæ, in quibus notatu dignum eſt, tot ſpiritus, & activiſſima, irrequietave effluvia includi, & minerale gas latere, ut accedentes ad bibendum primis ipſis cyathis, atque ingurgitationibus ebrii, & confuſi reddantur.

Num Sueca hæc medicata libamina a deciduis pluviis, nivibuſque, aut a maris Baltici littore, num vero a fluvio *Aviaroki* Finonienſem regionem rigante, proveniant, non tam facili negotio ſtatui poteſt. Illud potius ſciendum, & mirandum eſt, ſummam Supremi Opificis clementiam frigido alioquin cœlo, cachexias, in viſceribus emphraxes, in ſolidis ipſis ſtaſes, ob impeditam fortaſſe tranſpirationem, producente, medicatricem liquorem conceſſiſſe; quodque utilius eſt, activis adeo qualitatibus turgidum, & ſaturatum, ut lentores a regnante aeris Suecici qualitate producti, atque ad ciendas ægritudines aptenati patrio pariter, & Aboenſi remedio tolli poſſint, atque exterminari.

Referunt inſuper, has aquas in impetigine, papulis, exanthematibus, pſora, ipſaque elephantiaſi eſſe proficuas: hocque probant exemplo cujuſdam viri, qui ob eſum phocarum juniorum ægrotans, at elephantiaſi correptus, Aboenſium aquarum potatione integre ſanitati reſtitutus eſt (2).

REMEDIA IN SUECICIS REGIONIBUS FREQUENTIORA

LEPRÆ CURATIO APUD SUECOS

A*Ntalkalinis* in Petro Hoek Uplando curationem elephantiaſis pertentavit clariſſimus Lindeſtolpe, nempe *ſpiritu ſulphuris, vitriolique, & aceto mellito*. Horreſco referens, dum hæc remedia, & omnia, & ſingula, præcipue ſi non modica adhibeantur, apta eſſe, non ad curandam, ſed ad producendam lepram crediderim. Actu illo ſales, vitriolicæ particulæ, ceterorumque in ſanguine atomorum genus non augendum, ſed diluendum, ſolvendumque eſt: ergo aquis, ſero, deſtillatis, & lacte pugnandum erit.

MORBI EX PAVIMENTO LAPIDEO

S*Corbutum*, pallores, tuſſes, ſurditatem memorat Lindeſtolpe in mulieribus a lapideo ſolo productos: hinc tuſſientem puellam curatam Holmiæ narrat medio marte, & cortice Peruviano, ſed ſublatis lapidibus; & ratio, & Hippocratis ſcripta aſtipulantur.

REMEDIA CONTRA PESTEM

IN peſte Suecica anni 1710. ſingulare remedium profuiſſe, celeberrimus Lindeſtolpe (3) deprædicat, nempe *carbonibus pulverizatis, atque intro aſſumptis, ſtetiſſe & tormina, atque ejiciendi conatum*: quod ſane rarum eſt, ſi carbones illi arſenicum continent, ſique morbidi ante illius adminiſtrationem cum *immedicabili diarrhęa vitam finiebant*.

PRO DOLORE CAPITIS

EOdem Auctore referente (4), adhibita olim aqua calcis vivę a Stockolmienſi Empirico, & laboranti capiti applicita mortem intulit. Si adeſt febris, aptant cataplaſma Petri a Caſtro ex vitellis ovorum conquaſſatis, & cum ſale intime mixtis, inter duo linteamina.

BALSAMUM AD VULNERA

APtant Sueci vulneribus balſamum ex aloe, myrrha, ſuccino, maſtice, ſarcocolla, ſanguine draconis, camphora, floribus hyperici, oleo tartari, & ſpiritu vini irroratis.

(1) Qui una voce clamant: veniunt apuæ, venit peſtis.
(2) Vide Act. L. Suec. 1730. p. 14.
(3) De venenis pag. 91.
(4) Ibidem.

AD EBRIETATEM

AUctoritate Plinii (1) raphanum, Plutarchi (2) vero amaras amygdalas, conſiſi Sueci potatores ſumunt.

CHLOROSIS

CUratur aquis chalybeatis, ſaltatione, vel navigatione, ambulatione, &c.

AD PERIPNEUMONIAM, ET COAGULATUM IN PULMONIBUS SANGUINEM RESOLVEMDUM

APtant calidos aceti fermentati vapores naribus, per ſpongiam admotos.

IN HYDROPE

ANimadvertendum, quæ Rigæ Livoniorum obſervavit Suecus Medicus clariſſimus in cadavere viri, quem, dum viveret, hydrope detentum vulgares Medici clamabant, ubi loco aquæ, tres tumores quinquaginta quinque Suecicarum pondo reperti ſunt.

IN DYSENTERIA

VEnam ſecant; deinde exhibent paregorica, & cathartica promiſcue.

IN VARIOLIS, ET MORBILLIS

EXhibent purgans mercuriale, antimonium diaphoreticum, ſal polychreſtum. His factis, tranſeunt ad aquilegiam, naſturtium in decoctione ſpiritu vitrioli irrorata.

HÆMORRHAGIAM

HAnnemannus in urbe Buxtehuda (3) curatam dicit, ſanguine fluente *in araneum vivum derivato*.

IN FEBRIBUS

EX abſceſſu chinamchinam vitant, tanquam peſtem: quod veriſſimum in praxi vidimus; hoc eſt, quando adeſt alicujus partis inflammatio, tumor, fiſtula, laxatio, & ceterorum morborum genus, quorum curatio Medicis morborum externorum (ita Chirurgi vocari poſſunt) tradenda eſt.

EURO-

(1) Lib. 17. cap. XIV.
(2) Sympoſ. lib. I. qu. 6.

(3) Urbe Germaniæ quidem, quam Eſta fluvius ſecat, ſed ab aliquibus Geographis ſub dominio Suecorum poſita.

EUROPEÆ MEDICINÆ SUPPLEMENTUM

AD DANIAM

HAPHNIA

(Sequens Reſponſio ponenda erat pag. 46.)

Illuſtriſſime, & Generoſiſſime

DOMINE COMES

Ætatem colende Fautor!

Cum nihil mihi unquam jucundius, ac gratius, quam cum viris illuſtribus, generoſis, atque eruditis commercium inire literarium; ſic, Illuſtriſſime Domine Comes, de tuo mecum incœpto commercio literario mihi abunde gratulans, nihil prius, nihilque antiquius eſſe credas, obſecro, quam ut iſtud paratiſſimis viciſſim officiis ſuſtineam, ac tua merita in rempublicam literariam eo magis adornem, atque deprædicem encomiis, quo evidentius, quod & in Academia Cæſarea Naturæ Curioſorum, & in Bononienſis Inſtituti Scientiarum Academia, ac in urbe Brixia Collegii Nobilium Medicorum Prior Emeritus, omni habearis æſtimatione. Condoleo autem etiam, atque etiam, quod uti ex ultima tua Epiſtola ad me data percepi, reſponſum meum menſe Novembris anni præſentis ad Te miſſum, ad manus haud pervenerit tuas; in quo de vermium progeneratione in hominibus naturali, de eorum varia monſtroſa degeneratione, eorumdemque denique artificioſa deſtructione; quin & ſecundo de morbi in Dania, & oris ſubditis ditionibus Regis Daniæ, & Norvegiæ endemici, ut ſcorbuti, eundo non multum decreſcentis, quin & de aliorum, tam acutorum, quam chronicorum in hac præſertim metropoli a me obſervatorum morborum prævalentium genio, indole, & curatione, ſive medendi methodo, mentem ſolidis argumentis ſtipatam breviter, ſed ſincere aperui. De morbis acutis, vel malignis, peſte, & peſtilentia in genere, & de peſte ultima Haphnienſi immani anni 1711, *&* 12. *heic ſæviente in ſpecie Tractatum in lingua publici juris feci erudita. Paucis abhinc menſibus Tractatulum de lue armentorum per Cimbriam, Holſatiam integram, & Daniæ totius plurimas ditiones atrociſſime graſſante peſtifera. Quin & nonnullis abhinc annis Tractatulum de venæ ſectione in variolantibus, de vera fluidi nervini exiſtentia, necnon de nervorum permeatu, quin & de malo hypochondriaco edidi. Jam in eo ſum, ut Tractatum de morbis meſenterii, affectu hypochondriaco, melancholia, & maniæ ſpeciebus elaboratum, data occaſione, bibliopolæ grati expenſis in lucem edam: quin & centurias duas Obſervationum Medicarum, & Tractatum de plurimorum morborum ſignis characteriſticis, necnon Tractatum de venæ ſectionis uſu proficuo, & abuſu noxioſo elaboratum, commoda occaſione, publica editione communicem. Jam, quantum præſentium meorum negotiorum tempus mihi concedit, in faſciculum brevi prioris reſponſi mei nervum, ſive nucleum extractum repetendo colligens, dicam, quod cum animantium generatio ſeminis ipſis inſiti virtute continuetur, quo Deus rerum Creator, ut naturæ regna univerſa, ita & hæc inſtruxit, ut in ovo & ſemine, ſeu compendio, tota animalis carina, ſive facies futura ſubtiliſſime delineata extet, quæ, ovo maturitatem nacto, ſenſim explicatur, & perfecta partium textura, & configuratione noſtris tandem oculis ſiſtitur; hinc cum unum tantum principium viventium deprehendamus, æquivoca, & ſpontanea generatio non habet locum: ſimile quippe nonniſi producit ſimile; quod ſolertiſſimus naturæ interpres Rhedi in Tractatu de generatione inſectorum optime deduxit. Quælibet enim ſpecies ſuo gaudet ſemine, ſuique conſervationem a Deo obtinet. Quapropter Veterum doctrinam de inſectorum origine, quam ex rebus putredini, & corruptioni ſubjacentibus fingere haud erubuerunt, nil moror, exequias enim jamdudum eſt paſſa. Negandum quidem non eſt, quod certa putridæ carnis ſpecies detur, certæque magis arrideat inſectorum ſpeciei, & ſua peculiaria foveat inſecta, quę innidulantur inibi, & ova deponunt ſua, ex quibus, ſeu ex orco, poſtmodum crabronum, & inſectorum copia prodeat. Ex ſola autem putrida, & putida materia ſpontaneam vermium emerſionem ideo prorſus nego, quod forma, ſeu virtus ſeminalis neceſſario concurrat. Ovum enim in ipſo naturæ arvo, ſeu matrice, elaboratur, quod vitaliter*

actua-

actuatum, debito calore fotum, & nutrimento inſtructum ſufficienti, naturalem figuram, texturam, & proportionem partium paulatim repræſentat, & ſpeciem, cujus ovum fuerat, luculenter demonſtrat. Ipſa experientia iſtam comprobat ſententiam, quod ſi enim inſecta a carnium arceantur contactu, nulla unquam animalcula ex his producta comparebunt: nec rationi eſt incongruum, quia in omni reliquo viventium genere ovum generationis principium exiſtit. Et omnia in terris creſcentia, & viventia a Creatore ita creata eſſe, eoque ordine abſoluta, ut quælibet ſpecies ſuo frueretur ſemine, ſuique conſervationem ex potentiſſimo Creatoris verbo, Creſcite, & multiplicamini, eo ipſo & ſuis viribus obtineret, ut adeo, non inſtar fungorum, confuſe, & fortuito, ex accidentario variarum atomorum concurſu pronaſcantur, quem, quæſo, fugit? Neminem non itaque, vermes in homine ex ovo procreari, & excludi, ſi fomentum in ejus corpore inveniant aptum, conceſſurum confido: humorum enim in corpore ad eorum progenerationem peculiarem requiri aptitudinem, ſecundum generale axioma, quod in omni generatione conveniens ſupponatur materiæ diſpoſitio; cum forma non introducatur in materiam indiſpoſitam, & calorem, ſeu fotum requiri proportionatum ad vermium excluſionem, ut dixi, extra omne eſt dubium. Qua ex re illi ad verminoſum ſeminium maxime ſuſcipiendum inclinant, qui 1. motu potius fluidorum corporis inteſtino, quam progreſſivo auctiori, vita ſedentaria, 2. tono inteſtinorum debili, ventriculi atonia, ſubindeque calore ſuppreſſo, partium tono remiſſo, cruore vitali, ceteriſque humoribus impuris, ſpiſſis, & viſcidis eminent; quibus ſic præſentibus ova commode excluduntur, & vermes protruduntur, ut in infantibus, perſonis cachecticis, quæ muceſcentiam ſibi contraxerunt putredinoſam, deprehendimus. Facilis contra eluceſcit ratio, cur non omnis ætatis homines, ſed ex iis pauci tantum vermibus infeſtentur. Quouſque enim uſus laticis purpurei progreſſivus, & circularis eſt vegetus, humoreſque ceteri ſatis ſtrenui, tenues, & fluxiles, calor vividus, ſtomachus in digerendis cibis ſalvus, & tonus inteſtinorum periſtalticus illæſus, ut ſecretionum, & excretionum negotia debite perficiantur, tamdiu, inquam, a verminoſa progenie immunis exiſtit. Ut nimis adeo a veritatis tramite deflectant, qui omnem morbum a vermibus derivant, & quid mirum? Quando ipſum hominem a verme progigni audacter ſtatuant. Hi jam vermes in homine putredini quidem vitam debent, quatenus hæc inſtrumenti vices obit, per quod inſectorum formatio eveniat, minime vero ex putredine vermes in humano corpore ſuboriuntur, ut nonnulli incongrue concludere ſatagunt ex dicto Jobi cap. 17. Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus. Calor vero ex inteſtino putredinoſo motu fermentativo prorumpens proportionatur, vermes excluſos, & progenitos blande fovet, & ſuſtentat, ut hi haud raro inteſtina atrociter laceſſant humana, & diriſſima inferant pathemata. Quomodo ova corpori humano inferantur, ſeu communicentur, ut inde vermes pronaſcantur, conceptu eſt facile, dum ſcilicet muſcæ, & quæ alia hujus generis inſecta dulcia apprime appetunt, qualia ſunt lacticinia, mellita, pultes, quibus pro genio indulgent ſuo, oraque ſua imponunt, quæ una cum lacte, dulcibuſque aſſumpta, & deglutita, in corpore humano verminoſam relinquunt proſapiam: & ex hac ratione Belgæ præ multis aliis nationibus, vermibus excruciantur, cum illi lacte maxime delectentur. In infantibus recens natis obſervatum, quod ſi lac a nutricibus immediate ſolum ſugant, vel capiant, etſi chylum in inteſtinis haud raro corruptum, ventriculi, & inteſtinorum tormina cauſantem dira, gerant, vermium progenitura haud infeſtantur. Utut vermes hominibus ſint infenſi, nec tamen ſoli habendi, cum & alia animalia πολύμορφα fundo eorum turpe innaſcantur, quorum exempla induſtrii in ſuis ſcriptis collegerunt Obſervatores. Ut modo pauca jam adducam, Salmuth. cent. 1. obſ. 62. mentionem facit avis cujuſdam ſimul cum bene nato fetu naſcentis. Molæ volatilis effigiem, avem quadrupedem referentem exhibet Th. Bartholin. Act. Med. Philoſ. tom. 1. c. 26. De ead. vid. etiam Obſerv. Med. Phyſ. Germ. decur. 1. an. 2. obſ. 160. ut & an. 3. obſ. 129. Matth. de Prado Com. in Rhaſ. cap. De Moca, de animali alato a muliere producto, quodque illico poſt nativitatem volaret, teſtatur. Rhodius refert Obſ. 66. centur. III. ex Marci Donati Hiſt. L. A. c. 26. vermem monſtruoſum diuturni morbi, & mortis cauſam, quod nimirum cuidam viro nec obeſo, poſt varios dolores, & maciem extincto, vermis ineſſet, qui a mortuo ſeceſſit multiceps, cauda longa, cornu gemino, cancrino ſimili, flavi, & nigri coloris, palmæ longitudine deprehenſus. Ut taceam ſerpentes, ranas, lacertas, bufones, quæ fœminæ interdum fuerunt enixæ, interdum per os evomuerunt: taceo quoque anguillas, millepedes, ſcarabæos, erucas, imo & ſcorpiones, de quibus ipſimet Auctores conſulantur, ut Schenckius, Riverius, Zac. Luſitanus, Marcus Donatus, Ulyſ. Aldrovandus, Paræus, & qui Miſcellaneis Naturæ Curioſ. ſtudium, ac operam impendunt. Tantum autem abeſt, credamus, multiformium animalium corpori humano inexiſtentium ortum eſſe poſſe e materia aliqua putrida, ut ſupra innui, multo minus vermes in aliam formam, ut ſerpentes, lacertas, &c. transmutari poſſe, quin potius pro intemerata habendum veritate, quod multiformia animalia obſervata, aut ipſis ovorum in ſeminibus latuerint, aut formata ſeu irrepſerint in corpora, ſeu ingeſta fuerint. Et quis unquam probabit, quod unum fuerit ovum, quod tam diverſos, diverſo tempore exhibendo verminoſos fœtus, diverſas induerit formas? Omnes porro vermes, quos corpus fovet humanum, cum ſint adventitii, illud ſiſtunt inſectum, cujus a ſpecie ovula fuerint emiſſa. Quo pacto, omnia illa, quæcumque corpori humano p. n. ingenerata fuerint, inſecta, & animalia, ex ſpe-

cifi-

cifico, & peripheria activitatis circumſcripto ſeminio oriri, nemo inficias ibit.

De morbis his in oris ſeptentrionalibus, & hac quidem in urbe maxime familiaribus, deque nonnullorum medendi methodo jam in priori Epiſtola tranſmiſſa compendioſe, & clare mentionem feci; ſubindeque de iſtis in Tractatu meo de Morbis Meſenterii, &c. elaborato, & quantocyus, modo fieri poſſit, edendo, generaliter etiam veritatem propalare ſuſtinui. Jam paucis, ut in hac Epiſtola brevitati ſtudeam, ne Tibi in perſequendo ſim moleſtus, ut me expediam, dicam, quod uti inter ſcorbutum apparentem, verum, & nauticum ſit diſtinguendum, ſic ſcorbutus, quæ ſcorbutus hiſce in plagis ſeptentrionalibus morbus eſt endemius, mundique ad interitum talis manſurus. Certis vero regionum locis & quidem Mari Baltico, vel boreali vicinis, quin & in locis paludoſis, ac declivioribus ſævior ſit, & tyrannidem ſuam in accolarum corpora, diverſis haud raro diris pathematibus ſtipatus, immanius exerceat, atque hoc eo certius quo aer inſalubrior, ejuſque diatheſis deleterior, & quo ſæpius accolæ & copioſius eſculentis ſale muriatico conditis, fumo induratis, piſcibus marinis duris, & exſiccatis, quin & quo crebrius cibis ſalſis, duris, ſemiputridis, ut haud raro e plebe fit, veſcuntur; & quo frequentius Zythum cauſticum, vel alia ſpirituoſa, quibus nationis magna pars dedita, ingurgitant. Item quo copioſius craſſas, & ſpirituoſas cerevisias, ex aqua craſſa, & fæculenta paratas, compotant: ac quo laxius animi pathematibus, præſertim iracundiæ, invidiæ, qua nonnullos benemeritos proſequuntur, mœſtitiæ, odio, æmulationi, quæ inter magnam incolarum partem, quidquod? Inter plebem haud raro anguſtia domi vel ſplendida cum miſeria graſſatur, obtemperant, eo dirius ſcorbuto, aliiſque pluribus aſſliguntur morbis chronicis. Inſignis quorumdam luxuria in ſplendido veſtitu, intemperantia abſona in potibus, ingluvies in voracitate, & comeſſationibus ſine modo, laſcivia, & voluptas utriuſque ſexus, præſertim ſequioris, incomparabilis, ex qua præter ſcorbuti apud multos malignam indolem, multi lue venerea deturpantur, ad interitum nonnullas deduxerunt familias. A dictis tam phyſicis, quam moralibus cauſis jam frequenter factum, ut affectus hypochondriacus, melancholia hypochondriaca, cachexia hypochondriaca, diſpoſitio phthyſica, & hectica, febres variæ, & quandoque meſenterii febres apud utrumque ſexum ſe ſcorbuto aſſociarint, ac multis funeſta, præſertim iis, qui a Medicis vulgaribus, & Medicaſtris variis, quorum multitudo huc confluit innumerabilis, & qui hic, proh dolor! ut totidem Trhaſones, & latrones, intra muros, licentia inaudita, ſtragem haud exiguam reipublicæ inferunt, medicamenta ſibi porrigi paſſi ſunt. Si verum fateri fas ſit, noſter ideo ſtatus Medicus jam eſt deterrimus, & ad agonem uſque delatus. In Islandia, in Groenlandia, in inſulis Tæroa, & Bornholmia, in certis Norvegiæ ditionibus, & quidem circumcirca Bergam civitatem Norvegiæ inclytam, modo ab aere craſſiori, impuriori, & deleteriori, modo ab alimentis inſalubrioribus, quibus veſcuntur, quippe in Groenlandia, & pluribus Islandiæ locis incolæ coctione, & elixatione paratum liquamen axungioſum e balanis, aliiſque marinis piſcibus compotant, ac carnem dictorum piſcium mox recentem, mox exſiccatam cum delectamento comedunt. Quælibet Potentiſſimi Regis Daniæ provincia ſeptentrionalis vegetabilibus contra ſcorbutum in ſpecie, contraque alios morbos, ſed diverſo gradu, eſt fertilis, & opulenta. Sic in Regno Norvegiæ progerminantia, præ hiſce in Siælandia, præ illis in Fionia, in Lollandia, Cimbria, Holſatia, &c. ſunt paululum efficaciora. Quæ Islandia, quæ Groenlandia, & Finnomarchia gignunt, adhuc præſtantiora præ illis in Regno Norvegiæ naſcentibus experta ſunt. Tam in nonnullis Regni Daniæ ditionibus, ut & in hac urbe, quam in locis præcipue ſuperioribus Regni Norvegiæ circa Bergam, in Groenlandia, Islandia, ceteriſque inſulis Norvegiæ obſervatur non ſolum ſcorbutus chronicus peſſimi moris, ejuſque effectus multis in oris modo dictis, quæ ſcabies maligna, ſeu impetigo ſimplex, in aliis pſora leproſa vocatur, quæ nec faciei, nec labiis parcit, ſed uſque ad oſſeam penetrat ſubſtantiam, illamque exedit, exfoliat, ac ſi ægri eam neglectui habent, vel Medentes amethodice tractant, ulcera progignit cachectica, uti ego in hujus urbis, in hujus provinciæ multis incolis, & imprimis in multis millibus ægris militibus ſtatus utriuſque, tam hiſce enarratis, quam aliis differentibus, & acutis, malignis, aliiſque ſumme recalcitrantibus periculòſis morbis excruciatis obſervavi, quibus in ſex Noſocomia Regia delatis, & tempore contagii ultimi Haphniæ peſtiferi, & tempore belli in ſummum publicæ rei emolumentum, ſed ingratiſſima erga me remuneratione, ſolus omni cum induſtria, & prudenti per tempus vigilantia præfui, & proſpexi. In aliis multis alia ſpecies ſcorbuti, quæ herpes, ſeu ſerpigo vocatur, ſuam exercet, & ſerpendo, & multas corporis partes occupando, malignitatem; non ſolum enim ad corporis ſuperiorem corticem certa per loca ſerpendo ſe propagat, ſed & pedes, manus, femora, ſcrotum, perinæum occupans, multas in cute eminentias, ſeu puſtulas pruriginoſas parvas, milii ſeminis magnitudinem adæquantes, ſine humiditate excitat, quæ, ſquammulis quidem depoſitis, evaneſcunt, ſed facile iiſdem in locis certis temporum periodis recurrunt. In multis caput ipſum a tali herpete infeſtatum obſervavi, & in dictis Norvegiæ locis, atque inſulis frequenter animadvertitur, quæ & pſora leproſa ſi in principio haud debite tractetur, degenerant mox in ulcera maligna, mox in ſpinas ventoſas ſumme rebelles.

belles. In aliis pruriginis ſpecies, ſenibus maxime familiaris, annotatur, quæ ſine puſtulis, & papulis, tam intolerabili pruritu cutem occupat, ut fricando, & refricando membra vix ſibi ſatisfacere queant. Quandoque etiam pubem, ſcrotum ſeorſim obſidet, interdum inteſtini recti exitum, imprimis quando hæmorrhoides vitio ætatis, aut errore quodam ceſſare incipiunt. In aliis herpes exedens, qui a Celſo ſacer ignis nominatur, nec eryſipelati diſſimilis ulceroſo, totam cutem ad carnem uſque exedit, ac in ſquammas nunc craſſiores, nunc tenuiores, etiam circa piloſas maxime capitis partes, duros autem in membro affecto tumores evaneſcens relinquit. In non paucis aliis propullulat ſcabies cruſtoſa, quæ pedes maxime ad genua uſque invadit, elephantiaſis a quibuſdam vocatur. Pedes enim ſaccorum inſtar tumidi fiunt, ſuper quos cruſtæ protuberant latæ, quæ vel ſponte decidentes, vel abraſæ, ſtigmata relinquunt rubiginoſa, pruritu, & ingenti vellicatione moleſta, humoremque fundentia ſpiſſum, qui in novas ſquammas, & cruſtas condenſatur. Arabum autem lepra, ſeu Græcorum elephantiaſis morbus longe terrificus, & magis abominabilis eſt, cujus deſcriptionem Aræteus tradidit lib. IV. C. XIII. & *Celſus lib.* III. C. XXV. *Affectus iſte ulceroſus, quem vulgo appellant ulcus verminoſum, a lepra, & ſcabie plane differt, dum ſcilicet ulcera ſordida muſculoſas potiſſimum partes, ut dorſum, brachia, femora, ſuras, lumbos occupantia, putridam plorant ſaniem, & mox in altero membro recrudeſcunt, mox in altero adoleſcunt, multos ſæpe annos durando; atque tale morbi genus plebeis, mendicis, & infimæ ſortis hominibus, qui impuro vitæ genere utuntur, imprimis ſolet eſſe familiaris. Heic, & alibi in ditionibus Norvegiæ ſcorbutico ſtatui ſe junctum ſiſtit cachecticus, humoribus nimirum œdematoſis in pedibus, lumbis, &c. cum maculis ſæpenumero flavis, cæruleis latis, ac frequenter maculis copioſis rubris parvis, ſæpe periculoſis, culicum morſum, ſed rubicondiorem, & leviter eminentiorem repræſentantibus. In nonnullis ſcorbuto, & cachexia hypochondriaca ſimul affectis apparent in pedibus, lumbis, & brachiis veſiculæ cæruleæ, modo ſeorſim, modo congregatim, maligniſſimæ naturæ, & utplurimum ulcera cachectica, tantum non inſanabilia, aliaque pernicioſa conſectaria exſuſcitantes. Ejuſmodi ſtatus ſcorbuticus mihi in multis millibus ægrotis in Noſocomiis curæ meæ, ut dixi, commiſſis in hac urbe, in hac provincia, alibique curatu obvenit, ac auxiliante Deo, meaque opera feliciter extirpatus eſt.*

Ut breviſſimis quoque ſecunda vice de remediis ad ſcorbutum debellandum in genere memorem, ſic ex vegetabilium regno, & quidem ex indigenis vegetabilibus inſignis uſus fuerunt, & eſſe pergunt rad. bardan. maj. rad. vincetoxic. rad. oxylapath. rad. chelidon. maj. ſcorzon. cichor. ruſc. polypod. q. v. gramin. valerian. &c. Ex herb. fumar. naſturt. aquat. & hortenſ. trifol. fibr. chamæd. cochlear. flor. geniſt. necnon ſummit. pin. Ex exoticorum vegetabilium claſſe egregii ſunt uſus rad. ſalſapar. medulloſ. alb. rad. chin. non carioſ. in taleol. conciſ. ſcorzon. Hiſp. curcum. glycyrriz. Ex lign. lign. guayac. reſin. lign. ſaſſaf. odor. lentiſc. ex quibus infuſa, decocta, ptiſanæ, ſpecies theiform. prout individuorum, ægrorum certus ſtatus morboſus, eorumdemque certa corporis conſtitutio, & temperamentum requirunt. Medicamenta enim, quæcumque ſint, relative, vel reſpective in corporibus operantur, & relativum modo edunt effectum, ſi debite parentur. Compoſita quoque contra diverſum ſtatum ſcorbuticum, vel ſcorbuto-cachecticum ex vegetabilibus proſtant medicamina præſtantis uſus: ſic mihi in uſu ſunt tinct. ad diatheſ. necnon eſſent. fumar compoſ. eſſent. aperitiv. &c. a me excogitata quæ cum tinct. tart. vel ra. antimon. tartatiz. & eſſent. ſuccin. maritata optime valent. Laxantia convenientia, quæ perite interponenda ſunt, & quæ ſecundum ægrotantium individuorum temperamenta, certaſque reliquas circumſtantias, imprimis ſecundum individuorum fluidorum dyſcraſiam, & ſolidorum eorum differentem tonum præſcribenda eſſe poſſunt MP lax. balſam. N. D. MP lax. balſam. Hoffman. vel balſam. lax. Becheri, vel Stahlii, vel Juncke i; item extract. Panchymag. Croll. vel Catholic. MP e ſuccin. Craton. MP anticatharrh. N. D. quæ in fluxionibus catarrhalibus inſignis ſunt efficaciæ; item extract. rhabarb. vel aquoſ. vel vinoſ. item hiſce vel aliis reſinæ jalap. oleo amygd. dul. vel amygd. d. excort. præparat. unum, vel duo, vel tria grana combinari queunt. Quin & multis inſigniter proſunt potiones laxantes, præ aliis laxantibus, vel gran. quæ ex fol ſen. a. s. fl. mann. Calabr. depur. rhabarb. Alexand. cremor. tart. vel tart. tartariz. vel arcan. tartariz. aquæ flor. acac. leni calore coct. paratæ, & colatur. earum, vel aq. cinnam S. V. vel aquæ zedoar. vinoſ. aut una, vel altera guttula olei deſtill. mac. vel de cedro debita in doſi per. mixt. ſunt. Ex regno minerali optime conducunt, quæ ex antimonio rite parantur, ut ſunt v. g. antimonium diaphoreticum ſimplex, vel ex regulo, ceruſſ. antimon. bezoardic. miner. regul. antimon. medicinal. cinab. antimon., vel nativ. ſublim. quæ cum abſorbent. ut lapid. cancr. vel alkooliſ. vel præp. conch. mar. præp. matr. perl. præp. corn. cerv. ſine igne præp. vel corn. cerv. uſt præp. ſuccin. alb. præp. vel pulv e chel. canc. ſimpl. vel compoſ. necnon nitroſis combinari certa in doſi poſſunt. Antimon. crud. ſcilicet. pulveris in petia ligatum, ac cum decoctis ex vegetabilibus ſimul coctione, & colatur. paratum, ac ſub ſtragulis debita in doſi datum, inſignis eſt efficaciæ. Quin & nonnullis mercurialia, ut mercurius dulcis rite paratus, vel panacea

mercurii

mercurii, cum dictis maſſ. pilul. laxantib. convenienti doſi permixta, ac inter aliorum medicament. recenſit. ſecundum introductam certam medendi methodum neceſſariam uſum optime conducunt. Ex regno animali pauca adſunt, quæ in uſum trahuntur. Ex iis in arthritide inveterata, doloribus rheumaticis, & arthritide ſcorbutica lumbrici terreſtres præparati cum abſorbentibus, temperantibus, antimoniatis, cinnabarinis, & paucis nitroſis, quandoque bezoarticis, ut pulv. bezoartic. Anglic. vel pulv. e chel. cancrorum compoſ. permixt. egregii ſunt effectus. In invaſionis hujus mali principio autem, imprimis ubi ſtatus plethoricus non contra indicat, primæ viæ leni laxante ſunt repurgandæ, quod conſtet ex aquę florum acac. ℥ II. *cinamom. ſ. v.* ℥ III. *pulver. cornachin.* ʒ I. *ſyrup. de cichor. c. rhabarb.* ℥ III. *m. d. in vitr. pro una doſi, vel hujus loco potio alia ex mann. Calabr. depur. rhabarb. Alexandr. tartar. ſolubil. cum aqua cichor. & flor. acac. leni calore parata, ac colata, cum oleo de cedro, una vel altera guttula commixta ſumme quoque eſt conveniens. Porro herpete, & pſora leproſa afflictis, ceteriſque paribus, cum aliis medicamentis utilibus, medicamenta ex viperinis certa encheireſi parata ſunt ſalutaria. Scorbuto nautico inquinatis ſuccus citr. cum aliis ſuccis antiſcorbuticis rec. expreſſis combinatus, & cum ptiſana ex rad. ſcorzon. vel rad. oxylapath. & cichor. necnon paſſul. min. & ſemin. fœniculi, cum aqua parata, & data conducit. Externe quoque ſuccus citri ad illiniendas partes affectas egregii eſt effectus. Omnes febres intermittentes, quin & malignas, & nonnullas acutas inflamtorias per leges coctionum, & criſium conducibilibus remediis, temporum opportunitate, & diętæ debito regimine feliciter curo. In omnibus ceteris morbis ſanandis* εὐκαιρίαν *obſervare, & exercere ſatago; & hoc ſecundum Hippocratis effatum: animæ curationum ſunt temporum opportunitates, & ad eas ſanandas ſecundum cujuslibet individui temperamentum, vires, prægreſſos morbos, morborum cauſas primo primas, remotas, & proximas, earumqne origines, animi mores, idioſyncraſiam, ceteraſque circumſtantias, certam, conſtantem perite introduco methodum. In nonnullis & magnis chronicis morbis autem eſt ad tempus nihil agere, totum agere. Alii chronici tædioſi morbi quiete, & abſtinentia, ceteriſque paribus ſublevantur. Quandoque valet, ubi prodeſſe nequeas, cave, ne noceas. Cum jam & temporis penuria, & negotiorum multitudine epiſtolę hujus filum abrumpere admoneor, Te, Illuſtriſſime Comes, ut hanc epiſtolam, tanquam teſſeram amoris minime fucati, & conſtantis amicitiæ pignus interpreteris, ſubmiſſa mente oro, & obſecro; quin & quod reliquum eſt, ſi in tua ſitum ſit poteſtate, Generoſiſſime Comes, æqui bonique conſulas velim, ſi tua Generoſitate confiſus, Te etiam atque etiam rogitem, ut optimam in partem pro me impendas operam, quo in Bononienſem Scientiarum Academiam, & in urbe Brixia Collegium Nobilium Medicorum benigne, & gratioſe reciperer, ac Diplomata de hac receptione, quam primum fieri poſſit, acciperem. Utinam commodam nanciſcerer occaſionem, qua ad Te, Illuſtriſſime Comes, nonnulla meorum editorum, & in poſterum edendorum Scriptorum Medicorum exemplaria tranſmitterem. Nihil mihi in poſterum gratius, nihilque antiquius fore credas, quam ut auſpicatum literarum commercium omni cum animi attentione, ac veneratione continuem. Vale Venetorum decus ingens, atque amare digneris, tanto licet terrarum, mariſque ſpatio diſſitum, virtutis, & eruditionis tuæ flagrantiſſimum æſtimatorem Tibi addictiſſimum,*

Haphniæ die 3. menſis Maii ann. 1746.

JOHANNEM GOTTL. DE BOETTICHER M. D. & P. Acad. Imperialis Naturæ Curioſorum Sodalem.

AD FRANCIAM

(Ponenda erat pag. 87.)

PARISIORUM LUTETIA

Nobiliſſimo Comiti,

Sapientiſſimo Patri Academico

D. D. Francisco Roncalli Parolino

Academiæ Bononienſis Socio,

Nobilis Brixiani Medicorum Collegii Priori

LUDOVICUS-JOANNES LE THIEULLIER

Doctor Medicus Pariſienſis

Obſequioſam Salutem præbet.

Non ita mihi ſane placebam, Eruditiſſime Comes, ut priores, licet immeritas, apud Te partes habere me, cogitatione fingerem, ineptaque ſpe blandiri putaſſem, ſi deliberationes meas Medicinales inexpectato tot, tantorumque Italorum Medicinę Procerum plauſu non ſolum comprobari poſſe, ſed & ab ipſis ex Gallico perhonorifice converti, conjecturis adulatoriis auguraſſem. Nunc ergo me beatiſſimum exiſtimabo, cui, ſolo tamen benevolentię veſtræ titulo, bonæ apud vos famæ præſumptione perfruenti, certoque poſteritatis cum futura gloria vivere licebit. Donec autem hoc anno declinante, conſultationum volumen quartum tribus editis prioribus adjunxerim librum ſic inſcriptum, Obſervationes Medico-Practicæ, *recens a me recognitum, auctum, & emendatum, acceptare velis. Hunc identidem obſcurum primo, junior tunc ego, de factis accuratam rationem reddens, annuente Regio Cenſore, e Collegis meis uno, ſubjici prælo curaveram: hunc eundem hodie, non mutata quidem, ſed explanata Praxi, Medicinæ Tyronibus edocendis, fidus dubiorum Interpres, ipſo Cenſore prædicante, ſaluberrimaque matre mea auſpice, committo. Verum, Illuſtriſſime Comes, ſi beneficia eo uſque læta ſunt, dum videntur exſolvi, quantus mihi Morborum Hiſtorias tuas accipienti ſuffuſus fuerit rubor, ipſe judicaveris, cum adeo modicum hoc animi gratiſſimi vectigal pendere valeam. Quoniam vero præter voluntatem, aliud nihil ſuppetit, hanc optimam, & memorem in ſolutum excipias quæſo, uſque dum poſtulatis tuis circa ſtatum hodiernæ Pariſienſis Medicinæ, pro viribus, & negotiis obtemperaverim. Illud quidem eo facilius, vel alacrius aſſequar, quod in hac urbium Regni principe, non modo medendi ſeges uberior ſit, quam ut cuiquam deſit quod agat, verum & frequentes efflagitentur conſultationes, in quibus hæſitantem juventutem conſilio regit ſenectus, vel ſenum judicio ſenes firmantur. Hinc tutior conſpirat Medicorum omnium conſenſus: hinc univerſalior curatoria methodus, pauciſſimis, ſi qui ſint, ab illa degeneribus, ſancitur. In hoc ego vaſtiſſimo campo labori noctem addo, non ſupremis dignus, non tentatus honoribus: imo pauperibus, ac potentibus ſedulitate pari ſemper opitulans,* ſorte mea contentus vivo; *nunquam invidus, Horatio diſſentiente,* laudo ſequentes.

Nec Te latere credo, Collega Clariſſime, cur in tanto perilluſtrem Junckerum habeam, cum in illius Operibus ordinatiſſima diſtributio, prudentiſſima medendi norma generalis, aptiſſima ad ſingulos caſus accomodatio, in præviſis, & arduis tutiſſima denique proviſio, virum in Arte Apollinari peritiſſimum, nauticam Practicorum quaſi pyxidem indigitent, atque demonſtrent: hic inſuper in omni pulvere facile currens, & modum operandi percallens, leges in agendo nunquam violandas figere certo novit, præceptaque dedit, quibus ſapere queant Operarii. Scies a me profecto, quantum in hac Arte progrediatur Academia noſtra, ubi vota tua circa Medicinam Pariſienſem membratim adimplere tentavero. Interim lucubrationes meæ, vel obſervationes in Chirurgicis, ſi Tibi arriſerint, quid Scholæ noſtræ, multo præſtantiores Medici valeant, facile judicaveris. Jam autem æquum videtur, ut ſtupendo narcoticorum adhibitorum exemplo par adſit.

Una Chriſto conſecrata Virgo, quæ multis ab annis S. Franciſci profitetur Inſtituta in Monaſterio Pariſienſi ſub Invocatione S. Eliſabeth, annos nata 57. temperamento bilioſo-ſanguineo, ſuaviſſimis prædita moribus, motibus internis vexata ſpaſmodicis, pleraſque noctes non ſine labore traducens inſomnes, interdum vagis jactata doloribus, variis ſatiata, dicam? vanis exhauſta remediis, una ſuadente muliercula, papaveris decoctum, quo tantopere deſiderato ſomno faveret, affatim exhauſit: hanc audaciorem fecit conciliata quies; ponderibus cito pondera cumulantur; quindecim capita papaveris in decocto quotidie ſumuntur; ſimilis quantitas per elapſos hactenus annos aſſiduo potanda paratur: abſente ſoporifero, ſubitus fit ſenſuum ſtupor, revocato, redit vigor. Notandum venit, quod ſedativum illud decoctum in prandio ſimiliter, & in cœna, coctionibus intemeratis, exhibitum fuerit. Hanc porro Virginem nuper ægrotantem ad parciorem doſim adduxi, lactis uſum ſubrogavi, non dubitans tamen, quin ad methodum familiarem confugiat convaleſcens. Si quid a Te nunc in alicujus beneficii loco petere ſinit noſtra recens inita ſocietas, hoc unum ſit, ut completa duo Conſultationum mearum Italice redditarum exemplaria per Abbatem Rugeri *Reverendiſſimum, occaſione data, mihi mittere velis, pretio ſcilicet deſignato, quod ſtatim huic clariſſimo viro reſtituam. Omne vero, quod in hac urbe Tibi voluptati futurum excogitaveris, indica, illius citiſſima miſſione delectar. Vale.*

Lutetiæ Pariſiorum die 20. Aprilis 1746.

OBSER-

OBSERVATION
DE
MEDECINE

Sur un Remede Sympathique contre le Rheumatiſme ſimple, ou gouteux, & les Maladies qui arrivent par le defaut de Tranſpiration.

Avec la Deſcription de ce Remede, & les precautions neceſſaires pour ſon uſage.

Par Monſieur Jean-Louis Le Thieullier, Docteur Regent de la Faculté de Medecine en l'Univerſitè de Paris, Conſeiller du Roi, Medecin Ordinaire de Sa Majeſtè en Son Gran Conſeil, en la Prevotè de Son Hotel, & Grande Prevotè de France, &c.

OBSERVATION DE MEDECINE

NE pas comprendre la maniere, dont un Remede agit, n'eſt pas toujours un titre legitime pour le rejetter. Il ſuffit d'en connoitre la compoſition, & les effets, d'avoir des preuves conſtantes de ſon utilitè, de la pouvoir aſſurer par des preparations fondées ſur la raiſon & l'experience. J'oſe meme dire que c'eſt alors une des plus honorables prerogatives de la Medecine, de ſavoir, malgrè de profondes obſcuritès, etablir avantageuſement des conjectures.

La compoſition dont je fais part au Public, ou une ſemblable, a long-tems excitè ſon admiration par des cures extremement brillantes; mais ſon uſage hazardè dans toutes circonſtances, s'eſt trouvè quelquefois ou inutile, ou prejudiciable; & la confiance n'ayant pu devenir univerſelle, on a volontiers negligè ce qu'on ne reconnoſſoit que par des experiences inegales.

Comme le danger ſeroit toujours le meme, ſi ce ſudorifique etoit abandonnè aux prejugès de ceux qui le diſtribueroient dans la ſuite ſur une eſpece de bonne foi mal eclairèe, j'ai cru qu'une decouverte heureuſe pour les Citoyens, de quelque endroit qu'elle parvint, & fut abandonnèe au Medecin, ceſſoit de lui appartenir, & qu'il en etoit dès lors comptable à ſa Patrie, dont ſa Profeſſion le rend Conſervateur. Je tolere, quoiqu'avec peine, un Charlatan s'annoncer par un arcane, *une poudre, &c. ſeules reſſources que lui preſentent ſon peu de lumiere, & dont une temeraire indigence dicte en differentes langues les* livrets *ou* affiches. *Je ne ſaurois blamer, & je loue au contraire, un particulier amateur du bien public, pour le ſoulagement duquel il prodigue genereuſement le fruit de ſes recherches, ou qui, dans un etat de fortune bornèe, profite avec probitè du produit de ſes veilles; mais il me ſera toujours nouveau, qu'un Medecin, ou quelqu'un appartenant à la Medecine, ſe rende proprietaire excluſif d'un remede, & ſe laiſſe ſoupçonner (trop ſouvent avec juſtice) de raſſaſier ſa cupiditè, qui devient la regle du ſalaire qu'il exige.*

Quelle ſeroit, en effet, la fortune qui ſe ſoutiendroit contre l'aviditè, peu vraiſemblable à la veritè, des Medecins, ſi d'age en age les connoiſſances multiplièes dans leur Art, leur euſſent paſſèes ſous le ſecret inviolable, avec une entiere libertè de rançonner chaque malade? Mais la Religion & le zele qui les guident, leur ont fait communiquer ſans reſerve les productions de leurs travaux; ils ont formè differens miniſtres capables d'executer leurs projets, & les ont aſſez inſtruits pour ſe reproduire ſous les yeux de leurs Superieurs. La Facultè de Paris ſurtout refuſe les honneurs Academiques, ou les ote à ceux qui s'aviliroient par le plus ſuperficiel Charlatanisme. *La gloire de meriter, & de ſoutenir la confiance publique l'anime dans toutes ſes demarches; l'interet y peut difficilement prendre part, l'equitè de ceux qu'elle oblige prevenant preſque toujours le deſir de l'honoraire.*

Pour donner quelque ordre a cette obſervation, je la partagerai en deux articles. Le premier donnera une legere idèe hiſtorique ſur le remede ſudorifique, avec un detail fidele de ſa compoſition: le ſecond contiendra ſes proprietès, & les precautions neceſſaires dans toutes les ſuppoſitions qui le peuvent rendre utile.

COMPOSITION DU REMEDE SYMPATIQUE SUDORIFIQUE

IL y a environ dix-huit ans que j'entendis beaucoup parler d'un particulier qui traitoit pluſieurs maladies par le moyen d'un ſudorifique qui paroiſſoit d'autant plus ſingulier (1), *qu'il* ne conſiſtoit ni à rien prendre, ni à rien appliquer ſur le corps. *Il n'aſſujetiſſoit à d'autres ſervitudes qu'à celle de recevoir au premier avertiſſement une ſueur plus ou moins abondante, & plus ou moins durable ſelon le beſoin. J'appris que le melange d'une certaine doſe de poudre preparèe, & d'urine, le tout bouilli enſemble, provoquoit*

(1) Journal Hiſtorique ſur les matieres du tems Decembre 1745.

cette ſueur ſi infailliblement, qu' il etoit, diſoit-on, facile de guerir les malades ſans leur conſentement. Les ſuccès furent contrebalancès; quelques perſonnes guerirent radicalement; d' autres furent peu ſoulagées: il s' en trouva un nombre qui ſentit le mal augmenter; ceux qui jouiſſoient d' une bonne ſantè ſe mocquerent du gueriſſeur & des malades. Enſin la methode d' un Auteur exceſſivement bornè ne put faire fortune; il quitta bruſquement Paris & ſes pratiques, tous depens compenſès.

C' eſt le meme remede que je fais revivre, & ſans entrer en une explication ſuperflue, je me contenterai de dire que j' ai copiè la deſcription que je donne ſur l' original qui m' a etè confiè pour quelques jours. Je n' y ferai aucune reforme, & je paroitrai peut-etre trop exact, ſans vouloir paſſer pour trop credule. Je peux ſeulement atteſter les avantages du remede que j' ai fait preparer, & adminiſtrer gratuitement, pour ma ſeule inſtruction: d' ailleurs j' avoue que je n' en ſuis pas ſeul poſſeſſeur, & que dans le meme tems il a etè confiè, non ſeulement à M. Maurain (1), Maitre Chirurgien Jurè de Saint Come, demeurant rue de la Culture Sainte Catherine, du cotè de la rue Saint Antoine; mais encore a M. Daliez Maitre Apoticaire, & de là à quelques perſones moins capables d' en conduire l' adminiſtration. Nous avons, à la fin de l' année derniere, reçu l' un & l' autre ce don d' une main reconnoiſſante des ſervices que nous avions rendus par les devoirs de nos profeſſions. J' ai vu faire ce partage ſans jalouſie, connoiſſant les ſentimens de M. Maurain: l' emulation nous anime egalement aujourd' hui, nous payons au public la dette que nos etats nous font contracter; le Chirurgien propoſe obſcurement, à la verità, le remede; le Medecin le donne, & l' explique.

Je ne pretendrai jamais faire entendre que M. Maurain ait affoibli cette compoſition, lorſqu'il (2) y a beaucoup ajoutè: je la decris telle qu' elle a etè employée pour M. Pinçonnot (3) qui après avoir etè, pour ainſi dire, perclus pendant huit ou dix ans, en a reçu une gueriſon ſi entiere, que depuis quatorze ou quinze ans, il n' a eu aucune atteinte de ſon ancien mal. Car il eſt conſtant que M. Maurain, agè d' environ vingt-ſix ou vingt-huit ans, & Maitre Chirurgien depuis l' année 1741. n' etoit pas en etat, il y a ſeize ou dix-ſept ans, de donner, & d' augmenter un remede; & tant par mon calcul, que par les converſations que nous avons eues ſur ce ſudoriſique, il faut qu' il ait commencè ſes additions annoncèes dès le jour meme qu' il en a copièe la recette: c' eſt une obligation qu' on ne lui doit cependant avoir qu' après l' experience faite du remede tirè directement de ſa ſource.

POUDRE SYMPATIQUE POUR FAIRE SUER

„ Six onces d' aſſa fœtida, de la plus ſeiche.
„ Six onces de litarge d' or.
„ Une once de couperoſe.
„ Demi-once de mercure crud.
„ Une once d' antimoine.
„ Une once de teſticules de caſtor.
„ Le tout mis en poudre ſubtile.

PREPARATION

„ IL faut piler l' aſſa fœtida dans um mortier „ de fer ou de bronze ſuffiſamment grand, „ & ſeparement. Il ne faut pas penſer qu' il „ puiſſe ſe mettre exactement en poudre, il ſuffit de le bien melanger avec les autres dro„ gues, que l' on aura eu ſoin de mettre ega„ lement en poudre. Cela fait, vous prendrez „ une huguenote garnie de ſon couvercle, ou „ bien un pot de terre à feu; vous mettrez „ le tout dedans, avec environ deux verres d' „ eau de riviere (4); enſuite vous expoſerez le „ pot où ſera votre matiere dans un fourneau „ a un ſi grand feu de charbon, qu' il faut „ neceſſairement que le vaiſſeau, ainſi que la „ matiere, qui doit ètre calcinèe, ſoient l' un „ & l' autre rouges comme le charbon ardent. „ Cette operation faite, & votre matiere re„ froidie, vous la retirerez du pot, vous la „ mettrez en poudre la plus fine qu' il vous „ ſera poſſible, & vous en peſerez huit onces, „ qui fait la doſe neceſſaire pour faire ſuer.

MANIERE DE S'EN SERVIR

„ VOus mettrez dans un matras de verre, „ qui contienne une pinte (5) meſure de „ Paris & plus, une chopine de votre urine, „ tant de la nuit que du matin. Il faut ob„ ſerver que le matras ne ſoit pas plein, a qua„ tre ou cinq travers de doigts près; qu' il „ faut exactement boucher avec le liege le col „ du matras, & le garnir d' une peau de cha„ mois, qui deſcende de quatre doigts au moins, „ en outre le bien ficeller, autrement le bou„ chon ſauteroit quand le matras ſeroit ſur le „ feu, & l' urine partiroit comme la foudre „ avec le bouchon. Vous laiſſerez infuſer pen„ dant vingt-quatre heures la poudre dans votre „ urine avant que de vous faire ſuer, & quand „ vous

(1) Journal Hiſtorique ſur les matieres du tems. Decembre 1745.
(2) Ibidem. pag. 446.
(3) Ibidem.

(4) On auroit tort de ſupprimer l' eau
(5) Il faut un matras qui puiſſe contenir au moins quatre pintes; autrement il caſeroit dans le tems de l' operation par le grande rarefaction des parties.

„ vous voudrez faire votre operation, vous mettrez votre matras au feu de ſable, bien garni deſſous, & de tous les cotès, dans une terrine : vous placerez votre terrine ſur un fourneau ou rechaud, avec beaucoup de feu dabord, pour que votre urine puiſſe bouillir tout doucement, & (1) lorſque tout ſera diſposè ainſi, vous vous mettrez au lit, vous prendrez deux taſſes de thè, vous aurez ſoin de vous faire mettre une ſerviette autour de la tete, & vous faire couvrir comme il convient d' etre pour ſuer. Vous demeurerez tranquile dans votre lit, & vous attendrez la ſueur, qui ſera plus longue a venir la premiere fois que les autres.

„ Ce remede n' opere qu' une heure & demie après que l' urine a commencè à bouillir. Pour lors ſe fait ſentir une douce transpiration, laquelle devient graduellement de plus en plus forte, au point meme qu' il faut avoir quelqu' un auprès de vous pour vous eſſuier de tems en tems. Vous aurez ſoin, lorſque vos draps & votre chemiſe ſeront bien mouillès, de vous faire changer de chemiſe, d' en mouiller une ſeconde, une troiſieme, ſi vous le voulez, & que vous le puiſſiez; je veux dire par là, que vos forces vous le permettent. Ceci fait, vous pourrez reſter aſſis dans votre lit, revetu de votre robe de chambre, dejeuner ou diner, ſi la choſe vous fait plaiſir, laiſſer refermer les pores, vous habiller enſuite, & ſortir ſi vous le jugez à propos. Vous obſerverez ſeulement de ne point prendre de nourritures crues pendant le tems que vous voudrez ſuer; vous vous repoſerez le ſixieme jour, en prenant medecine, & gardant la chambre. Le lendemain vous recommencerez à ſuer comme cydevant; vous vous purgerez le ſixieme jour de meme: vous reitererez juſqu' à parfaite gueriſon, & ſuivant votre ſituation, vous pourrez remettre de l' urine dans le matras, ſi elle ſe conſume trop. Cette meme compoſition ou melange, comme vous voudrez le nommer, pourroit vous ſervir un an aprés, parce que l' urine acquere une qualitè incorruptible.

„ Vous remarquerez, s' il vous plait, qu' après de ſemblables pertes de liqueurs, vous vous trouverez fort fatiguè; mais lorſque le ſoir arrivera, non ſeulement vous ſerez plus allegè, mais meme vous ne ſerez plus du tout fatiguè. "

Ce memoire ſignè etoit adreſsè & proposè à la perſone que j' ai rendue convaleſcente, afin qu' elle s' en ſervit, en cas qu' elle en eut encore de beſoin, & que ce remede convint à ſon etat.

PROPRIETE'S DU REMEDE SYMPATHIQUE SUDORIFIQUE, ET LES PRECAUTIONS NECESSAIRES POUR SON USAGE.

IL eſt conſtant qu' un remede reconnu ſudorifique eſt utile contre une infinitè de maux, pourvu qu' il ſoit placè avec prudence; que la maniere dont agit la poudre composèe, miſe dans l' urine, & exposèe au feu, ne ſoit pas exactement comprehenſible, ce n' eſt pas une raiſon pour la negliger (2). Qu' on n' y trouve rien qui puiſſe paroitre dangereux, ne n'eſt pas un motif de l' employer indiſtinctement. Dès qu' elle provoque certainement la ſueur, il en faut faire uſage; mais avec la meme ſageſſe que demande celui de tous les ſudorifiques, puiſque les avantages & les deſavantages lui deviennent communs. Car on voit que des poudres purgatives particulieres, des diuretiques, des aperitifs, &c. dont quelques Empyririques ſont poſſeſſeurs, deviennent entremelès de ſuccès tout à fait contraires, parce qu'ils ſont donnès comme remede univerſel, & que pluſieurs de ces medicamens propres à remplir les indications dans differentes circonſtances, n' etant pas livrès à la pratique de la vraie Medecine, produiſent plus de funeſtes que d' heureux evenemens.

Comme je n'ai jamais rien lu de ſatisfaiſant, ni de convainquant ſur l' action des remedes ſympathiques, & que je ne preſume pas aſſez de moi-meme pour eſperer plus de reuſſite, je me contenterai de dire, que l' on comprend mieux qu' on ne le peut expliquer, ce que c'eſt que vertu ſympathique: mais d' ailleurs n' etant pas Auteur d' un pareil remede, je n' hazarderai aucun detail; je me borne ſeulement en lui connoiſſant les proprietès que j' annonce, ſans vouloir etre caution d' une reuſſite toujours egale, à prouver que notre compoſition adminiſtrèe ſans preparations, & ſans precautions dans pluſieurs affections rheumatiſmales ou gouteuſes, peut exciter des deſordres importans; que, par conſequent, c' eſt à tort que l' on dit (3) que ce puiſſant ſudorifique joint à d' autres avantages, ceux de ne deranger en rien le malade de ſon regime de vivre ordinaire, & de ne le point empecher de vacquer à ſes occupations.

C' eſt

(1) C'eſt-à-dire que le vaiſseau ſoit aſsez echauffè pour que le degrè de chaleur ſoit toujours egal.

(2) M. Ueay, Medecin de Thoulouſe, dans ſon Traitè *de la Maladie Venerienne*, imprimè en 1699. fait mention d'une poudre ſympathique, au probleme XXVII. qui faiſoit ſuer les malades en la detrempant dans un peu de ſang qu'on leur tiroit. la compoſition qu'il en donne eſt differente de la notre.

(2) M. Spon le Pere, Medecin de Lyon, avoit annoncè un pareil remede avant M. Ueay, dans ſon Traitè *des Fievres & des Febrifuges*; mais il n'en a point donnè la compoſition, à ce que dit M. Ueay.

(3) Voyez l'Article citè du Journal.

C' eſt contre le rheumatiſme ou ſimple, ou gouteux, que l' on oppoſe plus particulierement le melange annoncè ; c' eſt preciſement le cas qui demande le plus de ſageſſe dans ceux qui entreprennent ſa cure. Cette maladie, quoique plus prochainement dependante d' une lymphe qui peche, tant par ſa conſiſtance viſqueuſe, que par ſon acrimonie, & d' une ſeroſitè chargèe de ſels, pour ainſi dire, cauſtiques, porte neceſſairement une autre cauſe generale ou eſſentielle, ou ſecondaire, qui eſt une ſtaſe de ſang, par une congeſtion plus ſpecialement determinèe vers quelques parties. Rheumatiſmus nihil aliud eſt, quam ſtagnatio maſſæ ſanguineæ circa peculiares corporis regiones....... a congeſtione ſanguinis copioſiore, ad talem locum ſpecialiter directa, originem ducens. *Juncker. Conſp. Med. Theoret. Pract. tab. 96.*

*Je dis que la lymphe, que j' appellerai ſe*roſitè nourriciere, *produit en partie le rheumatiſme : ſon plus ou moins d' epaiſſiſſement le differencie de la goute, qui marque ſon progrès par des concretions pierreuſes dans les articulations. J' y ajoute ſecondement une ſeroſitè, que je nommerai* ſeroſitè *ſimplement* ſereuſe; *c' eſt celle qui ſert de vehicule aux globules du ſang, & c' eſt auſſi cette partie aqueuſe qui joue le role le plus ſenſible dans le rheumatiſme :* cauſa proxima, & immediata hujus affectus eſt humor ſeroſus, qui propter tenuitatem, partes in tumorem non elevat, &c. *River. Prax. Med. lib. 16. cap. 3. & ſa mobilitè, ou ſon deplacement frequent & facile des douleurs, leve tout doute ſur la force de ce principal agent.* Quæ repentinæ mutationes nonniſi ab humore mobili, ſummaque mobilitate prædito fieri poſſunt. *Riv. ibid. Mais la ſtaſe du ſang, & la congeſtion n' entrent point en cauſe, puiſque ſon arret eſt le principe de l' alteration, & de la depravation des liqueurs.* Multus fit pravorum humorum proventus, qui in venis & arteriis diutius retenti, pravam quamdam acquirunt corruptelam. . . . . . Humores illi pravi, & corrupti in venis fervent, & ebulliunt, ac poſtmodum a venis ſeorſim expelluntur, ac veluti evomuntur; unde nauſeoſis venarum ſatis appoſite morbus iſte appellari ſolet. *River. ibid. En un mot, quand la diſtribution rallentie du ſang ne produiroit pas d' elle-meme une menace d' inflammation, la qualitè ſeule de la ſeroſitè neceſſiteroit des criſpations qui l' occaſionneroient infailliblement.* Diſpoſitionem quamdam inflammatoriam ex ſeri fervore oriundam. *Ibid. Il ne faut donc pas etre etonnè que tous les Praticiens d' accord ſur une cauſe generale, qui eſt la plethore :* Cauſa materialis eſt plethora. *Juncker. loc. cit. veulent que la ſaignèe, ou toute autre evacuation de ſang ſoit repetèe ſelon le beſoin :* Per venæ ſectiones conveniente loco, & tempore inſtitutas : per applicationem hirudinum ad hæmorrhoides promovendas. *Junck. loc. cit.* Pluries iteranda eſt phlebotomia, atque adeo utriuſque brachii venæ ſæpius erunt pertundendæ. . . . . copioſæ hujus ſanguinis evacuationis utilitatem oſtendit experientia. *Riv. loc. cit. Pour moi je n' ai jamais vu de malades douloureuſement perclus de rheumatiſme, dont la rigueur des accidens n' ait cedèe à la ſaignèe proportionnèe à la plenitude des vaiſſeaux, & aux forces du malade ; & ſi toute autre methode eſt imprudente, celle des ſudorifiques dans le commencement, dans l' augment, & dans l' etat des accès* rheumatiſmaux, *eſt d' autant plus dangereux, que je peux prouver une foule d' exemples de fievres malignes, d' hemorragies, & de morts memes par la negligence & l' omiſſion de la ſaignèe dans ces conjonctures.* De ſudorificis idem dicendum eſt, quod de purgantibus jam dictum ; ea nimirum in principio, augmento, & ſtatu non eſſe proficua, imo vero plurimum nocere: quod vulgares Medici experiuntur, qui veri catarrhi ſpecie deluſi, & morbi pertinacia pertæſi, ad ſudorifica confugiunt ; unde morbus germinatur, & dolores intenduntur. *River. loc. cit.*

Les ſudorifiques, ſelon moi, ne peuvent donc avoir lieu, que pour premunir contre de nouvelles attaques, dans un etat de tranquilitè actuelle, ou dans le declin des accès ; alors après des preparations ſuffiſantes, comme preſervatif, on peut employer le ſudorifique ſans ſaignèe, ſi les vaiſſeaux ne ſont pas trop pleins; comme curatif, il ne peut jamais tenir lieu, ni diſpenſer de la ſaignèe, ou de quelque autre evacuation de ſang, comme du flux hemorroidal, procurè par l' application des ſangſues dans les perſonnes ſujettes aux hemorroides, à quelque embarras de foye, &c. Sudoribus ſæpe morbus iſte terminatur. . . . in declinatione poſt debitas purgationes, nulla febre preſente, plurimum conferre poſſunt. *River. loc. cit. Voilà certainement des conditions qui doivent faire loi chez toute perſonne ſenſèe, & qui cependant* ne derangent pas peu le malade de ſon regime de vivre.

Pour peu qu' on faſſe attention à la maniere dont agit un ſudorifique, on tombera d' accord qu' il fait rarefier les liqueurs, qui occupent par conſequent alors plus de volume dans les vaiſſeaux, il faut donc comprendre que ſi les vaiſſeaux du malade etoient deja ſuffiſamment remplis, ſoit par l' abondance, ſoit par le mouvement impetueux des fluides, l' orgaſme que produit un ſudorifique, peut occaſionner quelque hemorragie ſymptomatique, ou quelque depot interieur. Ajoutons que le ſang contracte encore une conſiſtance viſqueuſe par la grande diſſipation qui ſe fait à travers les pores de la peau ; que c' eſt un nouveau moyen d' engorgement, & d' obſtruction. Sudores nimii, multum liquaminis ſubſtrahendo, ſanguinem adhuc

magis

magis ſpiſſum reddunt. *Junck. Med. Theor. Pr. tab.* 13. *On peut dire la meme choſe*, & *une egale crainte ſe trouvera fondèe*, *ſi les humeurs viciées ſurabondent dans le malade*, *ou ſi elles ſont dans le cas d'epaiſſiſſement*, *elles ne ſont certainement pas diſpoſées à s'echaper par la voye de ſueur.* Humores illi præſertim obſervantur inepti, qui vel ſunt valde viſcidi, vel cum viſcidis commixti, a quibus proinde nequeunt ſecedere, ni adjunctorum viſciditas prius incidatur. *Franc. Deleboe Sylv. Prax. Med. Appendic. Tract.* 6. *pag.* 757. *Et l'on ne devra pas etre ſurpris*, *ſi notre preparation ne provoque pas infailliblement la ſueur*, *ou ſi elle produit des effets funeſtes*, *dès qu'on l'adminiſtrera ſans egard aux circonſtances particulieres*, & *à l'etat de differente plenitude des malades*. . . . Non eſt quidem bonum ſignum non prodire ſudorem, aſſumpto ſudorifico ſatis potente. . . . Et hactenus pro indicante habendum, vel humores in corpore non eſſe aptos, ac diſpoſitos, ut per ſudorem expellantur. . . . *Deleboe Sylv. ibid.*

Concluons donc qu'il faut des preparations plus ou moins captivantes avant d'employer des ſudorifiques, *qu'après leur action de nouvelles ſervitudes deviennent neceſſaires*, *telle qu'eſt celle de ne pas s'expoſer à l'air froid capable d'appeller des maladies plus dangereuſes*, & *plus aigues que les rheumatiſmes*; *qu'il convient enfin d'avoir des attentions ſur le regime*, *qui doit etre humectant*, *temperant*, & *composè d'alimens faciles à digerer. Je ne deſignerai aucune methode particuliere*; *Meſſieurs mes Collegues la regleront toujours avec ſageſſe*; *il me ſuffit d'obliger le Public*; *dont le ſoulagement ſeul fait mon unique occupation. Si le remede que je lui communique remplit ſon attente*, *je ſuis plus que reconnu* & *recompenſè de ma candeur à ſon egard*; *ſi les evenemens deviennent inegaux*, *j'aurai au moins la ſatisfaction de lui eviter les depenſer d'un remede qui ne lui eut pas etè plus heureux*, *ſans pretendre critiquer les additions de M. Maurain*, *ſur leſquelles* (*s'il en eſt reellement quelqu'une*) *on obſervera de conſulter encore pendant quelque tems l'experience.*

J'aurois pu communiquer plutot la compoſition de notre poudre ſympathique, *ſi je n'euſſe apprehendè de rendre ſon uſage dangereux par le defaut d'explications capables de prevenir les abus funeſtes qu'un ſimple expoſè procureroit infailliblement parmi des gens qui n'en connoitroient pas les conſequences*: *c'eſt pourquoi la pluſpart des meilleurs remedes*, *dans les premiers tems de leur application*, *ſe ſont trouvès contrebalancès par des evenemens fort contraires*, *juſqu'à ce que les lumieres de la Medecine en euſſent fait un ſage diſcernement.*

Nota. *J'ai trouvè extraordinaire une lettre qui vient de paroitre au nom de M. Dionis*, *un de mes Collegues*, *qui a d'autant plus de droit ſur mon amitiè*, *qu'il a reçu de ma main le bonnet de Docteur en* 1738. *après un diſcours de Veſperie que je lui ai prononcè* en forme de conſeil, *le* 10. *Septembre de la meme annèe. Ce diſcours eſt dans le premier volume de mes Conſultations page* 438. *Il eſt etonnant qu'il ait parlè de cette Obſervation avant qu'elle fut ſous preſſe*; & *l'on s'appercevra facilement que ſur quelque faux rapport*, *il a laiſſè ſurprendre ſa bonne foi*, & *ſa modeſtie*, *qu'on lui ſait etre ſi naturelles.*

FIN.

Hoc Opuſculum vix abſolutum, & nondum typis mandatum, Eruditiſſimo, & Celeberrimo Comiti Franciſco Roncalli Parolino dari curavit addictiſſimus Collega Ludovicus-Joannes Le Thieullier Doctor Medicus Pariſienſis, &c. die 2. Junii 1746.

LE THIEULLIER

VIRO CELEBERRIMO

LUDOVICO JOANNI LE THIEULLIER

In Univerſitate Pariſienſi Facultatis Saluberrimæ Doctori Regenti, *Regis Conſiliario*, & *in Majori Conſilio*, *atque in Magna Regiæ Domus*, & *Franciæ Præfectura Medico Ordinario.*

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS S.P.D.

Opera tua in Italicam linguam tranſlata Venetiis ſunt, ſed non ſolitaria, & integra. Pavinus bibliopola Venetus recudenda curat Pariſienſium Acta, & Italice verſa, quolibet, credo, menſe, in exiguæ molis ephemerides concinnata, publico, literatorumque cœtui dat. Hinc vides in epiſtola meâ verbum illud *Actis*, quod diariis tantum collectionibus aptari poteſt. Itaque ſi jubes, ut Lutetiam mittatur libellus ille, id fieri poterit; ſed paucula in eodem perſtringuntur.

Peto veniam, ſi me ſerotinum Tibi ſiſto, ſolumque a poſtremis literis tuis 26. Novembris excitatus reſpondeo: uno verbo id facere debui, quaſi preſſus a ſummo labore edendæ *Europæ*, id tunc eo magis intelliges, quando opus præ manibus habebis: circa quod vellem cogitares, quomodo Lutetiam Tibi tradendum erit, quandoquidem tabellarii integrum *Perou* pro prætio petunt.

Ceterum, Te certum facio, mihi tuto perveniſſe antecedentem epiſtolam, una cum doctiſſima Diſſertatione manuſcripta, Gallico idiomate exarata, noſtræ editioni addenda, atque etiam quatuor tomos tuorum Operum Pariſiis cuſos.

Vale interim, & poſt hæc me plus frequenter in ſcribendo expecta.

Brixiæ 25. Junii 1747.

ME-

MEDICINA HODIERNA PARISIENSIS PRO ORNANDO OPERE DESCRIPTA, BRIXIAMQUE TRANSMISSA A VIRO CELEBERRIMO.

Tria imprimis videntur expoſtulari in ſchedula circulari ad nos uſque tranſmiſſa: Primum nempe, ut Authorem de Practica totius Europæ Medicina aliquid moneamus circa domeſticam noſtram Medicinam. Secundum ut regnantes in noſtro climate morbos exponamus, aptaque his profligandis remedia, & apud nos uſitata indicemus. Tertium tandem, ut peculiaria quædam remedia peculiaribus quibuſdam morbis depellendis accommodata, apud nos nuperrime detecta, & ceteris nationibus incognita, aperiamus.

Quoad primum, nempe domeſticam Medicorum Pariſienſium Praxim, nullibi terrarum incognita eſt. Nemo enim neſcit, totum Praxeos noſtræ cardinem in his præcipue verti, ſcilicet, ut in morbis acutis, a prima invaſione, venæ ſectio celebretur, eaque pluries iteretur, & quandoquidem ad nonam, aut decimam vicem, imprimis ubi morbus eſt inflammatorius. Depletis hac arte vaſis ſanguiferis, & reſtituto reciproco humorum, vaſorumque æquilibrio, idque ante quartum a morbi invaſione diem, nidulantes primarum viarum ſordes, cito propinatis catharticis, aut etiam emeticis, expurgamus. His peractis, cetera naturæ committimus, de his tantum ſolliciti; primo, ut levioribus narcoticis ſomnum, aut animi pacem qualibet nocte conciliemus. Secundo, ſtrictiſſima diæta minuatur humorum moles, ut inde poſſit emendari eorumdem dyſcraſia. Tertio tandem, ut frequentibus injectis clyſteribus, omnia rite ſe habeant circa abdomen, viſcerumque in pelvi reſidentium, ac imprimis veſicæ ardor, aut inflammatio interno iſto balneo præcaveatur.

Nota primo circa emetica initio morbi propinata, hæc etiam in morbis inflammatoriis feliciſſimo cum ſucceſſu apud nos quotidie uſurpari; imo in peripneumoniis cum tuſſi violenta, & ſputo cruento, præmiſſis ſcilicet iteratis ſanguinis miſſionibus.

Nota ſecundo: ubi dicimus, a quarto invaſionis die ad ſeptimum uſque, omnem morbi fortunam a ſolis naturæ viribus expectari; ne quis credat, nos interim naturæ operationibus ſtolide inhiare, miniſtros ejuſdem naturæ inutiles, otioſoſve ſedere tragediæ ſpectatores. Sunt & ſymptomata accidentia, quibus reprimendis toti incumbimus, tum apozematibus, tum juſculis aperientibus, incidentibus, refrigerantibus, tum aquis pullorum, tum carnium gelatinis, & ceteris id genus; idque pro morbi indole, aut gravitate, & ægri ſexu, temperamento, ætate, aut viribus. Hæc autem omnia, cum mere peculiaria ſint, & pro caſuum varietate quotidie variare expertum ſit, hic quoque conſulto prætermittenda cenſuimus; ſiquidem noſtri inſtituti eſt tantum, ut domeſticam Medicorum Pariſienſium Praxim exponamus, id eſt generalem tantummodo, & quotidianam, quam adhibent in omni fere morbo acuto medendi methodum.

Tandem ut ad noſtrum inſtitutum cito revertamur, ubi poſt ſeptimum diem ira morbi deferbuit, tunc advocatis catharticis, iiſque non ſemel iteratis, reliquas inteſtinorum ſordes amandamus; ſicque morbi curatio terminatur.

Hæc de morbis acutis dicenda habebamus. Sunt autem & morbi chronici, quorum etiam fere omnium curatio a ſanguinis miſſione inchoatur, quæque ſi a myaſmate quodam ſcruphuloſo ſcorbutico, aut venereo procedant, antiſcrophuloſis, antiſcorbuticis, aut antivenereis, hic, ut ubique terrarum, expugnatur. Si vero a depravata humorum craſi, ſi a viſceris, aut partis cujuſdam eroſione, infarctu, ſcirrho, vulnere, ulcere, aut cancro: ſi tandem ab alio quocumque adulteratæ œconomiæ animalis vitio, curatio millies variat, & pro cujuslibet caſus qualitate, & ſymptomatibus, varia debellando morbo auxilia advocantur. Sic febres intermittentes cortice Peruviano cum abſorbentibus, & catharticis ſociato depelluntur. Febres quartanæ aperientibus. Phtyſis incipiens bechicis incraſſantibus, lacte vaccino, aſinino, & nonnunquam muliebri. Leucophlegmatia, & hydropes locales catharticis vehementioribus. Suppreſſa mulierum menſtrua aperientibus mineralibus, ac imprimis chalybeatis. Paralyſis ab apoplexia inducta aquis thermalibus, &c.

His præmiſſis de domeſtica noſtra Medicina, quædam nunc de regnantibus in noſtro climate morbis adjiciamus.

Regnantes in noſtro climate morbi, ſeu populares, & endemici admodum pauciſſimi ſunt; nec alium novi Pariſienſibus oris particulaciter affixum, nobiſque gentilitium, præter febrem malignam.

FEBRIS MALIGNA

Febris illa maligna appellatur, non quod in ægri præcordiis veneni quid deſæviat, vel malignam ægro aſſidentibus afflet auram; ſed quod, velut ignis doloſo cineri ſuppoſitus, tacite ſerpat, & miti extus calore lenis, cœco intus æſtu flagrans, ſeſe maligne diſſimulet; eo tamen reipſa ſævior, quo blandius inſidioſa falſa benignitate ægrum decipit, ſecuros mendax fallit aſſidentes, fictaque larva Medicum non raro ludit incautum, & offuſa caligine, dira mox futura vetat proſpicere.

SIGNA GENERALIA

Nullum fere aſſignari poteſt genuinum febris malignæ ſymptoma; cum illa morborum omnium perſonam ſola quotidie mentiatur, & agat. Nunc ſub

ſub pleuritidis forma dolorem punctorium offert medendum, tuſſim ferinam debellandam, ſanguinis ſcreatum ſiſtendum. Nunc colicum dolorem, jecoris, aut ventriculi inflammationem tam erudite imitatur, ut propius nihil fiat, quam ut oculatos, & in Arte recoctos decipiat. Quandoque tertianam intermittentem, ſæpius continuam, aut febrem utriuſque participem præſefert; alterniſque diebus recrudeſcens, exacerbationes vehementiores prænuntiat.

Quamvis autem morbus ille omnimodis ſymptomatibus Medico illudere geſtiat, adſunt tamen ſigna quædam peculiaria, quibus a ceteris morbis dignoſci poteſt: & hæc ſunt:

SIGNA DIAGNOSTICA

Imminente morbo, multis ante invaſionem diebus, membra ingraveſcunt; ſomnus laborioſus fit, & turbulentus; torpet corpus ſpontaneis defatigationibus. Calor adeſt adeo levis, ut vix ſe febricitare æger ſentiat. Urina bona eſt, pulſus bonus, niſi quod hic paulo exilior, & crebrior, illa crudior. Mens ſtupore obtorpet; ſenſus hebeſcunt; ingens denique fit corporis pondus; ſed brevi ea ſymptomata vires acquirunt eundo.

Ingraveſcente eodem morbo, pulſus intentior fit; urinæ plerumque variores excernuntur, lutulentæ inſtar jumentorum. Ignis edax deurit corpus: jam ſubſultibus concutiuntur, motuque convulſivo tendones. Vox ſubit tremula, ſæpe ferox. Mens una cum corpore prægravatur; de ſede ſua dejecta aberrat. Omnes ſuſdeque miſcentur. Quid plura? Nulla functio remanet intacta.

Tandem morbo provecto, & declinante, nonnunquam attollitur in tumorem alterutra parotis, vel utraque; qui tumor, ſi ſponte collabatur, interitum, ſi ſuppuret, ſalutem portendit. Gangrænoſis etiam ulceribus varias partes affici videas, quorum felix, aut infeſtus, prout bene, vel male ſuppuraverint, exitus.

CAUSÆ

Præcipua febris malignæ ſedes caput. Cauſa vero lympha tenax, ſic intime cerebri vaſis impacta, ut ibi tardato ſanguinis circuitu, naſcatur inflammatio. In hoc morbo lædi cerebri ſubſtantiam certiſſime evincunt virium repentina proſtratio, capitis gravitas, ſæpe etiam dolor, delirium, ſopor gravis, altior ſomnus, ſomnia tumultuoſa, mentis ſtupor, ſenſuum hebetudo, ingens corporis pondus, carotidum vibrationes pulſibus aliarum arteriarum vehementiores, tendonum totius corporis, brachiorum præſertim rigor, & ſubſultus; vox tremula, ferox, proterva; tumor faciei, ſurditas; oculi nunc flammei, nunc erratici; ac tandem, quod certius adhuc cadaverum febre maligna extinctorum diſſectio, in quibus nunc piam menyngem tenacius cerebro inhærere, nunc ejuſdem menyngis vaſa, varicum inſtar, ſanguine diſtendi, nunc ipſius cerebri partem pure exeſam, & ventriculos ſero turgeſcere deprehenditur.

PROGNOSIS

Febris maligna morbus teterrimus, ægrum diu relinquit mortem inter & vitam miſere conflictantem, donec alterutro exitu, morte ſæpius, ſcœna claudatur. Decimo quarto aliquoties, ſæpiſſime vigeſimo primo die circuitum ſuum abſolvit; raro ultra quadrageſimum excurrit. Pueris, & ſenibus libentius, quam juvenibus parcit; omnium frequentiſſime viros aggreditur.

CURATIO

Febris maligna morbus eſt inflammatorius: ergo, ut Pariſiis mos eſt, frequentiſſimis indiget ſanguinis miſſionibus, e pede potiſſimum, ut humor inflammationis parens, & fomes e ſede ſua certius deturbetur. Decies itaque quandoque, nonnunquam ad deliquium uſque vena tunditur. His peractis intra primum, ſecundum, & quartum diem (tertium ſilemus; nam dies critici naturæ relinquuntur, & ab omni Medicinæ molimine vacant). Sanguinis, inquam, maſſa ſic imminuta, & a cerebro derivata, ſi materiam turgere compertum ſit, cito vomitoria propinantur. His ſuccedunt ſudorifera, & cardiaca, quibus humores cerebri vaſis intricati incidantur, & per cutis poros amandentur. Ea tamen adhibita cautione, ut leviſſima ſint, & refracta doſi exhibita, præſertim ſi delirium ſit vehemens, aut febris ardentior. Imo ut humores illi lenti, & viſcidi e capite citius, & tutius educantur, veſicantia cervici applicantur, quibus lympha cerebri vaſis impacta liquidior, tenuior, & circulationis ſuę legibus apta reddi poſſit. Ceterum alia omnia, per curationis decurſum, ſe habent, ut de morbis acutis mox dictum eſt.

Reſtat igitur nunc, ut peculiaria quædam remedia peculiaribus quibuſdam morbis accommodata, apud nos nuperrime detecta, & ceteris nationibus incognita aperiamus.

Breviſſimi erimus; nec remediorum indicandorum virtutem, aut mechaniſmum, quo in deſignatis caſibus agunt, ratiocinio explicare aggrediemur. Nudas itaque experientias afferemus, & erunt illæ numero

ſeptem. Prima erit circa dolorem capitis poſt paſtum aſſidue recurrentem; altera arthritidem: tertia tuſſim ferinam puerorum, Gallice Coqueluche; *quarta hemicraniam periodicam: quinta iſchuriam; ſexta eryſipelas: ſeptima tandem partum difficilem, ac omnino impoſſibilem.*

I.

Dolor capitis poſt paſtum, ſtato tempore recurrens, apud matronas præcipue, & proceres obſervatur. Morbus hic a digeſtionis vitio dependet. Tuncque, ægro purgato, nihil felicius proficit, quam ſi per quindecim dies, duabus horis ante paſtum, ægro exhibeatur drachma una pulveris corticis Peruviani cum ſufficienti quantitate ſyrupi de abſynthio in conſiſtentiam opiatæ compacti. Raro morbus ſeptimæ, vel ad ſummum decimæ doſi reſiſtit.

II.

Ad dolorem arthriticum compeſcendum quotidie Pariſiis feliciter uſurpatur ſemen ſynapi contritum, & cum aqua liliorum in pultis conſiſtentiam redactum, & doloris ſedi applicatum. Remedii hujus, non a longo tempore detecti, uſus incipit multum invalere.

III.

Tuſſis puerorum, Gallice Coqueluche, *tuſſis eſt convulſiva, qua, qui ea corripiuntur, intra tuſſiendum ſtrangulari videntur, aut ſuffocari, ac animam cum ſingultu exhalare dixeris. Morbi iſtius cauſa utplurimum deſumitur a nidulante in ventriculo ſaburra, quæ diuturniori mora ventriculi parietes tandem vellicat, corrodit, & per nervorum ſympathiam tuſſim illam concitat ſpaſmodicam, cui tamen alteram etiam cauſam aſſignare non vereor; vermes ſcilicet, ſive lumbricos in ventriculo deliteſcentes, qui quidem internam ventriculi membranam iteratis morſibus irritando, ſpaſmos illos inducunt, quos alii alkalinis ſaburræ aculeis aſſignant. Tuſſis ergo illa tutius, & citius compeſcitur ſequenti modo.*

Sero injiciatur per modum clyſterii decoctum abſynthii minoris: cras mane, jejuno ventriculo, abſorbeatur ſeminis contra pugillum 1. *aut in ovi vitello, aut in pruno ſicco, aut in eo, quod puero gratius erit. Hora una ante prandium reiteretur ſemen contra; idem ante cœnam, idque per tres, quatuorve dies. Poſtea puerum purgare decet pro ſua ætate, & temperamento; ſicque tuſſis evaneſcet, puerque multos per anum excernet vermes enecatos. Vidi ego unum, inter plures alios, octodecim menſibus natum, tam violenta tuſſi correptum, ut vicies in die ſpaſmodica contractione rigeret, & quaſi epileptica. Puer idem poſt tertium diem ab uſu vermiſugorum, triginta ſeptem vermes per anum emiſerat, e quibus unus erat viginti duo pollicum longus, alii ſeptem, decem, duodecim circum-circa. Necquidquam tamen miſellus, continuata noſtra methodo, ſanus evaſit ante ſeptimum diem.*

Nota.

Si ægri provectioris ſint ætatis, ſeptem, octove annorum verbi gratia, ſaluberrimum eſt ſemini contra addere grana aliquot præparationis cujuſdam mercurialis, quales ſunt Æthyops mineralis, aquila alba, &c. Imo quandoque ſuccedit emeticum, avara tamen manu propinatum, ſemperque pro ægri temperamento, ſexu, ætate, & viribus.

IV.

Hemicrania morbus moleſtiſſimus, nonnunquam periodica eſt, & ſtato tempore recurrit. Hoc in caſu multum profert Caffè *potus nullo ſaccharo conditus, una hora ante paroxyſmum hauſtus: & intra paroxyſmum ipſius* Caffè *pulveris odor ſæpe, diuque nare exceptus.*

V.

Iſchuria, ſive urinæ difficultas, aut ſuppreſſio a multiplici cauſa dependet. Cum vero a ſola veſicæ membranarum inertia, & atonia procedit, nulla comitante inſlammatione, quamprimum ægro exhibeatur ſequens opiata.

℞ Balſami Canadenſis ℈ 1. *cryſtalli mineralis* ʒ *ſs. miſce cum conſervæ chinorrhodon ſufficienti quantitate, fiat opiata. Capiat æger una doſi.*

Opiata hæc nuperrime detecta fuit a Magiſtro Petro Poiſſonnier *Doctore Medico Pariſienſi; hicque a duobus annis innumeris feliciſſimis ſucceſſibus innotuit, multumque invaluit.*

VI.

Ad depellendos tumores eryſipelatoſos multum conducunt ſequentia.

Mittatur ſanguis ſemel, vel bis, pro tumoris indole, ac gravitate. Tunc recipe lactucarum capita tria, vel quatuor. Decoquantur in aquæ communis libris octo per horæ quadrantis ſpatium. Ubi primum deſerbuerit liquor, extrahantur lactucæ ſic decoctæ, & calide parti affectæ applicentur ſub cataplaſmatis forma ſupra tumorem, ſicque ſerventur per ſeptem, vel octo horas, quibus elapſis,

reite-

reiteretur cataplaſma, ſicque iterum, uſque dum penitus evanuerint tumor, dolor, & rubor. Interim ſumat æger pro potu ordinario aquam, in qua decoctæ ſint lactucæ. Stricta ipſi imponatur diæta pro morbi gradu. Pauca admodum ſunt eryſipelata, quæ iſta methodo non curaveris. Vidi ego mulierem, cui brachium ab axilla ad extremos digitos eryſipelate intumuerat, ita ut brachium ejus a cubito ad humerum, totius femoris molem obtinebat. Illa tamen ſola lactucarum applicatione intra ſeptem dies ſanata eſt, & omnino convaluit.

VII.

Inter multiplices partuum difficilium ſpecies, unus eſt, in quo per vias naturæ dicatas fœtus nullo modo poteſt extrahi. Cum v. g. fœtus eſt hydrope tumidus, aut prægrandi capite donatus. Cum gravidæ diſtortis oſſibus, pelvis male conformata. Cum fœtus caput pelvis cavitatibus male implicatur, & hæret intricatum.

Olim in hiſce rerum anguſtiis Antiqui parientis mortem expectabant, cui tandem extinctæ uterum cædebant, ut fœtui, ſi fieri poſſet, vita ſervaretur. Sic, teſtante Plinio, in auras venit Scipio Africanus, prior natus, primuſque Cæſarum a cæſo matris utero dictus.

Nullæ hiſtoriæ fidem faciunt, hanc operationem in muliere viva tentatam fuiſſe ante ſæculum decimum ſextum; quo tempore ſectionem illam, cæſaream dictam, per totam Europam feliciter in matre viva celebratam fuiſſe aſſerunt Fr. Roſſettus, Gaſpar Bauzinus, Matthias Cornax, Schenckius, R. P. Raynaud Societatis Jeſu Theologus, Henricus Deventer, Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis, &c. Nihilominus tamen Pariſiis obſoleverat operatio illa: hodie vero ob oculos habemus mulierculam quamdam, quam ob depravatam puſilli corporis conformationem, per vias naturæ dicatas parere nunquam potuiſſe certum eſt, quam tamen die Junii ſeptimo anni 1740. Cæſarea uteri ſectione Chirurgi Pariſienſes, matre cum fœtu ſuperſtite, feliciter liberarunt: imo uterque perfecta gaudet ſanitate.

Datum Pariſiis ſecundo Kalendas Septembris anni M. DCC. XLVI.

LALLEMANT DE PIERRE FONTAINE Doctor Regens Facultatis Medicinæ Pariſienſis.

(Ponenda erat pag. 88.)

Clariſſimo Viro

COMITI RONCALLI PAROLINO

JOANNES BAPTISTA LUDOVICUS CHOMEL

Galliarum Regis Medicus Ordinarius

S. D.

V*Ariis impeditus negotiis, Vir Clariſſime, ad litteras, quas mihi humaniſſime, non minus, quam honorificentiſſime mittere non es dedignatus, reſpondere non potui ſtatim atque eas acceperim: ne ſuccenſeas, quæſo. Autumnus morborum ferax, febrium intermittentium, putridarum continuarum caterva, catarrhorum illuvies; lis mota inter nos, & Chirurgos nimium ſuperbientes nulla dederunt otia, nullumque temporis reſidui fecere punctum. Aliunde ut votis ſatisfeciſſem,* Hiſtoriam Morborum, *de qua mentionem facis in Epiſtola tua, præ manibus optaſſem habere: hanc nec reperire, nec legere, nec attrectare licitum fuit. Proindeque non datum eſt in partem laboris, pro virili parte, venire (quod tamen ardentiſſime exoptarem).*

Reſtat igitur, ut Operis univerſi, quem cum Epiſtola miſiſti, proſpectum pervolvam, huicque faciam ſatis.

Nullus eſt apud nos morbus endemius. Aer, quem ſpiramus, cœlum, quo frui datur, ſolum, quod calcamus, nullis nos peculiaribus objiciunt ægritudinibus. His torquemur affectibus, quibus obnoxia eſt gens humana quævis, civitates populatiſſimas, nimiumque luxurioſas habens.

Sæviunt apud nos, ut apud ceteras gentes, vernales, autumnaleſque morbi. Æſtate ſæviunt, quæ ſunt æſtatis; hyeme, quæ ab hyemis inconſtantia, & frigore ducunt originem.

Vere novo pleuritides, peripneumoniæ, variolæ, tonſillarum inflammationes, hemorrhagiæ, pulmonum præſertim ægritudines, tuſſes ſiccæ, ferinæ, catarrhales exacerbantur, & epidemicæ fiunt.

Sanguinea ſunt ſputa, hemophthyſis, phthyſiſque forſan apud nos frequentior, eaque præſertim, quam hæreditariam vocant.

In acutis larga doſi, & cito mittere ſanguinem cogit nos ſymptomatum caterva, indicatio a juvantibus, edulliorumque, quibus veſcimur, nimis pinguium indoles, aeris, quem ducimus (ut in populatiſſimis civitatibus occurrit), craſſitudo, ſanguinis circuitui moras nectens, luxuriæ, & deſidiæ aſſueta vivendi ratio; ſomnus nimium protrahitur, lautior eſt apud Magnates cœna; hinc ſuccorum redundantia; hinc phlebotomiæ frequentis neceſſi-

 tas:

tas: attamen etſi in acutis venæ ſectionem pluries celebrandam judicemus; notandum eſt, quod habendam eſſe rationem epidemicæ conſtitutionis cenſeamus. Igitur ſi epidemica conſtitutio ſeptentrionalibus ſtipetur ventis (qui quidem venti non raro apud nos debacchantur), larga manu tunc ſanguinem mittere decet, ob vaſorum ſpaſmum, fluidorumque cujuſvis generis, vaſis quaſi hærentium, denſationem. Si vero flat auſter (& ille ventus adeo infauſti ominis parum apud nos ſævit), venæ ſectio auxilium adeo beneficum, ſalutiferum, nunquamque ſatis prædicandum, tunc minus bene convenit, ob rareſcentiam ſanguinis, & humorum, vaſorumque atoniam; & tunc herbarum aperientium ſucci in apozematibus, cathartica lenia cum emeticis prudenter mixta, acida quandoque omnem fere curationis adimplent paginam.

Maxima adeſt, aderitque ſemper difficultas inter nos, quoties palam, & publice quid in omnium morborum curatione conveniat, declarare, & ad lancem revocare ſatagemus: diverſa enim debet eſſe methodus pro diverſis indicationibus. Habenda eſt ratio regionis, ætatis, ſexus, temperamenti, ſymptomatum in curatione omnium morborum, & urgentiori occurrendum eſt ſymptomati.

Sit in exemplum varioloſa lues.

Hunc ægrum ante eruptionem, & ipſamet præſente eruptione, admoto phlebotomo, curandum eſſe cenſemus, acidorum ope temperamus, quandoque, ne materia varioloſa nimium turgeſcens cerebrum petat, viſceraque veneno tangat ſuo, & in ipſamet exanthematum ſuppuratione vacuamus; alterum vero contraria methodo curandum judicamus, modo igitur vacuationes a primo morbi inſultu ad ultimam periodum ciere non dubitamus. Has modo reformidamus, ne naturæ vires præpoſtero catharticorum uſu exhauſtæ, ad cauſam, & morbi fomitem expugnandum, & propellendum fiant impares, vel ne quibus turgeſcunt ſalibus ſulphureis, reſinoſiſque miaſmatibus cathartica morbifica vis excandeſcat. Cardiaca ſæpiſſime angue pejora fugienda eſſe cenſemus; attamen ubi ſe dat occaſio, cardiaca, theriacam, ſtibii ſulphur aureum præſcribimus, ne humoris morbifici aggravatus æger pondere fatiſcat, naturæque parturientis molimina vana fiant, præſertim in infantibus, & in iis, qui debilibus, mollibuſve donantur fibris, & in quibus exundat pituita. Anceps debet eſſe prognoſis variolarum; quo tardius erumpunt puſtulæ, mollius & in orbem faſtigiantur, lentius matureſcunt. Quo benignius raræ cutis ſpiracula favent, eo felicius agitur cum ægro: elapſa vix ſuppuratione, cito citius præſcribenda ſunt cathartica, ne in ſanguinem refluæ triſtes morbi exuviæ, ſtrages edant funeſtas; morbi tandem peractis periodis, ad venæ ſectionem feliciter recurrendum eſſe cenſemus.

Apud nos febrium putridarum frequens eſt numerus; hæ vero in febres malignas ſæpe abeunt, præſertim ſi ab initio magnis evacuationibus tum ſanguinis, tum humorum in primis viis putreſcentium, & turgeſcentium ægri non fuerint ſublevati: ipſæ intermittentes febres, pleuritis, ceterique acuti morbi deſciſcunt, & malignis terminantur febribus. Revera quidem ſæpiſſime incuria Medicaſtrorum, & Agyrtarum, quæ frequentiſſima peſtis apud nos pejor eſt, quam ipſemet morbus: non etenim apud ægros vocantur Medici, ſed apud morientes, quo fit, ut obſervationes Medicas raro licet exarare. Nunquam initia morborum, raro augmentum, aliquando ſtatum, declinationem ſolummodo ſpeculari conceditur.

Quoad Pariſienſium temperamentum, fibris in genere ſunt mollibus, & laxis, liquidis vero ad inſlammationem pronis. Leniora conveniunt cathartica, ubi conveniunt, draſtica nunquam. Sobrietatis leges parum auſcultant, in ipſamet ægrorum dieta, quidquid clament Medici, nutrientia magis propinantur alimenta: ſic enim vocitare juvat carnium juſcula: hinc ſanguinem profundant Medici, emeticorumque ope canalis inteſtinalis ſordes quaſi renaſcentes in morbi totius curriculo eliminent, neceſſum eſt.

Optarem, Vir Clariſſime, Operum tuorum exemplar poſſidere, quod vero impenſis meis fiat, ut poſſim facilius, & felicius opinioni de me tam liberaliter conceptæ reſpondere, animadverſioneſque meas, cum obſervationibus Practicis, litteris mandare, Tibique committere.

Tu vero, Vir Clariſſime, qui de Arte ſalutifera bene merendo, de gente humana adeo bene mereris, ægro eſſe corpore, imo mori immeritus es.

Datum Pariſiis die Martii 1747.

Accipe, quæſo, lucubrationes noſtras qualeſcumque.

CLARISSIMO VIRO

JOANNI BAPTISTÆ LUDOVICO CHOMEL

Galliarum Regis Medico Ordinario,

FRANCISCUS COMES RONCALLI PAROLINUS

S. P. D.

NOn ſolum accepi, ſed etiam deoſculatus ſum Epiſtolam tuam, Martio menſe datam, qua humaniter ſuſcepta mea officia intelligo, & graphice deſcriptam Pariſienſem Medicinam ſuſpicio, quod erit inſigne meæ *Europæ*, mox publicam lucem ſubituræ, ornamentum.

Diſſertationes tuæ Pariſiis cuſæ, quas comiter mihi miſiſti, de manu in manum Brixianorum Literatorum admodum probatæ, & laudatæ prætervolant, & earum ſuccus a Philiatris in ſanguinem uſque convertitur.

Opera

Opera alias edita jam Tibi dono parata ſunt: ſed difficultas ſtat in miſſionis modo. Vigilabo tamen ſollicitus. Sique Tu, qui Aulicis honoribus ſplendeſcis, & Summi Monarcæ Protectione tueris, haberes medium cum Franciæ Oratore ampliſſimo apud Venetam Rempublicam degente, illi illico traderem faſciculum Tibi dirigendum: factoque vix, mittam etiam novum Opus, illico ac publicam aſpiciet lucem, ubi videbis, dum de *Francorum Medicina* loquor, veſtraque inventa, & medendi modos, quod frequens, nunc meritis laudibus proſequor, nunc, ſed raro, criticis animadverſionibus carpo, fuſe tractatam cauſam inter Medicos, & Chirurgos, factamque mentionem celeberrimi Andry: nec diſſimulo, a me ibi pluries in præconia Chirurgicæ Artis itum eſſe, ſed illius, quæ aliis ſcientiis, & optimo etiam Medico conjuncta eſt, aut Medicum præſidem, & docentem in exequendis habet.

Proſtat Pariſiis Examen noſtrum de Brixianis Aquis apud D. Abatem Alary, cui Lutetiam translatum, traditumque fuit ab Italo Cremenſi Equite præſtantiſſimo Comite Tadini. Proſtant Hiſtoriæ Morborum apud Doctiſſimum le Thieullier Regis Conſiliarium, quas ut ſtatim videas (tua erit comitas), mutuari poteris, donec donatica Lutetiam perveniant.

Supradicto, inquam, le Thieullier, & celeberrimo Lallemant de Pierrefontaine Doctori Regenti Facultatis Medicinæ Pariſienſis, ut porrigas obſequia mea, humiliter rogo. Trini valete, & de veſtris gentibus optime meriti ſemper magis pergite ad ſuſtinendam Gallicæ Medicinę gloriam.

Brixiæ 20. Junii 1747.

NONNULLI MEDICI CELEBRES NUNC LUTETIÆ PARISIORUM FLORENTES QUORUM IN OPERE NON ERAT FACTA MENTIO.

Jacobus Trant e Regia Scientiarum Academia.

Petrus Maloet Conſiliarius, & Medicus Regis ordinarius, necnon Domus Regiæ Invalidorum Ducum, & Militum, Academiæ Scientiarum Socius.

Guillelmus de Magny.

Gabriel Antonius Jacques.

Claudius de Ereſcheville Medicus Regis, & Domus Reginæ ordinarius.

Joannes Herment Medicus Regis ordinarius.

Jacobus Fourneau.

Michael Ludovicus Reneaume de la Garanne Cenſor Academiæ, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

Petrus Azevedo.

Ludovicus Hieronymus Coſnier.

Nicolaus Le Roy de Saint Aignan.

David Vaſſe Rei Herbariæ Profeſſor deſignatus.

Andræas Joſephus Seron.

Thomas Renatus Gaſnier.

Hyacinthus Theodorus Baron.

Ludovicus Maria Pouſſe.

Antonius Caſamajor.

Raymundus De la Riviere.

Franciſcus Joſephus Hunauld Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, in Horto Regio Anatomes, & Chirurgiæ Profeſſor.

Hyacinthus Theodorus Baron, Facultatis Decanus.

Joannes Franciſcus Couthier Scholarum Profeſſor deſignatus.

Joannes Baptiſta Mongin Medicus Regis ordinarius.

Antonius Joannes Daval.

Robertus Hubertus Linguet.

Petrus Rouſſin de Montabourg Conſiliarius, & Medicus Regis ordinarius, necnon urbis Regiæ, Regiique Noſocomii San-Germani in Laya.

Achilles Franciſcus Fontaine.

Joannes Damianus Chevalier Medicus Regis ordinarius in inſula Sancti Dominici.

AD GERMANIAM

(Ponenda erat pag. 144.)

LIPSIA

Illuſtri & Celeberrimo Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

S. P. O.

FRIDERICUS OTTO MENCKENIUS

Quod laudavimus in Actis Eruditorum doctrinam tuam, & in Medicinam imprimis merita, id debebatur virtuti tuæ, non muneribus, quæ quidem adhuc, quod ſciam, ad me nulla venerunt. Fecit in eo quod volueras Albrizzius, quod ad me miſit Opus illud tuum Hiſtorię Morborum aureum; ſed an Te idem jubente factum ſit, ut mihi redimendum pretio non levi fuerit, jam demum dubitandum mihi video, lectis tuis literis, ea humanitate ſcriptis, qua vix eſſe major poteſt. Utcumque ea res ſe habeat, non ideo Te amo, quod in me munificus, & liberalis fueris; talis enim amor mercenarius quodammodo, nec ſatis honorificus ei, qui amatur, putari debet; ſed quod vir doctus, & ut verbo dicam, vere magnus es, qualem non amare in turpitudine habetur. Ceterum intelligis, hoc verius Te nobis laudatum, quominus & laudes a Te per dona expreſſæ, jamque cur mirifice Tibi placeas illa excellenti doctrina tua cauſam habes, poſtquam homines peregrini, & vix nomine Tibi cogniti, ſed a partium ſtudio ita alieni, ut etiam in hoſte laudare virtutem ſoleant, eum Te prædicarunt, a quo bona, & ſingularia quidem ſibi promittere poſſit ætas noſtra: in quo etſi fecimus id, quod ſine peccato intermitti non poterat, impenſe tamen gaudebimus, ſi noſtrum hoc ſtudium Tui, & ipſe amor noſter publice ſignificatus, non omni ex parte Tibi improbetur, & hinc viciſſim nos amandi occaſionem capias.

Quod ſcribis de miſſo ad me monito novi Operis a Te prælo commiſſi indicium faciente; id quidem monitum tuis illis literis additum non inveni; id ubi accepero, operam dabo, ne Te novæ hujus fiduciæ in homine non malo poſitæ pœnitere debeat. Vale.

Dabam Lipſiæ die XII. Aug. M. DCC. XLVI.

AD HISPANIAM

MATRITUM

DESCRIPTIO VOMITUS MATERIÆ NIGRÆ, IN CASTELLÆ REGNO FREQUENTIS, FACTA A CLARISSIMO IBI VIRO JOSEPH CASONI, BRIXIAMQUE TRANSMISSA A CELEBERRIMO MARSILIO VENTURA AUGUSTISSIMÆ FARNESIÆ REGINÆ VIDUÆ ARCHIATRO.

DESCRIZIONE DEL VOMITO NERO

I Segni, che dà l' ammalato, allorchè viene ſorpreſo da tal infermità, ſono i ſeguenti: immediatamente ſente al ventricolo un moleſtiſſimo dolore, con una grande, ma fruſtranea propenſione a vomitare, con febbre. Accompagnaſi molte volte il ſinghiozzo, il quale ſuole manifeſtarſi al terzo giorno, in cui cominciano a vomitare di continuo. Oſſervaſi una grande tenſione nella regione dell' iſteſſo ventricolo, e tale eſquiſita ſenſibilità al tatto, che neppure ponno ſoffrire la mano del Medico, allorchè s' accinge ad eſplorar tal parte. Gl' occhi ſono infiammati, il calore cutaneo acre, mordace, e molte volte, anzi per lo più non corriſponde alla febbre, la quale in alcuni appena ſi rende percettibile, eſſendo il polſo poco, o niente diſtante dallo ſtato di ſanità, ed in altri ardentiſſima. Il volto compariſce rubicondo, e inquieto, e molte volte v' è delirio. La ſete non è regolare, poichè in alcuni è grandiſſima, in altri aſſai moderata, e talvolta non c' è. I rutti ſono continui ſino al terzo giorno, in cui poi prorompono in vomito, o in diarrea, con materie d' un color foſco, che raſſomigliano alla cicolata in alcuni, ed in altri di color affatto nero. Tali evacuazioni in molti ſono anche di ſangue ſincero, continuando ſino al quinto giorno, in

cui ordinariamente muoiono, con una inquietudine indicibile. Finalmente all' enonciati ſintomi s' accompagna l' itterizia, la quale conſtantemente ſuol eſſere favorevole, perchè ſerve di criſe a detto malore.

Riguardo la cauſa di queſta malattia, poſſo dire, che tuttavia ne ſiamo all' oſcuro, particolarmente all' occaſionale; però s' è lecito in qualche maniera filoſofare, ſono di parere, che queſta ſia una febbre ardente maligna, la quale ſecondo le diſpoſizioni, che incontra nei ſoggetti, che invade, e l' eterogeneo principio degli umori, che peccano, ſi fà ora ex coagulatione, ora ex fusione, mercecchè in alcuni ſi oſſervano tutti que' ſintomi, che puonno ragionevolmente perſuadere un prudente Medico, che la maſſa del ſangue tenda al coagulo, ed in altri ſi fanno vedere tutti que' indizi, che invitano a credere, che il fiume del ſangue ſiaſi reſo in un iſtato di diſſoluzione; intendendo, che ciò debba probabilmente dedurſi dal polſo, dalla ſete, dal calore, dal maggiore, o minore delirio, dal ventre or lubrico, or riſtretto, dalle urine, ed in fine da tutti gl' altri ſintomi, che non devono incapparſi dall' eſame di chi aſſiſte a tali infermi per farne un retto giudizio.

Havendomi fatto vedere l' apertura de' cadaveri lacerazione nel ventricolo, nel fegato, nel pancreas, reſta dubbio, ſe il fermento, o incentivo di tali febbri tragga origine dai ſughi reſi vizioſi, e peccanti de' mentouati viſceri, o ſeppure la pernicioſa natura della febbre vada a far depoſito o in uno, o in tutti gl' anzidetti, talchè invaſo, e malaffetto l' uno per vicinanza, e conſenſo venghino attaccati, ed infetti anche gl' altri. Se ſuccede il primo, pare veroſimile ammetterſi tal tabe, e vizio, o nella bile, o nel ſucco pancreatico, la quale communicataſi poi al ſangue, vaglia a renderlo diſpoſto a produrre infiammazioni per eſſer divenuto meno ſcorrente, e fluido, e per conſeguenza groſſolano, lento, ed inetto al moto. Se il ſecondo, cioè che facciaſi decubito nei detti parenchimi, allora da altra fonte convien trarne la cauſa: e chi sà, che l' iſteſſo ventricolo, con la depravazione de' ſuoi fermenti, non baſti a generare un chilo vizioſo atto a metter in campo tutti que' ſconcerti, che poſſono produrre primieramente riſtagni, indi infiammazoni, e poi anche sfacello. Secondo il maggiore, o minore vizio, e ſecondo il più, o il meno, che ſi può introdurre nel ſangue di peccante, e di guaſto, può riſultare la febbre ora più, ora meno ardente, e maligna, e diſporſi l' iſteſſa maſſa ora al coagulo, ora alla fuſione; perchè ſiccome caviamo dall' eſperimento, che ſe nella vena d' un cane ſi fà injezione d' una moderata quantità di ſpirito di vitriolo, il di lui ſangue ſi oſſerva in un iſtato di coagulo, radoppiandone poi la doſi, ne ſuccede il contrario, perchè s' induce una totale fuſione. Così dunque ſe il ſucco bilioſo, o pancreatico, o qualunque altro, che contenga in ſe principio idoneo a fare ciò, che fà lo ſpirito di vitriolo nel ſangue del cane, secundum magis & minus, che ſe ne anderà inſinuando nella maſſa, ne ſeguirà la febbre ora più, ora meno infiammatoria, e ſuccederanno effetti or di coagulo, or di ſcioglimento.

Per quello che appartiene alla cura toccante la Chirurgia, il ſalaſſo è un rimedio aſſai dubbioſo, mentre alcuni con l' uſo di queſto ſanano, altri muoiono, e per quanto l' eſperienza hà inſegnato, pare ſia conducente a quelli, che ſi giudicano febricitare ex coagulo, non però così a quelli, che ex diſſolutione, perchè piutoſto gl' è pernicioſo; anzi devo avvertire, che nella febbre ex diſſolutione la miſſione di ſangue non tanto è pericoloſa per quello, che la prattica hà fatto vedere col malo eſito dell' infermo, quanto anche, perchè cavato il ſangue o con lancetta, o con coppette, difficilmente ſi può fermare, anche meſſi in uſo gl' aſtringenti, eſſendoſi oſſervato in molti ſcappare fuori da una forte ligatura fatta al piede, ed indi gangrenarſi.

Quoad Pharmaciam: *Faciomi carico, ſe la febbre ſia da fiſſazione, o da ſcioglimento, e con il metodo corriſpondente a cadauna d' eſſe intraprendone la cura. Se del primo genere, gli aleſſifarmaci, e cardiaci in ogni tempo gl' adopro, e particolarmente acqua con ſpirito teriacale canforato, l' acqua di corno di cervo citrata, e polveri digeſtive. Se del ſecondo, valgomi più toſto degli acidi vegetabili, che de' minerali. Le tiſane, l' emulſioni, i cordiali, dov' è indicazione di fiſſare, gl' uſo alla neve, come pure l' acqua d' orzo, di ſcorzonera con cedro, e ſe ſiavi neceſſario laxante, aggiongo i tamarindi. Il vomitivo mai produſſe buoni effetti, e d' un ſemplice lenitivo mi valgo, dove è apparato di crapola, rigoroſamente nel principio. Il di più ſi tralaſcia, deducendoſi da ciò, che è coſtume di pratticarſi nelle dette febbri, in cui non v' è vomito nero.*

RE-

REGIA MATRITENSIS ACADEMIA

AD MELIOREM REI MEDICÆ CULTUM, ET FRUGEM INSTITUTA

LECTURIS SALUTEM

Cum nihil promovendis, perficiendiſque diſciplinis, maxime Phyſicis, perinde opportunum intelligatur, ac Viros illarum & ſtudio, & peritia nobiles Societatis alicujus communione devinctos, collatis conſiliis, experimentis, lucubrationibus ad unius Doctrinæ metam contendere: Cl. Virum, & Comitem D. D. Franciſcum Roncalli Parolino Medicarum, Naturaliumque rerum ſcientia, atque exercitatione præcellentem, eumque, ut de communi Facultatis Noſtræ bono, ac publica Salute egregie ſollicitum, ita MATRITENSIS ACADEMIÆ labores ſocia qua valet opera adjuvandi percupidum, in Sodalium Noſtrorum ordinem adſcribendum frequenti conſeſſu decrevimus. Cujus quidem rei teſtes haſce Litteras Sigillo Noſtro munitas dari placuit. Matriti die prima menſis Junii anno M. DCC. XLVII.

D. JOSEPH SUÑOL

Loc. Sigilli. Joſephus Cortega Secret.

AD HUNGARIAM

DALMATIA, [1]

In eaque

RAGUSIUM.

(Ponenda erat pag. 214.)

Generoſo, ac Doctiſſimo Viro

FRANCISCO RONCALLI PAROLINO

Regis Poloniæ Comiti.

MARCUS FLORI S. P. D.

Sero mihi redditæ ſunt litteræ tuæ; navigium enim, cui ſunt creditæ, debuit prius (uti plerumque fieri ſolet) omnes Dalmatiæ portus adire, in eiſque, quæſtus ſui cauſa, aliquantiſper commorari, antequam ad nos perveniret. Quamobrem, Vir Doctiſſime, ſi tardus videor in reſpondendo, hoc ne pigritiæ meæ tribuas, ſed potius calamitati illarum regionum, ubi deſunt tabellarii, qui, ſicut apud ceteras Europæ urbes mos eſt, ſtatuto dierum numero litteras ferant; ideo mihi ipſi iratus ſum, eo magis, quod vereor, ne culpam eſſe in me aliquam putes, quæ nulla eſt.

Statim ac perlegi litteras tuas, perculſus ſum de Operis magnitudine, quod meditaris; mirari non deſii, eo magis, quod paucis licuit cum generis claritate doctrinæ excellentiam conjungere. Quid enim præſtantius? Quid humano generi utilius excogitari poteſt, quam de omnibus morbis, qui ſingulis Europæ provinciis peculiari modo contingunt, eorumque propria medela diſſerere? Et quod tot ſapientiſſimi viri ſparſa paſſim dederunt in unum colligere, ut ſic non unius, ſed omnium gentium Medicum videri merito liceat. Interea putas, Opus tuum non undique abſolutum fore, niſi quoque, quinam ſint endemii Dalmatiæ, ac potiſſimum in Raguſina ditione, eique adjacentium regionum morbi, & quodnam ſit in ſingulis proprium remediorum genus certior factus ſis. Hoc itaque a me expoſcis, & pro tua ſingulari humanitate, ac doctrina, quicquid novum, nec alibi commune hic occurrat, proferendum invitas. Scias igitur, nihil mihi gratius, nihil jucundius fore, quam tanto viro morem gerere; & ambitioni certe

(1) Gazzaiti pag. 220. Dalmatiam Hungariæ appendicem dicit.

te cuidam meæ ſervire crederem, ſi ejus tam nobili deſiderio pro viribus ſatisfacerem: ſed, quod ſane tibi mirum videbitur, & quod non ſine aliqua animi mei commotione fateri cogor, vix habeo, quod ſcribam. Contermina eſt Italicis finibus Dalmatia, & quamvis non eadem ſoli ubertate, eadem tamen cœli temperie gaudet. Illa prętermontium aſperitatem, ac numerum, nihil habet, quo excellat. Præterea nullæ hic paludes, nulla aquarum vitia; non tellus hoſtili quodam ſale, aut ſulphure onuſta, ut eorum effluvia certis anni tempeſtatibus aerem exagitent, & peculiarem quandam perniciem non ubivis communem incolarum ſanitati afferant: quod ſi quid apud nos tale eſſet, certe Baglivus noſter attigiſſet, libentius patrii, quam Romani aeris culpas enumerando, præſertim, ubi in Dalmatiæ Xenodochiis, quid illi in medendo acciderit, exponit.

Sed ne tam cito cogar, ob materiæ penuriam, epiſtolam meam abſolvere, dicam ſolum, quę unice tantum hic obſervaſſe, nec apud alios legiſſe memini, de adhibenda in viperarum morſibus medicina. Feraciſſimi ſunt eorum animalium copię montes iſti, & illarum præcipue, quas vocant ammodites, quæ tam activo, tam acri veneno ſunt inſtructæ, ut paucis horis hominem e medio tollant. Huic calamitati obnoxii præcipue ſunt coloni, qui aut cædendorum lignorum cauſa, aut harum captandarum ad Medicinæ uſum illuc ſe conferunt. Sed hic naturæ ſolertiam ſatis mirari non poſſumus, quæ mirifice ad miſerorum tutelam huic cladi ſe oppoſuit. Naſcitur inter ſaxa, & rupes planta quædam ſaporis nonnihil acris, & amari, abſynthii folio, & chamæmeli flore; ea viperarum venatores muniti, nihil amplius de ſalute ſolliciti, venatum illarum ſtrenue aggrediuntur, & ſi earum morſibus (uti ſæpe accidit) ſe vulneratos ſentiunt, illico contuſam herbam, ſi recens eſt, vulneri admovent, vel ſi arida, in pulverem redactam inſpergunt, & inde vulnus deligando, curſu ſe exercent, & ita ab omni læthalium ſignorum ſequela immunes ſe pręſtant: plures etiam, ut tutior evadat medicina, ſuccum quoque, vel pulverem vino inſperſum bibunt. Hac certa, & ſalutari experientia ego ipſe plures vidi convaluiſſe, imo & in ipſis belluis adhibitum experimentum ex voto ſucceſſiſſe. Hoc tantum, Vir Præſtantiſſime, tot annis, quibus hic exercendæ Medicinæ onus ſuſtineo, ſingulare vidi in patria mea.

Addam modo quædam, quæ in finitimis regionibus Turcarum Imperio ſubjectis obſervare licuit. Cum paucis abhinc annis juſſu Raguſini Senatus ad Proregem Boſſinæ hypochondriaco morbo laborantem profectus eſſem, in itinere, quod octo dierum ſpatio confeci, vix quicquam vidi dignum, de quo certiorem te faciam: terra enim, per quam primis ſex diebus iter peragendum erat, quamvis ſylvis, ac montibus horrida, incolas tamen alit fortiſſimos, qui ſaluberrimo aere potiti, ſi quando in adverſam valetudinem incidunt, totum negotium naturę committunt. Solam tamen pleuritidem, quæ ceteris morbis frequentior apud illos eſt, peculiari quadam, & inaudita methodo tractare ſolent. Ubi enim dolore lateris ſe correptos ſentiunt, ſtatim morbi initio, dum adhuc frigus, & horror membra quatit, accenſo valido igne, huic ſe admovent, & dolens latus opponunt; interea fel urſi (quem ſæpe venando interficiunt) ad trium, vel quatuor granorum pondus devorant, calidam ipſi ſuperbibendo, & hoc nychthemeri ſpatio ter repetunt, donec copioſo ſputo ſanguinis erumpente per validam tuſſim excitato, inſigne doloris levamen percipiant, & artificiali hac criſi ſoluto morbo, tuti evadant: & iſte apud illos ſanandæ pleuritidis mos ita invaluit, ut apud omnes familiaris ſit, & per totam Boſſinam longe, lateque ſe extendat. Pari quoque modo rheumaticos, alioſque articulorum dolores feliciter abigunt, dum ad accenſam lignorum ſtruem eminus accedentes, axungia urſina calefacta prius, ac fuſa, dolentes artus inungunt. Vidi quoque apud agreſtes illos ulcera phagædenica, & maligna diu ſolo litu veteris lardi, & trita fuligine bis quotidie inſperſa perfecte ad ſanitatem perducta; ſed a quo hæc acceperint, neſcio; hoc tantum ſcio, quod hæc a me in poſterum in hujuſcemodi ulceribus adhibita vera eſſe deprehendi, & nullis a Chirurgis commendatis exſiccantibus, & abſorbentibus obſequentia, obducta cicatrice, integre coaluiſſe: quæ hactenus dicta Celſi effatum abunde confirmant, cum initio ſui Operis de Medicina diſſerens, ait: Hanc nuſquam quidem non eſſe, ſiquidem etiam imperitiſſimæ gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum, morborumque noverunt.

Sed hæc ſatis de via: modo interiorem Regni faciem perluſtrandam aggrediamur. Hæc igitur aſpectu pulchrior, terræ ubertate, & collium amœnitate ſpectabilis, frugum, armentorumque ſatis ferax, omni fontium, omni metallorum genere ditiſſima, puriſſimo etiam fruitur aere nullis endemiis morbis obnoxio, imo robuſtiſſimi ſunt, quos gignit homines, proceræ ſtaturæ, alacres, & ſtrenui. Hic etiam quamvis nihil ſit, quod de ſingularitate morborum dicere liceat, tamen te virum omni eruditionis genere ornatiſſimum non ægre laturum credo, ſi quædam rara, nec ubivis obvia, & ad naturalem hiſtoriam potius ſpectantia hic paucis exponam; & primo de aquis diſſeram, quarum varietas, & tanta præſtantia eſt, ut niſi eas apud barbaras gentes ab omni cultu, & eruditione alienas naſci contigiſſet, non dubito fore celebratiſſimas.

Eſt in centro Regni parvum oppidum, Traunick dictum, in amœna planitie ſitum, frugiferis collibus ad meridiem, ſylvis, & montibus ad ſeptentrionem ſtipatum; hic e terræ ſinu innumeri fontes erumpunt, media licet æſtate frigidiſſimi, & aquarum bonitate celeberrimi: hic Proregis ſedes eſt, quo cum neceſſitas compellit ad peragenda negotia, omnes incolæ, & advenæ confluunt. Primis ergo diebus cum comitatu meo huc cum perveniſſem, non vulgari hoſpitio exceptus, me, & omnes domeſticos meos talis alvi fluxus corripuit,

puit, ut nullis remediis compeſci poſſet. Hic quamvis citra ſtomachi noxam, & ventris tormina, adeo tamen perſeverabat, ut nos, ſine viribus, quaſi extinctos redderet. Nulla, heu! adſtringentia, nulla proderant opiata, ita ut omnino conſilii expers neſcirem, quo me verterem; donec tandem a quodam admonitus, proximi fontis aquas, quibus utebamur, eas turbas ciere, protinus ad alias confugimus, & illico (mirum dictu) eadem die omnes feliciter convaluimus. Interea duo ex domeſticis, alter, qui levioris cujuſdam impetiginis ſpecie diu fœdatam cutim habuerat, & alter, qui pallidus, & exanguis, diuturna imi ventris viſcerum obſtructione laboraverat, ita reſtituti ſunt incolumes, ut uni cutis nitor, & lævitas, alteri vero viſcerum mollities, & roſeus faciei color brevi redirent. Hoc idem poſtea in hujuſcemodi morbis, cum fructu eximio, experti ſunt plures conterranei noſtri. Fortaſſe quæres hic a me, unde huic tanta vis, & facultas, cum idem color, idem ſapor ac ceteris fontibus? ſed candide fateor, hoc me ignorare, nec, fruſtra omni adhibita diligentia, id aſſequi potui. Aliquando tamen eas ad nos in vitreis vaſis exacte clauſis transferre curavi, ſed a ſuo fonte tot locorum intervallo remotæ, vix parva dejectoriæ ſuæ virtutis veſtigia retinuerunt. Suſpicari igitur fas eſt, ſalem aliquem mercurialem fugaciſſimum iis ineſſe, qui etiam per vitri poros viam ſibi quærat, & avolet.

Præter has, ſunt & acidulæ, quæ aliquot mille paſſibus ab his diſtantes, tribus in locis diſtincta origine itinerantium conſpectui ſe produnt; una tamen ex iis deſerto in loco prope parvi cujuſdam fluvii ripam jucundiſſimo ſpectaculo, tanquam igni ſuppoſito ex olla ebulliens, pleno gurgite e terra ſcatet, & ſicut copia, ſic & virtute aliis præſtantior; tactui enim frigidiſſima, & præſtantiſſimi ſaporis guſtui ſe offert. Conjectare licet, hanc quoque ſpiritu metallico valde volatili præ ceteris turgidam, cum in ſui exortu, ad inſtar cryſtalli, perſpicua, brevi tamen mora lactei aliquantiſper coloris evadit, & nullis vitris, nullis vinculis coerceri poteſt, quin quinque, vel ſex dierum ſpatio tota corrumpatur, & evaneſcat, fœtidum ex ſe (ſicut & aliis commune eſt) ſulphuris odorem exhalando: imo, quod mihi quoque ſumma cum delectatione videre contigit, vicina armenta, quę illuc ad explendam ſitim, & umbras captandas, meridiani ſolis ardoribus compulſa conveniunt, dulcem fluminis aquam contemptui habuiſſe, & hanc avidiſſime, & inter ſe contendendo expetiſſe; illam quoque ipſi Proregi, nec ſine fructu, bibendam ſuaſi; & quotannis aliquem ex concivibus meis, ubi ita morbus exigit, illuc ablegare ſoleo, & certe, ſi verum fateri licet, omnes hujus generis, quas ego in Italia vidi, inferiores longe reperi, & huic nec ſaporis, nec ſpiritus vigori pares. Dolendum ſane, naturam tot bona iis contuliſſe, qui ea in nullo pretio habent, & quorum ignavia nemini aptius, quam ſolis brutis eſt comparanda: nec de tanta acidularum frequentia, & præſtantia mirum videbitur conſideranti, totam circum regionem ferreis fodinis undique refertam, ut ex hiſce quaſi conſlata videatur. Nec ſolum ferrum eſt, quod effoditur, ſed in vicinis montibus & mercurius frequenter reperitur, & etiam argentum, licet rarius, quod tamen agricolæ illi occultiſſimum ſervant, nec ubi ſit indicare audent, ne Turcarum oppreſſi barbarie, & avaritia, inviti quamvis, nullo ſibi fructu reſervato, pretioſum metallum barbaris Dominis eruere compellantur; unde aliquando inventa vena, quod in ſuperficie tantum eſt, colligunt, & clam ad nos deferunt, quam poſtea ceſpitibus, & ſaxis ſtudent obruere.

Vegetabilium quoque ferax hic ſeges eſt. Vidi interdum plantas nobiliſſimas, & rariſſimas; & ſi quis certe Botanices Profeſſor aliquando hæc loca peragraſſet, forſitan etiam novas comperiſſet, ſed cum hæc non eſſent inſtituti mei, non erat tantum nec commodi, nec otii, ut hiſce operam darem.

En Tibi, quæ mandaveras, & de noſtra Provincia, & de adjacenti Boſſinæ Regno ad finem perducta. Fateor, me initio multum hæſiſſe, an eſſem hanc provinciam aggreſſurus, conſcius & rerum inopiæ, & tenuitatis ingenii mei, ſed mihi animum addidit, quod ex literis tuis colligere potui, Te potius ad ignoſcendum loquacitati, quam ſilentio promptiorem eſſe; & ideo, qui me brevem futurum dixeram, etiam juſto verboſior fui. Excipe igitur hæc, quę tibi tranſmitto ea, quæ doctiſſimorum virorum eſt, humanitate, & quamvis omnino indigna cenſeam, quæ operis tui amplitudinem augeant, tamen, cum perlegeris oro, ut exiſtimes, eo animo ſcripta eſſe, & ut tibi ſignificent obſequium erga te meum, & ne, quę vera ſunt, ignorando forſitan majora putes. Vale Medicæ reipublicæ decus, & ornamentum, & meam obſervantiam ſummam ſemper futuram crede.

Raguſio XIII. Kal. Septemb. M. DCC. XLVI.

P. S. Opuſculum P. Anſaldi mihi ſimul cum tua Epiſtola tranſmiſſum hic apud doctos in ſummo pretio eſt; movet enim multos & rei novitas, & robur argumenti adeo vaſta & Græca, & Latina eruditione firmatum.

Quod denique de Matthæo Bratis ſcire cupis, ubi ſit, & quid agat, & anne Hiſtoriam Morborum a te miſſam acceperit? En tibi quicquid novi de illo paucis expediam. Ille duobus abhinc annis Conſtantinopolim profectus eſt, ibique in aula Chriſtianiſſimi Regis Legati Medici munere fungitur. Noviſſime tamen ab aliis accepi, Legatum peſte territum illinc ſimul cum illo abiiſſe, & ad oras Boſphori Thracii perfugiſſe; & quod quatuor, vel quinque ex domeſticis ejuſdem hac lue infecti interierint. Quamprimum autem ſcribendi occaſionem nactus ero, non deero mittere ſalutationes tuas, & ut promiſſa ſervare velit tuo nomine commonefacere. Iterum vale.

TOKAIUM

(Ponenda erat pag. 223.)

Clariſſimo, Ampliſſimoque Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Bononienſis Academiæ Inſtituti Scientiarum Socio, & in Patria Brixiæ urbe Collegii Nobilium Medicorum Priori, &c.

JOANNES MATOLAI DE ZOLNA

Nobilis Hungarus, & ad Auguſtam Aulam Cæsareo-Regiam Vindob. Juratus Agens, necnon diverſarum Illuſtriſſimarum Familiarum, & Nationum Mandatarius

S. P. D.

MIraberis, Vir Clariſſime, quod ad tuas amoris in me plenas, primas ad diem octavam Aprilis 1745. alteras in proxime elapſa æſtate, una cum ſchemate prodromi, quem in ſcientiam Hungaricam Medicam doctiſſime præmiſiſti, exaratas, nihil adhuc reſpondi. Primum tardiuſcule eas percepi; deinde quod ad poſteriores, nonnihil ex patriæ meæ notitia adnectere volui, nec tamen huc uſque percipere potui; interea tempus tranſiit, ut vix quidquam colligere, multo minus tranſmittere licuerit.

Dabo tamen operam, ut de uno, alterove momento rerum Hungariæ ſcitu dignarum ſubinde tecum communicare valeam.

Interea gratulor mihi ſummopere, quod mea Diſſertatio de vino Tokaienſi tanto viro placuerit, a quo & in poſterum de rebus meis pari animi propenſione lectum iri ſpero. Ea mea fuit intentio, ut de omnium vinorum Hungaricorum varietate, œconomia, guſtu, & virtute cum erudito terrarum orbe communicarem. Sed poſtquam ad Auguſtam hanc Aulam adplicitus negotiis pluribus, quam nitor, præ aliis vacare queam, diſtraherer, eadem hæc loci, & muneris mutatio ab intentione illa me abſtraxit. Sed haud intermittam tamen, ubi nonnihil requievero, litteris quoque tertioribus me occupare, mihique, ut tuam erga me propenſionem, & expectationem reapſe demereri valeam, occaſionemque mecum ulterius commercia litterarum reciprocandi, mea ipſius dexteritate, & veneratione in Te poſſim captare.

Interea debes hoc, Vir Ampliſſime, amori in Te meo, ut ſubinde nonnihil ad me præſcribas, prouti & egomet me id pari reſponſione reperiturum polliceor. Vale.

Dabam Vindobonæ ad 16. Martii 1746.

AD ITALIAM

CREMA

Illuſtriſſimo, Celeberrimoque Viro

FRANCISCO COMITI RONCALLI PAROLINO

Brixienſis non minus Civitatis, quam Medicinæ Decori, & Ornamento

ANDREAS FROMOND

S. P. D.

VIx dum biennium exceſſerat, ex quo ſuffectus clariſſimo Valcarengo in Patriam redieram, cum ab eadem iterum diſcedere, atque huc me quamprimum conferre, loco ſcilicet Medici hujuſce Noſocomii fato paulo ante perfuncti, ſuadente potiſſimum viro doctiſſimo Carolo Franciſco Cogroſſio ſocero mei amantiſſimo, ex inopinato, ac nulla fere interpoſita mora conſtitui. Qui enim poteram morem illi non gerere, qui unicam filiam, in qua valetudinis adverſæ, graviorisque ætatis ſuſtinendæ cunctas fere ſpes collocaverat, non modo a ſuiſmet oculis, & paterna domo, ſed ab ipſa propemodum civitate divelli, ſecus ac animo deſtinaverat, æquo, ſilentique animo ferens, ſua veluti ſponte uxorem mihi conjunxit? Dulci itaque, quo ceteroqui deflagro, amore Patrię poſthabito, ſub Cremenſi cœlo vitam ducere, & ſoceri pluſquam paternis amplexibus frui æquum maxime reputavi; ratus imprimis, ex mutua utriuſque noſtrum conſuetudine, poſſe illum firmiorem in poſterum nanciſci valetudinem; me vero doctrina, & eruditione, quas impenſe depereo, abunde cumulatum iri.

Cum vero illius vires huc uſque, & caput præcipue (hoc nempe diuturna, & immodica in ſtudiis animi contentione male affecto) ſatis neutiquam conſtent, atque adeo epiſtolis tuis, quę plurimum ſemper apud ipſum valent, eumque magnopere recreant, modo nequeat ipſe, quemadmodum conſueverat alias, reſpondere, hanc

ego provinciam, ne fortaſſe concepta fruſtreris ſpe, cogor ſuſtinere: quod equidem ut lubentius, magiſque pro dignitate perficerem, utinam & ingenium, & eruditio, & facundia voluntati pares ſuppeterent; ſic enim facili negotio eveniret, ut Te non minus, quam Opere, quod præ manibus habes, de hodierna ſcilicet Medicina populorum univerſæ Europæ dignum quidpiam litteris hiſce mandarem.

Verumtamen commode accidit, ut emenſo fere duorum annorum ſpatio, ex quo in hoc ipſo Noſocomio, & univerſa, pene dixerim, civitate ſedulam curandis ægrotantibus operam do, Tibi ſcribere debeam de Cremenſi Medicina: interea ſiquidem temporis Clinicæ quamplures a me habitæ obſervationes, ad quas genio, & natura propemodum, atque inſtituto ducor, tantam ſuggeſſere ſuper hujuſcemodi argumento materiem, quanta profecto opus erat ad eam condendam epiſtolam, quę ſi votis tuis non omnino reſponderet, paginam ſaltem in præclaro tuo Opere adimpleret, qua deficiente, manca videri quibuſdam poſſet, nec numeris omnibus abſoluta, quam litterario orbi tanto ſtudio, ſedulitate, impenſis denique promis, Hiſtoria.

Verum dimiſſo tandem proloquio, propius ad rem ipſam gradum facio; in quo ſane, etſi tria potiſſimum exponenda ſint, quæ propoſito tuo apprime ſunt neceſſaria; primo nempe de morbis civitati, & regioni huic propriis, ac familiaribus, & quodammodo endemiis; ſecundo de peculiari, aut ſaltem hac in civitate uſitatiori medendi methodo; poſtremo denique de Cremenſibus viris fama, aut ſcriptis in Medicina claris: operam tamen omnem de induſtria collocabo, ut ſingula ſicco, ut aiunt, pede percurram, & oratione non multa perſtringam: vagari enim latius nec patitur propoſitus epiſtolæ modus, nec anguſta civitas exigit anguſtæ ditionis limitibus circumſcripta.

Quandoquidem vero, ut a primo capite exordiar, morbi regioni cuipiam familiares a quibuſdam propriis, & peculiaribus regionis illius affectionibus, aere potiſſimum, & aquis, ut ipſe videtur innuiſſe olim Hippocrates, præcipuam ducunt originem, præſtat imprimis, adducta in medium brevi, & contracta loci ipſius topographia, ad illas animum advertere, atque ex iis ipſis ea, quę ad rem noſtram plurimum pertinent, ſummatim colligere: quantum enim præ ceteris duo hæc, pro varia earumdem natura, & conſtitutione, cum proſperæ conſervandæ, tum adverſæ inducendæ valetudini inſerviant, nemo ſanæ mentis ignorat.

Jacet itaque civitas hæc alioquin perilluſtris, unius cum dimidio circiter milliaris ambitu circumſcripta, in æquali, nec interrupta planitie, ejuſque ditio exigua quædam appendix Veneti imperii adnectitur finibus, pluribus aquis irrigua, a Serii torrente in longitudinem ſecta. Qua ſeptentrionem, tum qua meridiem reſpicit, Bergomenſibus illic, Placentinis hic montibus cingitur; qua vero e directo ſole fruitur oriente, & occidente, orientalibus, & occidentalibus flatibus late propemodum patet expoſita. Craſſiuſculum iccirco Cremenſem aerem facile dixeris, utpote in humiliori planitie, nec ullis omnino collibus interſecta, penitus ſubſidentem: hinc paſſim videas in viliori plebecula, præſertim vero inter villicos, occurrentes homines, quibus Plautinum illud omnino quadrat:

Stulti, ſtolidi, fatui, bardi, blenni, buccones.

Hinc quoque, ſi frigida ex improviſo tempeſtas acceſſerit, quod vel media æſtate perſæpe ſolet contingere, obducta videlicet nivibus ſeptentrionali nobis obverſa Placentinorum præcipue montium facie, rheumaticæ artuum affectiones, pleuritides, peripneumoniæ, tuſſes demum diuturnæ acerrimi, & ſeroſi humoris defluxione ſtipatæ, obſervandæ paſſim occurrunt, quæ ut plurimum labem pulmonibus inurentes, tabem illam, quæ ab male affectis pulmonibus fit, adeo frequenter ingenerant, ut potior eorum numerus, cum ex civibus, tum agreſtibus, qui fatis cedunt, ex hac una interire videantur; haud tamen ex illo communi Malpighii adagio, quod morbi acuti omnes aut a pulmonibus oriantur, aut in pulmones deſinant, ſed ex peculiari, ac, fere dixerim, patrio, quod plerique omnes morbi in hoc aere, veluti ſub infauſto ſydere, unum, eundemque in pulmonibus ſortiantur exordium, & finem: hinc paſſim, præter quamplures hujuſmodi tabe confectos, videre eſt quotannis hac in civitate perire aliquem hydrope pectoris, ac proinde aſthmate, ac demum anaſarca plane conclamatum, atque, ut ita dicam, veluti præfocatum.

Ad id autem, ut puto, præter nativi aeris conditionem, non parum conducit plus nimio intenſa vinorum aciditas regioni huic ingenita, & familiaris: ut enim ab acidis in hujuſcemodi morbis, & acribus abſtinere jubent Clinici præſtantiores; ſic ex diuturno, nec intermiſſo eorumdem uſu, ſanguinis, aut ſi mavis lymphæ diatheſim illam induci conjicimus, quæ iſtiuſmodi proſapiæ morbis, ab aeris nativa intemperie, & prava conſtitutione fortaſſe primum illatis, promovendis, ac prolatandis utique favet, vel primo, & per ſe tantum, eoſdem clanculum infert, & ſenſim quodammodo procreat.

Neque vero hic quæſtio a clariſſimis Medicis dudum jactata, nec adhuc tamen dirempta, utrum ſcilicet acidum dari poſſit, atque revera detur in ſanguine, iterum inſtituenda eſt. Siquidem, præterquamquod doctiſſimorum virorum, qui hoc ſeculo claruerunt, experimenta, & rationes apodicticæ ab affirmativam tuentibus ſtare potiſſimum videntur, atque oppoſita Boylei experimenta, ſolidaſque Pitcarnii rationes in contrarium allatas evertere, mihi abunde ſufficit, ut detur (quod quiſquis Medicorum facile dabit) in lympha ſaltem, quæ, habita ſanguinis comparatione, motu tardiori per tenuiſſima, laxioriſque compagis vaſcula defluit, quæque in pneumaticarum veſicularum interſtitiis

facile

facile reſtitat, aut in bronchialium glandularum folliculis, & excretoriis ductibus naturali tono deſtitutis quandoque heret, ac ſtagnat, in ea, inquam, acidum, quod volatilibus ſalibus involutum in ſanguine delituerat, cum ab illo ſeparata jam fuerit, ſui juris fieri, ac ſatis manifeſta præbere ſui ipſius indicia. Quotus enim quiſque eſt, qui prorſus ignoret, pernicioſiſſimos, & validiſſimos motus, quibus & in gyrum cietur ſanguis, & inter heterogeneas ejuſdem partes vitæ neceſſaria mixtio ſervatur, acidis ſalibus ab innumeris diverſis cibis, ex vegetabili præſertim regno deſumptis, qui animalibus quotidie in nutrimentum cedunt, prodeuntibus, armoniaci ſalis naturam conciliare, aut indolem penitus neutram tribuere, quæ poſtmodum, ſalium volatilium, ceterarumque partium, quibus per vim preſſionis coaluerant, conſortio, & vinculo liberata, dum tenuioris lymphæ vehiculo per inviſibiles fere, laxioreſque lymphaticorum vaſorum meandros, aut receptacula, & excretorios glandularum ductus placidiſſime adiguntur, priſtinam naturam, & vires aſſumunt, atque iterum quodammodo reviviſcunt. Cujus rei per ſe ceteroqui non ita captu difficilis, nec a recta ratione aberrantis, fidem omnino facit tenuis illa, & acidi ſaporis lympha, quæ perſæpe cum tuſſi in rheumaticis pectoris morbis ejicitur. Tum demum huic opinioni lucem, & pondus addit celeberrimi Hombergii experimentum, qui hominis ſudore acidi lactis odorem ſpirante e linteis fortiter expreſſo, illiuſque modica parte heliotropii tincturæ infuſa, eam rubro colore infeciſſe teſtatur, & ex reliqua portione ſuperſtite, purpureum, & acidum liquorem ſe per diſtillationem elicuiſſe: manifeſto exiſtentium prius in lympha acidorum ſalium argumento, a quibus ſudorem, & ſalivam acidam produci; indeque pruritus, obſtructiones, puſtulas, & ulcera *clariſſimus Medicorum Boerhaavius ſapienter innuit. Nil mirum itaque ſi lympha, acidam diſcraſiam nacta, puſtulas quoque acres hic illic, quod multiplex obſervatio nos docuit, in cutis ambitu prorumpentes excitat, in iis præſertim, qui de novo in hanc regionem adventantes, optimæ notæ vinis aſſueti, diu, multumque noſtratibus vinis utuntur.*

Cur autem tanta inſit Cremenſibus vinis aciditas; num ex eo, quod decerptæ a vitibus uvæ nondum ad maturitatem perductæ ſint; num vero ex earumdem contuſarum nimium protracta in doliis fermentatione, quod hic in more poſitum eſt, aut fortaſſe ex ingenita ſoli ipſius natura, ipſe profecto non auſim decernere, nullis ad hanc rem illuſtrandam a me adhuc inſtitutis experimentis. Illud ſane certiſſimum, atque extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, guſtanti vina hæc, ea quam maxime & ad injucundum fere ſaporem aceſcere, atque in acetum omnino præ ceteris facillime commutari.

Vinis acidis regioni huic inſenſis accedit ſuillarum carnium abuſus, quarum hic adeo inſignis proventus eſt, ut nulla anni tempeſtate venales non proſtent, commodo quidem vilioris prætii, ſed non exiguo valetudinis detrimento. Etenim dum per æſtatem plebeia gens, & agreſtis, cui res anguſta domi eſt, hanc avide ingurgitat, ventris inflationes, tormina, diarrheas, dyſenterias, teneſmos denique patitur, ægrotanti non parum diſcriminis, nec parum negotii curanti Medico faceſſentes, quos ſicubi raro videre contigit in opulentioribus, qui media ſaltem æſtate ſuillarum carnium modicum, vel minimum guſtant, ſic ab immodico, & intempeſtivo earum eſu tot ventris affectiones in pauperibus exoriri jure merito ſuſpicamur.

Haud equidem me latet, Hippocratem in libro de ratione victus acutorum, quem tamen Galenus Hippocrati Heraclidæ filio minime dignum cenſuit, proindeque ad Hippocratis diſcipulum quemdam retuliſſe viſus eſt, hæc de ſuillis carnibus poſterorum memoriæ prodiiſſe: Suillæ autem optimæ ſunt omnium carnium; *quæ quidem ſententia, cujuslibet demum ſit, a recta ratione, & communi experientia prorſus abludens, anſam nonnullis præbuit jaciendi in libri hujuſce auctorem ſcommata, atque dicteria, quibus plurimum diluendis allaboravit eruditiſſimus Proſper Martianus, hoc potiſſimum ſenſu auctoris ſententiam interpretatus; ſuum videlicet carnes minus incommodas eſſe, quam porcellorum, quarum reſpectu optimæ ab Hippocrate appellantur. Verum quidquid ſit de præfata Hippocratis, ſiquidem Hippocrati ea debetur, ſententia, hoc unum inter ceteros ferme auctores potiſſimum conſtat, ſuillam carnem graviſſimam eſſe, nec admodum utilem ſtomacho; quippe quæ terreſtrium fere omnium animalium maxime humida, fermenteſcibilis, & pinguis exiſtit, atque adeo corruptionem facile, & acrimoniam, idque magis magiſque ardente ſirio, nanciſcitur: quæ autem hujuſmodi fuerint edullia, ut ſcite monet Galenus in comentario, ſua acrimonia vaſorum eorum, quæ ad ventrem decumbunt, ora remordent; atque fluxionum earum, quæ ex toto corpore in eum fiunt, cauſæ efficiuntur.*

Verum ſatis ſuperque de his, quæ primo capite paucis complecti in animo habueram ſuper affectionibus huic civitati propriis, aut præ ceteris maxime familiaribus: quæ autem ſecundo loco dicenda ſuperſunt circa peculiarem, aut uſitatiorem medendi methodum, in multo pauciora, data opera, contraham. Quid enim vacat, Galenicas curationes antiquo hic uſu receptas, & apozemata recenſere, quæ non minorem legentibus, quam guſtantibus nauſeam valeant excitare: id unum igitur peculiare innuam, quod modo a me, & olim a ſocero meo obſervatum eſt; magneſiam albam nimirum omnes fere apud nos effectus edere, quos in memorabilibus Regiæ Scientiarum Academiæ adnotavit famigeratiſſimus Bolduchius in ſimplicium, compoſitorumque medicamentorum viribus indagandis celeberrimus:

alvum

alvum enim panacea hæc (hanc ſcilicet nonnulli Panaceam anthypochondriacam appellant) facile ſolvit, humorumque viſcidorum colluviem educit; hinc obſtructiones in hypochondriacis, & cachecticis utriuſque ſexus commode reſerat, & imminutas, aut compreſſas penitus ſanguinis tum ex utero, tum ex hæmorrhoidibus excretiones revocat, ac demum cutaneis quibuſdam affectionibus, quas inter morbos regioni huic familiares, & ut ita dicam, endemios paulo ante retulimus, egregie medetur; idque potiſſimum, ſi ejuſdem uſus in refracta quidem doſi, ſed ad aliquod tempus protrahatur. Præterea animalium gelatinas, carnium juſcula cum amygdalis tum dulcibus, tum amaris excorticatis, & contuſis parata; decocta denique ex radicibus ſalſæparillæ, & chinæ, itemque ex raſuris cornu cervi, & eboris plurimum hic loci in rebellibus, contumacibuſque morbis abigendis præſtare cognovimus, aliiſque remediis, incaſſum antea adhibitis, palmam arripere: cuncta quippe remedia hæc acidam diſcraſiam hic loci familiarem, utplurimum quidem citra ſanguinem, & in primis viis, fortaſſe etiam quandoque in ſanguine, ſæpe vero ultra ſanguinem, & in lympha a ſanguine ſecreta, propriiſque vaſculis, & receptaculis contenta exiſtentem, & manifeſtam corrigunt, obtundunt, atque propemodum immutant. De cetero veſicantia, quæ veteri quodam jure, perinde ac gentilitia ſtemmata, ſibi civitas hæc adhuc vindicat, ne verbo quidem attingam, conſulto Medicorum noſtratium exiſtimationi ſtudens, qui nefas, & indelebile piaculum rentur, obire quemquam acuto, aut chronico quolibet morbo decumbentem, plurimis ſtigmatibus ſanioſo tabo manantibus deſtitutum; in eo Artis Medicæ ſcopum collocantes, ut qui per communem humani generis calamitatem inter vagitus, ploratuſque nati ſunt, per eam, quam dicunt, Artem valetudinis opitulatricem inter plagas ſemper, & diros cruciatus intereant. Adeo autem non modo apud noſtrates Clinicos, ſed & Cives de veſicantium utilitate, ne dicam neceſſitate, invaluit opinio, ut non defuerit æger aliquis veſicantia a Medico enixe poſtulans, ut, quemadmodum ajebat Lanzonus, madidus, inunctus, pulvere aſperſus, & excoriatus, migraret ad plures.

Atque his obiter circa medendi methodum expoſitis, ad illud demum, quod ultimo loco me ſcripturum propoſueram, animum ſtatim adjicio, viros Cremenſes, qui in Medicina fama, aut ſcriptis claruerunt, eorumque laudes ſubinde memorans. Horum etenim duo in quadam veluti appendice Cremenſis Hiſtoriæ ab Alemanio Fino conſcriptæ adnexa viri celebres poſteritatis memoriæ commendati ſunt; Benedictus nimirum Caravaggi, qui in Philoſophia, & Medicina lauream vix adeptus, confeſtim ad exedram Philoſophiæ in Patavino Athenæo evectus fuit, cui propterea, utpote viro doctiſſimo, tantum tribuit clariſſimus Medicus Frigimelica, ut eo præceptore ſe uſum fuiſſe gloriaretur. Auguſtinus item Frecavallus vir fuit in Philoſophia, & Medicina inſignis, atque Orator eloquentiſſimus, qui cum Fridericus Primus Imperator Venetias profectus eſt, ibi tunc temporis degens, electus iccirco fuit a Duce Fuſcaro, ut orationem in laudem Imperatoris ipſe perficeret, & coram populo recitaret; in quo quidem bene adeo ſe geſſit, ut præter omnium laudem, argenteam pelvim, atque inſuper argenti ſignati non mediocrem ſummam in præmium promeruerit. Hiſce accedit inter doctos ævi ſui viros numerandus Antonius Maria Montia, qui Artem Medicam in patria cum laude ſemper profeſſus eſt, & brevem Diſſertationem apologeticam, quæ Medicinam laudat, & a calumniis vindicat, typis evulgavit, quam in Academia Italice dicta dei Solpinti, quæ hic olim vigebat, primum recitaverat. Ultimo tandem, ut ordo poſtulat, recenſendus eſt Carolus Franciſcus Cogroſſius, patria quidem Cremenſis, ſed, teſte clariſſimo Curtio in Hiſtoria Mediolanenſium Scriptorum, origine Mediolanenſis, qui poſtea quam tertium ſupra decimum annum in Patavino Lycæo Publici Profeſſoris munere ſummo Doctorum plauſu functus eſt, ſcriptis non paucis in lucem editis clarus, detrita, ac propemodum nutante valetudine, ab Ampliſſimo, Munificentiſſimoque Senatu Veneto emoritis ſtipendiis per reliquum ævi ſui decoratus, redeundi in patriam facultatem obtinuit, ubi, Superis faventibus, etſi minus commoda valetudine, communi adhuc ſpiritu, & vita fruitur, quam a D. O. M. vegetiorem in poſterum enixe precor.

En Tibi, Vir Doctiſſime, brevem epiſtolam, de qua ſocerum per litteras fruſtra toties expoſtulaſti, modo a me inter graviſſimos Medicorum laborum æſtus compendio exaratam, quam iccirco ſi inconditam, minuſque expectationi tuę reſpondentem invenias, facile abs Te veniam, pro maxima humanitate tua, me reportaturum confido. A ſocero interim plurimam Tibi ſalutem dicens, ut in ſincerum obſequii, & obſervantiæ erga Te meæ teſtimonium, rude, & contractum qualecumque hoc Cremenſis Medicinæ ſpecimen libenter excipias, obſecro. Vale.

Cremæ III. Nonas Aprilis
M. DCC. XLVII.

CAPITUM

CAPITUM, ET RERUM OMNIUM PRÆCIPUARUM INDEX

A

ABdominis tumor curatus. pag. 87
Aboa. 451
Aquæ inebriantes. Ibid.
Utiles tamen in pſora, impetigine, &c. Ibid.
Abortus ut vitetur. 58
Abſtemii raro evadunt podagrici. 36
Abſtinendum a purgantibus in febribus petechialibus epidemicis 221
Abſynthii decoct. ſcorbutum curat. 42
Academiæ Britanniæ. 1
Daniæ. 33
Franciæ. 51
Germaniæ. 89
Græciæ. 189
Hiſpaniæ, & Portugalliæ. 195
Hungariæ. 207
Italiæ. 104
Moſchoviæ. 402
Poloniæ. 413
Pruſſiæ. 437
Sueciæ. 445
Aceti potati effectus. 419
Uſus macros reddit homines. 199
Acetoſellæ decoctum a Danis pro vino adhibetur. 44
Acetum in febri continua. 419
Eryſipelati aptandum non eſt. 414
Vallis Tellinæ, & plurima in idem cogitata. 171
Acidulæ Roidkeſenſes in Styria. 164
Vel Thermæ ut traſeant in corpore. 242
Acidum in ſanguine. 476
Acta Berolinenſium. 438
Novæ Academiæ Brixianæ Philexoticorum Naturæ, & Artis. 246
Acus ferreæ ſub cute ſacræ Virginis Martinenghæ Capucinæ quomodo ſubſiſtere potuerint. 126
Quid de ipſis ſentiat clar. Giller Sangallenſium Archiater. Ibid.
Adoleſcentium calor utilis. 3
Adulti contagio difficilius inficiuntur. 375
Æger febricitans num frequenter e lecto ſurgere debeat. 3
Æmilius (Marcus Antonius) Brixianus Scriptor 1576. 242
Æquinoctii vernalis tempore repurgationes, morbi chronici, variolæ, febres verminoſæ, &c. 438
Vero autumnalis continuæ, duplices, &c. Ibid.
Aerem Hungaricum aliqui ſuſpectum dicunt. 207
Rationes. Ibid.
Cauſæ aeris noxii. Ibid.
Aeris Veneti qualitates optimæ. 381
Cur. Ibid.
Aer Monſpellienſis purus, & perfectus. 80
Laudatur in tabe. Ibid.
Agrorum Cremonenſium fertilitas. 315
Agyrtæ, & Circumforanei in Hungaria. 208
Agyrtarum, & Circulatorum frequentia in Poloniæ Regno. 421
& Empyricorum miracula canentium damna. 65
Albingaunum urbs Liguriæ littoralis. 344
Febres acutæ verminoſæ. Ibid.
Chalybs, dentium dolor, febrifuga, dyſenteriæ, diarrhœæ. Ibid.
Alces manducatæ. 43
Alearum ludus ut vitetur. 102
Alidius (Carolus Antonius) Medicus Mediolanenſis laudatus. 348
Alkalicorum uſus. 448
Allionus (Stephanus Benedict.) laudatus. 379
Aloe in Benaci Riperia abundat. 293
Succo citri, aut ſero lactis diſſoluta a Germanis adhibetur. 169
Aloetica hæmorrhoides aperiunt. 419
Alvernia. 71
Amarorum vis in corpore humano. 409
Amblyopia. 327
Amicitiæ genuinæ ſignum. 315
Anatomes Florentina. 332
Illa laudatur, quæ fit in denato, cui viventi Medicus adſtaverat. 403
Andegavum. 72
Cauteria, ſetacea in exilium miſſa. Ibid.
Mopillier Profeſſor Andegavenſis. Ibid.
Andry Pariſienſis Medicorum Collegii Decanus ſcripſit contra Chirurgiam. 59
Illius propoſitiones ad lancem revocatæ. Ibid.
Propoſitio falſa. 62
Aneuryſma ex ſecta arteria. 65
Angina. 8
Ejus cura mediis ſpiritibus damnatur. Ibid.
Filo purpureo, & laryngotomia curata. 376
Emetica damnantur. Ibid.
Cura in Suecicis region. uſitata. 448
Remedium Danorum internum. 43
Externum. Ibid.
Anginam juvant ſyderitis, & veſicantia. 300
Anglicanæ guttæ pro corroborando corpore, & capite. 24
Anglicus morbus. 18
ſudor. Ibid.
Angliæ deſcriptio. 1
Angli in India nunquam peſte afficiuntur. 3
A febri non liberantur, niſi adhibita chinachina. 30
Anglorum mores. 1
Medendi uſus. 3
Merita in Arte Medica. 18
Remedia pro enecandis vermibus. Ibid.
Anguria in deliciis habita a Ruthenis. 407
Anhaltinus Princeps Brixię laborans a Conſtantino Roncalli Auctoris Patre feliciter curatus. pag. 123
Anhelatio. 18
Ejuſdem diviſio. Ibid.
Remedia ſecundum Anglos. Ibid.
Animadverſiones circa pulſum. 17
Animal in ovo repertum. 46
Alatum a muliere productum. 454
Animalcula in ſanguine viſa. 261
Annales hiſtorici a Medicis fieri deberent. 99
Anodynum Regis Angliæ. 24
Anſaldus (Innocens) Ordinis Prædicatorum laudatus. 29 & 103
Antepilepticum Chriſtiani Reg. Dan. 44
Anteſcorbutica terra in Norvegia. 48
Anthelminticum Anglorum. 25
Danorum, rhabarbarum, & flores hyperici. 38
Addenda. Ibid.
Alterum. 285
Anthyſtericum potens ſecundum Anglos. 23
Antidotus Crateri. 192
Antimonium a Medicis Hiſpanis adhuc formidatum. 199
In urbe Pariſiorum ſuſpectum. 73
Antiſcorbutica corrigenda ſunt. 142
Antiſcorbuticum. 44
Aortæ oſſea durities. 20
Aphtas ſuccus pomorum agreſtium tollit. 32
Apoplexia. 304 & 416
Sanguinis miſſio. Ibid.
Eſſentia cantharidum. Ibid.
Et variolæ in infantibus non inferendæ. 439
Febricitantibus utilis. 298
A ſeri quantitate intra cranium. 75
Frequens in montibus nivoſis. 132
A tabaci fumo producitur. Ibid.
Apoplexiæ cauſa ſecundum mentem Callegari. 285
Apoplexiam curandi modus ut diſcatur, legenda ſunt Opera Jo: Jacobi VVepfferi. 131
Corpus præſervandum, & agendum, antequam ſyderatio contingat. Ibid.
Signa futuræ apoplexiæ. Ibid.
Cauſæ. Ibid.
Locus affectus. Ibid.
Apoplexiam curantia remedia. 132
1 Tinctura traumatica.
2 Vomitorium ex ſale vitrioli.
3 Cephalica ſpecifica.
4 Electuarium ex radice pyrethri, &c.
5 Fel tauri inſpiſſatum.
6 Particulæ cranii humani.
7 Verbera, flagella, & cutaneæ cruentationes.
8 Pulvis ex radicibus ari.
9 Vinum album.
10 Grana maſtich, cum agarico.
11 Ventoſæ magnæ.
12 Sternutatoria ex euphorbio.
13 Oxymel ſcilliticum.

14 Ol. chamæmel. nucæ appoſitum.
15 Radix doronici.
Apoplexiam nova curandi methodus. 13
Illius cauſæ. Ibid.
Arteriotomia. Ibid.
Aquæ bonæ, bonus aer. 338
A Neapolitanis pro uſu adhibitæ. 361
Pluvialis ſalubritas. 383
In Rhætia prope *Zicers vis Trimmis, & Sonders* vitandæ ſunt. 137
Quia ſtrumas efficiunt. Ibid.
Medicatæ in longinquas regiones vehendæ, animadvertendum ne evaneſcant. 155
Nivatæ quando adhibendæ. 44
Ophtalmicæ Arniſæi. Ibid.
Sulphureæ Pavoni in agro Brixiano repertæ. 300
Etruriæ. 330
Medicatæ Sileſianæ Hirſchbergenſes. 181
Medicatæ Paſſy ad examen revocatæ. 82
Conſtant ferro, vitriolo, & balſamico ſulphure. Ibid.
Aqua glaciata a Tuſcis Medicis interdum adhibetur. 333
Poſt venæ ſectionem. 344
Gelu concreta in noſtris regionibus adhibenda non eſt. 358
Gryſea mirabilis. 438
Animadverſio. Ibid.
Calcx viva capiti applicita mortis cauſa. 451
Epidemica contra peſtem Collegii Londinenſis. 24
Flaveſcens intra cranium collecta. 75
Roſarum ſincipiti admota pro conciliando ſomno. 6
Antiſcorbutica. 11
Antinephritica. Ibid.
Coſmetica mercurialis ab Anglis adhibita. 26
Chalybeata in morbis urinæ a Medicis Britannis laudatur. 10
Purgans. 11
Aquarum mineralium gravitas 83
Difficulter noſcitur. Ibid.
Neque ope hydrometri. Ibid.
Aquilegia pro expellendo calculo. 196
Aquitania, ubi urbs primaria Pictavium. 72
Arboga. 449
Mineræ æris, ferri, argenti. Ibid.
Arcanum Gallorum pro curatione pleuritidis. 86
Plummer pro curando morbo gallico. 25
Argentina. 90
Ariminum. 226
Ejuſdem in nonnullis morbis Medicina. Ibid.
Malignæ febres raræ. Ibid.
Inflammatio frequens. Ibib.
Marini ibi aeris utilitates. 227
Cancri, ſcrophulæ in illo ſolo frequentes. Ibid.
Ariminenſes venæ ſectionis amatores. Ibid.
Proclives ad rheumatiſmum. 226
Ariſtolochia in ſolo Monſpellienſi abundat. 79
Hyſtericis paſſionibns medetur. Ibid.
Arnoſtadia. 91
Hydropis curatio. Ibid.
Arſenicum pro curandis febribus intermittentibus. 406
Ars juveneſcendi. 85
Prolongandæ vitæ. Ibid.
Artes liberales floruerunt ſemper in Helvetiorum regionibus, Medicina præcipue. 127
Arthritici dolores curati. 137
Et rheumatici affectus unde. 285
Arthritis, ejuſque cura ſecundum Polonos. pag. 415
Animadverſiones. Ibid.
Camphorata, & ſpiritus formicarum pro curatione arthritidis damnanda. Ibid.
Fimo tauri a Boruſſis curata. 438
Dolor compeſcitur ſemine ſynapi. 566
Affectas partes Thuringi ſaliva tangunt. 91
Remedium a Rege Sueciæ adhibitum. 44
Ejuſdem cura ſecundum Bohem. 105
Artis Medicæ inutilitas. 299
Arvenſis Comitatus in Hungaria, 211
A Sabaudia (Eugenius Princeps) Germanicorum Exercituum Dux ſtrenuiſſimus a Conſtantino Roncalli Auctoris Patre feliciter curatus. 123
Aſcheronenſis fons in Britannia. 10
Aſcitem curare tentant Angli remediis violentioribus. 26
Aſcites in Xenodochio Baſileenſi ſecante ferro curata. 125
Vid. Hydrops.
Aſthma. 20
Aſthmatis humidi, & tuſſis catarrhalis curatio. 137
Aſthmati ſpaſmodico, humorali medentur aquæ Burmienſes. 159
Aſthmatici cadaver diſſectum. 20
Laudanum Helmontiacũ cum ſpiritu ſanguinis humani aſthma ſanat. 26
Curatio ſecundum Germanos, & præſertim Auguſtanos. 94
Aſtragalus alvum ſiſtit. 450
Atheromata a ſcrophulis differunt. 19
Auctoris vita jubente Academiæ Imperialis Præſide deſcripta. 123
Avenaceæ curæ modus. 14
Ex amygd. in hecticis. Ibid.
Averoldi (Vincentius) Nob. Brixianus conquiſivit ſtirpium ſeriem, & hortum inſtruxit. 280
Auguſta Vindelicorum. 92
Medicorum numerus. 93
Inter quos Xenodochialis, Leproſorius, Peſtilentiarius, Lazaretanus, &c. Ibid.
Fere omnes præcepta Hoffmanni venerantur. Ibid.
Auguſtus Imperator Antonio Muſæ Medico auream ſtatuam erexit. 64
Auſtri morborum productores. 285

B

Bacciocchi (Joannes Dominicus) in Brixiano Xenodochio Chirurgicæ Artis Magiſter. 261
Etruſcis diſciplinis inſtructus. 265
Bada. 124
Thermæ Badenſes. Ibid.
Morbi quibus ſuccurrunt. Ibid.
In eaſdem legendus Scheuchzerus. Ibid.
Probabiliter chalybeatæ. Ibid.
Baglivus laudat ſtudium Medicinæ peculiaris cujuſcumque regionis. 381
& Paſcoli Itali a Germanis laudati. 169
Bagolinus. 281
Franciſcus Ricciardus anno 1647. docet, in febrium vigore ægros non nimis eſſe alendos, & Bagolinenſes morbos non eſſe diſſimiles ab iis, quos Cous indicaverat. Ibid.
Baitellus (Julius) Nobilis Brixianus laudatus. 29
Baldinius (Joſeph) Arimin. laudat. 335
Baldus Mons Veronenſis. 397
Balnea Burmienſia utilia in morbis ſpaſmodicis, doloribus iſchiadicis, articularibus, rheumaticis, &c. 159
Balnea Moſchorum. pag. 405
Laconica, & furni ſudatorii. Ibid.
Violenta Samogitiæ. 425
Balneorum frequentia apud Turcas. 184
Pravus uſus. 44
Balneum frigidum ſuſpectum, & damnoſum. Ibid.
Balſami in morbis pectoris. 283
Balſamum ad vulnera. 451
Carpathicum. 208
Rackaſira. 407
Balſamus embryonum varioloſam eruptionem impediens. 181
Barbitonſores ad curationem morborum vocandi non ſunt. 67
Barcinona. 200
Phthyſis in Matrona ægrotante, ſcribente celeberrimo Philippo de Violante Regis Poloniarum Archiatro. Ibid.
Remedia a Catalanis Medicis adhibita. Ibid.
Bartholini propoſitiones laudandæ, & reprobandæ. 34
Baruffaldus (Cæſar) in Valle Saxina diſtrictus Mediolanenſis Auctoris amicus. 162
Baſilea. 124
Poſtremus Helvetiorum Conventus, ſuam habens Medicinam contubernalem in platea, ubi emergit aqua mineralis. Ibid.
Adſunt & putei medicati. Ibid.
Baſilides, & Nomades populi ſine Medicis vivunt. 183
Batavorum medicamenta a celeberrimo Joanne Chriſtophoro Rieger deſcripta. 101
Bath aquæ in Britannia. 11
Calidæ, & ſulphureæ. Ibid.
Bavaria. 95
Baudry Xenodochiorum Medicus, & aquarum thermalium Præfectus in Borbonio. 73
Bechicum Anglorum ex aqua limacum deſtillata. 25
Behrius (Georgius Henricus) Profeſſor Argentinenſis. 90
Ad eundem Auctoris epiſtola. Ibid.
Belgæ vermibus excruciantur. 454
Belgarum memoratu digna. 48
Nonnulla remedia. 102
Belgici medendi uſus. 98
A Joanne Chriſtophoro Rieger deſcripti. 101
Belladonna cancrum curat. 443
Benacus Lacus. 291
Benaci Lacus Ripa Veronenſis. 295
Quid morbos efficiat. Ibid.
Benevoli (Antonius) laudatus. 326 337
Bergomum. 227
Bergomatem Medicinam docte in epiſtola deſcribit celeberrimus Andreas Paſta. Ibid.
Laudatus 133, 134, & 286
Medici Bergomates nimis circumſpecti in extrahendo ſanguine. 228
Parum purgatores. Ibid.
Cauti inſuper in uſu veſicantium. Ibid.
Modus curandi bronchocelem. Ibid.
Berna. 125
Ibi partus *di due nature* ad examen reducitur. Ibid.
Bernenſis accidentalis herniam curandi ratio. 126
Berolinenſes medendi uſus. 438
Bertini (Joſeph Maria Xaverius) Florentinus laudatus 323, 329, 334
Betera (Felicianus) Brixianus Scriptor 1577. 24
Beylie Medicus Regis Franciæ ſcripſit de morbis in Delphinatu frequentibus. 74
In morbis pectoris cito venam ſecabat. 75

Bezoar-

Bezoarticorum, & alexipharmacorum damna. pag. 170
Bezoarticus VVedelii pulvis conſtat nitro, & camphora. 140
Bidloo. 404
Bilis atra ex metu, & triſtitia 55
Exitus, morbi ſolutio. 99
Bingafeld in Caſtriferrei Comitatu acidulæ, de quibus verba facit doctiſs. Rieger. 212
Blena nigra vomitu rejecta. 92
Boccalinus (Joan. Franciſcus) Brixianus Scriptor 1549. 240
Bochart (Carolus Philippus) Archiater Electoralis Trevirenſis occubuit. 168
Bogiarianæ aquæ. 281
Bohemia. 47. & 102
Bohemorum medendi uſus, præcipue in Praga metropoli Regia. 102
Frequentiores morbi a Jo: Ignatio Mayersback deſcripti,
Nempe 1 Arthritis.
2 Podagra.
3 Hydrops.
4 Scorbutus.
5 Affectus uterini,
6 Affectus hypochondriaci.
7 Catarrhi.
8 Affectus pleuritici.
Cancer, &c. Omn. 107
Ejuſdem Mayersback critica in hoc Opus epiſtola. 102
Reſponſio. Ibid.
Boliacus. 293
Joannes Petrus Bondonus refert, a frigidiſſimis ventis, & pruinarum quantitate febres inflammatorias cum dolore in coſtis productas fuiſſe. Ibid.
Curatas vero anthelminticis, venarum ictu, veſicantibus, & camphoratis internis, & externis. Ibid.
Bolzanenſes nundinæ aptæ pro commercio Germanico. 121
Bononia. 233
Virum celeberr. Jacobum Bartholomæum Beccarium Bononienſis Scientiarum Inſtituti, atque Academiæ Præſidem Auctor orat in epiſtola, ut Hiſtorias Morborum Collegis Sapientiſs. obſequentiſſime exhibeat. Ibid.
Nonnulla etiam tangit circa uſu chinæchinæ, & mercurii crudi. Ibid.
Comiter reſpondet Beccarius, & ſecunda proinde Auctor gratias agit de dono Operis Beccariani Bononiæ cuſi, & ad phoſphoros pertinentis. 234
Inſtat iterum, ut aliquid moneat circa uſitatam Bononienſem Praxim. 235
Accedunt mutuæ viciſſim in idem argumentum epiſtolæ. Ibid.
Bononienſis hyemalis conſtitutio anni 1729. 237
Curationum modus. 238
Medicus criminum Advocatus, & quaſi Judex conveniens. Ibid.
De plantis. Ibid.
Anatomes, & Chirurgia. 239
Bonus (Bernardinus) Medicus celebris Brixianus. 246
Borbonium. 73
Thermales aquæ. Ibid.
Borromea Comitiſſa (Clelia Grillo) Inſubrum Heroina laudatur. 119
Boruſſorum Medicorum in medendo uſus. 438
Boſſina, ejuſque clima, & medici uſus. 473
Botnia Occidentalis. 449
Angelica. Ibid.
Bouillet Medicus Monſpellienſis promiſit Medicum Opus. 79
Boum epidemia. 253
Et circa eamdem epiſtola a clar. Martino Ghiſio Cremonenſi ad Auctorem, altera ad Illuſtriſſimum Mazzucchelli directa. 253
Primordia epidemiæ latent. Ibid.
Ghiſius ſtatuit ſedem morbi *in inflammata aſpera arteria*. 254 & 448
Symptomata, & morboſos effectus, durante epidemico curſu, explicat. 254
Mercurius in venam jugularem infuſus. 255
Anhelitus, difficultas reſpirandi, & ſtertor in vaccis morbidis fere ſemper viſus. Ibid.
Tuſſis morbi prodromus. Ibid.
Anatomica vaccarum inſpectio. 256
Trachea, & pulmones inflammati. Ibid.
Remedia pro curatione propoſita. 259
Ad eundem Ghiſium reſponſio circa bovillam peſtem. 291
Venit ab alto. Ibid.
Agere de bovilla peſte ſummos decet viros. Ibid.
Utrum ab inſectis. Ibid.
Inſecta viſa in ſanguine boum. Ibid.
Quid dicendum. Ibid.
Cauſa bubilæ peſtis. Ibid.
De angina tanquam mortis cauſa dubitandum eſt. 262
Rationes. Ibid.
Propoſitiones X. ad boum conſervationem directæ. Ibid.
Remedia uſitata. 263
Epiſtolæ epilogus. Ibid.
Brabantia; ibique ſcorbutum. 98
Braſſica ſcorbutum curat. 48
Bratis (Matthæi) Medici celeberrimi in urbe Conſtantinopoli apud Franciæ Legatum commorantis epiſtola Brixiæ expectabatur ad Græcam pertinens Medicinam. 192
Breyhan potus gratiſſimæ ſapiditatis a populis Hannoveranis inventus. 123
Brigenſes thermæ. 137
Briſianus (Hieronymus) Scriptor Salodienſis 1596. 294
Britannia. 1
Britannicæ inſulæ. Ibid.
Britanniæ flumina, ſitus, aer, &c. Ibid.
Britanni Scriptores. 2
Britannorum temperamenta. 10
Potus. Ibid.
Potus alter. 15
In quibus ſanguis mittendus. 10
Nonnulla in medendo inventa. 16
Boerhaavii documenta in medendo ſequuntur. 29
Smitte Academiæ Londinenſis Præſidi animus fit, ut ſcribat de Anglicana Medicina. Joannes Sylveſter multa doctiſſime reſpondet in epiſtola, ob quam grates redduntur. 27
Clariſſimis Godfrey, Nichous, & Rieger, ut ſcribant, inſtantiæ fiunt. Poſtremus doctiſſime favet. 29
Britannia Minor. 73
Brixia. 239
Ejus conditores, ſitus, flumina, templa, fontes, &c. Ibid.
Olim Cenomanorum Caput, & Romanorum Colonia. 103
Bonæ Artes, & Diſciplinæ Nobiles mirum in modum inibi excultæ. Ibid.
Ejuſdem antiquæ Academiæ. Ibid.
Opiata in febrium initio adhibenda non ſunt. pag. 6
Chirurgia floret. 66
Brixiana olim felicitas a Lindeſtolpe memorata. 243
Brixianæ morboſæ conſtitutionis 1577. mores, ſigna, ſymptomata. Ibid.
Remedia, quæ in deſcripta peſtilenti conſtitutioue fuerunt utilia. Ibid.
Brixiani Medici in febribus a chalybe abſtinent. 71
Brixianarum aquarum examen Chymico-Medicum. 150
Brixianam Medicinam illuſtrat, & utiliter adauget Nob. vir Aloyſius Garbellus. 294
Brixianum Xenodochium majus. 264
Brixiani in Lyceo Patavino Profeſſores. 103
Agri perennes aquæ, fontes, mineræ, proventus, divitiæ, &c. Ibid.
Scriptores editis operibus celebres, qui nunc vivunt. Ibid.
In Medicinam Scriptores. 240
Brixienſis Practicæ Medicinæ Epilogus. 301
Id eſt: 1 In morbis acutis. 2 Febris. 3 Chinachina. 4 In hecticis. 5 Tabidorum contagia. 6 In morbis Monialium. 7 Convulſiones hyſtericæ. 8 Lues venerea. 9 Bronchocele. 10 Vomitus. 11 In cachexia. 12 Hydrops. 13 In apoplexia. 14 Paralyſis. 15 Gingivis ex ſcorbutica affectione corroſis. 16 Aſthmatis remedia. 17 Fiſtulæ, & ulcerum curatio 18 Strumæ. 19 Delirium. 20 In cutis morbis. 21 In iſchiade. 22 In hæmorrhagia. Caſus. 23 Eryſipelatis. 24 In dolore capitis. 25 Coryza. 26 Vermes. 27 Pleuritis. 28 Variolæ. 29 Dyſenteria. 30 De purgatione verno, & autumnali tempore. 31 Collyria. 32 In tuſſi. 33 Scabies. Animadverſio I. Animadverſio II. 34 Calculoſorum remedia. 35
Laus Brixienſium Medicorum. 308
Bronchocele in Goſlaria frequens. 107
Ibi curationis modus. 109
Fumo ex ſpongia combuſta, & emplaſtro de ranis cum mercurio curatur. Ibid.
In Helvetia frequens. 138
Ejuſdem cauſæ. Ibid.
Cauſæ, curatio, & remedia clariſs. Andreæ Paſta Bergom. 228
Endemius in Brixiana provincia. 304
Galli *Goetram* vocant, Latini gutturis herniam. 352
Situs, & productionis modus. Ibid.
Interdum a majoribus. Ibid.
Præcipue ab aere, aquis, & alimentis, &c. 353
Cur in gutture, aut prope guttur concreſcat. Ibid.
Remedia fere omnia bronchocelem curantia. 354
Brunopolis. 107
Plantæ Brunſvvicenſes deſcribuntur a Joanne Kemnitio. 110
Bubones gallicos ſexaginta diebus Chirurgi Veneti adapertos ſervant. 385
In febribus peſtilentialibus ſollicitandi. 3
Tangendi contra præceptum Boerhaavii. 49
Venerei, etiam immaturi, ſecandi ſunt. 179
Venerei ſemper, ſi fieri poteſt, ſecandi. 377

Verminoſi a Philippo Jacobo VVeigant anno 1729. Viennæ viſi. pag. 179
Buda. 212
De Budenſibus thermis laudabili Opere locutus eſt Laurentius Hockerus S.C. R.Q. M. Præſidii, ac liberæ, Regiæque Civitatis Phyſicus Ordinarius. Ibid.
Burgundiæ Comitatus. 73
Medici uſus circa adminiſtrationem chinæchinæ. Ibid.
Burlet Gallus ſcripſit de aquis. 73
Burmienſis Comitatus. 155
Querimoniæ mittuntur doctiſſimo Joanni Baptiſtæ Simoni, eo quia fidem ſcribendi datam circa Burmienſes medendi uſus nunquam ſolverit. Ibid.
Suppoſitæ in contrarium rationes annihilantur. Ibid.
Simoni reſpondet, excuſationes ob tarditatem, & omnia ad rem Medicam facientia in propatulo ponit. 156
Burmienſia balnea. 159
Burmienſes aquæ activiores Maſinienſibus. 156
Quando adhibendæ, & in quibus morbis. Ibid.
Burmienſium thermarum hiſtoria. 158
Scaturiunt ad radices Montis Bralii. Ibid.
Priſci Auctores fabulas de viribus earumdem aquarum ſcripſerunt. Ibid.
Chymica, eaque multa in easdem celebrata tentamina. Ibid.

C

Cachexia, hydrops, icterus in Poloniæ Regno. 416
Cachexiæ curatio ſecundum Brixianos. 304
Caducum ſyncopem curant Medici Svitii ſpiritu fuliginis. 138
Cæſariana operatio a Chirurgis exercetur, & anima ſervatur. 63
Calcis aqua vitanda. 400
Calculi in hepate. 238
Veſicæ. 18
Ejuſdem curatio. 18 & 19
Secundum Anglos. 26
Solus potus utilis. Ibid.
Renum, & veſicæ a ſapone ſoluti. 117
Calculoſorum remedium. 300
Remedia ab Auctore propoſita. 308
Polonorum. 423
Polonorum alia. 435
Calculus renum diureticis, & lythontripticis loco movendus non eſt. 210
Rationes. Ibid.
Calino (Ludovicus ex Comitibus) Epiſcopus Cremenſis. 355
Calvi (Joannes) Cremonenſis laudatus. 223
Calzavellia (Vincentius) Brixianus Scriptor 1570. 240
Camphoræ efficacia in affectibus maniacis. 21
Epiſtola David Kinneir comprobatur. Ibid.
Exhibendi modus. Ibid.
Etiam in affectibus nervoſis. Ibid.
Internus uſus in variolis.
Animadverſio I.
Animadverſio II.
Animadverſio III.
Animadverſio IV.
Omnia 140
Camunorum Vallis, & Triumplina. 281
Populi in omnibus morbis gentiana utuntur. pag. 281
In cholica vero ſilere montano. Ibid.
Bubonibus inſuper nigris ſubjecti ſunt. Ibid.
Pleuritidem oleo ſeminum lini curant. Ibid.
Aquæ Bogiarianæ. Ibid.
Cancer nullis remediis curatur. 22
Ejuſdem curatio ſecundum Boyle. 26
Seu carcinoma in Holſatia ſectum, & extirpatum criticis animadverſionibus reſellitur.
Animadverſio I. Qua explicantur color, ſigna, & ſymptomata carcinomatis.
Animadverſio II. Ubi rarus refertur caſus atheromatis perquam magni.
Dictorum concluſio. Omnia 141
Vitriolo, & oleo olivarum curatus. 182
Belladonna curatur. 443
Cantharidum damna in corpore humano. 21
Energetica vis. 145
Earumdem remedia. 21
Uſus internus ſecundum Younge methodum. Ibid.
Exhibendi modus. Ibid.
Cantuel Medicus Pariſienſis. 81
Ejuſdem conſultatio. 80
Caphè laudes. 187
Quibus damnoſum. 73
Quibus utile. Ibid.
Capillorum ſal volatile. 435
Capitis dolor. 451
Curatio Pariſienſium. 466
Dolorem curantia. 306
Alia ſecundum Polonos. 423
Dolorem tollere vellent mulierculæ Danæ arcano ſuo. 45
Curatur cortice caſcarilla. 443
Capitis vulnera a Monſpellienſibus curata. 79
vulnerum curatio ſecundum Gallos. Ibid.
Sanguinis miſſio. Ibid.
Contrafixura in vulneribus capitis quomodo noſcenda. Jbid.
Capredonus (Hercules) Brixianus Scriptor 1687. 246
Caput ſagitta transfixum, ægro feliciter ſupervivente. 417
Carbunculi illico ſecandi. 3
Cariei cauſæ in oſſibus multiplices. 38
Præcipue in pueris. Jbid.
Carniola. 110
Modus ibi curandi cruſtas lacteas. Jbid.
Animadverſio. Jbid.
Morboſæ conſtitutiones in Carniola. Jbid.
Febres petechiales inibi graſſantes 1714. Jbid.
Carpathes. 211
Primariæ in hiſce montibus panaceæ ſunt vinum, ſpiritus frumenti, oleum olivarum, cũ adipe porcina, &c. Jbid.
Transeunt deinde ad grana coconidii, herbam trichomano, viride æris, &c. Jbid.
Carpenetulus. 282
Regnantes inibi morbos graphice deſcribit doctus Stephanus Callegari, & comiter loquens in epiſtola, ad aerem, locos, aquas, & omnia ad rem facientia deſcendit. Ibid.
Mortoni, Torti, & Zendrini veſtigia ſequens, morborum curationem, & adhibita remedia proponit. 286
Carunculæ in urethra, & curationis modus. 76
Etiam ſecundum Gallos. pag. 77
Aquæ thermales potandæ non ſunt contra opinionem Gallorum Profeſſorum. 84
Caſalis (Vincentius) Brixianus Scriptor 1556. 240
Caſcarillæ cortex cephaleam curat. 443
Loco chinæchinæ adhibetur. 100
Antipyretica. 121
Caſiæ flores ſolitarii præſcribendi ſunt. 323
Caſſella. 110
Aquæ minerales ab Archiatris Aulicis Haſſo-Caſſellanis ad examen redactæ. Ibid.
Caſtilio a Stiveriis. 309
Sævire inibi pleuritides, & peripneumonias refert doctiſsimus vir Joſeph Pilotti, quas quadraginta interdum ſanguinis uncię extractæ ſanant. Ibid.
Fotus deinde humidi, veſicæ, ſpongiæ calentes. Ibid.
Cataracta curatur millepedibus in vino albo decoctis. 26
Mercuriali inunctione. Ibid.
Utrum a vitio cryſtallini. 326
Nonnulla in id obſervata. Ibid.
Cataractæ depreſſio, recuperata viſio. 327
Remedia cataractam curantia. 328
Catarrhi, & catarrhales febres a Polonis curatæ. 415
Catharſim, & vomitum eodem actu Angli interdum promovent. 25
Cavallus (Franciſcus) Scriptor Brixianus 1540. 240
Caucalis undique in urbe Brixiana proſtans. 143
Cauſæ plicæ Polonicæ. 418
Cauſtica bene multa proponuntur
Cauterium a Mopillier Profeſſore Gallo prohibitum. 72
Rationes. Ibid.
Cellatica. 287
Hieronymo Covi Brixianæ Cathedralis Canonico, Ordinis S. Stephani Equiti Commendatario Auctor inſcriptas dono mittit Hiſtorias Morborum. Ibid.
Ejuſdem Commendatarii epiſtola. Ibid.
Cellina. 342
Juvencula inibi per quinque menſes abſque cibo vixit. Ibid.
Cerebrum a qua cauſa moveatur. 68
Opinio Chevalier Præſidis Collegii Medici, & Pharmaceutici Pariſiorum. Ibid.
Cereviſia Britannorum. 10
Cum vino mixta. 35
Danorum. Ibid.
Ejuſdem damna. Ibid.
Ceria ſpirituoſa Moſchorum potus. 403
Cervi (Joſeph) Eques, & Archiater Monarcharum Hiſpanorum laudatus. 203
Cervinæ carnis eſus. 446
Cervorum longævitas, & lacertoſa vis. 457
Chalybeatæ aquæ ſunt acido oppoſitæ. 82
Chalybs num purgantibus miſcendus. 4
Chamæmeli flores febres intermittentes curant. 32
Eliſa Coysh Britannus auctor eſt. Ibid.
Ejuſdem promiſſionis effectum nos unquam vidimus. Ibid.
Charl Archiatri Regis Daniæ Opera. 45
Chinachina a Germanis caute adhibita. 169
Ad eandem nonnulli cito confugiunt. 317
Ante illius adminiſtrationem corpora purganda ſunt. 121
Brixiæ uſitata. 301 & 309

Galli addunt pulverem radicis ireos. pag. 85
Miſcelam illius cum purgantibus prohibent. 73
Rationes. Ibid.
In viſcerum obſtructionibus adhiberi poteſt, Florentinis docentibus. 323
Non nocet. 4
Num croco martis miſcenda. 71
Animadverſio critica. Ibid.
Oppoſitos habet effectus in gangræna. 449
Purgantibus non miſcenda. 321
Quando noxia. 374
Quantitas exhibenda. 318
Quid agat. 317
Rhabarbaro mixta. Ibid.
Utrum in aere Mediolanenſi adminiſtranda ſit. 349
Et rhabarbarum. 341
Chirurgia abſque ceteris doctrinis inſania eſt. 60
Etruſca. 337
Florentina. 326
In Gallia floret. 55
Magiſtra Pharmaciæ, & diætæ. 64
Medicinam docet. 37
Monſpellienſis. 79
Reliquis Medicinæ partibus antiquior. 59
Tyrocinium Medicinæ. 65
Ut floreat, quæ agenda ſint. 68
Chirurgiæ caſus. 63
Curationes, & effectus mirabiles. 64
Famulatores adeſſe deberent. 67
Miracula. Ibid.
Nobilitas. Ibid.
Præcipuum inſtrumentum, ut anima ſalvetur. 63
Nominis ethymologia. 59
Finis. Ibid.
Chirurgiam omnes paſſim exercere præſumunt. 65
Chirurgicæ Artis vindiciæ. 59
Operationes a Chirurgia ſejunctæ. 65
Chirurgicis operationibus Medicus præſidere debet. 66
Chirurgi Galli admodum optimi. 54
In Turcicis regionibus diteſcunt 184
Chirurgorum Gallorum laudes. 64
vulgariũ ignorantia, & temeritas. 65
Chirurgus, ſupremis concordibus Patriciorum 40 Judicum votis, promulgata in contradictorio Judicio Lege, ſempiternos in dies per totum Venetum Imperium duratura, ad honores promotus, & non ſolum inter Collegiatos Profeſſores poſitus, æquatus, & Nobilis factus, verum etiam ſuper illos etiam a Summo deliberante Principe ad Equitis D. Marci dignitatem evectus. 68
Quæ ſcire debeat. 60
Eadem, quæ Medicus. Ibid.
A Plutarcho, & Aetio appellabatur Medicus. 62
Comparatio inter Militem, & Chirurgum. Ibid.
Quando laudandus. 64
Ejuſdem neceſſariæ dotes. Ibid.
Chloroſis. 452
Choleræ curatio ſecundum Sydenhamium. 3
Narcoticorum uſus. Ibid.
Cholicæ peſtilentialis cauſa. 72
Curatio.
Enemata.
Remedia. Omnia Ibid.
Nephriticæ remedium. 86
Spaſmodicæ curatio ſecundum Trevirenſes. 165
Cholica paſſio in convulſivam contractionem degenerans. 177
Cholica ut curetur. pag. 24
Et podagra tinctura martis curatur. 99
Chomel (Jacobus Franciſcus) ſcripſit de balneis *de Vichy*. 71
Chomel (Joannes Baptiſta Ludovicus) Franciæ Regis Archiater laudatus. 87
Chordapſus. 438
Chriſtianiſſimus Rex curationem ſtrumarum celebrat. 52
Modus, ordo, & ceremoniæ ſacræ. Ibid.
Chronici morbi ab hypochondriorum ſtaſi. 318
Chronicos morbos Tigurini Medici curant aquis Fabarienſibus, Badenſibus, &c. 134
Idipſum faciunt & VVeſtphali. 147
Præcipue laudant acidulas VVildulgenſes. Ibid.
Chymica circa aquas Burmienſes experimenta. 158
Cicogninus (Julius) laudatus. 448
Ejuſdem opinio circa originem bubilis epidemiæ. Ibid.
Cidra Britannorum potus. 10
Cingarorum turba Brixiam verſus. 242
Cinnabaris in febribus. 419
Citeſius (Franciſcus) deſcribit cholicam Pictonum. 72
Climata cognoſcenda ſunt, antequam Medicus ſcribat. 166
Clyſter tabacinum in paſſione iliaca ſecundum Germanos. 90
Utilitates, & damna. 91
Lacteum utile in vermibus inteſtinorum. 37
Nutriens a D. Littre Gallo adhibitum. 56
Utrum revera nutriens. Ibid.
Antipyreticum. 57
Spatio nycthemeri quatuor vicibus iteratus. 86
Cocchi (Antonius) Mugellanus laudatus 326, 332, 334, 338, & 403
Cochlearia lythontriptica. 19
Cogroſſius (Carolus Franciſcus) laudatus 91, 225, & 339
Cohauſen (Salentini Erneſti Eugenii) ſcripta plurimi facienda. 165
Celdoni minerales aquæ in agro Mediolanenſi. 10, 150, & 337
Collegii Brixiani Privilegia. 296
Veneti. 389
Collegium Nobilium Brixiæ Medicorum. 296
Honorificentiſſima Collegii decreta. Ibid.
Pars prima in Collegio poſita. Ibid.
Quotannis narthecia officinarum viſitanda ſunt. Ibid.
Statutum municipale. 297
Unus, vel alter ex præcipuis Nobilioribus Brixiæ Familiis elapſo tempore Medicinæ addictus fuit. Ibid.
Colonia. 110
Remedia pro curandis morbis uſitata deſcribuntur a Joanne Hechſio. 111
Setaceum in ophtalmia in uſum poſitum. Ibid.
Comata, & lethargi dolores ſoluti. 284
Commentarii Petri Giller in nonnullas propoſitiones ab Auctore in Hiſtoriis Morborum expoſitas. 130
Scilicet ad pag. 189.
De remedio antinephritico D. Stephens.
Ad pag. 31.
De uſu aquarum mineralium cum lacte.
Ad pag. 42.
De noli me tangere.
Ad pag. 97.
De thoracibus, & pectore nimis ſtricto.
Ad pag. 162.
De urticatione in iſchiade.
Ad pag. 34.
De eryſipelate non tangendo.
Ad pag. 69.
De cadavere mulieris mercurium vivum pluribus in locis exhibente.
Ad pag. 115.
De hauriendis in aſthmate terræ halitibus.
Ad pag. 75.
De cura luis Gallicæ abſque mercurio.
Ad pag. 123.
De machinis vitreis Venetis pro mutando aere.
Ad pag. 189.
Euporiſton ad demulcendos dolores.
Comitatus Hiberniæ. 1
Scotiæ. Ibid.
Confluentiæ deſcriptio. 168
Peruvianus cortex caute inibi adhibetur. 169
Delicatus ibi medendi mos. 168
Friderici Hoffmanni Hallenſis Æſculapii documenta ſequuntur. 169
Optima gaudet aeris temperie. 168
Quamvis inter Rhenum, & Moſellam, parvus tamen ibi piſcium numerus. Ibid.
Quid circa remediorum uſum obſervaverit clariſs. Cohauſen. Ibid.
Confortus (Hieronymus) Brixianus Scriptor 1570. 241
Conſilium pro Nobili Muliere Vincentiæ degenti, & fluore albo detenta. 399
Conſpectus Terapeiæ Generalis, clariſſimi Junckeri Opus utiliſſimum in Praxi pro Juvenibus. 121
Conſtantinopolis. 184
Aeris conſtitutio, & temperamenta. Ibid.
Armenæ mulieres inibi Medicinam exercent. 188
Balneorum frequentia. 184
Utilitas. Ibid.
Xenodochia in urbe centena. 185
Chirurgi evadunt divites. 184
Tabaci, & couphè uſus frequens. 187
Peſtis Byzantina. 185
Podagricæ, & apoplecticæ affectiones raræ. 187
Raro nix deſcendit. 184
Saccata cannabis ex Ægypto Byzantium advecta peſtilentiæ cauſa eſt. 185
Scabies abeſt. 188
Septentrionalis poli gradus. 184
Turcæ Libris, & Medicinæ parum addicti. Ibid.
Typi, & characteres linguæ Arabicæ, & Turcicæ in urbe Conſtantinopoli, Byzantini Imperatoris juſſu, Zaydo-Aga futuras editiones curante.
Referunt paulo poſt interruptas fuiſſe. Ibid.
Conſultatio in longinquas terras miſſa parum prodeſt. 81
Conſumptio, ſeu phthyſis pulmonaris in Britannia frequens. 30
Contagioſis morbis cito medendum. 5
Vomitorium num adhibendum. Ibid.
Contagium a braſſica, & lactuca non producitur.
Luis venereæ, ab uno in alterum, & quæ de ipſo dicenda ſunt. 197
Contrafixura in vulneribus capitis quomodo noſcenda. 79
Contuſiones arnica reſolvit. 443

Convulſiones cortice Peruviano curandas proponit VVeberus. pag. 211
Tollit eſſentia cornu cervi. 26
Hyſtericarum ſanguinis miſſione tolli non poſſunt, aut debent. 367
Coralli tinctura anodyna. 86
Corcyra. 189
Ibi inter ceteras Græciæ urbes Medicina floret. Ibid.
Corcyræ primaria felicitas. Ibid.
Corcycæi ad Patavinum Lyceum confluunt. Ibid.
Aeris reſpirandi examen, & bonitas. Ibid.
Corcyræ a Medicis promota, & plurimi facta. 190
Ibidem officinæ, & Chirurgi abundant. 189
Patricii Veneti Claſſium navalium Duces doctos Medicos ad Corcyram urbem ſecum vehunt. Ibid.
Cordis palpitatio ex oſſiculis intra aortam concretis. 56
Cornacchini pulvis a Germano-Trevirenſibus adhibitus. 168
Corroſivum a Chirurgis Holſatiæ adhibitum. 142
Gundelsheimeri. 439
Cracovia. 422
Fons Caſimirianus dictus. Ibid.
Alter frigidus in Palatinatu Cracovienſi. Ibid.
Cracovienſem Medicinam, non minus quam totam Polonicam illuſtrat clariſſimus Lopachi docta epiſtola. Ibid.
Italiam dicit Medicinæ Polonę parentem. Ibid.
Tranſit ad Polonorum victus, regimen, ad clima, ad aerem, proindeque de graſſantibus morbis rationem reddit. Ibid.
Crema. 310
Præſtantiſſimo Carolo Franciſco Cogroſſio de imperforata, & ſine utero muliere nihil ſtupere dicit Auctor in epiſtola. Ibid.
Proindeque rationes reddens, juſtis laudibus proſequitur Andream Fromond, qui in peractis Anatomicis tentaminibus plurimum meruit. Ibid.
Addit ſalutationes Cremenſi Epiſcopo Ludovico ex Comitibus de Calino ſuppliciter exhibendas. Ibid.
Accedit Fromond reſponſio, qua res Phyſicas, & Anatomicas circa imperforatam Bonam magis explicat. 312
Deinde in altera, loco ſoceri ſui Caroli Franciſci Cogroſſii, Cremenſem Medicinam illuſtrat, & agit: 1. De morbis civitati propriis. 2. De peculiari medendi methodo. 3. De Cremenſibus viris fama, aut ſcriptis in Medicina claris. 475
Cremona. 312
Præſtantiſſimo Paulo Valcarenghi vis amica fit, ut de ægritudinibus ſuo in cœlo obviis diſſerat, & præſentem Europam utiliter adaugeat. 313
Favet, & diatribam epiſtolarem mittens, de ſolo, de climate, de epidemiis, deque præſenti Cremonenſis Practicæ Medicinæ ſtatu rationes reddit. 314
Morbi familiares. 315
Febres contumaciores. 316
Ratio. Ibid.
Dyſenteriæ quando. Ibid.
Suburbiorum evaporationes damnoſæ. Ibid.
Joſeph Migliavacca vir doctiſſimus hiſtoriam refert ſeptuagenario majoris febri lypiriam æmulanti decumbentis, in quo, poſt multa accidentia, pus *bilioſis excrementis immixtum* apparuit. pag. 320
Quod inflammato, & ſuppurato hepati tribuendum cenſet. Ibid.
Secunda epiſtola idem Migliavacca gratiarum actiones refert pro accepto Commentario de Forenſi Judæorum Buccinna doctiſſimi Anſaldi, & urget, ut Operi ad Europeam Medicinam pertinenti colophon imponatur. 321
Pedrati (Ignatii) Medici Cremonenſis celeberrimi conſultatio circa aquarum, & corticis Peruviani uſum. Ibid.
Ad virum clariſſimum Martinum Ghiſium reſponſio circa rejecta e ventriculo ſaxa, & ferri fruſtula. 322
Mulieribus hyſtericis omnia credenda non ſunt. Ibid.
Pro quibus tria remedia. Ibid.
Croatia. 212
Populi curant dolorem capitis aptando regioni frontis cataplaſma ex braſſica ſale condita. Ibid.
Cultrivorus. 125
Cuprum in aquis damnoſum. 11
Curatio morborum per ſalivam, & halitum. 195
Curlandia. 424
Ægros ſuper vapores frondibus cædunt, ut ſudorem emittant. Ibid.
Curtius (Bartholomæus) Medicus Mediolanenſis. 348
Curtius (Nicolaus) Brixianus Scriptor 1576. 242
Cutis morbi. 14
Adſtringentia ſuſpecta. Ibid.
Morbos tollit perſicariæ maculatæ ſuccus. 228
Cyprium æs corrodit. 11
Cythera, vulgo *Cerigo*. 213
Florent his in regionibus mandragoræ, tam mares, ſive candidæ, quam fœminæ, ſive nigræ. Ibid.

D

Dalmatia. 212
Caſtrum Novum. In Veneta Albania, parte meridionali Dalmatiæ, duo remedia in uſum ponuntur: in curatione nempe ſcrophularum ſuccus lapathi; in curatione vero pleuritidis reſina pini, hoc eſt *raggia*, externe aptata. Ibid.
Dalmatiæ clima, & aeris tempeies. 473
Dania. 33
Ejuſdem ſitus, clima, &c. Ibid.
Fertilis, & rigua. Ibid.
Fere tota maritima. 36
Mulieres fragas lacti miſcent. 40
Dani vinorum cupidiſſimi potatores. 41
Abſtinent a remediis purgantibus. 36
Danorum morbi, & remedia. 34
Eorumdem arcanum pro curatione ophthalmiæ. 44
Curatio Paralyſis. 45
De Danicis medendi modis Scriptores. 47
Abſtinent ab emeticis. 49
Olaus Borrichius ſeligendus pro diſcenda Danorum Medicina. 50
Carl (Joanni Samueli) Regis Daniæ Archiatro notum fit, viſa, & laudata fuiſſe Opera ſua, id eſt, Parẹneſim Medico-Moralem, & Therapeiam Dogmatico Clinicam. 45
Obſervationes de raris vermibus Brixiæ viſas fuiſſe certior fit illarum Auctor Joannes Gottlieb Boetticherus, qui eodem actu excitatur, ut reſcribat circa præſentem in Dania Medicinæ ſtatum. 46
Annuit, & omnia ad rem Medicam facientia, & in immenſis illis regionibus uſitata docte deſcribit. 453
De Danica pariter Medicina ut ſcriberent excitantur Formica, Gerlach, & Rieger, qui ſolus favet. 47
Danum mare admodum piſcoſum. 40
Daran Profeſſor Chirurgiæ in urbe Maſſilia. 76
Decoctum ſambuci pro curatione hydropis ſecundum Anglos. 26
Amarum Edimburgenſium pro confortando ſtomacho. 25
Album ex mica panis cereviſiæ ſubſtituendum. 4
Degnerus (Joannes Hermannus) Neomagenſis Archiater ſcripſit de dyſenteria bilioſo-contagioſa in provincia Gheldriæ. 99
Deidier contagii propagationem dicit ab animalculis, & inſectis. 78
Delirium camphora curatum. 358
Delphinatus. 74
Morbi ibi dominantes. Jbid.
Beyliè Regis Medicus de illis ſcripſit. Ibid.
Eorumdem morborum cauſæ, & remedia. Jbid.
Sudoriferum adhibitum in pectoris morbis. Jbid.
Dem el Muya peſtilentiales Ægypti morbi. 180
Dentium dolorem tollit radix hyoſciami in aceto cocta. 45
Dertona. 323
In tertianis autumnalibus a purgantibus abſtinendum eſt. Jbid
Dezenzanus. 295
Sævientes catarrhos, coryzas, & morbos pectoris curant Medici illius loci pectoralibus diureticis. Jbid.
Vinezza ventus inter orientem, & meridiem ortus Dezenzanenſibus capitis dolorem, & febres tertianas infert. Jbid.
Diabetis curatio Anglorum. 31
Diaphoreſis Tiguri a clariſſimo Rahn promota. 135
Diaphoreticum Anglorum. 25
Diaphoretica Anglorum alia. Jbid.
Diarrhœa utilis. 6
Diarrhœæ, dyſenteriæ, num ſemper rhabarbaro curandæ, ut Medici Hungari proponunt. 209
Oleo curatæ. 345
Digby curabat ulcera canceroſa vitriolo. 68
Diſcipulorum numerus in Academia Oxonienſi. 1
Diſſertatio inauguralis ab Equite Griſone Gabriele Bavier Brixiam tranſmiſſa. 154
Eadem laudata. Jbid.
Diureſis a Gallis promota. 86
Diuretica in obſtructionibus. 222
Chinæchinæ mixta. 310
Doſrini Montes. 446
Dola. 74
Dolenſes aquæ a Normant deſcriptę. Jbid.

Doloris Remedium. pag. 611
Domus ligneæ in urbe Moſcha. 406
Ipſarum utilitates. Ibid.
Donzellinus (Hieronymus) Brixianus Scriptor. 241
Dreſda. 111
Conſtitutio annorum 1740, 1741, & 1742. Dreſdæ experta. Ibid.
Epidemicarum inibi febrium ſymptomata, curatio, & remedia. 112
Deſcriptione plurium ægritudinum Dreſdenſis medendi modus exhibetur, uſitata remedia patent, & Therapeia admodum illuſtratur, Auctore celeberrimo Philippo de Violante Regis Poloniæ Archiatro. Ibid.
Qui laudatur. 119, & 407
Dubia inter Medicos Tirani, & Burmii in medendo oborta. 160
Dublinum. 424
Acus crinalis e veſica mulieris extrahitur. Ibid.
Tota ſpes ſalutis in uſu balneorum poſita eſt. 425
Dyſenteria ab Anglis curata. 7
Decoctum adhibendum. Ibid.
Curatio ſecundum Scotos. 21
Purgantia, & rhabarbarum. Jbid.
Quando veſicantia adhibenda ſint. Jbid.
Croco martis curata. 50
Contagioſa, quæ anno 1736. Gheldriam vexavit. 99
Num ſanguis mittendus. 7
Curatio ſecundum Gallos. 85
Secundum Belgas. 100
Remedium alterum. Jbid.
In Hiſpanicis regionibus frequens. 199
Vitro antimonii curatur. 16
Nux moſchata a Danis pro curatione proponitur. 34
Curatio a Loevv Medico Hungaro propoſita. 210
Quando. 316
A celeberrimo Lopachi Polono. 403
Curatio ſecundum Polonos 435
Vide 452
Dyſtecia, hoc eſt partus difficilis. 91
Promovetur a Thuringo-Germanis Medicis. Jbid.

E

Ebrietatem tollunt Sueci. 452
Egranæ aquæ minerales in Bohemia aſſimilantur Bogiarianis Darfienſibus agri Brixiani. 104
Electuarium Danicum pro curatione ſcorbuti. 42
Elephanthiaſis Græcorum. 456
Elyxir Tychonis Brahei theriacæ a Danis præfertur. 35
Antipeſtilentiale Schonbergeri. 420
Emetica a Gallis adhibita. 56
Cauſa carcinomatis. Jbid.
Circa illorum uſum Galli diſſentiunt. Jbid.
Eorumdem damna. Jbid.
A Danis non adhibentur. 48
Emeticum aliud. 85
Uſuale Anglorum. 22
Empyrica ſuper Theoriam, & Practicam. 262
Endemii morbi abſunt a Veneta urbe. 284
Tiguri in Helvetia graſſantes. 134
Enemata frequentia apud Danos. 36
Quotidiana fiunt aqua marina, lacte, & jure carnium. Jbid.
Eperiæ. 215
Stranguria gravidarum venæ ictu curanda. Jbid.
Ephemera plurium dierum, 324
Epidemię catarrhorum, & febrium, quæ anno 1743. Brixiæ graſſatæ ſunt, deſcriptæ in epiſtola ad Sapientiſſimum Philippum de Violante Regis Poloniæ Archiatrum. 247
Ejuſdem epidemiæ cauſæ ex ventorum afflantium gradu. 248
Symptomata, effectus, & varii gradus. Jbid.
Gravedines, anhelitus, pleuritides, & phrenitides deſinebant. Jbid.
Tandem ſynochæ petechiales, & malignæ hominum vitam ponebant in ancipiti. Jbid.
Cauſæ ex cibo, & potu. Jbid.
Solidis, & fluidis moleſtæ. Jbid.
Ex humidis ventis. 249
Mercurii in barometro effectus. Jbid.
Chinachina indicata non videbatur. 250
Differentiæ differentem medendi methodum indicantes. Jbid.
Remedia, quæ fuerunt utilia. Jbid.
Epidemia eadem in urbibus Mediolano, & Venetiis. 251
Reſponſio ſupradicti Archiatri Violante, ubi multa doctiſſime circa epidemicas conſtitutiones explicantur. 252
Epidemia Genuenſis 1709. 444
Leucenſis 1744. 357
Remedia. Jbid.
Lucernenſis anni 1709. deſcripta a Carolo, & Nicolao Langriè Medicis. 126
Clavi venenoſi eam produxerunt. Jbid.
Polonica, ejuſque curatio. 424
Altera. 431
Stockolmiæ viſa. 448
Epidemiæ non ſemper inter contagia, & peſtes adnumerandæ. 341
Epidemicæ febres in Saxonicis provinciis frequentes. 111
Earumdem curationis modus. Ibid.
Epidemica petechialis lues in Hungaria. 217
Remedia adhibita. Jbid.
Obſervationes. 218
Pulſus ſanorum ſimilis periculi ſignum. Jbid.
Maculæ ad cutim. 219
Parotides. Jbid.
Remedia. Jbid.
Vomitoria, cathartica, veſicatoria, opium. Jbid.
Animadverſio critica. Jbid.
Epilepſia a jugularibus obſtructis, & exſiccatis. 76
Animadverſio. Jbid.
Oleis deſtillatis curatur. 138
Pæonia. 26
Paronychia folio rutaceo admodum utilis. 157
Remedia altera Danorum. 45
Epilepticus affectus per incantationem a ſtrigi muliere male curatus. 191
Epilogus Brixienſis Practicæ Medicinæ. 301
Epiſcopatus Hiberniæ. 1
Epiſtola, ubi improbatur uſus Matronarum Mediolanenſium non lactandi infantes ſuos, & agitur de bronchocele morbo endemio montanarum vallium in agro Brixiano. 350
Error Laurentii Auctoris Galli circa ſtrumas. 53
Eryſipelas. 8
Ejus cura ſecundum Sydenhamiū ſuſpecta. Jbid.
Secundum Scotos. 21
Secundum Brixianos. Jbid.
Veſicantia adhibenda non ſunt. Ibid.
Morbus in Polonia rarus. 413
Animadverſio in remedia eryſipelatoſas affectiones curantia. Jbid.
Curatur a Boruſſis. 438
Francorum remedia. 467
Etruria. 323
Bonarum diſciplinarum ſedes. Jbid.
Ibi Medicina ſemper floruit. Jbid.
Florentina medendi methodus. Jbid.
Chinachina in viſcerum obſtructionibus adhiberi poteſt. 325
Hypochondriaca affectio. Jbid.
Hydropis curatio. 326
Gutta ſerena. 327
Calvi (Joannis) Cremonenſis epiſtola Florentiæ data, in qua comiter de Auctore loquens, ſcribendi inſtitutum declarat. 328
Ejuſdem Calvi de hodierna Etruſca Clinica Commentarius. 320
Etruſci annoſi. 331
Morbi in Etruria frequentiores. Jbid.
Et remedia fere omnia. Jbid.
Excerpta ex Actis Eruditorum Lipſienſibus. 246
Expectorans remedium Helvetiorum. 136

F

Fabarienſes thermæ. 149
Ipſarum vena, & vires. 150
Fabbri (Laurentius Cajetanus) Florentinus laudatus. 326
Febres a cauſa frigida. 405
Acutæ verminoſæ. 344
Sine purgatione curatæ. Jbid.
Curandi methodus Joannis Franciſci Guadanei. 266
Curandi modus Franciſci Paſſirani. 395
Curandi Venetorum Medicorum uſus. 388
Epidemicæ a Gallis deſcriptæ. 73
Malignæ a Polonis Medicis curatæ. 417
Cinnabaris in febribus. 419
Malignæ ardentes Venetiis graſſantes. 384
Earumdem effectus. Jbid.
Malignæ contagioſæ, num a mercurio curari queant. 369
Periodicæ, & continuæ ſimul confuſæ. 324
Ephemera plurium dierum. Jbid.
Petechiales Hungariæ. 22d
Deliria ſexto die utilia. Jbid.
Secundo vero noxia. Jbid.
Pueri, & juvenes magis in periculo poſiti. Jbid,
Abſtinendum a purgantibus. Jbid.
Petechiales, & epidemicæ in Bohemia graſſantes. 197
Curatio. Jbid.
Populariter pernicioſæ Cremonenſibus. 316
Effectus pernicioſarum febrium. 317
Ex cohibita reſpiratione. 316
Purgantia quando adhibenda. 317
Sanguinis miſſio quando. Jbid.
Quartanæ acutæ ardentes. 388
Febrium recidiva. Jbid.
Rheumaticæ. 290
Illarum diagnoſis. Jbid.
Ipecacuannha in tertianis feliciter adhibita. 293
Quo tempore adhibenda. 294
Sine remediis curatæ. 298
Tertianæ Caſtilioni a Stiveriis frequentes. 409
Quomodo tollantur. Jbid.
Et catarrhi in Bononienſi agro ſævientes. 237
Curationum Bononienſis modus. 238
Remedia. Jbid.
Frigidæ aquæ damnantur. 240
Cauſa neſcitur. 262

Follibus inſufflare febres curare ; nova methodus muliercularum in Suecia, pag. 449
Febrifuga. 345
Febrifugum Chirurgorum Berolinenſium. 438
Moſchorum ſpiritus frumenti. 412
Peculiare Gallorum. 85
Febrim Brixianus curandi mos. 301
In febribus ex diſſolutione venæ ſectio omittenda, & ſecundum doctiſſimi Aloyſii Garbelli documenta, agendum tamarindis, gelatinis, raſuris, emulſionibus. 299
Tertianam in pauperibus Anglicanus curandi modus. 25
Tertianam nova curandi methodus. 449
Qartanam curantia remedia Suecica. Jbid.
Spiritus vini curat. 46
Sangallenſium curandi mos. 129
Decocta amara utilia. Jbid.
Helvetii Profeſſores raro ſanguinem mittunt. Jbid.
Suecorum curandi methodus. 448
Alkalia in febribus ardentibus. Jbid.
In febribus ex obſeſſu chinamchinam vitant Sueci. 452
Mellita aqua Suecorum. Jbid.
Febris. 344
Antipyreticis non ſuffocanda. 20
Apoplexiam non ſolvit. 416
Ardentiſſima curanda aquæ potu. 299
Aſtuta miliaris alba. 151
Aſtuta miliaris in Rhætia. 149
Centum numerantur anni, ex quo in Germania ſævit. Jbid.
Menſe Januarii 1744. epidemice in Rhætia graſſata eſt. 151
Sub ſchemate pleuritidis incipiebat, cum tuſſi, & urina rubra. Jbid.
Cauſæ, ſigna, ſymptomata, & effectus ejuſdem febris. Jbid.
Curatio. 153
Aſtuta miliaris purpurea Berolinenſium. 438
Catarrhalis maligna, anno 1737. Uratislaviæ graſſata. 180
Curatio. Jbid.
Diluentium in febribus uſus. Jbid.
Cichorea nigra curatur. 438
Curat paralyſim. 181
Definitio, & cauſæ. 78
Depuratoria. 5
Ejuſdem curatio ſecundum Danos. 35
Spiritu vini curatur, addito ranunculo, & lubricis. 36
Epidemica, quæ Viennæ graſſata eſt, deſcripta fuit a Carolo Friderico Lovv. 178
Ejuſdem ſymptomata, & multa in aere obſervata. Jqid.
Hectica ſenilis feliciter curata. 160
Curationis modus, & remedia adhibita. Jbid.
Hungarica. 208
Curatio ſecundum Hungaros. 211
Animadverſio. Jbid.
In Hungarico febribus medendi modo vitanda. 209
Interdum ab aquis mineralibus curatur. 82
Maligna deſcripta a Regente Facultatis Medicæ Pariſienſis. 464
Ejuſdem ſigna generalia.
Signa diagnoſtica.
Cauſæ.
Prognoſis.
Curatio. Omnia Jbid.
Maligna ſexaginta dierum. 296
Neceſſaria eſt, & utilis. 121
Febris ſcarlatina acuta, quæ Florentiæ fuit. pag. 333
Utilitas. 20
Febrium curatio Moſchorum. 405
Arſenicum remedium Moſchorum pro curatione febrium intermittentium. 406
Intermittentium curatio medio emplaſtro externo aptato ſecundum Anglos. 25
Intermittentium curatio ſecundum Auguſtanos. 94
In febribus, & acutis morbis Corcycæi Medici ova interdicunt. 189
Fel urſi pleuritidem curat. 473
Fernandez (Gundiſalvus) opinatur ab Indiis Occiduis luem veneream proveniſſe. 196
Herrera (Antonius) Opere lingua Hiſpanica conſcripto id probat. Jbid.
Ferraria. 340
Academia. Jbid.
Conſtitutio epidemica Ferrarienſis. 341
Nonnulla remedia a Ferrarienſibus Medicis in epidemico febrium morbo adhibita. 342
Ferrum adſtringens. 335
Fiderius fons in Valle Rhetorum. 151
Filaenſes aquæ in Britannia. 11
Filalteus (Lucillus Madius) Brixianus Scriptor 1565. 241
Fimus ſuper terras aerem inficit. 316
Finlandia, & Nylandia. 450
Ibi elephanthiaſis, & lepra ab eſu halecum minorum. Jbid.
Finlandi neſciunt uti balneis. 44
Fiſtulæ, & ulcerum curatio. 305
Fiſtula inteſtinalis, cum fœcum exitu, perfecte ſanata. 92
pectoris, in qua perquam caute adhibendæ injectiones. 20
Obſervanda. Jbid.
Ulceri pulmonum ſuperveniens. 13
Fiſtulam curantia remedia. 162
Flandria. 102
Florentia. 330
Situs, latitudinis gradus, flumina, confinia, &c. Jbid.
Cœli ſalubritas. 331
Docti Florentiæ in quovis Scientiæ, & Artis genere. Jbid.
Cur Scientiæ ſemper inibi floruerint. Jbid.
Academiæ. 337
Florentina medendi methodus. 323
Flumina Britanniæ. 1
Daniæ. 33
Franciæ. 51
Germaniæ. 89
Hiſpaniæ. 165
Hungariæ. 207
Italiæ. 225
Moſchoviæ. 401
Poloniæ. 413
Pruſſiæ.
Sueciæ.
Fluor albus Berolini endemius. 49
Non ſiſtendus. 208
Hungarorum Medicorum opinio. Jbid.
Fluorem album curant Medici Poloni. 423
Curat lac. Jbid.
Fœces ab inguine exeuntes. 182
Fœniculum aquaticum pedum talis applicitum pro curatioue hydropis. 91
Fœtus ſectione extractus matre ſuperſtite. 467
Fondra (Cæſar) in Valle Saxina Juriſconſultus celeberrimus, & Auctoris Amicus. 162
Fons Rupipoſeos in Gallia. 72
Cholicæ medetur. Jbid.
Fons ſaxa gignens. pag. 71
Aquæ venenoſæ. 346
Fontes medicati Britanniæ. 10
Helvetiæ. 138
In Islandia. 44
In Boſſina. 473
Noviter detecti in agro Cremonenſi. 321
Fonticulus in pectoris morbis prope homoplatas, & undique ſecundum neceſſitatem infixus. 26
Quando infigendus. 15
Sudoris remedium. Jbid.
Fortunatus a Brixia (adm. R. P.) Ordinis Minorum Reformatorum, & in Brixiana Academia Publicus Matheſeos, & Naturalis Philoſophiæ Profeſſor laudatus. 104
Forum Julium. 342
Juvencula per quinque menſes ſine cibo vivens. Jbid.
Urbs Fori Julii. Jbid.
Pleuritides verminoſæ. Jbid.
Curationem ſuſcipit Aloyſius Caſtelli doctus inibi Medicus diagridio, & mercurio. Jbid.
Foſſores in æris fodinis lippi non fiunt. 361
Francia. 51
Ejuſdem ſitus, aer, &c. Jbid.
Bibliothecæ. Jbid.
Gallorum indoles. 52
Humanitas. Jbid.
Ingeniorum felicitas. Jbid.
Modus curandi ſtrumas. 53
Maniam. 54
Chirurgia admodum ibi floret. Jbid
Chomel (Joannes Baptiſta Ludovicus) Regis Medicus laudibus proſequitur, eo quia hygenem illuſtraverit, & rogatur, ut mittendo ſpecimen de Gallicana Medicina, præſentem Editionem ditet. 87
Humaniter favet, & de ſerie ægritudinum illo in cœlo ſævientium, atque utilioribus remediis graphice diſſerit. 467
Gratiæ referuntur. 468
Medicina hodierna Pariſienſis pro ornando Opere deſcripta, Brixiamque tranſmiſſa a viro celeberrimo Lallemant de Pierrefontaine. Jbid.
Thieullier (Ludovico Joanni) monitum, tranſlatas fuiſſe in Actis Venetis Diſſertationes ſuas, & gratulatio, eo quia ſimiliter ſenſerit, & pari paſſu iverit, dono inſuper miſſis Morborum Hiſtoriis. 87
Comiter reſpondet, & Obſervationem Medicam in Remedium Sympathicum Sudorificũ Brixiæ cudendam tranſmittit. 458
Quæ ſub titulo cuſa eſt: *Obſervation de Medecine, &c.* 459
Franciæ fontes medicati. 82
In Alvernia. 71
Francofurtum ad Mœnum. 116
Sapo ibi uſitatus pro ſolvendis lapidibus in corpore humano. Jbid.
Francofurtenſes medendi uſus a Burgravio deſcripti. Jbid.
Francorum Chirurgorum laudes. 64
Fraſcatus (Gabriel) Brixianus Scriptor 1575. 242
Freind Opera. 9
Freyenvvaldenſis fons. 438
Fromond (Andreas) in Cremonenſi urbe Medicus celeberrimus. 254

G

GAleardus (Paulus) Canonicus Brixianus laudatus. pag. 103
Galliæ in Scientiis laudes, 379, & 421
Gallicana methodus in curandis ſtrumis. 52
Galli Medici Chirurgiæ fautores. 87
Strumoſos purgant. 53
Ab Italis ſequendi non ſunt. Ibid.
Eorumdem exemplum in aquarũ mineralium, præcipue chalybeatarum adminiſtratione, quibus in morbis ſequendum ſit. 82.
Ipſorum documenta vitanda in uſu aquarum chalybeatarum. 83
Gallorum nonnulla inventa. 69 & ſeq.
Hoc eſt:
1 Turben, ſuccus liquiritiæ. 69
2 Cordier, pellis divina. Ibid.
3 Marchiante, arcanum antiſcorbuticum. Ibid.
4 Chonnet, cancros in mammis emplaſtro extirpans. Ibid.
5 Pirithous, dolores dentium acutiſſimos illico abire facit. Ibid.
6 Mutelè (dit Chevalier), opiata philoſophica. Ibid.
7 Neilſon, hernias ſanat. Ibid.
8 Arnoult, apoplexiam. 70
9 Demouret, ſcorbutum. Ibid.
10 Vivien, hæmorrhagias ſiſtit. Ibid.
11 Anel, ſuctus ſanguinis ex vulneribus. Ibid.
12 Aqua ſtyptica, de qua Mangettus. Ibid.
13 Bonettus, lythotomia. Ibid.
14 Alliot (Joannes Baptiſta), curatio cancri. Ibid.
15 Alliot (Petrus), curatio cancri ſine igne, & ferro. Ibid.
16 Helvetii nutritio per nares. Ibid.
Gallus (Antonius) Brixianus Scriptor 1565. 241
Gallutius (Joannes Paulus) Scriptor Salodienſis 1548. 299
Gangrænæ cura ab Anglis propoſita. 25
Garbelli (Aloyſii) Nobilis Brixiani epiſtola. 297
Garbellus (Philippus) Pontiſvici Abbas, Nobilis Brixianus laudatus. 292
Gaſparo Antonio nil aliud eſt, quam bezoar. 86
Genua. 344
Morborum ibi origo. Epidemia. Febris. Variolæ. Veſicantia. Aqua. Stomachica. Catharſis, & vomitus. Ibid.
Pizzorni (Petro Franciſco) dono mittuntur Morborum Hiſtoriæ, ſuadendo ut ſcribat de Genuenſi Medicina. Ibid.
Gerlach (Henricus Auguſtus) Medicus celebris Hamburgi florens. 48
Germania. 89
Ejuſdem diviſio. Ibid.
Circuli. Ibid.
Indoles populorum. Ibid.
Germani Thuringi partum mulierũ promovent myrrha, borace, croco, & oleo ſuccini. 91
Germanorum laus. 119
Giller (Petrus) Sangallenſium Archiater. 126
Ginſen. 407
Girelli (Ricciardus) Medicus Nobilis Brixianus laudatus. 390
Glandulæ noviter detectæ. 13
Glandula nova lacrymalis a Baſilenſi Profeſſore Jacobo Hardero detecta. 124
Gliſſentius (Fabius) Brix. Scr. 1600. 244
Godfrey Britannus adlaborabat pro detegendis medicatorum fontium viribus. pag. 28
Godfrey (Ambroſius) promiſit Opus, cui titulus Chymiæ curſus. 11
Gonorrhæa injectionibus non irritanda. 26
Singularis a ſubſtantia ipſius glandis exiens. 57
Gonorrhææ curatio mediis purgantibus, ſecundum Anglos, non laudatur. 146
Rationes. Ibid.
Gorter (Joannes) Profeſſor Medicinæ Amſtelodami. 99
Goslaria. 108
Bronchocele ibi frequens. Ibid.
Gratioſus (Andreas) Scriptor Salodienſis 1580. 294
Græcia. 183
Græca Medicina hiſce temporibus manca eſt. Ibid.
Antiqui ſplendoris, & gloriæ literaria hæreditas vix ſupereſt. Ibid.
Ratio. Ibid.
Græca, inquam, Medicina, quæ hiſce temporibus in uſu eſt, proſtat in epiſtola Zacyntho data clariſſimi Demetrii Kelaſà, ex Græco idiomate in Italicum verſa. 193
Græci Medicæ Artis fundatores. 183
Scytharum, Turcarumque copia anno 1300. Græcas regiones populata eſt. Ibid.
Græciæ partes. Ibid.
Græcorum mores, & uſus proſtant in Opere D. Menard. Ibid.
Groenlandi acetoſa ſcorbutum curant. 43
Cur ſcorbutici. Ibid.
Unicornu Groenlandorum alexipharmacum. 43
Grotta di San Stefano. 346
Guadaneus (Joannes Franciſcus) Medicus Brixianus laudatus. 80, 95
Guelfi (Antonius) Brixianus Abbas laudatus. 97
Guiſart Medicus Monſpellienſis de lue venerea agens. 79
Guſſagus. 287
Stephanus Gigola ejuſdem loci Medicus doctus conſilium petit pro patiente ſcorbuticis affectionibus, & maculis nigro-liveſcentibus laborante. Ibid.
Gutta ſerena, deinde cataracta in Nobili Viro. 327
Morbi eventus. 228
Animadverſio. Ibid.
Guttarii non curandi. 323
In Danicis regionibus abundant. 36
Gutturoſi in Taceno vico Vallis Saxinæ. 393
Gyllen-adran hæmorrhoides fluentes Sueci dicunt. 448

H

HAales (Stephanus) Societatis Anglicæ Membrum, quæ facienda ſint in renum calculo animadvertit. 19
Hæmicraniam curat caphè. 466
Hæmoptoes curatio. 78
Curatio a Joanne Gerardo VVagner inſtituta. 142
Hoc eſt pulveribus abſorbentibus VVedelii, & cortice Peruviano. Ibid.
Habitualis curatio ab eodem VVagner inſtituta medio pulvere cornacchini, & oxymellite ſcillitico non probatur, imo critica animadverſione refellitur. pag. 142
Rationes. Ibid.
Curatio ſecundum Gallos. 78 & 85
Animadverſio. 78
Curatio ſecundum Hungaros. 222
Hæmorrhagia narium quomodo ſiſtenda. 24
Danorum methodus. 45
Florentinorum modus. 335
Luſitanorum. 205
Suecorum. 452
Hæmorrhagiam narium ſiſtit alumen crudum. 300
Uteri cortex Peruvianus. 9
Hæmorrhoidalium dolorum curatio. 85
Secundum obſtetrices Gallicanas. Ibid.
Curatio altera. 86
Hala Magdeburgica. 118
Ibi morans celeberrimus Joannes Junckerus dono mittit Opera ſua. 119
Hannovera. 123
Ibi adeſt abundans Bibliotheca a celeberrimo Leibnitio inſtituta. Ibid.
Harlemum. 101
Hectico-gallica febris mercurio curatur. 386
Hecticorum curatio. 301
Heinſiuka Patriæ amor. 448
Heiſteri nomen illuſtre. 109
Helvetia. 124
Ejuſdem ſitus, flumina, Fœderati Socii, & Conventus Juridici. Ibid.
Helvetico-Tigurina morborum curatio. 134
Helvetiorum Medicina. 48
Res Medicæ ſcriptæ ſunt a magnis viris, nempe Geſnero, VVepffero, Scheutzer, Murayto, Derebecque, & a Luz. 129
Hepatis dolorem tollunt ruſtici Pariſienſes pulvere radicis hederæ. 85
Morbis Angli aptant emplaſtrum dialaponis. 26
Tumor, & ſuppuratio a clariſſimo Migliavacca Medico Cremonenſi refertur. 320
Herba Aparine. 345
Hermaphroditus formæ inſolitæ. 75
Herophilus ex Chalcedonia, nunc *Scutari*, a Phalaride Tyranno vivos homines e carcere obtinebat, & ſecabat. 183
Hiberniæ ſitus. 1
Ejuſdem diviſio. Ibid.
Poli gradus. Ibid.
Hippocratis ortus, familia, patria, & mors. 183
Et Galeni error circa urinæ morbos. 284
Hirci ſanguis perfectus in Valle Tellina. 74
Hiſpalis. 202
In ejus ſuburbio, Triana dicto, ſævit pleuritis, de qua ſcripſit celeberrimus Alvarez, Chacon, Didacus. Ibid.
Hiſpania. 195
Ejuſdem clima, populorum temperamenta, mores, & nonulli morbi. Ibid.
Antimonium a Medicis Hiſpanis formidatum. 199
Diploma Regiæ Matritenſis Academiæ. 472
Fernandez, Herrera, Lobera, Alcaçar, & Mercador Scriptores Hiſpani de lue venerea. 197
Hiſpani Doctis aliunde venientibus invident. 198
Frigidarum potionum amantes. 196
Medici exhibent aquilegiam pro expellendo calculo. Ibid.
Nonnulli Scriptores Hiſpani de

re

re Medica, aut Chirurgica. pag. 199
Remedia in Hiſpanicis regionibus pro morbis curandis frequentiora proſtant in Collectione medicamentorum Ludovici Oviedo, in Reformatione Alphonſi Jubera; ſed præ omnibus, in Pharmacopea nuper inſtructa, & dicata Nobiliſſimo Equiti, & Archiatro D. Joſeph Cervi. 200
Saludadores ſaliva, & halitu curare credentes. 195
Strumæ morbus endemius. 196
Quas Hiſpani *Porcellanas*, & *Lamparones* vocant. Ibid.
Hiſtoriæ Apoplecticorum Joannis Jacobi VVepferi legendæ ſunt, ad hoc, ut Juvenes apoplecticas affectiones curare ſciant. 131
Hiſtoriæ Ægrotorum a clariſſimo Formica in Polonia obſervatæ. 430
Hiſtoriæ Morborum celeberrimo Andreæ Eliæ Buchnero S. C. M. Archiatro, Comiti Palatino, S. R. I. Nobili, & Imperialis Academiæ Naturæ Curioſorum Præſidi dono miſſæ. 131
Hiſtoria Naturalis Poloniæ. 421
Holoſericum remedium antepilepticum. 24
Holſatia. 139
Ejuſdem ſitus, & confinia. Ibid.
Holſatorum Medicina. 142
Remedia. Ibid.
Hominem barometrum dicit Langius. 340
Hominum error, ſe calidos, aut calefactos ſemper credentes. 387
Horologium pulſus. 16
Hungaria. 207
Ejuſdem ſitus, & confinia Ibid.
Regio tota abundat frumento, vino, mineris, &c. Ibid.
Febris Hungarica vomitoriis, & ictu venæ curatur. 208
Lues Hungarica, cujus curatio deſcribitur a Martino Rullando. 209
Hungari abſtinent a purgantibus. 417
Hungarorum ægrotantium potus. 309
Morbus peculiaris. 211
Pulvere ex cantharidibus curatur. Ibid.
Hydatides cauſæ mortis. 283
Hydrocele, ſarcocele in provincia Narbonenſi. 78
Cauſæ. Ibid.
Hydrophobia. 57
In Etruria frequens. 331
Turbith minerale curatur. 16
Etiam ſalivatione. Ibid.
Hydropem, phthyſim, aſthma, paralyſim producunt vina Viennenſium ſulphurea. 177
Animadverſio. Ibid.
Curat carnis viperinę uſus. 300
Tollit ſpiritus tartari. 138
Hydropici caſus feliciter curati a clariſſimo Rahn Medico Tigurino. 136
Hydropis curatio ſecundum Boruſſos. 438
Secundum Tuſcos. 326
Remedium ſecundum Gallos. 85
Secundum Germano-Arnoſtadienſes. 91
Hydrops. 304, 310, & 452
Aquis mineralibus non curanda. 83
Rationes. Ibid.
Aſcitica paracenteſi curatur. 335
Laterali ſectione curata. 125
Vino ſquilla medicato curatur. 121
Animadvertendum, ut ſquilla bene preparetur. 122
Thuringi plagam in pede infligunt. 91
Hyems in Polonia. 429
Hygene ab Archiatro Regis Franciæ Chomel illuſtrata. pag. 87
Hypercatharſeos remedium. 18
Hypochondriaca affectio a Tuſcis curata. 325
A viro doctiſſimo Aloyſio Garbello deſcripta. 299
Hypochondriacæ affectionis cauſæ. 386
Curatio a Venetis propoſita. 387
Hypochondriaci, hyſtericæ aquis Burmienſibus curatæ. 159
Hypochondriacis Etruſcus medendi mos. 325
Utrum vinum adhibendum ſit. Ibid.
Hyſterica affectio. 300
Ab odoribus producta. 387
Hyſtericæ convulſiones. 303
Curantur a Florentinis. 335
Venæ ſectione curandæ non ſunt. 367
Hyſtericis affectionibus quid proſit. 4
Num in illorum curatione chalybs adhibendum ſit. Ibid.

I

JAroſlaviæ nundinæ. 414
Jaſpis fœmori alligatus hæmorragiam ſiſtit. 32
Icteri curatio ſecundum Polonos. 416
Icterum ex cholica Anglicus curandi modus. 3
Icterus. 316
Aqua Tetutiana curatus. 335
Aquis acidulis ab Hungaris curatur. 221
Si febris ſupervenit, utilis. Ibid.
Jevera Friſiorum. 143
Quotula foliis lanceolato-linearibus pinnatifidis amplexicaulibus ibi reperta. Ibid.
Ignis magicus. 448
Iliaca paſſio medio tabaci fumo a Germanis curata. 90
Cauſæ, & ſymptomata. 91
Curatio quomodo peragenda. Ibid.
Imperator Romanorum Franciſcus I. feliciter Regnans Bonarum Artium Fautor, & Patronus. 323
Impotentiæ ſtandi, & eundi cauſa. 398
Remedia. Ibid.
Incantationes non ita frequentes. 415
Indici uſus in Hiſpaniam tranſlati. 199
Indoles Anglorum. 1
Francorum. 51
Germanorum. 89
Infantum curatio. 85
Injectiones intra cavitatem pectoris. 20
In prandio, & cœna humida prius deglutienda. 54
Inſtrumentorum Chirurgicorum nomenclatura. 60
Inſulæ Orientales a Tournefortio luſtratæ. 191
Literæ inibi non nimis in cultu ſunt. Ibid.
Jordanus (Thomas) a Clauſo Burgo Profeſſor Moravienſis. 107
Ipecacuannha ab Actis Trevoux laudatur in morbis pectoris, ſtomachi, ſanguinis colliquatione, &c. 294
Dyſentericis exitialis. 374
Ejudem diverſæ ſpecies ſecundum Douglas. 21
Bigia aliis præfertur. Ibid.
Febrim curat. 334
In Dyſenteria. 7
A Florentinis. 336
In rheumaticis affectionibus. 75
Nunc Venetiis minus felix in effectibus ſuis. 389
Utrum pro curatione dyſenteriæ adhibenda ſit. 21
Iſchiadici lacte curantur. 34
Etiam aquis mineralibus. 82
Iſchiadici-rheumatici dolores. pag. 281
Iſchiadis curatio in Dalmaticis regionibus uſitata. 214
Cerniples iſchiadis curativum, quid ſit. Ibid.
Iſchuria curatur balſamo Canadenſe, & opiatis, docente Pariſienſi Schola. 466
Iſlandorum carovilla. 43
Iſtria. 345
A peſte immunis. 346
Epidemica morborum conſtitutio, quæ anno 1716. graſſata eſt. 345
Curatio. Ibid
Gaſpari (Hieronymus) illam conſtitutionem deſcribit. Ibid.
Iſtræ epidemiæ effectus, & curatio altera. Ibid.
Iſtricis lapis ex *Malaca*, & *Ceylan* provenit. 198
Italia. 225
Clima, ſitus, atque præcipua, & utiliora ejuſdem ornamenta. Ibid.
Italicæ Academiæ. 104
Iter Auctoris a Valle Tellina in Vallem Saxinam. 162
Judæorum numerus in Polonia maximus. 433
Junckerus (Joannes) Halæ Magdeburgicæ Profeſſor laudatus. 87 458
Juncturæ axungia fricatæ. 405
Jus pro pauperibus. 85
Juveneſcendi Ars. Ibid.
Juvenis accumbens ſeni utile. 3

K

KAnnegeſſerus (Henricus) ſcripſit de morbis in regione Holſatiæ anno 1740. epidemice graſſantibus. 139
Kaſanum. 407
Ibi Theophilus Schober thermas detexit. Ibid.
Kermes mineralis, utrum in inflammationibus adhibendus. 283
Keſzcoleze Hungarorum ægrotantium potus. 209
Kirck Patrick (Jacobus) Doctor Britannus anno 1743. calculo renum curatus. 19
Kœnigsfeldt (Illuſtriſſimus, atque Excellentiſſimus Comes Georgius) Protector Imperialis Germanicæ Academiæ Naturæ Curioſorum. 117

L

LAc bullitum in febribus Londini adhibetur. 4
Butyrum, thè mane jejuno ventriculo ingurgitata. 15
Num ſuſpecta. Ibid.
Quando ſumenda. Ibid.
In Valle Tellina. 161
In variolis. 6
Plebi Florentinæ non arridet. 334
Scorbutum curat. 80
Lunæ pro augendo nutricibus lacte. 139
Lactatio abſque nutrice. 58
Animadverſio. Ibid.
Matribus utilis. 350
Lactea diæta ad curandam podagram. 177
Lactis damna in puerperis. 350
Uſus in febribus ſecundum Anglos. 4
Lacuna Veneta. 381
Lætitia, mœſtitia ægritudines efficiunt. 208
Lazrima aqua medicata Cremonenſ. 322
Lalandiæ mulier quinque annis utero gerens. 43

Lamæ

Lamæ in agro Mantuano. pag. 286
Languedocia. 75
Thermæ, Ibid.
Aſſimilantur Brixianis Milzanelli. Ibid.
Lapidem Philoſophorum ſtultus qui quærit. 244
Lapides figurati a D. de Hugo Conſiliario Aulico, & Archiatro Anglicano collecti, in urbe Hannovera aſſervantur. 123
Lapides in quantitate quinque librarum excreti. 127
Lapis aquam exſudans. 242
Lapponia. 47
Lapponia Moſchovitica, ubi vermes germinare non poſſunt. 407
Lapponia, & Norvegia ſine Peſte, & febri. 43
Potius lippitudini ſubjecta. Ibid.
Atque etiam peripneumoniis, ſphacelis. Ibid.
Lapponia Svecica. 450
Aſtragalus Alpinus. Ibid.
Lapponica Flora. 445
Lateralis ſectio pro extractione lapidis ex veſica num permitti debeat. 43
Laudanum, & corticem Peruvianum Angli una adhibent. 32
Lavizarius (Canonicus Petrus Angelus) in Valle Tellina laudatus. 74, 148, 150, 155, & 159
Idem Lavizarius ab Auctore admonitus, & rogatus, ut Rhætis, & Helveticis Sapientibus notum faceret tentamen ſcribendi. 80
Laus Pariſienſium Chirurgorum. 54
Lemos (Ludovicus) ſcripſit de Luſitana Medicina. 198
Leonatus. 288
Petrus de Magiſtra verus Hippocratis Aſſecla loquitur de doloribus pleuriticis deſcendentibus, & quid profuerit, aperte docet in Epiſtola. Ibid.
Lepræ curatio apud Suecos. 451
Leucenſes Thermæ adeo calidæ, ut ova elixentur. 137
Leuci Territorii in agro Mediolanenſi aer. 350
Leuci Territorium. 356
Clima, & aeris conſtitutio a propinquis montibus, & lacu pendens. Ibid.
Aquæ, vinum. 357
Camphora pro curando delirio. 357
Cholici dolores, & pleuritides. Ibid.
Conſtitutio Epidemica. 1744, & Remedia. Ibid.
In Vico Piſcarenici facilius convaleſcunt. Ibid.
Mercurius dulcis pro expellendis calculis. 358
Librorum ſelectus, 67
Lien monſtruoſus, & auctus. 12
Lienteriam ſpecificum curans. 206
Limonus. 233
Elapſa Epidemia ibi graſſata non eſt. Ibid.
Rationes. Ibid.
Lippitudo ophthalmica. 43
Lipſia. 144
Morem gerit Auctor Præſtantiſſimo Friderico Ottoni Menckenio, eo quia in Actis Lipſienſibus bene ſenſerit de Hiſtoriis Morborum in lucem editis. Ibid.
Ejuſdem Menckenii Reſponſio. 470
Lipſienſes in Actis ſuis mentionem fecerunt Hiſtoriarum Morborum. 127
Literati Cremonenſes in Medicina. pag. 478
Lithontripticum Ratisbonenſium. 97
Eſt Botrix Mexicana. Ibid.
Lithotomia. 16
Lituania. 425
Dens aureus in ore pueri. Ibid.
Litus mercurialis a Cantuel Medico Gallo propoſitus. 81
Liviacum. 346
Gianella (Carolus) exhibuit Medicinæ Specimen 1732. Venetiis cuſum. Ibid.
Livonia. 407
Lumbrici lati, & longi morbus endemicus in Livoniæ Ducatu, Moſchoviticæ Monarchiæ nunc ſubdito. Ibid.
Livonia. 450
Praxis adminiſtrata fuit a Nicolao Vitte a Lilienavv. Ibid.
Satyri. Ibid.
Locatelli balſamum. 14
Loeber Anglus proponit frequentem ſanguinis miſſionem in Variolis. 7
Londinenſe monitum. 24
Londinenſis Medicina graphice deſcripta a Viro Celeberrimo Joanne Chriſtophoro Rieger. 29
Londini utuntur theriaca pro ſudorifero. 3
Loob legendus circa curationem Variolarum. 7
Loob (Theophilus) Anglus, opere Pariſiis recuſo modum docet ſolvendi calculos veſicæ. 19
Looch de Caulibus confert aſthmati, tuſſi, &c. 139
Lotharingia. 75
Ibi frequentes Apoplexiæ. 76
Cauſæ. Ibid.
Lotii qualitatibus non eſt fidendum, 50
Lovanium. 98
Lubeca, ad Dravam fluvium deſcribitur. 142
Curatio hæmoptoes, Ibid.
Lucerna. 126
Epidemica lues ibi graſſata anno 1709. Ibid.
Lugdunum. 75
Lumbago. 398
Lumbrici. 286
In Gallia abundant. 71
Cauſæ. Ibid.
Quomodo necandi. 18
Luna apoplexiam producit. 132
Luſatia. 144
Bilis cauſa mortis in muliere. Ibid.
Quid agere debeant Medici, Joannes Carolus Acoluthus Medicinæ Profeſſor Celeberrimus docet. Ibid.
Luſatia Superior. 145
Uſus Medici proſtabunt in Catalogo Medicamentorum producto a Joanne Budnero. Ibid.
Lyceum Danicum incendio corruptum. 33
Lypiria. 317
Morbus endemius in Mantuano ſolo. 347

M

Macer, & exſuccus vir feliciter curatus. 377
Magati methodus circa intruſionem turundarum adhuc certa non eſt. 67
Magia. 69
Magnates medicandi ſunt, ut pauperes. 3
Magneſiæ albæ vis. 477
Mahumetana gens interdictum vinum bibit. pag. 187
Malacrida (Jacobi) in Menatio ad larii lacus riperiam Viri olim celeberrimi manuſcriptum circa aquas S. Mauritii exiſtit Brixiæ apud Auctorem. 151
Malpaga in Agro Bergomate. 231
Ejuſdem oppidi deſcriptio. 232
Malpighii adagium omnes morbos a pulmonibus pendere. 476
Mammarum Tumores. 321
Manetius (Franciſcus Xav:) Rei herbariæ in urbe Florentia peritiſſimus. 336
Maniacis utrum terebellum infigendum ſit. 55
Maniacorum Anglicana inquiſitio facienda. Ibid.
Cadavera. 459
Curatio damnanda. 6
Maniæ curatio ſecundum Gallos, 55
Opii uſus. Ibid.
Animadverſiones. Ibid.
Manlius Profeſſor Colonienſis. 111
Mantua. 346
Clariſſimus Vir Joſeph Pichi humilem illius loci ſitum deſcribit, necnon paluſtres herbas, ſtagnantes aquas, inſectorum catervas, & multa alia, quibus aer inquinatur, & ob quæ homines frequenter laborant. 347
Loquitur inſuper de febribus, de cortice febrifugo, emeticis, ipecacuanna, martialibus, &c. Ibid.
Lypiria ibi morbus endemius. Ibid.
In Cœnobiis diu vivitur. Ibid.
Manzoni (Joannes Maria) & Michael Angelus Vallis Saxinę Anzianus, totiuſque circumſtantis Provinciæ Syndicus meritiſſimus. 162
Maraſmus. 435
Marenda (Joannes Petrus) Scriptor Brixianus 1747. 240
Marienvverder. 443
Aquæ Ottalvienſes hyemali glacie nunquam dureſcunt. Ibid.
Obſtructiones tollunt. Ibid.
Marinonio (Joanni Jacobo) Reg: Conſiliario, gratulatio ob mutuam in Bononienſis Inſtituti Academia Societatem, dono miſſo volumine Hiſtorias Morborum continente. 179
Martianus Mons. 73
Ibi ſpina ventoſa dominatur. Ibid.
Martin Britannus ſcripſit de febris utilitate. 20
Martinenghi, Vici Bergomatis floret Doctus Vir Joſeph Antonius Algiſius. 232
Martinenghus (Celſus) Brixianus Scriptor 1584. 244
Maſini Thermales aquæ, de quibus Scripſit Joſeph Maria Quadrius. 163
Earumdem aquarum partes conſtitutivæ. Ibid.
Maſſilia. 76
Ibi Donatus de Surian inſignis Botanicus. 77
Morbidæ urethræ vitia cujuſdam Nobilis viri nota fiunt D. Daran, ut arcanam ſuam medendi methodum aut Brixiam mittat, aut moneat. 76
Reſpondet Daran, ſed dicit, Remedium a propriis tantummodo manibus adminiſtratum eſſe profuturum. 77
Materia perlata Luſitanorum. 205
Matheſim callere Chirurgus debet. 60
Matricis morborum curatio. 45

Matritum. pag. 203
Celeberrimus vir Marſilius Ventura excitatur, ut notam faciat Medicinam in Hiſpanicis regionibus nunc uſitatam. Ibid.
Proſtat graphice deſcripta in reſponſo. Ibid.
Deſcriptio vomitus materiæ nigræ in Caſtellæ Regno frequentis facta a clariſſimo viro Joſeph Caſoni 470
Symptomata morbum concomitantia, & curatio. 471
Mayersback (Joannis Ignatii) S.R.M. Conſiliarii, &c. Critica in Auctorem. 102
Auctoris reſponſio. Ibid.
Ejuſdem Mayersback palinodia, & excuſationes. 105
Mazini (Joannis Baptiſtæ) Brixiani Profeſſoris Patavini vita. 247
Ejuſdem opera. Ibid.
Idem laudatur. 285
Mazzoleni (Albertus) Ordinis Benedictino-Caſſinenſis, & Scriptor celeberrimus laudatus. 184
Mazzuchellus (Comes Joannes Maria) Nobilis Brixianus laudatus. 60, & 103
Mechanicæ Chirurgorum adminiſtrationes. 50
Mechanica morborum origo in agricolis. 282
Mechanice ſua habet fata. 60
Eſt ornamentum in Medico. Ibid.
In Praxi parum utilis. Ibid.
Mazini auctoritate, dubia eſt, & manca. Ibid.
Meconium quid ſit. 186
Ab Anglis adhibetur in inflammationibus, igne ſacro, tuſſi, catarrho. Ibid.
Medendi methodus in Brunſvvicenſi Ducatu, Goſlaria præcipue. 109
In Luſitania. 205
In Valle Tellina, & quæ circa eamdem cogitari poſſint. 161
Et nonnulli uſus in Suecia. 448
Medicamenta in Brixianis Officinis correcta, & emendata. 301
Spirituoſa ſemper ſuſpecta. 223
Præſertim in febribus. Ibid.
Medicatus fons in urbe Borbonio. 73
Medici Byzantini raro divites. 184
Britanni multa remedia ægrotantibus præſcribunt. 13
Celebres Britanni. 2
Dani. 33
Celebres elapſis non ita pridem temporibus Viennæ florentes. 176
Sueci. 446
Galli amici mercurii ſunt. 82
In Byzantina urbe commorantes. 185
Itali remediorum inventores. 225
Nonnulli celebres nunc Lutetiæ Pariſiorum florentes. 469
Medicinæ impotentia in enecandis vermibus. 208
Et incertitudo. 62
Medicina Helvetica. 138
Hungarica, tota quanta eſt, proſtat in operibus Tobiæ Coberi, Luberti Erbenii, &c. 224
Medicorum Brixienſium laus. 308
Medicorum conditio. 90
Medicus Chirurgiæ cauſam agens. 59
Status quæſtionum proponitur. Ibid.
Chriſtianus ſilere non debet, quæ profutura ſunt. 292
Deberet eſſe etiam Chirurgus. 66
Londini adægrotum accitus, quid agat? 29
Supra Chirurgiam dominatum affectare non debet. 62
Mediolanum. 347

Aeris Mediolanenſis natura, & conſtitutio. pag. 355
Animadverſio circa purgantia, & cetera remedia in aere Mediolanenſi. 349
Aqua ſtibina quos morbos curare poſſit. Ibid.
Chinachina utrum adminiſtranda ſit. Ibid.
De Medicinæ ortu, & progreſſu. 347
In lue venerea quid agendum. 349
Matronæ lactare deberent filios ſuos. 350
Cur non lactent. Ibid.
Mediolanenſes quomodo curandi. 348
Præſens medendi methodus Medicorum Mediolanenſium. 347
Pro tuenda valetudine Conſiliũ. 349
Megalopolis. 145
Melancholicorum pulſus. 17
Ejuſdem vibrationes. Ibid.
Melos Inſula a Tournefortio viſa, ubi Sacerdos exorciſmis mulierem morboſis affectionibus male mulctatam impugnabat. 191
Memoria læſa apoplexiæ nuncia. 323
Menſium fluxus curatio ſecundum Polonos. 420
Menſtrua promovere. 9
Siſtere. Ibid.
Menſtruationes mulierũ ipecacuanha excitat. 294
Mercuriales homines. 22
Mercurialis ſalivatio promoveri poteſt in puellis. 38
Mercurii potentia. 323
Tyrones ante mercurii adminiſtrationem videant Diſſertationem doctiſſimi Bertini *De Uſu interno, & externo Hydrargyri*. 334
Mercurius cancrum non curat. 21
Carpis admotus mortem intulit. 50
Crudus exul a Britannis. 29
In febricitantibus adhibitus. 369
In eo lumbricus ad plures dies innatat. 58
Olim Venetiis potatus, nunc derelictus. 386
Vid. in hanc rem Epiſtola noſtra. 231
Dulcis a celeberrimo Junckero adhibitus. 443
Et Antimonium in plumbo latent. 165
In cutis morbis. 228
Infuſus in venam jugularem bovis epidemica lue tacti. 255
In Norvegia abundat. 43
In ſanguinem hominis viventis adactus, quid agat. 11
In tubo Torricelliano. 285
Menſes promovet. 9
Pro curatione dyſenteriæ in Italicis regionibus non nimis adhibetur. 22
Pro curatione ſpinæ ventoſæ adhibitus. 38
Quinam pro curatione luis venereæ a Medicis Venetis adhibeatur. 386
Utrum curare poſſit febres malignas contagioſas. 368
Methodus Hiſpana pro curatione luis venereæ, etiam in Italia ſequenda, & laudanda. 197
Monſpellienſis curandi luem veneream. 79
Damnant litus mercuriales. Ibid.
Paſſirana curandi morbos Piſcherienſium. 394
Michaelius (Petrus Antonius) Florentinus Societatem Botanicam inſtituit. 336
Mictus cruentus in ingreſſu febris. 246

Miliaris febris, aſtuta dicta, centum abhinc annis ſævire incepit. p. 96
Nova febris, quæ Bavariæ Alpes vexavit. 95
Millefolium Alpinum in ſpaſmodicis affectibus. 157
Millingen Scotus. 11
Milzanelli in agro Brix. aquæ. 11, 82
Minæ Hippocratis interdum inanes. 215
Minerales aquas bibendi tempora. 83
Miracula ſeptem in Delphinatu. 74
Mictio extraneorum corporum. 20
Moffadenſes aquæ in Britannia. 11
Moguntia, & VVeſtphalia. 145
Mola Virginum. 111
Moles ampla abdominis Baſileæ viſa. 124
Ejuſdem origo, & cauſæ. Ibid.
Molina (Jacobus Antonius) Medicus Mediolanenſis laudatus. 350
Molinelli (Petrus Paulus) Bononię Anatomes Profeſſor celeberr. 239
Monialium morbi, & curatio. 302
Sacrarum Virginum cauſam agit celeberrimus Valcarenghi. 319
Monitum ad Artis Medicæ, & Chirurgicæ Tyrones. 67
Mons altiſſimus ignivomus in Iſlandia, Hekla dictus. 115
Mons ignivomus. 361
Mons Peſſulanus. 78
Hæmophtoe. Ibid.
Queye (Hieronymus) inquirit in ſyncopis cauſas, & nocendi modum. 79
Vulneribus capitis medendi modus. Ibid
Monſtruoſum animal e ſtomacho rejectum. 18
Monſtrum humanum biceps. 404
Montium habitatores phthyſici. 266
Morandus S. Coſimi Chirurgus Gallus agit de ſectione laterali pro extractione lapidis e veſica. 13
Moravia. 107
Lues nova ibi exorta. Ibid.
Morbi ab hepate obſtructo in urbe Moſchua frequentes. 412
Acuti ex lacte felix curatio in Nobili puerpera. 351
Anglici. 14
Aquis curandi. 10
Curantur non cognita cauſa. 262
Demoniaci in Poloniæ Regno. 415
Endemii in Suecia, Stockolmia ſcilicet, Angermania, Finlandia, &c. 447
Ex pavimento lapideo. 451
Expectando curati. 16
Frequentes in Ducatu Brunſvvicenſi. 109
Eorumdem curatio. Ibid.
Frequentes in Gallia. 70
In Boruſſicis regionibus. 439
In Noſocomio Brixiano frequentes. 266
Et curationum modus. Ibid.
In Polonia frequentiores. 414
In Pruſſia. 437
In ſolidis. 226
Frequentiores quam quis credere poſſit. 227
In oris ſeptentrionalibus. 455
In urbe Pariſiorum, & eorum curatio ſcripta a Facultatis Medicæ Regente. 466
Paucis remediis tractandi, ſecundum Joannis Baptiſtæ Simoni Medici Burmienſis celeberrimi documentum. 156
Peculiares antiquitus ſuos habebant peculiares Medicos. 55
Morbi Relatio hiſtorica in Nobili Brixianæ Cathedralis Canonico. 80
Reſponſio ex Pariſiorum urbe. Ibid.
Obſervationes in idem Reſponſum. 81

Mor-

Morbis acutis Sueci acida aptant. 448
Morborum brevis ordo, & numerus ſecundum Drumond Britannum. 23
Curationes per tranſpirationem ſecundum Gallos. 68
Curatio per ignem, & aquam frigidam eodem momento a Moſchis pertentata. 404
Gradus, & tempora Berolini obſervata. 438
In Gallia cauſæ ab Hoffmanno deſcriptæ. 70
Nomenclatura, illorum ſcilicet, qui aquis mineralibus curari poſſunt. 83
Rebellium blanda, & brevis curatio. 478
Morbus gravis in Nobili puerpera, quia ubera ſua filiolæ non porrexit. 350
In Hollandia frequens. 101
Id eſt lumbrici lati. Ibid.
Ratio a Baglivo producitur. Ibid.
In Valachia endemius, & frequens, ſcorbutus mediterraneus dictus. 224
Per Brixianum agrum graſſatus. 397
Curatio. Ibid.
Per Germaniam, Viennamque præcipue in plebem obvius graphice deſcribitur a præſtantiſſimo viro Philippo de Violante Archiatro Regis Poloniæ. 178
Morgagnius (Joannes Baptiſta) laudatus. 57, & 64
Morlachia pars ſeptentrionalis Dalmatiæ, ubi peculiaris morbus, vermes intercutanei. Vid. Iſtria. 213
Mororum ſuccus a Danis adhibitus in ſcorbuticis, & ad ſitim fallendam, 44
Morphæa nigra. 300
Mors ex helleboro albo. 439
Morton laudatus. 9
Moſchati (Bernardinus) ex Florentina Academia profectus, & in Majori Mediolanenſi Xenodochio Chirurgicæ Artis Magiſter laudatus. 352
Moſchovia. 401
Ejuſdem ſitus, clima, diviſio, &c. Ibid.
Meridionales partes magis cultæ. Ibid.
Prope Poloniam vites abundant. Ibid.
Populorum origo. Ibid.
Aſiatici fuere. Ibid.
Latitudo ſeptentrionalis. Ibid.
Abundant grana, & animalia ſylvatica. Ibid.
Gentium indoles. Ibid.
Scientiarum primordia, & Medicinæ etiam incrementa. 402
Cibus, & potus. Ibid.
Gerontocomia, Xenodochia. 403
Anatomes. Ibid.
Plantæ. 404
Domus ligneæ. 406
Moſchuenſe Archilyceum. 402
Profeſſores præcipui. Ibid.
Joannes Chriſtophorus Rieger admonetur, quæſita Opera miſſa jam fuiſſe, atque urgetur, ut aliquid reſcribat circa Praxim Moſchuenſem, & Petropolitanam. 410
Annuit, & refert, corpora Ruſſorum durata eſſe a cœlo, victus genere, &c. 411
Loquitur de aere, de laconicis, flagellis, & reliquis ad rem Medicam facientibus. Ibid.
Motus diverſi promovendi non ſunt. 6
Muliebres, & viriles morbi differunt quoad curationem. 185
Mulier a flammis aſſa. 447
Et in fontanam demerſa perit. p. 447
Mulieres in Hiſpania de Phyſica optime meritæ. 196
Mulier multis menſibus jejuna. 125
Mulierum morbis Germanorum medendi mos. 94
Sterilitas Balneis Burmienſibus ſublata. 159
Mundella (Aloyſius) Brix. Scriptor 1543. 240
Mundus vult decipi. 171
Muſcæ venenoſæ. 422

N

NAnnoni (Angelus) in Regio Noſocomio S.M. Novæ Chirurgiæ Magiſter laudatus. 324, 338
Narbonenſis Provincia. 77
Colpi di vento. Ibid.
Bouillet de illis loquitur. 78
Clima ab Hoffmanno relatum. Ibid.
Narcotica, & cortex Peruvianus purgantibus mixta. 58
Narium hæmorrhagia, ob quam quinque ſupra ſeptuaginta ſanguinis pondo exiere. 246
Narva. 450
Vulnera difficilis ſanationis. Ibid.
Narvhal dens eſt balenæ pro temperando in febribus calore. 43
Naſi amiſſio ex frigore. 447
Animadverſio. Ibid.
Naſſovia. 148
Pleuriticus morbus a Daniele VVilhelmo Trillero Archiatro ad examen redactus. Ibid.
Natura interdum remedia reſpuit. 298
Optima morborum medicatrix. 156
Paucis contenta. 170
Neapolis. 358
Animadverſiones in aquæ frigidæ potum a nonnullis Medicis propoſitum. 360
Aquæ calidæ, Ibid.
De morborum curatione per aquas gelu concretas. 358
Remedium extremum. 360
Creſcit periculum, ſi ſine cibo. Ibid.
Ratio cur uſus in alienas regiones transferendus non ſit. 361
Serao (Franciſco) viro celeberrimo Auctor ſcribit, rogans, ut aliquid moneat circa præſentem inter Neapolitanos Medicinæ, & Medicorum ſtatum. Ibid.
Comiter Seraus reſpondet, & multa ad rem Medicam facientia graphice deſcribit. 362
Ranæ enixæ. 363
Neapolitanorum Medicina. 38
Neogradienſis Comitatus. 216
Ibi morans Joannes Daniel de Perlici docta epiſtola notum facit Auctori conſilium ſcribendi de climate Hungarico, multiſque aliis rebus ad Medicinam pertinentibus. Ibid.
Nephriticos dolores daucus, ejuſque ſemen tollit. 26
Nerinius (Felix) Mediolanenſis S. Hieronymi Abbas laudatus. 329
Nervorum affectibus in Holſatia medentur tinctura antimonii. 143
Nichous (Franciſcus) Oxonienſis laudatus. 18
Nicolini (Franciſcus) Medicus Brixianus laudatus. 289
Nicotianæ vires. 90
Niger color fere ſemper ex bile. 92
Nix, & aqua nivoſa proſcribenda. 359
Rationes. Ibid.
Damna. 360
Nobilium hominum dotes. 121
Nord-VVeſt. 448
Norimberga pag. 148
Treſſ (Chriſtophorus Jacobus) ſcripſit de antipathia, & pica mulierum. Ibid.
Sanguis per menſtruum ſudorem exiens e pedibus. 149
Norvegiæ morbi. 455
Et præſertim ſcorbutus. Ibid.
Nova methodus curandi tertianam. 449
Nutrices Spartanæ, hoc eſt populorum Lacedæmoniorum, faſciis non arctabant filios. 192
Nutricum vitia, & damna. 58

O

OBſtructiones abdominis Hungari martialibus tollunt. 222
Curantur ab aquis Ottalvienſibus in Pruſſia. 443
Sapo tollit interne ſumptus. 117
Tollunt thermæ Burmienſes. 159
Obſtructionum curatio ſecundum Venetos. 389
Ochi (Hieronymus) Scriptor Brixianus 1650. 245
Oculorum morbi in cryſtallino humore ſuam ſedem habentes. 13
Morbos tollere. 307
Olaus Norvegiæ Rex propriis manibus colli apoſtema ſecavit. 68
Oldfieldenſes aquæ in Britannia purgantes. 10
Olivarum oleum viperarum morſus curativum. 16
Olonicenſis Diſtrictus. 408
Acidulæ inter lacus Ladoga, & Onega ſcaturiunt. Ibid.
Brixianis ſimiles in Valle Camunorum. Ibid.
Ferreæ, & vitriolicæ. Ibid.
Omiſſio minor error, quam commiſſio in Medicina. 16
Opera Anglorum, ubi fuſe deſcribuntur remedia illis in regionibus adhibita. 32
Ophthalmia a Boruſſis Medicis curatur planta echio. 438
Ophthalmiæ cura ſecundum Danos. 44
Secundum Polonos. 416
Ophthalmiam curat aqua hirundinū. 138
Polona curandi methodus. 416
Animadverſio. Ibid.
Ophthalmia nive curata. 342
Quomodo curetur ſecundum Scotos. 24
Animadverſio. Ibid.
Setaceo curatur a Colonienſi Profeſſore. 111
Opiata Brixiæ adhibenda non ſunt. 6
Opiatæ quantitas in urbe Confluentiæ exhibita. 168
Opiatorum utilitas in Anglia, & in ipſo febrium initio. Ibid.
Opii quantitas ſumpta. 20
Mediolani. 119
Pariſiis quoque. 458
Uncia ſs. unica vice a Lipſienſibus Medicis exhibita. 119
Opium Turcis familiare. 186
Quid ſit. Ibid.
Stupefactivum, & narcoſim inducens. Ibid.
In officinis adulteratum. Ibid.
In eo latent vires volatiles, alkalinæ, ſalinæ, &c. Ibid.
Ægrotantes novam opii præſcriptionem ſumere denegant. Ibid.
Drachma integra aſſumitur pro vice. Ibid.
Mentem ſerenare dicunt. Ibid.
Animadverſiones duæ circa Conſtantinopolitanum uſum opii. 187
Opus Medicum promiſſum. 79

Oret piſcis Finlandorum cibus. pag. 44
Organicorum morborum origo. 67
Oſſa perquam caute cauſticis, & igne tangenda ſunt. 40
Oſſium luxatio, & fracturæ male coaptatæ. 66
Ova adhibenda. 190
A Florentinis proſcripta. 333
Proſcribenda. 190
Ovelgun (Rudigero Friderico) Auctor dono exhibet Opera Venetiis proſtantia. 148
Ovorum qualitas, quidque boni, vel mali ab eorumdem exhibitione ſperandum ſit. 190

P

PAdoano (Comes Bartholomæus) Scriptor Brixianus 1607. 244
Pallavicinus (Abbas Prænobilis) affectione hypochondriaca in Valle Tellina laborans. 162
Pallavicinus (Petrus Paulus) ſcripſit de thermis Burmienſibus. 155
Abſurda ſomniavit. 158
Panis Moſchorum. 403
Quadraginta annorum. 43
Panormus. 376
Ibi Joſeph Ruſſo explicavit utilitates ab uſu ſanguinis, carnis, & hepatis hirci productas. Jbid.
Serius (Franciſcus) in Medicina floruit. 377
Remedia. Jbid.
Papia. 363
Viro clariſſimo Carolo Mazzuchelli rationes redduntur circa curationem Prænobilis Matronæ. Jbid.
Statuendo, os tibiæ non eſſe tangendum. Jbid.
Supradictam propoſitionem idē Mazzuchellus affirmat, & Ticinenſem Medicinam Mediolanenſi ſimilem dicit. 364
Paracenteſis in hydropicis, ubi facienda. 23
Animadvertenda. Jbid.
Paralyſim curantia remedia. 45
VVeſtphalicus curandi modus. 146
Multa in proceſſu curationis memoratu digna. Jbid.
Paralyſis. 305, & 415
ex qua parte ſanguis mittendus. Jbid.
Deinde gangræna ex frigore. 24
Mercurialia, & martialia in ejuſdem curatione. Jbid.
Parenti (Paulus Andreas) vir doctus, & Medicus in Xenodochio Bononienſi S. M. *della Vita*. 239
Pareyra brava, quos morbos curare poſſit. 86
Pariſiorum Lutetia. 80
Relatio morbi hiſtorica Pariſiorū Lutetiam transmiſſa. Jbid.
Reſponſum Pariſiis 23. Julii datum a D. Cantuell. Jbid.
In Gallicanam ſupradictam Conſultationem Obſervationes duæ. 81
Paronychia folio rutaceo epilepticos paroxyſmos retardat, & mitiores reddit. 157
Parotides non reſolvendæ. 419
Partum promoventia ſecundum Germanos. 91
Paſſy. 82
Aquæ minerales ibi detectæ a D. Moulin de Marguery. Jbid.
Patavium. 365
Celeberrimum Julium Pontedera Auctor rogat, ut circa plantam in agro Brixiano repertam opinionem ſuam aperire dignetur. Jbid.
Favet docte, & comiter; ſed urget, ut novæ diligentiæ circa ignotam ſtirpem in uſum ponantur. pag. 365
Patavina Medicina apprime illuſtratur a Publico Profeſſore præſtantiſſimo Bartholomæo Lavagnoli, & inter exarata ſplendet, & eminet Tractatus circa ſanguinis miſſionem in mulieribus hyſtericis. 366
Optandum, ut ejuſdem Lavagnoli lucem videat Opus *De Remediorum viribus commentitiis*. 368
Paternus (Bernardinus) Salodienſis Scriptor. 294
Patingulæ, Maguzanum. Jbid.
Ibi vina ſulphurea, ob quæ neceſſitas ſecandi venam, docente Chriſtophoro Amiſtani. Jbid.
Vino Santo ex Maguzano. 295
Patinus (Benedictus) Scriptor Brixianus 1572. 241
Patriæ amor remotos vexat. 135
Ejuſdem curatio. Jbid
Pectoris morbos venarum ictu Galli curant. 75
Morbos curant flores violarum Alpinarum. 157
Pediluvium in podagra. 195
Rationes, quæ illud laudatum, aut ſuſpectum reddunt. Jbid.
Pedrati (Ignatii) Medici Cremonenſis celeberrimi opinio circa chinamchinam purgantibus non miſcendam. 321
Pemphinx morbus cutaneus in Hungaria. 125
Cujus quidditativum eſt, ut puſtulæ fere in univerſa cute extollantur. 220
Bernæ in Helvetia etiam viſus. Jbid.
Num ſecandus. Jbid.
Rationes affirmativæ, & negativæ. Jbid.
Pericarpia carpis manuum ab Anglis admota. 31
Perniones Anglicus curandi mos. 26
Perſicaria maculata tollit cutis morbos. 228
Peruſia. 338
De balneo Montiſalti, & aquis Sancti Galgani. Jbid.
Circa eas notanda. 339
Peruvianus cortex ab Auguſtanis adhibitus. 94
Peſtilentia inquilina. 375
Peſtilentis morbi effectus in Gallia obſervati. 72
Peſtis anni 1738. & Moſchuenſium Medicorum methodus medendi. 410
Hoc eſt Ipecacuanha, vitriolo, & diaphoreticis. Jbid.
Peſtis Byzantina. 185
Character difficulter explicatur. Jbid.
Cur late graſſetur. Jbid.
Ex ſaccata cannabe Ægypto Byzantium advecta producitur. Jbid.
Cauſæ. 420
Curandæ conſilium Gieſſe produxit Joannes a Gieſſen Eques Hungarus. 211
Hamburgi graſſata. 49
Haphnienſis. 453
Num animata ab inſectis. 261
Polonica. 420
Cauſa a Bonſilio propoſita. Jbid.
Obſervatio. Jbid.
Alkalicorum fixorum, & volatilium damna. Jbid.
Animadverſio. Jbid.
Elyxir antipeſtilentiale. Jbid.
Potus ordinarius in peſte. Jbid.
Remedium externum. Jbid.
Theriaca. pag. 420
Vomitorium. Jbid.
Suecica anni 1700. 447
Remedium Suecorum in peſte. Jbid.
Petri Magni Albæ Ruſſiæ Imperatoris glorioſa facinora. 402
Petropolis. 408
Bibliotheca, & hortus vernaculis, & exteris plantis inſtructus. Jbid.
Nulla vis in plantis. Jbid.
Eſſentia amara. 409
Petroſelinum num abortum producat. 35
Animadverſiones. Jbid.
Pharmacopolium unicum Regio privilegio munitum, & pendens ex juſſibus præſtantiſſimi Joannis Caroli Acoluthi in urbe Zittavia. 144
Phellandrologia Ernſtingii. 107
Difficultates in adhibendo phellandrio. Jbid.
Phœnomenon anno 1743. in Regno Neapolitano viſum. 115
Phthyſes ſcrophuloſæ. 286
Phthyſis. 9
Phthyſim Angli guaiaco curant. 26
Picardia. 84
Pictavium urbs in Gallia ſuam habet Academiam. 72
Pictones populi in Gallia ſubjecti ſunt dolori cholico. Jbid.
Symptomata. Jbid.
Pigatti (Joannes Maria) Medicus Vicentinus laudatus. 238
Piloti (Joſeph) laudatus. 284
Piſcationum in Polonia modus. 429
Piſcelei aqua utilis, & a Londinenſibus adhibita. 30
Miracula præſtat in anhelatione. Jbid.
Piſces carnibus non miſcendi. 34
Piſcheria. 393
De ſitu, aquis, ventis, & morbis ſævientibus rationem reddit clariſſimus Franciſcus Paſſiranus, & utiliora remedia in illo climate deſcribit. Jbid.
In Reſponſione nodus ſolvitur, num morbus dici mereatur ſcorbuticus; deinde tanguntur cauſæ illæ, quæ Piſcherienſes ægritudines efficere poſſunt. 396
Pius (Petrus) Brix. Scriptor 1660. 245
Placentæ Norvegicæ. 43
Planci (Joannes) in Senenſi urbe Publicus Anatomiæ Profeſſor privatis literis notos fecit Auctori morbos in urbe Arimino frequentiores. 226
Plantæ a Danis adhibitæ. 36
Brunſvvicenſes. 110
Exoticæ magnis impenſis ab Oriente, Africa, & Europa Florentiam, & Piſas delatæ, & abunde vegetantes. 336
In agro Veronenſi. 392
In Hollandia vegetantes, deſcriptæ a F. Commellino Senatore Amſtelodamenſi. 101
In Hungarico ſolo provenientes. 208
In Imperio Rutheno. 404
Exiguam, aut nullam habent vim. 408
Rationes, & quæ in id cogitari poſſint. Jbid.
Medicinales abundant in provincia Boſſinæ. 474
Prope oppidum Urceorum Novorum florentes. 296
Plantarum in agro Brixiano florentium ſitus, & vires. 268
Quia vero alphabetico ordine jam diſtributæ ſunt, nomenclat ura hic tædioſe non repetitur. Jbid.
Vires non veræ. 143
De illis Scriptores retractare

deberent mendacia ſua. pag. 143
Rationes per experimenta producta. Ibid.
Pleura tumida. 289
Pleuritico affectui Naſſovico-Germanus Trilleri medendi mos. 148
Pleuritides, & peripneumonias juvant pilulæ Morton, & rotulæ Guadanei. 266
In vere. 296
Verminoſæ. 342
Pleuritidis curatio ſecundum Anglos. 7
Quæ conſideranda circa illius curationem. Ibid.
Sputa promovenda. Ibid.
Animadvertenda circa curationem. 8
Quid proſit. Ibid.
Curatio ſecundum Scotos. 22
Veſicatorium ſupra partem affectam. Ibid.
Cura ſecundum Boyle. 25
Rationes ob quas ſputa promovenda ſunt. 28
Curatio ſecundum Gallos. 73
Secundum Polonos. 435
Secundum Suecos. 448
Decoctum thè, & ſennæ a Suecis laudatum. Ibid.
Secundum Tigurinos. 135
Secundum Turcas in provincia Boſſinæ. 473
Pleuritidum cura Petri de Magiſtra. 288
Vena ſecanda eſt. 289
Sanguinis miſſio rejecta. Ibid.
Secundum Stephanum Callegari. 283
Pleuritis 309, 415, 448, & 476
Paracenteſi curata. 300
Plica Polonica. 417
De qua Erndtelii opinio. 418
Formicæ. 431
Lopachi. 424
Per contagium ſuſcepta. 431
Plicæ remedia. 418, & 419
Transplantatio. 418
Diviſio. Ibid.
Plicam Poloni negligunt, ut augeatur. Ibid.
Plumbata ad annos intra corpus humanum ſubſiſtens. 19
Plumbei globi allio tincti, num venefici. 450
Plummer Scotus. 11
Podagra morbus in Dania rarus. 36
Podagram curat abſtinentia a carnibus. 135
Podagrici dolores in Philippo II. Hiſpaniarum Rege pediluvio fugati. 195
Et nephritici a potu aquæ tophaceæ, & vini tartarei. 135
Non curandi. 323
Remedia ſeligenda. 245
Vitanda. Ibid.
Præſervatio a podagra ſecundum Sacchetti mentem. 246
Primum remedium.
Secundum.
Tertium. Omnia Ibid.
Polonia. 413
Situs, &c Ibid.
Clima ſalubre. 424
Palatinatus, & Caſtellaniæ. 413
Sylvæ, animalia, mineræ abundant. Ibid.
Nonnulli Medici celebres. Ibid.
Potus, lac, vinum. 414
Præmittenda, ut lumen a Polonica Medicina erui poſſit. Ibid.
Juventus quotannis ad Patavinum Archilyceum accedit. 421
Polypi, & ſcirrhi undique fiunt. 111
Pondus aquarum fabuloſus. 75
Pons Arlius. 84
Pons Vicus in agro Brixiano. 290
Regionis ſitus, aer, aquæ, venti deſcribuntur a viro clariſſimo Julio Cicognino; proindeque diſſerit de ægritudinibus, una cum magis aptatis remediis. pag. 290
Pontedera (Julius) Publicus Patavinus Profeſſor. 143
Pontificia verba Gregorii XV. & Urbani VIII. circa Vallem Tellinam. 163
Popordia Medico caret. 167
Porrectæ aquæ. 239
Portugallia. 195
Lemos (Ludovicus) Medicinam Luſitanam adauxit in prædicendo. 198
Veiga vero (Thomas Rodericus) a Joanne Rege Conimbricenſis Academiæ Auctor vocabatur. Ibid.
Medendi methodus docetur a Ferrando Rodriguez Cardoſo ſcribente de ſex rebus non naturalibus. 205
Hæmorrhagia narium curatur ſtercore aſinino exſiccato. Ibid.
Materia perlata, a Luſitanis fabrefacta, podagra tollitur. Ibid.
In gemellis quiſnam primogenitus. Ibid.
Luſitanorum opinio. Ibid.
Poſſonium, ibique epidemica lues. 217
Signa, mores, ſymptomata, effectus petechialium morborum, qui Poſſonii graſſati ſunt. Ibid.
Potus duo ex melle. 403
In morbis ab Helveticis Medicis uſitatus. 136
Semper, abſque cibo ſolido in febri continua. 4
Praxis Helvetica. 134
Præeminentia Medicinæ, vel Chirurgiæ, a quo deſumenda ſit. 59
Primogenitus in gemellis quiſnam? 205
Auctoris opinio. Ibid.
Principes, & Magnates, etiam exteri, ad Salodienſem Riperiam accedunt, ut optime valeant. 294
Procella in Benaco lacu tolerata. 295
Proles puſtuloſa Baſileæ viſa. 125
Prorex, ſcilicet *Baſſa* Boſſinæ hypochondriaco morbo laborans. 473
Provincialis Gallia. 84
Febrifugum Alary. Ibid.
Pruſſia. 437
Situs, diviſio. Ibid.
Præcipuæ urbes. Ibid.
Plantæ, & nonnulli Medici celebres. Ibid.
Morbi, & remedia. Ibid.
Pruſſiacus cultrivorus. 439
Schaarchſmidt (Samuel) epiſtola Berolini data ſcripturum promittit de Medicina Boruſſo-Brandeburgica. Ibid.
Accedunt Brixiana in id excitamenta. 440
Buchner (Andreas Elias) S. R. I. Nobilis, Comes Palatinus, necnon Academiæ Imperialis Naturæ Curioſorum Præſes, &c. Brixiam mittit Diploma Aggregationis, & gratias agit ob acceptas Diſſertationes, & Tractatum de Aquis Brixianis. Ibid.
Diploma Imperialis Academiæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum. 441
Junckero (Joanni) Publico Profeſſori dubium proponitur de violentis Berolinenſium remediis, & impellitur, ut aliqua de illis reſcribendo tangat. 442
A quo ſex remedia laudantur.
Nempe 1. Oleum animale.
2. Arnicæ uſus.
3. Sulphur antimonii.
4. Mercurius dulcis.
5. Cortex caſcarilla.
6. *Belladonna*.
Omnia pag. 443
Pſellius (Michael) XI. ſæculo Medicus Conſtantinopolitanus. 185
Pſora leproſa. 455
Ptyaliſmus in Polonia non uſuvenit. 422
Rationes. Ibid.
Pueri ſpina ventoſa affecti, quomodo tractandi. 38
Puerperæ pereunt ob nimiam lactis abundantiam. 351
Lactando magis connutritæ adoleſcunt. Ibid.
Magiſque venuſtæ. Ibid.
Quando lactare debeant. Ibid.
Quando non. Ibid.
Acuti morbi felix curatio in puerpera. Ibid.
Puerperis mulieribus num ſanguis extrahendus ſit. 85
Pulmones coſtis adhærent interdum. 36
Pulmonum morbis mutatio aeris utiliſſima. 30
Ulcus rara methodo curatum. 13
Quæ ad examen reducitur. 19
In eamdem animadverſio critica altera. 20
Pulſationes ſpatio unius minuti. 16
Hecticorum. Ibid.
Aſthmaticorum. Ibid.
Morientium. 17
Pulſus horologium, ſecundum tabulam Floyer Medici Angli. 16
Sanorum ſimilis periculi ſignum. 218
Pulvis alexipharmacus Areſkin Czarorum Archiatri. 405
Antiſpaſmodicus Ruſſorum. 406
Solaris in Pharmacopolio Moſchovienſi. 407
Punck Britannorum potus. 10
Purgans potio, qua Rex Galliæ utebatur. 85
Purgantia in febribus quando adhibenda. 317
Violenta Moſchorum. 411
Et rhabarbarina, quid valeant pro curatione dyſenteriæ. 21
Purgantibus addenda narcotica, & cortex Peruvianus. 58
Pus per urinam excretum. 298
Putei medicati in urbe Baſilea. 124
Unus camphoratus pro curandis hydropicis, alter ſulphure, & nitro dives pro potu uſuali. Ibid.
Puteus Treſcurianus, in agro Bergomate, ſale, alumine, & ſulphure refertus. 228
Pyrius pulvis febrifugus. 35
Pythagoricus victus. 403

Q

Quadrius Brandari ex Ponte (Antonius) Medicus clari nominis in Valle Tellina. 160
Quæſtiones, & pulchra verba a Medicis exulare debent, & prope ægrorum lectulos Medicina facienda. 128
Quartana laborantibus Angli aptant enemata. 2
Quartanam febrim juvat tunica cichoreæ nigræ. 438
Remedium Berolinenſium alterum. 439
Quercus annoſa aquam fundens. 246
Quintianus (Joannes Planerius) Brixianus Scriptor 1578. 243
Quirinus (Cardinalis Eminentiſſimus) laudatus. 87, 97, & 103

R

RAbies. pag. 57
Ejuſdem curatio ſecundum Petrum Sault Gallum. Ibid.
Suſpecta. Ibid.
Illius propoſitiones ad examen redactæ. 58
Rachitidis Florentina curatio. 335
Rachitis. 14
Signa rachitidis. Ibid.
Quando erumpat. Ibid.
Vinum Canarinum eam producit. Ibid.
Remedia ſecundum Anglos. 30
Ægroti ad rus mittendi ſunt. Ibid.
Raguſium. 213
Patria egregii viri Abbatis Matthæi Marini, quem noſcere in Metropoli Veneta Auctor ſortem habuit, ab eoque lumen recepit excitandi Marcum Florium in Raguſina Metropoli Archiatrum, ut Brixiam mitteret ſpecimen de uſitata illis in regionibus Medicina. Ibid.
Ejuſdem Florii reſponſio. 473
Ranchi (Benedictus) Scriptor Brixianus 1646. 244
Rapæ tuſſientibus utiles. 36
Raphani ruſticani decoctum ſcorbutum curat. 42
Regium Lepidi. 368
Animadverſiones in methodum Joannis Baptiſtæ Moreali curandi mercurio febres malignas contagioſas. Ibid.
Remedii novitas. 369
Difficultates. Ibid.
Rationes. 370
Dictorum concluſio. Ibid.
Regium morbum curat paronychia folio rutaceo. 26
Reges Chirurgiam adminiſtrantes. 62
Reimarus (Samuel Hermannus) laudatus. 49
Remedia ab Anglis adhibita pro curatione multorum morborum, ubi proſtent. 32
Ab Auſtriaco - Viennenſibus in multis morbis adhibita. 179
1 Pulvis diaphoretico-cordialis Stokamer.
2 Cordiale in febribus malignis.
3 Ad pallidos virginum colores.
4 Contra contagionem.
Remedia familiaria proſtabunt in Hercule Medico Auctore VVolfango Hoeckero.
Omnia Ibid.
A Gallis adhibita pro curatione cholicæ. 72
A Moſchis adhibita in curatione morborum. 411
Bronchocelem curantia. 30, & 229
Cataractam curantia. 328
Contra peſtem. 451
Curantia iſchiadem, delirium, dolorem capitis, pleuritidem, oculorum morbos. 306
Danorum in multis morbis. 44
Fluorem album curantia. 492
Helveticis populis familiaria, aut frequentiora. 138
Indigena plus, quam peregrina proſunt. 36
In Hiſpanicis regionibus uſitata. 206
1 Balſamum Arcei vulneribus aptant.
Ejuſdem deſcriptio.
2 Maſſa Hiſpanica quid ſit, & in quibus morbis adhiberi poſſit.
3 Bezoar, ejuſque loco crocus martis nativus.
4 Bolus Hiſpanicus dictus.
Omnia pag. 206
Remedia in morbis pectoris utilia. 283
In omnibus fere morbis ab Etruſcis Medicis adhibita. 333
In Suecicis regionibus frequentiora. 451
Luem veneream curantia. 421
Nonnulla in Polonicis regionibus frequentiora. 435
Præcipua curantia dyſentericam paſſionem. 4
Quæ nummatos reddunt Pharmacopolas, ipſi Germani damnant 170
Scorbutum curantia. 42, & 429
Stomachica. 344
Tranſitum aquarum mineralium promoventia. 242
Remediis paucis celeberrimus Valcarenghi utitur. 317
Remediorum major pars exſibilanda eſt. 251
multitudo damnatur. 4
Numerus crumenæ ruina. 251
Reſpirationes naturales ſpatio unius minuti ſunt circiter quatuordecim. 17
Reſpirationis difficultas in Eminentiſſimo Cardinali Stampa. 354
Morbi hiſtoria. Ibid.
Et propoſita remedia. 355
Morbi eventus. 356
Rhætia. 149
VValthier (Balthaſſar) vir celeberrimus, literis excitatus, rationes reddit de Rhætica Medicina, & graphice illam deſcribit. Ibid.
Rheumatiſmum. 8
Ridmerianæ aquæ in Britannia rachiticos curant. 10
Rieger (Joannes Chriſtophorus) in re literaria præſens Hollandorum Coryphæus. 98
Ripa Tridentina. 292
Ibi ſæviunt ſpuriæ pleuritides, & febres malignæ ſanguinis miſſione curatæ. Ibid.
Menſe Martio a ventis auſtralibus percutitur. Ibid.
Populorum montanorum cibus. Ibid.
Roma. 371
Sapientiſſimo Joanni Paulo Limperano gratiæ aguntur, eo quia humaniter ſenſerit de Diſſertationibus Archiatro Pontificio miſſis. Ibid.
De bezoartico joviali, deque chinachina cum rhabarbaro dubitatur. Ibid.
Idem Limperanus loquitur de Romanis Comitiis, in quibus Summus Pontifex Benedictus XIV. renuntiatus fuit; deſcendit poſtea ad rationabiliter cogitata circa ferreas acus in cadavere repertas; proindeque doctiſſime de Romana Medicina diſſerit. Ibid.
Romano ex tripode in Italiam fluxere Leges. 68
Roſa apud Polonos. 417
Roſmarinus ſuper ignem ab Anglis poſitus, ut vitentur contagia. 26
Roſſi (Antonius) Marci Fuſcareni Divi Marci Procuratoris, & in Taurinenſi urbe apud Sardiniæ Regem Oratoris Veneti Medicus doctiſs. laudatus. pag. 18, 59, 138, & 380
Rudes etiam in Medicina facienda auſcultandi ſunt. 66
Ruſſorum Medici uſus, clariſſimo Rieger ſcribente. 411
Ruſſia Magna: Vid. Moſchovia. pag. 401
Ruſtici ſero Medicos vocant. 281
Ruthenæ mulieres arte pulchræ fiunt. 403
Rutheni populi. 401

S

SAbuco (Oliva) docta mulier Matriti in Nova Caſtilia ſcripſit de Hominis Natura. 196
Saccharum lactis antipodagricum. 137
Sacchettus (Hieronymus) Scriptor Brixianus 1666. 245
Sacchus (Alexander) Mediolanenſis Medicus, 348
Sagra, ſeu cruſta lactea, utrum curanda ſit. 110
Sale (Marchio Aloyſius) in urbe Vicetia Bonarum diſciplinarum Protector præſtantiſſimus. 264
Salisburgum. 164
Lapis in veſica baccis juniperinis repletus, & repertus a Joanne Adamo Reſpichlero. Ibid.
Quid de ea re cogitandum ſit. Ibid.
Salisburgenſem Medicinam illuſtravit Franciſcus Mayr. Ibid.
Salivæ utilitas. 91
Salodium in Benaci lacus Riperia. 291
In Benaci lacus Riperia Auctor morans, & de ejuſdem Medicina locuturus, epiſtolam dirigit viro ſapienti Julio Cicognino, & queritur de ſerotina ejuſdem reſponſione. Ibid.
Rationes. 292
Salodium caput totius Benaci lacus Riperiæ. 293
A ventis noxiis defenditur. Ibid.
Aeris puritas, & ſalubritas. Ibid.
Magnates exteri in Salodienſi Riperia convaleſcunt. Ibid.
Solus *Vinezza* ventus Salodienſi patriæ noxius. Ibid.
Rationes. Ibid.
Morbi producti. Ibid.
Et remedia a Salodienſibus Medicis adhibita. Ibid.
Cur Auctor tumultuarie ſcripſerit. 295
Salus difficilius explicatur, quam morbus. 91
Sambuca (Antonius Abbas) Eminentiſſimi Cardinalis Quirini a Secretis laudatus. 371, & 372
Sanctæ Catharinæ aquæ in Britannia robur in ſolidis addunt. 10
Animadverſio. Ibid.
Sancta Lucia. 377
Curatio oppido rara ab optimo Medico, cui nomen Idamias, in Nobili viro peracta. Ibid.
Curationis, & remediorum ordo. Ibid.
Sanctorius male a Teſti correctus. 382
Sangallus. 126
Aqua in ædibus Parochialibus ſcaturiens. Ibid.
Aluminoſa. Ibid.
Medicina Sangallenſis deſcripta a viro clariſſimo Petro Giller. 129
Ejuſdem Commentarii in Hiſtorias Morborum. 130
Sanguinis miſſio a Florentinis in inflammatoriis morbis laudatur. 332
A gula, & pede nihil differt in effectu. 58
In febribus a Medicis Pariſienſibus uſitata. 71
In malignis morbis. 284
In vulneribus capitis. 79
Motum progreſſivum in febribus præternaturaliter imminui multis rationibus graphice poſitis

probat Joannes Baptiſta Simoni Medicus Burmienſis doctiſſimus. pag. 157
Præcipuum in Arte Medica remedium. 156
Suſpecta in hyſtericis; 367
Sanguinis ſeptuageſima extractio in maniaco. 55
Transfuſio pro cura maniæ. 54
Sanguis arterioſus in aera expulſus. 41
Quando mittendus, ſecundum Guadanei documenta. 266
Quinquies extractus ante ſeptimam. 388
Sanvitali (Fridericus) e Societate Jeſu laudatus. 203
Saponis uſus in affectionibus mulierum convulſivis. 23
Sapo magnum attenuans, & deobſtruens. 27
Venetus ſolvit lapides renum, & veſicæ. 116
Gummi ammoniacum, & extractum centaureæ minoris saponis activitatem augent. Ibid.
Animadverſiones circa ſaponis activitatem, & ejuſdem agendi modum. 117
Sarca flumen. 292
Sault (Petri) propoſitiones circa hydrophobiam examinatæ. 57
Aliæ viginti obſervationes. 68
Sauvages de la Croix ſcripſit de febribus. 78
Saxa, & ferri fruſtula a Cremonenſi muliere vomitu rejecta. 322
Saxius (Joſeph Antonius) Mediolanenſis Ambroſianæ Bibliothecæ Præfectus laudatus. 347
Saxonum corpora occaſione rari phœnomeni alterata. 112
Scabiem tollit aqua piſcium ſalitorum. 45
Tollit ſulphur. 308
Scabies, & eryſipelas frequentes in Scotia. 47
Scania. 450
Remedium pro ſcorbuto. Ibid.
Scaphuſium. 131
Modus curandi apoplexiam. Ibid.
Ruricolarum uſus ſæpe extrahendi ſanguinem. Ibid.
Scheuchzeri Diſſertationes Actis Uratiſlavienſibus inſertæ. 134
Schinuſſa. 214
Iſchiadis curatio. Ibid.
Scientiarum damna. 64
Scilla caute in vomitoriis adhibenda. 5
Scollienſes acidulæ in Rhætia Superiore. 151
Scopulus (Jacobus) Nobilis Brixianus Profeſſor Patavinus. 103
Scorbutus. 34, & 41
Ejuſdem cauſa. Ibid.
Dolores ſcorbuticorum allio diſſipari credendum non eſt. 40
In Dania morbus endemius. Ibid.
Rationes. Ibid.
Cauſæ. Ibid.
Scharabuck a Danis dicitur. Ibid.
Alię cauſę ſecundũ Delametrie. Ibid.
Ubi lateat. Ibid.
Diagnoſis. 41
A nutrice in filiolo lacte inſtillatus. Ibid.
Symptomata ſcorbutum concomitantia numero 21. Ibid.
Remedium peculiare pro curatione ſcorbuti. 42
Sudorifera Danorum. 36
Remedium alterum. 45
In Scotia. 11
Ubi vigeat. Ibid.
In VVeſtphalia aliis morbis implicatus. 147
Purgantia non fert. pag. 147
Scriptores ſignanter de ſcorbuto agentes. Ibid.
Salivatione curatus. 181
Mediterraneus. 224
Duplex. 229
Cura ſecundum Etruſcos. 335
Falſus, & verus in urbe Veneta. 386
Curatio a viro clariſſimo Arcadio Capello propoſita. Ibid.
Scorbutus necne? Ibid.
Cochlearia in exilium miſſa. 397
In Polonia rarus. 417
Quæ gentes ſcorbuto ſubjectæ. Ibid.
Formica endemicum in Polonia dicit. 429
Balnea ex ramis pini parata juvant. Ibid.
In Dania. 455
Ejuſque remedia. Ibid.
Chronicus peſſimi moris in Norvegia. Ibid.
Danorum remedia *ad ſcorbutum debellandum*. 456
Nauticus. 457
Scotiæ deſcriptio. 1
Remedia in ejuſdem locis montanis adhibita. 18
Scilicet immerſio in aquam frigidam. Ibid.
Scotæ Medicinæ ſummarium. 21
Scriptores de ſcorbuto ſcribentes. 42
Brixiani de Medicina. 240
Scriptorum multitudo damnoſa. 31
Scrophulæ 53
Dominantur in hominibus calidæ conſtitutionis. Ibid.
Dicuntur nodus, caro ſicca, gypſum. Ibid.
Vid. Strumæ. Ibid.
Scrophula ſecta a D. Gordon Anglo negatur. 19
Ratio. Ibid.
Scrophularum cura ab Helvetico-Tigurinis inſtituta. 135
Remedium externum. 212
Remedia interna. 227
Remedium alterum. 280
In curatione vero interna Dalmaticus medendi mos. 212
Sebini lacus riperia. 159
Sebum vomitu ejectum. 215
Sectio lateralis pro extractione lapidis e veſica. 16
Sectio venæ jugularis. 181
In aliquibus conſtitutionibus, catharticis, & vomitoriis utilior. 222
Sempronium. 221
Senæ. 339
Morbi inibi frequentes, & remedia. Ibid.
Academia. Ibid.
Serenitas in Anglico Regno non durat. 1
Setaceorum, & veſicantium utilitas in apoplexia. 76
Sharp ſuſpectam dicit ſectionem lateralem pro extractione lapidis e veſica. 13
Skot, aut *Finne Tyrer*, ita Sueci populi vocant epidemiam inter homines, & beſtias. 448
Sicilia, & Campania. 375
Epidemicarum anginarum cauſam inquirit Thomas Bartholinus. Ibid.
Sanguinis miſſio. 376
Hæmorrhagia narium. Ibid.
Filum purpureum pro curando inflammatæ gulæ morbo. Ibid.
Laryngotomia pro curatione anginę. Ibid.
Sicilia utraque a morbis vexata. 238
Sileſia, ejuſdemque flumina, aquæ, aer, & epidemicæ morborum conſtitutiones. 180
Plantæ in Sileſia vegetantes. 180
Thermæ Hirſchbergenſes. 181
Simmarubba cortex Americanus dyſenteriam curat. 69
Salab, caſcarilla. 100
Smalandia. 450
Potus inebrians, *Maskmurr* nuncupatus. Ibid.
Smyrnæ, ubi aer puriſſimus. 191
Socius Nobilis Scriptor Salodienſis 1554. 294
Solanum furioſum dolores cancri pacat. 70
Solma. 164
Calcaria materia poſt diuturnam arthritidem per urinarias vias educta, & viſa a viro clariſſimo Jacobo Henrico Chriſtiano Adami Archiatro Solmenſi, &c. 164
Solſtitii brumalis tempore febres, catarrhi, peripneumoniæ, peticulæ, ſpaſmi, &c. 438
Solſtitii vero æſtivi, dyſenteriæ, febres quotidianæ, &c. Ibid.
Somnum conciliat balneum pedibus aptatum. 25
Sparta, vulgo *Miſtrà*, ubi nihil agitur, niſi prius obſervata luna. 191
Tythimalum ibi florentem, & abundantem Medici lippientibus aptant. Ibid.
Comitialis ibi morbus in Nobili viro male per incantationem curatus. Ibid.
Spaſmus in infantibus curatus. 389
Specificum pro curanda lienteria. 206
Specimen Medicæ Anglicanæ. 19
Spectacula in aere prope Lipſiam viſa a clariſſimo de Violante Regis Poloniæ Archiatro. 112
Spicæ nardi in agro Brixiano repertæ. 143
Spina ventoſa in Danico Regno frequens. 37
Animadverſiones in eamdem. Ibid.
Cauſæ ſecundum Galenum. Ibid.
Secundum Marchettum. Ibid.
Circa eamdem Auctoris opinio. Ibid.
Cariem in oſſibus producit. 38
Remedia curantia. Ibid.
Alia interna. Ibid.
Externa. Ibid.
Arcana, & ſpecifica pro illius curatione. Ibid.
Secundum Muſitanum. Ibid.
Auctores, qui de illa ex profeſſo ſcripſerunt. Ibid.
Prima remedia illam curantia. Ibid.
Animadverſiones Ibid.
Chirurgus quomodo ſe gerere debeat in curatione ſpinæ ventoſę. 40
Antivenereis curatur. 38
Tot remedia externa a Chirurgis adhibita, ut aliquid agere videantur, proſcribenda ſunt. 40
Spirandi difficultates, tuſſes, rheumata ſedalium venarum apertionibus Viennæ Auſtriæ curata. 177
Spiritus vini laudes. 187
Spiritu vini camphorato caput ablutum. 285
Spiritus volatilis in vino Canarino pro curatione rheumatiſmi non adhibendus. 8
Sputa in pleuritide promovenda. 28
Sputum flavum, ac ſanguineum. 289
Squammatoria, & cauſtica ſuper os caute adhibenda ſunt. 39
Multa proponuntur. Ibid.
Stamni pulvis enecat vermes. 16
Stampa (Cardinalis Eminentiſſimus) Archiepiſcopus Mediolani conſilium petit. 251
Steatoma, ſeu meliceris magna. 141
Stephens arcanum deſcriptum a Londi-

Londinenſi viro in epiſtola ad Auctorem data. pag. 27
Effectus, & experimenta. 30
Stercoratio agrorum inſalubris. 100
Rationes. Ibid.
Sternutamentum pertinax curatur. 300
Stibina aqua, quos morbos curare poſſit. 349
Stranguria gravidarum. 215
Strumæ. 52
Earumdem diagnoſis, cauſæ, & remedia. Ibid.
Galli purgationem inſtituunt. Jbid.
Signa. 53
Num ferro extirpandæ ſint. Jbid.
Timores. Jbid.
Gallorum electuarii, & remedia pro curatione ſtrumarum. Jbid.
Vaſa, & nervi magni uſus tangi non debent. Jbid.
Quid proſit. 54
Curationis methodus noſtra. Jbid.
Morbus endemius in Hiſpania. 196
Cauſæ. 135
Curatio. Jbid.
Curatio altera. 305
Studia cum homine ruſticari debent. 293
Stypticus liquor Joannis Cornelii VVeber ſanguinem miraculoſe ſiſtens, etiam ex vulnerata arteria. 62
Styria, & Carynthia. 164
Ortelius frequentes ſcribit eſſe colli tumores ſtrumas dictos. Jbid.
Acidulæ in Inferiori Styria repertæ fuerunt, Roidkeſenſes dictæ, ſulphure ſolari, & vitriolo martis divites. Jbid.
Suardus de Suardis Nobilis Medicus Brixianus laudatus. 119
Succini ſal tranſitum aquarum mineralium promovet. 10
Succinum Polonicum. 430
Succolatæ laudes. 187
Utilitates ſecundum Gallos. 73
Sudor Anglicus incœpit anno 1485. 18
Diæta curatur. Jbid.
Sudorem quomodo Angli, & inter illos Sydenhamius promoveat. 3
Theriaca promovet. 177
Sudores odorem exhibiti ſudoriferi referentes. 181
Sterquilinio promoti. 421
Verberibus. 424
Sudoriferum a Gallis adhibitum in morbis pectoris. 74
Conſtat ſucco boraginis, theriaca, & ſanguine hirci. Jbid.
Gallorum alterum. 85
Alterum Helvetii. 86
Suecia. 445
Clima, extenſio, partes, &c. Jbid.
Regia Scientiarum Academia. Jbid.
Aer, lacus, cibus, atque potus. Jbid.
Sueci Botanices ſtudioſi. 445
Suecorum ſanguis. 446
Sueva-Ulmenſis Medicina proſtat in Operibus Georgii Horſtii, Joannis Pſautz, &c. 180
Suillarum carnium abuſus in Cremenſi agro. 477
Sulphur duas habet qualitates. 178
Et mercurius primaria pro enecatione vermium remedia. 18
Per os exhibitum, num luem veneream curare poſſit. 361
Antimonii auratum ultimæ præcipitationis utile in paralyticis, apoplecticis, &c. 443
Summarium Medicinæ Scotæ ex Actis Edimburgenſibus excerptæ, cum notis. 21
Superfœtatio haud rara. 56
Suppreſſionem menſium juvant prima ſtamina frumenti; documentum Boruſſicum. pag. 438
Urinæ juvat ſpiritus ſalis ammoniaci acidus. 435
Surditatem curans remedium. 145
Tollit oleum thymalli. 300
Sydenhamii propoſitiones laudatæ. 2, 3, & 4
Correctæ. 5
Reprobatæ num. xiv. Jbid.
In eryſipelate. 8
Concluſio circa reprobatas propoſitiones. Jbid.
Sylvæ Polonicæ. 420
Sylvius Opiator dictus. 186
Sympathicus cujuſdam Judæi medendi mos. 445
Symptomata cholicam concomitantia. 72
In variolis frequentiora. 96
Syncope. 79
Syrupi de meconio compoſitio. 3
Syrupi, lapides, & ſpecifica falſo decantata a Medicis proſcribenda ſunt. 251
Syrupus Byzantinus. 139
Pectoralis Cablovvitſki. 436
Regius ſtomachicus, cardiacus, hepaticus Helvetiorum. 139

T

TAbaci fumus curat iliacam paſſionem. 90
Bona, & mala ab ejuſdem uſu. 91
Apoplexiam producit. 132
Præjudicia in corpore humano. 188
Vires. 90
Media pyroſi detectæ. Jbid.
Tabacum quibus noxium. 73
Tabes pulmonalis. 14
Tabidorum contagia quomodo communicentur. 302
Tabulæ Bidloo. 404
Tanucci (Franciſcus Maria) laudatus. 326
Targhetta (Jacobus) Religionis Somaſchæ Præpoſitus laudatus. 126
Vitrea lente detexit inſectorum congeriem in frumenti ſpicis nidulantem, quam vulgus *vellum* appellat. Jbid.
Tartaria Minor in Europa. 183
Tarviſina Marchia. 377
Pugiati (Joſeph Antonius) ex Sacillo Opus primariis Patavii Profeſſoribus dicavit. Jbid.
Bubones venerei ſemper, ſi fieri poteſt, ſecandi. Jbid.
Taurinorum Auguſta. 378
Badia (Joſepho Antonio) Hiſtoriæ Morborum dono mittuntur, atque excitamenta, ut aliquid referat circa præſentem Taurinenſem Medicinam. Jbid.
Comiter reſpondet. Jbid.
Et Antonius Rhezia Archiater, & medendi methodus meritis laudibus afficiuntur. 380
In reſponſione vero officiis plena ſermo fit de febribus miliaribus Arabum malignæ ſimillimis. Jbid.
Taurinenſis medendi methodus ab Auctore præſente viſus. 379
Temperamenta Etruſca. 330
Templum Beatæ Mariæ Virginis prope oppidum Tirani, ejuſque deſcriptio. 160
Teneſmus. 80
Teneſmi curatio Polonica. 435
Teplicenſes thermæ in Bohemia ſunt ſimiles illis, quæ dicuntur *della Bagata* in agro Brixiano. 104
Terebellum a D. Smyand propoſitum. pag. 19
Animadverſiones in ejuſdem uſum. Jbid.
Utrum in mania ſit adhibendum. 55
Terra bolaris Danorum antiſcorbutica. 44
Sigillata. 182
Tetanus periodicus. 300
Tetutiana aqua. 11
Thè, caphè, cereviſia. 437
Thè utilitates ſecundum Leſevre Medicum Vezuntinum. 73
Theriaca ab Anglis in acutis morbis adhibita. 341
Caute in febricitantibus adhibenda. 241
Et mithridatium in peſte noxia. 49
Magnum ſudoriferum. 3
Veneta ſeligenda eſt. 74
Theriacæ utilitates. Jbid.
Thermæ, & Balnea Badenſium. 124
Sulphureæ in Iſlandia, & Groenlandia. 115
Thermia, & Zia, duæ inſulæ in ſinu maris Ægei, prima ſic dicta a calidis balneis. 192
In ſecunda (hoc eſt *Ceos*) lex aderat veneno interficiendi homines, ne nimium creſceret numerus, & junioribus locus daretur. Jbid.
Thieullier Archiatri, & Conſiliarii Regis Galliæ Conſultationes. 69
Auctoris ad eumdem epiſtola. 87
Thompſon, & Breſmal Galli Profeſſores laudati. 82
Thoresby Britannus laudat ſolum potum in lapide veſicæ. 26
Reperit magnam quantitatem lapidum in renibus, & veſica. 20
Thuringi cum Italis Medicis pari paſſu euntes. 121
Tibiæ caries. 352
Cauſæ, & curationis modus. Jbid.
Tingry urbs Galliæ fontem habet inſignem tertianas febres diſcutiens. 82
Tirelli (Mauritius) Brixianus Scriptor 1630. 244
Tockaium. 223
De Tockaienſi vino ſcripſit vir celeberrimus Joannes Matholai de Zolna Nobilis Hungariæ, quem Auctor epiſtola excitat, ut reſcribat de præſenti Hungaricæ Medicinæ ſtatu. Jbid.
Ejuſdem de Zolna reſponſum. 475
Toloſa. 75
Ueay (Gervaſius) ſcripſit de morbo venereo. 80
Tombinus (Antonius) Medicus Brixianus olim celebris. 53
Tombinus (Bernardinus) Medicus celebris Brixianus. 246
Tonolinus (Antonius) Chymicus, & in majori Brixienſi Noſocomio lithothomus, de re Botanica delectatur. 280
Tormentilla Dani hydropem curant. 44
Trajectum Francorum ad Viadrum. 443
Cartheuſerus in propatulo poſuit remedia inibi frequentiora, inter quæ
1 Aqua virtutum.
2 Spiritus mellis.
3 Pulvis pro fumo.
4 Looch de papavere.
Omnia 444
Tranſcurianæ aquæ in agro Bergomate utiles in ſpina ventoſa. 38
Tranſfuſio ſanguinis pro curatione maniæ a Gallis propoſita, non imitanda. 54

ejuſdem

Ejuſdem damna, & præjudicia. pag. 54
A Parlamento cognita. Ibid.
Ipſis Gallis ſuſpecta. 55
Tranſylvania. 223
Ibi florens doctus Joannes Antonius Millianus epiſtola petit a Joanne Baptiſta Moreali Mutinæ degenti, num mercurius crudus utilis in febribus peſtilentialibus eſſe queat. Ibid.
Tranſplantatio morbi. 246
Treviris, & Confluentia. 165
Plumbum tam intus, quam extra corpus humanum adhibitum, ſuſpectum eſt. Ibid.
Medicina Treviris, & Confluentiæ, cum uſitatis remediis deſcripta a clariſſimo Cohauſen. 166
Hæ urbes irrigantur Rheno, Moſella, & Lahna. Ibid.
Vina ibi abundant. Ibid.
Giffliaci incolæ, præcipue inter Ducatum Luxemburgenſem, & Juliacenſem, Medicis non nimis utuntur; ideo parvus, aut nullus eorum numerus. Ibid.
Treviris annis 1300. ante Romam ſtetiſſe, refert idem Cohauſen. 167
Univerſitas admodum floret. Ibid.
Plantæ Medicinales ibi summopere abundant. 168
Trevv (Chriſtophorus Jacobus) vir celeberrimus, Medicus Norimbergenſis, Ephemeridum Academiæ Imperialis Director. 118
Tridentum, & endemii Tridentinorum morbi a Nicolao Zucchelli deſcripti. 171
Urbis ſitus, aer, flumina. Ibid.
Pleuritides, pulmonum vomicæ, tubercula, tuſſes ſiccæ frequenter ibi graſſantes, & reliquę ægritudines, cum reſpectiva, & uſitata illis in regionibus curatione. 172
Trilleri Archiatri Naſſovici, & Auctoris idem in medendo modus. 148
Tſommor Hungarorum morbus endemius, de quo ſcripſit Joannes Milleter. 208
Tulvina Ægyptiorum. 209
Tumores mobiles, & penduli ſtrumæ non ſunt. 53
Tumorum numerus aſcendit ad 226. 66
Origo, & deſcriptio. 60
Dureſcendi modus. 61
Cur protuberent. Ibid.
Turcæ in Græcis regionibus imperant. 183
Medicinæ parum addicti. Ibid.
Satrapæ laborantes adhibent Medicos Legatorum. 184
Ad ſanguinis miſſionem facillimi. Ibid.
Eorum circa peſtem opinio, & cervicoſus error. 185
Multiplex Religionum cultus. Ibid.
Opium Turcis familiare. Ibid.
Shorba, *Pilò*, *&* *Sherbet* Turcarum potus. 188
Corporis vincturas damnant. Ibid.
Limoniorum ſuccus venalis in officinis proſtat, pro ſalſamentis, & condituris. Ibid.
Turner Anglus ſcripſit de morbis cutis. 14
Turundæ quando adhibendæ. 67
Tuſſientes oſſiculum vomentes. 242
Tuſſis remedium Anglorum. 25
Remedium Polonorum. 423
Puerorum convulſiva curatur a Medicis Gallis. 466
Morbus Ruſſis incognitus. 404
Animadverſio. Ibid.
Quod difficulter credendum. p. 404
Rationes. Ibid.
Tynni, vulgo *Ton*, abundantia. 11
Typographia inventa. 89

V

Valachia. 224
Ab ibi degente viro clariſſimo Joanne Natali Glumatz Principis Valachiæ Archiatro poſcitur notitia circa Bulgaricam, & Tranſylvanam Medicinam. Ibid.
Morbus in Valachia endemius, & frequens. Ibid.
Valcarenghus (Paulus) Publicus Profeſſor in Ticinenſi Univerſitate laudatus. 238, & 329
Valentia Edetanorum. 205
Celeberrimus vir Marianus Seguer in Valentino Archilyceo Publicus Profeſſor produxit ſpecificum pro curatione dyſenteriæ. Ibid
Specificum ſubtus in adnotatione deſcribitur. Ibid.
Ejuſdem Reſponſio. Ibid.
Valeſia. 137.
Ibi Medici curant ſcabiem, ulcera, ſterileſque fœminas thermis Brigenſibus. Ibid.
Vallis Tellina, & per eamdem Auctoris iter. 159
Ibi Auctor accitus, ut mentem, opinionemque ſuam circa ægritudinem viri, & Syndici meritiſſimi Joannis Antonii Omodei aperiret. Ibid.
Itineris difficultates. 160
Num Vallis Tellina inter confinia Germaniæ, aut Italiæ ponenda ſit. 163
Cœli munera, & utiles naturæ effectus ad ditandam Vallem Tellinam concurrentes. Ibid.
Cryſtalli ibi repertę. Ibid.
Marcaſitæ pariter quadrilateræ. Ibid.
Latentia in illis ſtamina, per quę fumantes evaporationes erumpunt. Ibid.
Vallis Saxina. 162
Populorum inibi habitantium alimenta. Ibid.
Morbi graſſantes. Ibid.
Utiliora remedia. Ibid.
Valloncino aquæ medicatæ Cremonenſes. 321
VValthier (Balthaſſar) vir celeberrimus Curia-Rhætus mittit Quatuor Diſſertationes Auctoris Petro Giller Sangallenſium Archiatro. 126
Varandæus ſcripſit de thermis Balaruch in Languedocia. 75
Variolæ. 181
Variolarum eruptionem balſamus embryonum cuti aptatus impedit. Ibid.
Et carbo peſtilens num res una? 182
Variolarum inſitio etiam apud Turcas. 188.
Animadverſio. Ibid
Curatio variolarum balneo, & ſero lactis a Daniele Fiſchero Medico Hungaro propoſita. 211
Alter VVeberi modus, ſi adeſt febris. Ibid.
Decoctum lentium, cum ſtercore caprarum nigrarum adhibent Hungari in montibus Carpathicis pro curatione variolarum. Ibid.
Variolarum etiam apud Græcos recentes inſitio. 213
In id animadvertenda. pag. 213
Tuſci ſanguinem mittunt. 334
Galliarum Rex variolis laborans quatuor ſanguinis miſſionibus curatus fuit. Ibid
Sexto anno recurrentes. 385
Curatio ſecundum Venetos. Ibid.
Polonorum curandi modus. 417
Modus alter. 431
Ut deformitas, & cicatriculæ vitentur. 435
Curatio Berolinenſium. 439
Emetica ſuſpecta. Ibid.
Suecorum methodus. 448
Vermes in variolis. 240
Variolæ, & morbilli. 324
Curatio ſecundum Helvetium Gallum. 58
Animadverſio. Ibid.
Clyſteres, & febrifugum. Ibid.
Animadverſio. Ibid.
Pulvis viperinus. 86
Hiſtoria varioloſi curriculi in Auctoris filiolo. 95
In principio morbi ſecta vena. Ibid.
Morbi gradus, & ſymptomata obſervata. 96
Nulla remedia. Ibid.
A remediis abſtinendum. Ibid.
Exempla, & caſus nati. Ibid.
Curatio ſecundum Germanos. Ibid.
Hollandi venam ſecant, erumpentibus jam variolis. 101
Camphoræ internus uſus in variolis. 140
Ucraina. 410
Lapides cancrorum. Ibid.
Peſtis anni 1738. Ibid.
Ipecacuanha, & vitriolum. Ibid.
Diaphoretica. Ibid.
VVarſavia. 425
In ſumma mediterranea Poloniæ planitie poſita eſt. Ibid.
Bibliotheca & Hortus Regius plantarum. Ibid.
Diploma Auguſti III. Poloniarum Regis. 426
Medicinam Polonicam apprime illuſtrat Antonius Formica Siculus, &c. a Supremo Regni Poloniæ Cancellario excitatus, rationem reddit de uſitata Clinica illarum regionum. 248
Vella (Georgius) Scriptor Brixianus. 241
Venæ ſectio in variolis a Medicis Hungaris omiſſa. 209
Vena ſeptuageſies ſecta. 55
Venena interdum juvant. 66
Ingenita, & in humanis corporibus producta. 241
Caſus ab Auctore viſus. Ibid.
Venenatorum morborum cura apud Danos. 35
Venerea lues. 196
Antiquis temporibus ſæviebat. 21
Num per Hiſpaniam in Italiam fuerit advecta. 196
Pro curatione, tempore litus mercurialis, utrum purgantia ſint adhibenda. Ibid.
Methodus Hiſpana laudatur. 197
Difficultates in adminiſtrando mercurio, & animadverſiones ibidem ponendæ. Ibid.
De luis venereæ ab uno in alterum contagio. Ibid.
Quod poteſt contingere congreſſu, baſiatione, adhæſione cutis ad cutim, communione lecti, indumentis, vaſis, &c. Ibid.
Animadverſio I. circa curationem luis venereæ. 241
Animadverſio II. de vini uſu. Ibid.

Animadverſio III. Clyſteres ſuſpecti. pag. 241
Curatio ſecundum Anglos. 6
Sanguinis miſſio. Ibid.
Spiritus vitrioli. Ibid.
Brixianus curandi modus. 303
Curatio ſecundum Etruſcos. 334
Curatur ſulphure intus ſumpto. 361
Bubones venerei ſemper, ſi fieri poteſt, ſecandi. 377
Venetus curandi modus. 385
Bubones per 60 dies adaperti. Ibid.
Mercurius a Venetis adhibitus. 386
Mercurialia, & alexipharmaca damnanda. 398
Cur. Ibid.
Curatio in Poloniæ Regno. 421
Quomodo ab Anglis curetur. 45
Gallicus curandi modus. 80
Ope mercurii. Ibid.
Prius delicata methodus inſtituenda. Ibid.
Venetiæ. 380
Medicina Veneta graphice illuſtratur a viro clariſſimo Arcadio Capello. Ibid.
Venetæ lacunæ deſcriptio. 381
Ejuſdem viciſſitudines, & mutationes. Ibid.
Flumina in mare euntia. Ibid.
Aeris puritas. Ibid.
Rationes. 383
Solvuntur objectiones circa inſalubritatem aeris. 384
Endemii morbi abſunt. Ibid.
Scorbutus. 386
Sanguinis miſſiones frequentes. 388
Scilicet quinque vicibus ante ſeptimam. Ibid.
Medicorum numerus. 389
Præcipui, qui nunc florent. 390
Venetis Judicibus, & Dominis jubentibus, Chirurgus ad dignitates, & honores evectus, & Divi Marci Eques factus. 68
Venter blande movendus. 324
Venti aerem purgant. 226
Ventorum circa Venetam urbem vis, motus, & ſalubritas. 382
Meridionalis innoxius. Ibid.
Ventris tormina Londini quomodo vocentur. 18
Vercelli. 390
Vermes in homine. 454
Num hydrophobiæ cauſa. 57
Centeni micti Brixiæ. 46
In mercurio vivunt. Ibid.
In variolis. 140
Vermium, & inſectorum origo. 453
Multiplex figura. 46
Sedes. 369
Utrum cauſa febris eſſe poſſint. Ibid.
Verona. 391
Joannes Maria Fracaſſinus rogatur, ut notos faciat in epiſtola Veronenſes medendi modos. Ibid.
Qui annuens, damnat ſpeculandi voluptates, & diſputationes. 392
Plantæ in agro Veronenſi vegetantes deſcriptæ proſtant a viro doctiſſimo Joanne Franciſco Seguierio. Ibid.
Verrucæ intra anum. 80
Veſicæ in cute apparentes mercurio curantur. 125
Veſicæ lapis, quando adeſt, aquæ minerales adhibendæ non ſunt. 84
Baccis juniperinis conſtans. 164
Veſicans pro curatione pleuritidis, quomodo adhibendum. 22
In febribus. Jbid.
In Angina. Jbid.
Veſicantia plura eodem tempore adhibita. 146
Veſicatoria pro curatione eryſipelatis adhibenda non ſunt. pag. 21
In delirio non ſemper adhibenda. 209
Rationes. Jbid.
Quid de ipſis ſentiat clariſſimus Guadaneus in aere Brixiano. 267
Suris, & nucæ admota. 284
Celeberrimus Fromond docte de illis loquitur. 478
Cautelæ adhibendæ. 344
Veſicatorium num in ſpirituum morbis aptandum ſit. 145
Rationes affirmativam propoſitionem confirmantes. Jbid.
VVeſtphalia. 145
Medicina VVeſtphalica per ſexaginta annos a Rudigero VVeſthovven exercitata. 146
Morbi inibi frequentes. 147
Eorumdem curatio. Jbid.
VVeſtphali homines porcivori. Jbid.
Veſuntium. 73
Franciſcus Lefevre Tractatum edidit de caphè, thè, &c. Jbid.
Viazdovium, locus celebris ob balnea. 425
Vichy balnea. 71
Vienna Auſtriæ. 176
Bonæ Artes, & Nobiles Diſciplinæ in toto Germanico-Catholico-Romano-Auſtriaco Circulo ſemper floruerunt. Jbid.
Rationes ob quas Literati in urbe Vienna ſemper abundarunt. Jbid.
Medici celebres. Jbid.
Diæta lactea ad curandam podagram
Animadverſio I.
Animadverſio II.
Animadverſio III. Omnia 177
Cholica paſſio in convulſivam contractionem degenerans. Jbid.
Sudorem theriaca promovet. Jbid.
Spirandi difficultates, tuſſes, rheumata frequenter ſævientia. Jbid.
Hydrops, phthyſis, aſthma, paralyſis ex vinis nimiū ſulphureis. Jbid.
Bubones verminoſi. 178
Febris epidemica. Jbid.
Morbus per Germaniam, Viennamque præcipue in plebem graſſatus. Jbid.
Remedia. 179
VVildulgenſes acidulæ. 147
Vina conquiſita in Britannia abundant. 10
Vallis Tellinæ. 161
Vini ſapor in aquis. 71
Uſus in febribus a ruſticis frequentatus. 39
Vincentia. 398
Lumbago, cruralium nervorum debilitas, ſtandi, & eundi impotentia, cum metu paralyſis. Jbid.
Circa ſupradictum morbum ab Auctore relatum opinio clariſſimi viri Sebaſtiani de Antoniis. 399
Vinorum aciditas in Cremenſi agro. 476
Nectarea bonitas in Hungaria. 223
Vinum cauſa vitæ brevis. 324
Generoſum ægris exhibitum. 341
Brixiæ ægris quomodo exhibendum. 240
Non eſt anthelminticum. 208
Num ægris propinandum. 4
Lovanienſe ſulphure, & phlegmate abundat. 98
Et laudanum in podagra. 32
Rationes ob quas in febribus adhibendum non eſt. 36
Sanctum. 295
Violæ Alpinæ curant morbos pectoris. 157
In pulverem etiam redactæ, & adhibitæ utiliores. Jbid.
Viperarum morſum veneficum curans planta. pag. 473
VVirtemberga. 182
Cancer vitriolo, & oleo olivarum curatus. Jbid.
VVirtembergenſis Princeps Alexander occaſione belli in pede cum periculo ſaucius, Brixiæ apud Prænobilem Marchionem Martinengo decumbens, a Conſtantino Roncalli Auctoris Patre feliciter curatus. 123
Viſconti (Joſeph) laudatus. 356
Vis imaginationis in hyſtericis. 319
Vita abſque cibo. 125
Primus in orbe theſaurus a Chirurgia ſervatus. 66
Vitrioli ſpiritus in febri continua. 7
Ratio illum non adhibendi. Jbid.
Ulcera aqua calcis vivæ a Gallis curantur. 85
Aurium tollit lupuli ſuccus. 45
Ulceris canceroſi curatio. 68
Phagedænici, & maligni curatio in Boſſinæ Tractu uſitata. 473
Ulcerum ani curatio Scotorum. 25
Ulcus pulmonū poſt peripneumoniā. 14
Ulma. 180
Docet Decanus Alphonſus Khonius, num in paſſione iliaca mercurius vivus adhibendus ſit. Jbid.
Ulmus (Joannes Franciſcus) Scriptor Brixianus 1597. 244
Ulyſſipo. 205
Floruerunt optimi Medici, inter quos Moſes Maimonides olim Medicus Regis Ægypti, necnon Petrus Hiſpanus Epiſcopus Tuſculanus, dein Papa factus, aſſumpto nomine Joannis XXI. Jbid.
Unicornu Danorum ſudoriferum. 36
Vohenſel (Joannes) utiliſſimum podagram curandi modum docet. 101
Scilicet admoto vivo cane. Jbid.
Rationes in contrarium adductæ. Jbid.
Vomitoria, cathartica, & veſicatoria in luis epidemicæ peſtilentialis curatione. 219
Vomitorium Helveticorum. 139
In febribus num adhibendum. 5
Rationes, quæ illud prohibent. Jbid.
Vomitus a Danis aqua calida mulſa promotus. 35
Curatio. 304
Upſalia. 450
Peſtis ſæviens ab apuis. Jbid.
Upſaliæ calamitas. 451
Uratislavia Sileſiæ Metropolis. 180
Morboſa epidemica conſtitutio ibi graſſata deſcribitur a Joanne Chriſtiano Kundmano. Jbid.
Odera, & Viadrus tumentia Sileſiæ flumina in cauſa fuerunt. Jbid.
Prope Uratislaviam lini macerationes, & vitriolicum aquarum Niſſentium magma Sileſianum aerem inficiunt; inde morbi deſcripti. Jbid.
A Sileſiaco-Uratislavienſi medendi methodo quid excerpendum. Jbid.
Uratislavienſium Medicorum documentum. Jbid.
Plantæ. Jbid.
Urcei Novi. 295
Salutem aeris ſtatuit doctus Antonius Gualtieri in elato foſſarum alveo, quæ oppidum circumeunt; amplius quippe aquæ ſtagnare poſſunt, nec putridi vapores gigni, quod vitium in puteos ipſos transferat. Jbid.
Numerus gentium. Jbid.
Endemii morbi abſunt. Jbid.
Morbi diverſis temporibus inibi graſſantes. Jbid.

VVrigtius ulcus pulmonum curatum canit. pag. 13
Urina cruda alba non ſemper ſignum texturæ laxæ in ſanguine. 210
Bona nil boni promittens. Ibid.
Frigida micta. 246
Urinæ morbos juvat pulvis gemmatus Volkameri. 435
Uteri mola in virginibus. 111
Uterini morbi. 25
Utero gerentibus Galli frequenter ſanguinem mittunt. 85
Utinum. 342
Roſſetti (Andreas) in Utinenſi urbe Archiater illius regionis clima, dotes, ornamenta, cibos, balnea, & Medicinam doctiſſime explicat, & Clinicos priſcos Literatos deſcribit. Ibid.
Vulnerarium Regis Daniæ. 45
Vulnus magnum, num ſuendum ſit. 12
Animadverſiones. Ibid.

X

Xenodochium Brixianum majus, 264
Auctor excitat virum clariſſimum Bononienſis Academiæ Socium Joannem Franciſcum Guadaneum Medicum Brixianum, ut reſcribat de præſenti in Xenodochio Practicæ Medicinæ ſtatu. Ibid.
Auctoris periculoſum iter. Ibid.
Ejuſdem Guadanei reſponſio. 265
Xenodochii architectura, magnitudo, & deſcriptio. Ibid.
Morbi in eodem obſervati, & bene multa remedia, quæ utilius adhiberi conſueverunt. 266

Y

Younge Angli, obſervatus in puella niger color. 19
Probabiliter ab atra bile. Ibid.

Z

Zacynthus Inſula, cujus juventus ad Patavinum Archilyceum accedit, ut diſcat. 193
Chirurgi, & Hebræi Medicinam faciunt cum utilitate. Ibid.
Demetrius Kelaſà clariſſimus inibi Clinicus illius Inſulæ Medicinam docta epiſtola, Græco exarata idiomate deſcribit. Ibid.
Calculi veſicæ ibi frequentes ſunt, & feliciter curantur. Ibid.
Lepra frequens. Ibid.
Purgantibus, & mercurialibus interdum curatur. 194
Zadei) Laurentius) Auctoris Amicus, & Compater. 294

	Errata	Corrige.
Pag. 6	*Operis Conſpectus.*	
	Doctoris.	Doctor.
Pag. 6	Peruiano.	Peruviano.
19	lithontripica.	lithontriptica.
	illum.	illud.
21	*douse.*	*doux.*
24	*ſis.*	*ſix.*
30	alio.	otio.
35	febris.	febrim.
42	venti.	venit.
54	phyaliſmi.	phtyaliſmi.
57	ſtrumenta.	ſtramenta.
58	ſuaqe.	ſuaque.
59	Cbirurgia.	Chirurgia.
62	pari.	puri.
64	docnmentis.	documentis.
	peculiarum.	peculiarem.
65	(13)	(12)
	Chirugica.	Chirurgica.
66	celebertimo.	celeberrimo.
67	extractis.	tactis.
73	Aremerica.	Armorica.
75	Ucay.	Ueay
76	Profeſſore.	Profeſſori.
77	*roqu.*	*requ.*
	grands.	*grandes.*
	facheuxes.	*facheuſes.*
	tre ſeur.	*très-ſeur.*
	ſcai.	*ſçai.*
	ſe y.	*s'y*
	facilment.	*facilement.*
	n'eſl.	*n'eſt.*
	uray.	*vray.*
102	Aphoriſmo	Aphoriſmorum.
121	Mediciis.	Medicis.
122	arctus.	artus.
126	clariſt.	clariſſ.
128	noſtis.	noſtris.
133	Tigurii.	Tiguri.

	Errata	Corrige.
P. 143	patefaciam.	patefaciebam.
157	acros.	acres.
	prætetmiſſis.	prætermiſſis.
159	juſtis.	juſſis.
	ſuſtinentis.	ſuſtinens.
160	Tiranni.	Tirani.
177	Tolkaioque.	Tockaioque.
180	perſeverantia.	præſervantia.
183	popuorum.	populorum.
187	intetdictæ.	interdictæ.
193	loquear.	loquar.
196	*nucuas.*	*nuevas.*
	e de los.	*y de los*
199	*llagas.*	*llagas.*
	biiada.	*bijada.*
204	articolicæ.	anticholicæ.
214	idiolycriſiæ.	idioſyncriſiæ.
	hirundines.	hirudines.
240	Maltenſibus.	Melitenſibus.
244	delectis.	detectis.
245	altrandal.	alhandal.
248	ones.	omnes.
262	aggreſſarum.	aggreſſorum.
264	Pilatti.	Pigatti.
298	(3)	(5)
307	vegetalibus.	vegetabilibus.
337	omnium demonſtravit.	omnium Florentiæ demonſtravit.
376	hirundinum.	hirudinum.
393	nomenclaturam.	nomenclatura.
400	bullitus.	bullitum.
404	Buxbaum.	Bnxbao.
444	Oderum.	Oderam.
486	inſufflare.	inſuflare.
	obſeſſu.	abſceſſu.
	lubricis.	lumbricis.
	Lovv.	Loevv.
	hygenem.	hygienem
	Pruſſiæ. Sueciæ.	*Deeſt illorum flum. deſcriptio.*

Reliqua Lector ipſe, ſi Humanus, emendabit.